FR. JOAN. DUNS SCOTUS ORDINIS MINORUM...

Bonaventura ca. Baronis, ...

Digitized by Google

Digitized by Google

204-1-H-5

Digitized by Google

Digitized by Google

204.7

FR. JOAN. DUNS
SCOTV
ORDINIS MINORVM
DOCTOR SUBTIL
PER VNIVERSAM PHILOSOPH
LOGICAM, PHYSICAM, METAPHYSICAM,
Ethicam, contra adverſantes

DEFENSVS
Quæſtionum novitate

AMPLIFICATVS
TRIBVS TOMIS DISTINCTVS.

AVTHOR
BONAVENTVRA BA
EIVSDEM ORDINIS
HYBERNVS CLONMELIENSI
Dudùm jam in Romano Collegio S. ISIDORI *Philoſophiæ & Theologiæ emeritus Profeſſor ordinarius, &c.*

TOMVS TERTIVS
Metaphyſicam, Ethicam, ac Apologias ſelectas complex

Ad usum Palteryj



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM BUSÆUM, Bibliopolam ſub ſigno Mono.
M. DC. LXIV.
Cum Privilegio Sacræ Cæſareæ Majeſtatis.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO ET REVERENDISSIM

PRINCIPI

JOANNI PHILIPP

à SCHÖNBORN,

S. R. I. PRINCIPI ELECTOR

ET

PER VNIVERSAM GERMANIAM CANCELLARIC

ARCHIEPISCOPO MOGVNTIN

EPISCOPO HERBIPOLENSI,

FRANCIÆ ORIENTALIS DUCI,

MECOENATI SVO

NEmo, niſi in hiſtoriis hoſpes, (Seren.me Mecœ neſcit quam avidè olim optarint viri Principes S ptorum epiſtolis ſalutari. Octavianus ille Augu rum auſpex Flaccum Horatium flagitavit, ut ſ eorum indicem referret quos epiſtolis conven Alexander Macedo (ſcis qualis ac quantus) Ar telis labores in Phyſica ita ſibi dicatos optavit, n alios pervenirent. Quorum Principum eminentiam ego in Te ac ratus ſtatui tot votorum compotem te reddere dum epiſtolam T tranſmitto, & cum illa Philoſophiam. Atque ut à primo (ut par eſt) ordiar, facit facilitas id ipſum præſtandi. Non enim in ſcribendo la rabo, ſed in deſcribendo illam Venuſini ad Auguſtum. Quando in nihil tuum deſideras niſi nomen: Ecce enim ipſam:

Quum tot ſuſtineas ac tanta negotia ſolus,
Res Italas armis tuearis, manibus ornes,
Legibus emendes; & cætera

Quæ plane me prævenerunt tanquam in poli angulo ſpeculo im neni Tui expreſſura. Negotia tua multitudine plurima, fructu pub gravitate immania, tot capita occuparent niſi in unum incidiſ quod ſe plus omnibus impendit quam aliorum plurium ſingula occupantur; & in hoc cenſeatur Moguntinus à cæteris diverſus, q illi ſeria oblectamentis findunt, hic occupationibus ipſis oblectatu deatur otium in negotiis habere. Pergo; *res Italas* id eſt Roma quis operoſius tueri credendus quam Roman. & Eccleſiæ Præſul Imperii Princeps? Ad hæc; *manibus* urbem tuam niſi cinxeris, n

ı eſt cinċturus. Magalia operum tuorum circa Moguntiam ci-
ı ſecuritatem ita aſſerunt, hoſpitum pruritum ita irritant, ut illi in
hritudine pacis conquieſcere poſſint, hi perpetuo miraculo ſuſ-
i vix credant viſa oculis, verſa manibus, trita experimentis. Non
o in profanis his, quorum laudem par eſt à Te admitti tantum, non
ari. Sufficit addidiſſe, tibi ultra tuæ Moguntiæ, Herbipolis, etiam
ac totius tuæ Franciæ Orientalis munimenta, deberi etiam adja-
ium urbium ac provinciarum ſoſpitatem quorum Principes tuo
ıplo excitati ad ſua undique munienda, dicam & munienda plures
epararunt.

Et quanquam in his quæ recenſui Martius animus ſit in laude,
ndo neceſſe eſt Eccleſiam eſſe militantem,) Ego tamen ex vitæ
enu propinabo digniora Epiſcopo utiliora Reip. præſidia à Te
que exhibita; nam urbem tuam *manibus* ſed & moribus ornas;
c, *Legibus emendas* correċta ſuperiorum miniſtrorum Licentia,
Bartholomæitis tuis per Archidiœceſin diſperſis Cleri honeſta-
nſtauras cæterorum ſcandala coërces, ut exilire libeat, & Natu-
pſam quæſtionibus ſubjicere increpandam quod talem tam tarde
uxit.

Et hæc hačtenus; Colophon exemplorum eſto illud quod quam
mè intereſſet Eccleſiæ eos accipere qui deberent præbere; Fami-
m tuam & Fratres nequaquam Eccleſiaſtico adipe impinguas,
patrimonium Chriſti prophanis hæredibus tranſcribis: quin;
ı nuper, neſcio quid, Fratri tuo contuliſſes, quantumcunque tuo-
precibus pulſatus, nunquam flecti potuiſti ut aliter ei prodeſſet
ı ut ille deinde perpetuo meminiſſet ſe Eccleſiæ eſſe vectigalem.
emplum argenteis laminis, adamantino ungue incidendum, tam
pto ævo, quando non piget, nec pudet pleroſque Hieruſalem mo-
ıs ſuis ſpoliare. Accuſavi naturam quod tardè te genuerit, nunc
o quod ſolum, quando adobturanda ora hoſtium, ad continen-
lotem Eccleſiarum ubique SCHÖNBORNOS, antiſtites eſſe, certè au-
mperare expediret; & (ſi fas foret) Moguntinos Araonico Sacer-
per traducem derivari.

Et vero ego Te lentius cogitatum video aliter Iudaico ſchemate
brari, quùm ſcilicet Aſotiis perduellibus Synagogæ, reparandæ
obſtantibus, pars Fabricæ præfecta *una manu faciebat opus, & al-
tenebat gladium*: ita enim Tu propugnaculis hoſtem retro agis, ex-
Eccleſiam ædificas. Quæ ego ſi lentius fortaſſe protraxi, ignoſ-
orum profectibus litanti; ſi parcius propinavi, agnoſce clientem
ſtiæ tuæ conſcium ac proinde parcentem. Illa autem ideo cæ-
præmiſi quia publica ſunt quibus tanquam magiſtratui deferre
runt ſingula perſonæ tuæ ornamenta; illa linguarum, peritia quâ
am heptaphona porticus Cyſici advenis ſuâ linguâ reſpondes,
ıno tempore, ſed pluribus locis natus: Illa, illa naptha, & magnes
huma-

humanitatis, qua cunctos complecteris, & ut ſuccinum ſtipula
annectis. Ipſe ego id argui, & vero probavi, cui à primo congr
& breviculo colloquii tui ceperunt verba rebus cadere, ſpes i
tranſire, ſtatim deinde à Celſitudine Tua tam honeſto nuncio I
Melchiore Epiſcopo Domitiopolitano ad aulam tuam & Elector
menſam invitatus: Vt nemo ambigat ſubeſſe mihi conſilii mei
menta cur opus hoc voluerim Tuo Nomine exornari, ſive pub
rationibus ducar, ſive privatis. Neque enim aliter niſi errans M
natis mei debui feciſſe delectum quàm ut ei quem ſcio & ing
Lyncæum, & voluntate Socraticum, Metaphyſicam & Ethi
offerrem, ambas inquam, quarum illa intellectum acuit, hæc affec
componit. Vive & vale communi Reip. bono, merito ſcripto
emolumento. Ita vovet

Pariſiis apud S. Patricium 7. Idus Septembris, 1633.

Sereniſſimæ & Reverendiſſimæ Celſitu
Tuæ Cliens
F. BONAVENTURA B

LECTORI.

Iam ſecundò proloquutus, vix habeo cujus admoneam eum, niſi quòd exhibito ho mine, *fidem ſervavi* Scoti defendendi per univerſam Philoſophiam, cujus hic *curſ* *ſummavi*. Nempe ut olim D. Deus in diem, ita ego in Tomum tertium rejeci *duo Lu* *magna*, Metaphyſicam, & Ethicam, quæ vel ſola ſufficiunt, in cæleſti firmamento humanæ, quando una intellectum acuit, altera arbitrio moderatur. *Duo ubera ſun* quibus pendent hæ potentiæ & continuo bibunt tanquam *duo hinnuli capreæ gemell* *aſpiret* Sac. Theol. *dies*, & prophanarum artium *umbræ inclinentur*. Nempe Deo auſpice ſequetur S Theologia totidem Tomis diſtincta, niſi quem adjecero ut in quadriga feratur.

Ne quem autem quatiat turbati ordinis querela, quando hic prima ſtatim pagina videt prodire riam de Cælo, cognata argumenta congeſſi: Jam dixi ſidera hæc cælo inſerta; Metaphyſicam quis c cæleſtem eſſe, quùm ſit etiam divina? Et certè

—— è cælo deſcendit γνῶθι σεαυτὸν,

quod vel maximè Ethica molitur tanquam ſpeculum quod nos nobis objiciat. Cæterùm volume duobus malè cedit, neutri materia, quod vel inde colliges, quia alios alumnos petit; nam *juvenis civilis d* *non eſt idoneus auditor*, magno illius ornamento, *non enim defectus eſt in ſolo tempore, ſed quòd perturbationes ſeq* paſſionum utique, quas quiſque huc domitas ferre debet, & cicuratas.

Scio opus diſciplicitum, ac proinde deſpectum iri in multis, & meritò, muſtæum illud & cr caniculæ properantis partum, authore interim peregrè ſubinde profecto: Duo tamen auſim profer illud utcunque commendent: Una eſt brevitas quâ, quamvis abſurdum, citò deſinet diſplicere. Alte quod morum probitatem ex ipſis collegit, non ex externa cenſura. Ariſtoteles olim quæſitus à quo d tur? reſpondit, ab objectis. Ita ego reduco res ad origines ſuas & rationes, quas vocant, à priori: Long ab illa turba Scriptorum, qui profitentur ſe caſus conſcientiæ docere, & verè docent, quanquam non interim veritatem. Ac nimirum non quid res ſit attendunt, ſed quid dicatur; & palam pronunciant do etiam falſas, modò ſint multorum, ſecuros reddere, & à peccato liberare; ſed verâ re: *Veritas liberabi* nimbus ille authorum qui ad vulgi gratiam his popiſmis graſſantur.

APPROBATIONES PP. PHILOSOPHIÆ AC THEOLOGIÆ Profeſſorum Authoris Diſcipulorum.

PRIMA.

NOS infraſcriptus Sacræ Theologiæ Lector in Collegio Romano S. Iſidori præſentibus fidem t legiſſe nos SCOTUM DEFENSUM per univerſam Philoſophiam, Logicam, Phyſicam, Met cam, Ethicam, &c. per P.F. BONAVENTURAM BARONEM, neque in eo deprehendiſſe quam Catholicæ fidei, aut bonis moribus adverſum, Romæ in Collegio S. Iſidori FF. Hiber 1650. Idibus Auguſti.

F. PAULUS KINGS S. Theologiæ Lector,
Collegii S. Iſidori de Urbe Guardian.

Digitized by Google

SECUNDA.

SCotum *defenſum per univerſam Philoſophiam Logicam, Phyſicam, Metaphyſicam, Ethicam, &c. authore R. P. Fratre* Bonaventura Barone *Sacræ Theologiæ Lectore emerito jam legi, prelo autem ac lectu dignum cenſui, utpote quam deprehendi non ſolum contra mores, vel religionem nihil continere, verum etiam in qua neque delectationem, neque fidem, neque doctrinam deſideres.*

Romæ Anno 1650. *prima Septembris.*

F. Franciscus Molloy Sacræ Theologiæ Lector jubilatus Romæ apud S. Iſidorum.

TERTIA.

VIdi cum voluptate *Scotum defenſum* per univerſam Philoſophiam per P.F. Bonaventuram Baronem S. Theol. emeritum lectorem, oblectatus interim & materiâ & modo: illa ſiquidem ſolida eſt, hic accuratus, ſive methodum ſpectes, ſive ſtylum. Parum eſt quod nihil contineat Fidei aut bonis moribus adverſum, multa habet quæ Chriſtianam Theologiam in Philoſophia juvent; propter quæ cenſeo illam non admittendam tantum, ſed optandam prælo, ut pluribus ſit, maximè autem noſtræ Subtilium ſcholæ, quæ in illo ducem ſuum habet defenſum etiam amplificatum.

Ita ſubſcribo Romæ idibus Auguſti, 1650.

F. FRANCISCVS HARALDVS S. Theol. *Lector Iubilatus*

EXTERNORVM.

O*Pus hoc Apologeticum à Reverendiſſimo P. Inquiſitore Generali Venetiarum D. meo colendiſſimo traditum mihi examinandum laborioſis lucubrationibus* P. Bonaventuræ Baronis *Strict. Obſerv.* S. Franciſci *concinnatum, vera ac Scotiſtica doctrina innixum, in baſi veritatis firmatum nihil continet quod veritati obviet. Exeat ergo & lucem adeptum addiſcentium palatum demulceat, dum cætera ad ſatietatem curioſitates expletura deſiderantur. Dat. in noſtro* S. Mariæ de Jesu *Conventu Dominica in albis, Anno à Chriſto renato* 1656. *Nono Cal. Majas.*

Ita cenſeo Ego Fr. Ægidius à Melo Ord. Min. Obſerv. Reformat. Lector Generalis, ſupiad. Conventus Guardianus, & S. Officii Venetiarum Conſultor m. p.

Alia Teſtimonia Theologorum.

IN parte fælicitatis numero quod P. Fr. Bonaventuræ Baronis Scotus Defensus per univerſam Philoſophiam, Logicam, Phyſicam, Metaphyſicam, Ethicam, &c. huc ad manus meas & oculos devenerit, quippe quem iſtis intuitus ſum, illis amplexus. Præſtat quod præmittit Scotum Defendit, adeoque Hybernum, ea fide ut nihil contra fidem peccet, minus contra mores. Acumine adverſa penetrat, pondere ſubjecta illidit, ita utrumque ut nec in mole moleſtia ſit, nec in acie ineptia. Stylum autem ſupervacaneum eſt prædicare, aliis operibus, multorum laudibus celebratum; quos inde hoc opus tarde comprehendet, diutiſſime expectatum. Vale lector & volve, omnia experieris. Ita ſentio Fuldæ hac 27. Junii 1663.

Fr. Fridericus Stumelius *Ordinis FF. Minorum Recollectorum SS. Theologiæ Lector Iubilatus.*

V*Idi & legi* P.F. Bonaventuræ Baronis Scotum Defensum, *interim tamen hoc teſtimonium reddo veritati. Nihil habet contra Fidei, aut Eccleſiæ canones, vel morum puritatem, plura ipſo digna, quippe tot annorum in Philoſophia ſcholis emerito ac Profeſſore.* Expugnat impugnantes Subtilem, effundit, frameam, & concludit adverſus eos: *quamquam non ſine ipſorum utilitate, quibus expedit, ut ſciant ſe arma inermia habere, aut fragilia aut obtuſa. Suis autem, hoc eſt Scotiſtis apprimè prodeſt, non ſolum, quod defendat eorum Doctorem, ſed quod doctrinam augeat, etiam acuat & illuſtret; quod ipſi etiam præſagire videntur, & quadantenus jam re ipſa experiri, dum in tot Provinciis ac Regnis Italia, Hiſpania, Gallia opus avidè expectant.*

Bonnæ 28. Maii 1663.

Fr. Bruno Neusser Ord. FF. Minorum Recollectorum SS. Theologiæ Lector.

CENSVRA ORDINARII

VIdi Admodum Reverendi Patris Bonaventuræ Baronis Scotum Defensum. Suum commendat opus authorem à multis ante laudatum, & merito utique ſuo, non inani verborum fuco ſingulariter commendatum: magnam ſiquidem paſſim habet doctrinæ varietatem, rationum oſtentat ſubtilitatem, & in his ſi fidem ac mores ſpectes ſuam ubique ſervat integritatem. Dignus ille eſt qui ad lucem veniat ut à pluribus videri poſſit. Lege benevole Lector & tuo experieris emolumento. Coloniæ 1663. die 16. Junii.

Ferdinandus Strobelius in Univerſitate Colonienſi SS. Th. Doctor Canonicus Eccleſiæ Metropolitanæ, Cenſor Librorum Ordinarius.

INDEX

INDEX APOLOGIARVM ET ACTIONVM
De Cœlo, & Mundo.

APOLOGIA I.
De Natura Cœli.

Actio 1. Utrùm cœlum ſit corpus ſimplex, nec ne? fol. 2.
Actio 2. De diſtinctione cœlorum inter ſe ipſos. 3
Actio 3. Utrùm cœli ſint animati, necne? 7
Actio 4. De numero cœlorum. 9
Actio 5. Reſolvit ex proprio titulum Actionis præcedentis. 11
Actio 6. Utrùm cœli ſint ſolidi, an fluidi? 13
Actio 7. De incorruptibilitate cœlorum. 18

APOLOGIA II.
De Aſtris.

Actio 1. Quid Aſtra? An ſpecie diſtincta à ſuis orbibus? 20
Actio 2. Utrùm aſtra habeant lumen à ſe? 21
Actio 3. De figura & magnitudine Aſtrorum. 23

APOLOGIA III.
De Motu Cœlorum.

Actio 1. Utrùm cœli revera moveantur, ân non; ſed potius terra & cœli quieſcant? 25
Actio 2. Utrùm cœli à ſeipſis moveantur? 28
Actio 3. Quot motibus cœli aut aſtra mov

APOLOGIA IV.
De influxu corporum cœleſtium.

Actio 1. An, & quomodo effecta inferio pendeant à corporibus cœleſtibus?
Actio 2. Utrùm cœli per lumen, an verò p entias agant in mundum elementarem?
Actio 3. Quid certò colligere poſſint Aſtro corporibus cœleſtibus?

APOLOGIA V.
De Mundo.

Actio 1. An rectè creditus ſit Mundus eſſe ro ſeu ſphæra?
Actio 2. Utrùm mundus potuerit eſſe æterni ad permanentia?
Actio 3. Utrùm ſucceſſivum potuerit eſſe æte
Actio ultima. Utrùm generationes viventium rint eſſe æternæ?

INDEX NOTABILIVM
OPERIS SIVE LIBRORVM ARISTOTEL METAPHYSICÆ.

ABſtractum à ſingularibus nihil eſt quod ſit commune illis. Apol. 5. Act. 1. num. 2

Aliquid præter naturam requiritur ad ſingulare conſtituendum, 5. 2. 6.

Argumenta Scoti pro univocatione entis Deo & Creaturæ quomodo non militent contra æquivocationem eiuſdem entis realis & rationis? 2. 6. 4

Ariſtoteles non agnovit diſtinctionem ſcientiarum per abſtractionem à materià. Apol. 1. procem. Act. 2. num. 2. Agnovit autem diſtinctionem formalem graduum: Ap. 6 Act. 3. n. 1. & Act. 7

Bonitas entis paſſio male à veteribus intellecta, Apol. 3 Act 6. n. 1. Non eſt idem quod perfectio. ib. n. 2. eſt denique volibilitas ſeu amabilitas rei. n. 4

Conceptus entis verus. 2. 2 4

Conceptus realitatis, ibid n. 5

Conceptus verus unitatis eſt eſſe principium numer. 3. 3. 3

Creaturæ ab æterno merum nihil fuerunt imo nec hoc ipſum: non fuerunt poſſibiles in inſtantibus proceſſionum Divinarum. 7. 2. 3

Defendi poteſt ſecundum Scotum quod ens nullas paſſiones habeat. 3. 1. 1

Definitio unitatis per indiviſionem & diviſionem improbatur. 3. 3. 1

Differentiæ ultimæ quænam ſint. 2. 7. 1

Diſtinctio ſcientiarum per abſtractiones improbatur. 1, 2, 1

Diſtinguens an debeat perfectè cognoſcere cta? 1. 1. 4

Diſtinctionum ſpecies apud Scotiſtas ſunt & quæ 6. 1. 1. tres apud Thomiſtas, & quæ? ib

Diſtinctio realis à quodam inepte expoſita explicatur ibidem: ubi de ſufficientibus ſignis

Diſtinctio formalis, ſeu, alio nomine ex nat vere intercedit gradibus conſtitutivis naturæ c 6. 3. 1. In actu vitali eſt evidens, n. 6. Eadem in dit inter totam naturam, & ſuam individuati 6. 4. 1

Diſtinctio formalis Scotiſtica intercedit inte paſſiones mutuo, atque etiam inter paſſiones & jectum, 6. 5. 1. & 2. Probatur multiplici inſtan tellectus, & voluntatis, n. 2. potentiarum nutrit generativæ, n. 3. Reſpectus identificati abſolut Quantitatis num. 5

Diſtinctio formalis Scoti in Divinis datur, & dem pluries, 6. 6. 1. eſt certiſſima doctrina Scot 2. fundamenta opinantium oppoſitum ib. n. 1. e ta doctrina Ariſtotelis. n. 5. eſt Sanct. Eccleſiæ P Anſel. Auguſt. Boët. Cyril. Hylarii, &c. 6. 8. n. & ſeq.

Diviſio entis in quantum & non quantum ne quam prima. 9. 1. 3.

Doctrina Cratilli de unitate naturæ cujuſvis. Doctrina Platonis de eadem. nu. 2. Doctrina n nalium n. 3. Doctrina Doct. varie intellecta à ſu ponitur ultimatè n. 5

Doctrina recentiorum de modis reprobatur.

Digitized by Google

s habet conceptum diſtinctum à conceptibus abentium quorumcunque, 2. 12. Argumentum tum Scoti pro hac veritate expenditur.
s nominaliter & participialiter ſumi, & quid ſin- nt. 2. 2. 1
univocum Deo & creaturis, 2 3. 1. non analo- ed pure univocum, nu. 5. Hoc ens eſt formalitas n ſeu conceptus de mente Scoti, 2. 4. 1. An ſic ır diſtinctio formalis graduum? nu. 4. eſt etiam :um ſubſtantiæ & accidenti. Act. 5. ibid.
reale & rationis quomodo diſtinguenda? 2. 6. ut ſic utrique æquivocum.
non includitur formaliter in ſuis modis, 2. 7. 1 in paſſionibus, nu. 4. nec in ultimis differentiis n. 5 Reſpectu iſtorum omnium & ſimilium eſt te æquivocum. ib. n. 6
habet aliquas paſſiones: licet ſecundum Sco- obabile ſit oppoſitum. 3. 1. 1
ntia nulla diſtinguitur realiter à ſua exiſtentia, maliter in vero Scoticiſmo. 7. 5. 1. quod etiam ione oſtenditur dicendum. n. 2
entia actualis nunquam habere eſſe pure poſſi- 5. 1. eadem ratio eſt de ipſa quoad hoc, & de . Poteſt tamen admitti aliqua diſtinctio inter m & exiſtentiam, n. 5
quam ſit una reſpectu omnium creditorum.

aliſtæ corriguntur in definitione Modi.
itas formalis quomodo à Scotiſtis intellecta?

idua habent communem conceptum in quo aut rectius ſingula conveniunt: & quomodo.

idua ejuſdem ſpeciei ſunt entitative inæqua- inæqualiter perfecta. 5. 4. 2. Id tamen non eſt liter & neceſſario verum. n. 5
lectus non poteſt quodlibet ex quolibet face- 4
phyſica Ariſtotelis parum metaphyſica. 1. 3. 1
yſica ex objecto ignobilis. 144. eſt ſumme on tamen poſitive per exceſſum. n. 6
phyſicæ objectum non eſt ens communiſſi- . 1. 3. 2. Veræ Metaph. eſt ens reale ut ſic: Ejus n ut nunc tradi ſolet. n. 7
i non ſalvant ſimplicitatem rerum plus quam tiæ. 8. 3. 1
i rectius cenſentur eſſe relativi quam abſolu- . Sintne in Deo modi intrinſeci? n. 4
s intrinſecus deſcribitur & explicatur.
itudo quomodo opponitur unitati. 3. 2. 4
ra creata de ſe non eſt ſingularis ſed per aliud m: atque ita natura & ſingularitas ſunt duo.

ræ creatæ ex ſe habent unitatem aliam à nu- . 2. 1
ſſe eſt poni multas ſcientias rerum neque una . 3. 3

Objecta aliarum ſcientiarum attinguntur à Meta- phyſica, non tamen ſub propriis rationibus. 1. 1. 1. & 2
Objectum Metaphyſicæ non eſt ens communiſſi- mum. 1. 2. 3. Sed ens reale ut ſic: objectum ejus ut nunc tradi ſolet. ib. n. 7
Paſſiones diſtinguuntur formaliter à ſubjecto, at- que etiam inter ſe. 6. 5. 1. & 2
Paſſiones entis an competant enti rationis. 2. 6. 6.
Paſſio entis quæ eſt unitas poſitivum quid eſt non ſola negatio. 3. 2. 2
Poſſibilitas creaturarum non eſt ab intellectu Di- vino. 7. 2. 1. neque eſt ſola denominatio extrinſeca ab omnipotentia Dei, ib. n. 4
Poſſibile ſimpliciter quid? 7. 2. 7.
Perſonalitas cur non identificetur perſonæ.
Præſciſiones formales Recentiorum ſine diſtin- ctione formali non poſſunt ſuſtineri. 6. 12. 1
Præſciſiones objectivæ reprobantur, ib. n. 2
Productibile non dependet intrinſece à produ- ctivo.
Prædicamenta ſeptem ſunt modalia, 8. 1. 3
Quantitas eſt alicujus unitatis & multitudinis prin- cipium. 5. 2. 2
Recentiores defendunt diſtinctionem formalem ſub nomine præſciſionis objectivæ. 6. 12. 5
Scotus non recte intelligitur de incluſione entis in ſuis modis & paſſionibus. 2. 7. 2. Probabiliter tenet ens non habere paſſiones, 3. 1. 1. varie intellectus circa unitatem naturarum inferiorum, 4. 1. 4. immerito traductus à Cajet. &c. de poſſibilitate rerum. 7. 1. 2
Scotiſticum non eſt eſſentiam diſtingui formaliter ab exiſtentia, 7. 5. 1. nec vice verſa.
Singulare qua tale nihil addit entitati naturæ reali- ter poſitæ extra cauſas. 5. 2. 2. Requiritur nihilomi- nus aliquid ultra naturam ad ſingula individua con- ſtituenda, n. 6
Spatia loci & temporis ſe ipſis individuantur. 5. 3. 3
Species ſunt ſicut numeri: expenditur, 5. 4. 7
Suſtineri poteſt primam diviſionem entis eſſe in Deum & creaturas, ſubſtantiam & accidens. 9. 1. 4
S. Thomas improbabilis in explicatione veritatis, quæ eſt paſſio entis. 3. 5. 1
Veritas altera paſſio Entis, ut creditur, eſt integri- tas conſtituentium quodque, 3. 4. 2. Veritas propo- ſitionis an hinc excipienda? ibid. n. 3. non eſt creden- da eſſe paſſio, n. 4. Si tamen teneatur eſſe talis conſti- tuenda eſt in cognoſcibilitate cuiuſque, ib. Act. 5. n. 2. Negationes an cognoſcibiles, n. 3. Bonitas an vera? n. 4
Unitas formalis poſitiva & privativa improba- tur. 4. 3. 5
Unitas formalis negativa non datur in natura crea- ta exiſtente 4. 3. 1. neque datur in iiſdem unitas for- malis negativa niſi multo minus, ib. n. 2
Unum de mente Scoti non eſt quid ſuperadditum enti. Ap. 3. Act. 3. n. 5

COMMENTA-

COMMENTARIA
IN LIBROS
ARISTOT. DE CAELO ET MVND

1. LOquor cum multis, ipſo inprimis quem expono; Cæterum non admodum placet inſcriptio hæc *de Cælo, & Mundo*, tanquam Cælum eſſet aliquid ultra Mundum; Nec valere debet evaſio quorundam diſtinguentium Mundum in diverſas ſignificationes, nam in titulis non debent poni, aut accipi, niſi conſuetæ & tritæ vulgò acceptiones, quùm tituli ſint quaſi elementa, & ſimpliciſſima in operibus, adeoque nunquam conficiendi ex hujuſmodi exoticis ſignificationibus. Certè in editione Ariſtotelis, qua utor,
ſolum Cælum in titulo ponitur, ſed ced
eo magis, quod titulus ſic diſpoſitu
met objectum hujus operis apud me. Ne
gladiantur hic Authores de objecto,
que in principio tractatuum; quod revera
dum eſt, quum non aliud ſit, quam dub
quo velis agere, aut tractare. Itaque a
objectum erit Cælum, & Mundus, hoc
verſitas Creaturarum, quæ ex nihilo co
que ut ſic, ſive categorematice & generic
ta pro toto, non verò in ſpecie &
minus in individuo, quaſi de ſingulis in pa
ri agam, ut conſtabit ipſo in ſe opere, qu
incipio ad Dei laudem.

APOLOGIA PRIMA.
De Natura Cæli.

ACTIO I.
Utrum Cælum ſit corpus ſimplex? nec ne?

ACTIO II.
De diſtinctione Cælorum inter ſe ipſos.

ACTIO III.
Utrum Cæli ſint animati nec ne?

ACTIO IV.
De numero Cælorum.

ACTIO V.
Reſolvit ex proprio titulum Actionis præcedentis.

ACTIO VI.
Utrum Cæli ſint ſolidi, an fluidi?

ACTIO VII.
De incorruptibilitate Cælorum.

Scotus 2. *diſt.* 14. *q.* 1. *num.* 5.

QUantum ad animationem videtur eſſe dubium, quia Aug. in Enchir. cap. 42. loquitur du
ve, *nec illud certum habeo: utrum ad civitatem ſupernam pertineant ſol, & luna & alia ſidera. quam*
nullis corpora lucentia, non tamen intelligentia videantur. Et breviter ſi Cæli non ſunt animati, hoc eſt
tum, & non ratione concluſum: quia nulla eſt conditio in corpore illo ita perfecto manifeſte
rens repugnare animationi corporis. Hoc de iſto

Idem *ibidem q.* 2. *num.* 2.

QUantum ad primum hoc ſupponendum eſt, quod nulla ſtella habet proprium motum loc
id eſt quod non movetur motu alio, quam motu orbis, in quo locatur. Si enim ipſa partem
orbis, in qua eſt relinqueret aliquando, & ad aliquam aliam partem moveretur, vel ſibi nihil ſu
ret, & ita eſſet Vacuum; vel aliquid ſibi ſuccederet, & ita corpus Cæleſte eſſet rarefactibile, &
denſabile, vel poſſet ſcindi, & recedente corpore ſcindente rurſum continuari &c. Hæc
eſt intentio Ariſtotelis 2. de Cælo, & Mundo.

Digitized by Google

ACTIO I.

Vtrum Cœlum ſit corpus ſimplex?

Breviarium.

*ſimilius vero eſt quod cælum ſit corpus phyſice ſim-
plex.*
*adhibentur novæ rationes hujus. An in cælis depre-
henſa ſit aliqua mutatio? ubi de Caſſiopeia.*
*Adhuc aliæ probationes ſimplicitatis cælorum:
Quantitas an inſeparabilis à corporibus.*
*4. Rationes adverſæ pro compoſitione phyſica cælorum:
Explicatus locus Geneſ. 1.*
*5. Cælum non eſſe mixtum ex elementis oſtenditur
late.*
*6. Objectio in contrarium poſita, & ſoluta. Cælum
an calidum?*

AGimus de Cælo ſidereo,
quod imminet elementis,
& à PP. dicitur Cælum Ter-
ræ, eo quod detur etiam a-
liud *Cælum Cæli*, quod Do-
mino cedit in habitaculum.
De corpore ſimplici egi in
câ, eſt enim, quod non conſtat partibus eſ-
libus phyſicis materiâ, & formâ: opinio-
diverſitatem, & authorum nomina late a-
Rec. videas; mihi animus res ipſas non no-
proſequi.
Dico primo, rationabilius eſſe quod Cæ-
licatur, & ſit corpus phyſice ſimplex, quam
oſitum, eſt Ariſtotelis, ſed id non magni
ndum, nam & oppoſitum eius eſt, ut vi-
r in hoc negotio ille ſibi non conſtare,
tiam contradicere; quod non auſim dice-
o, auſus eſt tamen Camerarius. Aliam in-
n ſeriem authorum videas apud Citatos.
nea refert eſt Scot. 2. d. 14. ubi diſertis
s ait juxta principia philoſophorum, ma-
n in Cælo non ponendam; & in hoc ait
oëm melius aſſecutum eſſe Ariſtotelis men-
uam alios, voluit autem Averroës Cælum
nplex.
Auctoritates hic vix quidquam ſuadere
nt: ſi dixero, quod *In principio creavit Deus
& terram* adeoque Cælum ſit pure crea-
non verò per eductionem formæ ex mate-
ſtatim reſpondebitur non id dici de Cælo
dereo, & mobili, ſed de Cælo Empyreo:
Cælum illius loci factum eſt ante omnem
Cælum autem hoc noſtrum ſecunda die.
im hinc elicio ego primam rationem aſ-
ic: Cælum Empyreum eſt corpus ſimplex,
x ſidereum, nam ſine dubio veroſimile eſt,
s omnes eſſe eiuſdem rationis ſaltem gene-
lioquin cur communi nomine vocarentur,
convenirent ſecum ultra hæc inferiora ſal-
communi, & generica ratione.
Alterum argumentum tritum eſt, ſed vali-
i contra reſponſionem fieri ſolitam, urgea-
od, ſi in rerum natura ſint corpora compo-
it partes componentes, & ſimplices, quid-
ò ſint corpora ſimplicia, quæ ſint tota ſeu
leta? Videtur enim hoc exigi ad integrita-
niverſi: & confirmatur, quia in ſubſtantiis
ialibus dantur aliquæ ſimplices, quæ ſint
ut anima, aliæ quæ ſunt tota ſimplicia ut
us; non eſt autem cur dicatur id factum in
ntia ſpirituali, non dicatur factum in ſub-
corporali, ergo. Huic dudum reſponde-
uthores partis negantis, conſequentiam

eius negando: Non enim omnia facta ſunt, quæ ad decorem univerſi conducerent. Quis enim dubitet plures ſpecies animalium, & colorum dari poſſe quæ de facto non dantur? non ergò licet arguere à poſſibili ad factum: Ita illi; ſed non evadunt, nam nullum genus creaturæ oſtendent poſſibile, quod non ſit factum, licet non omnes ſpecies ſub illo genere ſint factæ. Factæ ſunt creaturæ ſpirituales, corporales, animatæ, inanimatæ, accidentia, ſubſtantiæ &c. atqui hoc quod eſt corpus ſimplex eſt genus æque late patens ac hæc; ſaltem æque late patens, ac corpus compoſitum, ergo non poteſt ob hujuſmodi evaſionem negari exiſtentia eius, ſi concedatur poſſibilitas illius; poſſibilitatem autem eius alibi probavi, ergò.

2. Tertio ſic arguo: quia materia prima agnita eſt in his inferioribus à philoſophis ex tranſmutationibus: ſed in Cælo non ſunt deprehenſæ tranſmutationes, ergo; hoc etiam eſt commune, & communem ſolutionem habet, atque etiam ſpecialem, quam poſtea producam; primo enim dicunt Adverſarii materiam agnitam quidem eſſe ex tranſmutationibus, ſed eâ ſemel inventâ, judicatam fuiſſe etiam Cælis convenire. Alii dicunt materiam agnitam fuiſſe non ſolum ex tranſmutatione ſubſtantiali, ſed ex accidentali, quæ certiſſimè Cælo convenit. At enim dicant hi mihi, quænam ſit illa tranſmutatio accidentalis, quæ infert certo materiam, ut hic capitur, ſcilicet pro parte phyſica diſtincta à forma? Reſpondent eſſe quantitatem: At enim hoc vel eſt falſum, vel eſt principii petitio, nempe in Cælo eſt quantitas ſecundum me, & tamen in Cælo ſecundum me non eſt materia. Similiter excludas aliud, quod quidam reſpondent materiam colligi non ſolum ex tranſmutatione ſubſtantiali, ſed etiam ex accidentali. Nego enim hoc conſtanter, quum certiſſimum ſit corpus ſimplex eſſe capax accidentium corporeorum; Cur enim non, ſi ſpiritus ſcilicet completus eſt capax accidentium ſpiritualium?

Aliud magis mathematice reſponderi poſſet huic argumento, negando minorem, ſive in Cælo non eſſe de deprehenſas mutationes ſubſtantiales: Contrarium enim dici poteſt conſtare ex Caſſiopeia, in cujus ſigno viſa eſt nova ſtella præcedenti ſæculo, & primo præſentis alia in Cygni pectore, ſed enim de his infra ſuo loco agetur; ex quo hic præſupponendo ſolutionem horũ, ſive quod revera nulla ſubſtantialis mutatio facta ſit in Cælo; in præſenti poſſumus inſtaurare hoc argumentum ſic: quod neque corruptum eſt, neque unquam corrumpendũ ſubſtantialiter, illud ſane

cenſendum

Digitized by Google

cenſendum eſt incorruptibile ; ut quid enim natura inderet alicui potentiam,quæ nunquam reducenda eſſet ad actum? Cælum eſt tale,ut ſuppono, ergo. Duo dici poſſunt incontrarium majoris : unum eſt de potentia libera, quæ quando proſequitur amore,poteſt proſequi fugâ,nec tamen potentia fugæ, ſive odii eſt ocioſa. Alterum de ipſis agentibus naturalibus,nam ſine dubio aliqua agentia naturalia poſſunt facere plura, quæ non faciunt; ſed hæc nihil nocent; nam potentia ad alterum extremum quodammodo etiam tunc reducitur ad actum, quando omittitur, quia nimirum illa concurrit ad reddendum proſequutionem alterius extremi liberam. Unde non eſt ocioſa; ut omittam nos agere de naturalibus, hoc autem eſſe proprium agentium liberorum, unde ad alterum illud dico jam reſponſum eſſe ; nam licet aliquod particulare individuum omittat aliquam actionem connaturalem, tamen nulla ſpecies ſaltem ſuprema omittit omnem eiuſmodi actum,& habet potentiam ocioſam.

Aliæ probationes ſimplicitatis Cælorum.

3. Alia duo pro hac veritate formabo : primum ſic: Datur corpus ſimplex quantitativum , ergo datur ſubſtantiale ſimplex : Cur enim illi competet de facto ſimplicitas non vero huic, cum ſimplicitas ſit perfectio , & ſubſtantia perfectior , ac perfectibilior accidente? Veritas antecedentis patet in corpore ſive profundo , quod eſt quid habens in ſe uno plures dimenſiones longitudinis, latitudinis, atque altitudinis ſive profunditatis, ex quo patet retuſio ſolutionis, quæ prætendi poſſet, ſcilicet hoc non poſſe aliter ſe habere. Id enim non eſt nimis verum,quum ſupponatur linea, quæ eſt ſola longitudo,eſſe diverſa formaliter, & realiter à ſuperficie,hæc à corpore; ſi ergò tres hæ ſpecies poſſunt convenire in unum realiter accidens, eo quod ſint incompletæ, quidni partes ſubſtantiales phyſicæ poſſunt in unum realiter convenire ſine diſtinctione reali convenientium, ſive componentium ſicut ibi?ſane ſi ſit perfectio,non debet potius concedi, ſive de facto, ſive de poſſibili accidenti,quam ſubſtantiæ.

Arguo etiam ſic,quia Adverſarii mei incurrunt æque magnum paradoxum, & tam inſignem novitatem fugiendo ſimplicitatem Cæli, ac concedendo eam, adeoque fruſtra negant eam,quia nihil lucrantur. Antecedens oſtendo: quia illi ut defendant incorruptibilitatem Cæli cum eius compoſitione phyſica , dicunt materiam, ex qua componitur Cælum, eſſe diverſæ rationis à noſtra;At verò quis non videat hoc æque peregrinum eſſe in philoſophia ſaltem Peripatetica, ac corpus ſimplex ? Quod etiam revera ſic cenſeri debet; quod enim in aliquo genere primum eſt, id ſolum eſt, quùm nihil unum poſſit habere duo initia, ſicut, nec bis incipere, aut etiam bis finiri. Deinde ſi quis diceret eſſe duas primas cauſas, duos ultimos fines, quam merito rideretur?quia hic præterea admittitur quædam latens contradictio; volunt enim illi Authores,aut coacti ſunt dicere illam materiam eſſe determinatam ad unam formam, nec habere potentiam aut aliarum privationem; At verò quam inſignis

materia prima hæc ? Quæro enim,aſſign
hi aliquam ſecundam materiam , aut n
mam, quæ ſit magis determinata, & min
munis quam iſta, quod quum non poſſi
nare,nec intelligere quidem, reſtat illos i
quenter loqui , dum eam materiam vol
primam, & tamen ſumme determinatam

Urgeo iterum:ſi enim materia eſt d
nata ad hanc formam, & forma ad mate
nunquam ſint ſeparanda, quorſum ſepara
Quorſum hæc pluralitas componentium,
omnia poſſint eſſe unum ? nam fruſtra f
plura quæ fieri poſſunt per pauciora. Hu
di tamen rationi aliquis reſtitit in hunc m
quoniam, (inquit B.Amic.) hoc ſaltem a
tur à nobis, quantitatem eſſe diſtinctam
à Cælo, & tamen certum eſt, quantitat
eſſe ſeparandam à Cælo ; ergo licet forn
non eſſet ſeparanda à materia eius, poſſe
cenſeri diſtincta. Poſſet arguens acrius ur
tionem : nam ipſorum ſublunarium q
non poteſt ſeparari à materiâ, & tamen
bio diſtinguitur realiter, ergo inſeparabil
quorum non impedit diſtinctionem real
rum, & ita nec formæ Cæli à materia. Reſ
hoc eſſe egregium argumentum ad prob
indiſtinctionem materiæ à quantitate ,
ſim, ſive ad ſuadendum , quod iſta non
guuntur realiter,quod re vera eſt probabil
ter hoc ipſum , & proinde argumentum
eſt in oppoſitum. Reſpondeo ſecundo a
do diſparitatem inter iſta hinc inde, & e
aliter materiæ ſeparatio quantitatis nocet
aliter Cælo,aut parti eius ablatio compar
ſi forte quantitas auferretur à materia, n
inde deſineret eſſe , ſed emanaret aliam
tatem ſicut aqua frigus ; non ſic eſt in p
Cæli; quia materia non poſſet emanare fo
nec forma materiam. Ratio primi, quia fo
perfectior materia: Ratio ſecundi, quia
non eſt producibilis, niſi per creationem.

Ultimo ſic arguo : quia corpora qu
que ex noſtris, mutuo attactu teruntur, C
non teruntur quamvis invicem ſe tanga
radant, & fricent, ergo. Dices eſſe lævia,
inde non ſe lædere. Reſpondeo non ſuffi
tionem,quia læviſſima terunt ſe invicem,
contingunt, maximè ſi interim moveant
fricent ſe. Quid lævius proboſcide Cul
muſcæ ? & tamen multiplicatis itineribu
petras,ut videas in formicis. Alia duo poſ
ci ad rationem,ſcilicet hanc non probare,
probare negotium de diverſitate ſpecifica
poſitionis horum, ſed ſolum identitatem
verſitatem quantitatis ! Iſtaque probare
corruptibilitatem eorum. At enim ego
rium hinc oſtendo , quia in omni diviſio
rinua aliquid eius corrumpitur, & ſi aliq
cineres redigatur , certe erit duplo mino
Itaque in fine fateor rem hanc de C
compoſitione eſſe incertam, neque ulla
tem plene demonſtrari. Ex duabus tam
eſt probabilior,ſaltem ſiſtendo in na
quod etiam ſuadebunt argumenta i
ſa adverſariorum meis colla-
ta ; ſubdo ipſa.

* *
*

Digitized by Google

tiones adverſæ pro compoſi-
tione phyſica Cælorum.

Rima mihi, & principaliſſima videtur illa,
quæ ex Geneſi, eruitur cap. 1. ubi refertur
a Cæli producti illis verbis. *Dixit quoque*
fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat
ab aquis, & fecit Deus firmamentum, diviſitque
, quæ erant ſub firmamento ab his quæ erant ſuper
mentum, & factum eſt ita. Vocavitque Deus fir-
entum Cælum? Ex his enim videtur palam Cæ-
ex materia, & forma compoſitum: Etenim
um eſt ex aquis, & aquæ in firmamentum
erſæ ſunt, nam ubi nunc eſt firmamentum,
erant aquæ. Urgeo, ſi non ſunt aquæ con-
in firmamentum ſequitur, quod, aut in loco
amenti fuerit vacuum, aut quod tota mate-
rmamenti inducta ſit in Mundum jam ple-
corporibus. Utrumque eſt ineptum, nam
n inducit vacuum: alterum inducit pene-
onem, ergo denique cenſenda eſt in Cælum
erſa, atque ita Cælum non eſſe corpus ſim-
, ſed compoſitum, in quod aliud compoſi-
verſum ſit, hæc autem converſio neceſſa-
ſupponit materiam. Reſpondeo primo hoc
mentum nocere quam plurimis adverſario-
etiam pleriquc ipſorum, licet velint Cæ-
conſtare materia, nolunt tamen ipſum con-
noſtrate materiâ, ſed aliâ diverſa. At verò
rgumentum vel nihil valet, vel debet Cæ-
eſſe ex noſtra materia, quia nimirum eſt ex
tia aquæ, adeoque elementari, & noſtrâ,
.

Reſpondeo ſecundò, nihilominus perſi-
dum eſſe in doctrina concluſionis, & ad
puncta, & authoritates. & rationes, qui-
nititur objectio, objicio ego alia duo ſimi-
rimum eſt, quod productio Cæli in ſcrip-
ſignificet veram creationem, & differen-
ecenſeatur à modo, quo recenſetur pro-
io aliorum. Etenim Cælum productum eſt
y *fiat* quo modo ſignificatur abſoluta cau-
à ſola efficiente, utique enim uniformiter
itur in eodem loco, & tamen aliud, de
dicitur eſt creatum, ſcilicet lux: *Dixit enim*
, *fiat lux & facta eſt lux*, atque in illa hiſtoria
repertum productum per *fiat* niſi lux,
rmamentum (intellige cum ſuis luminibus,)
jam firmamentum hoc non erit ex ma-
, ſicut nec lux illa prima fuit, de quo
ſi placet, quod tradidi Apolog. prædicam.
.1. Ad confutationem, ex ratione conce-
lam aliquid facere, ſed non ſufficere; cau-
ia non ſufficeret decuplum aquæ, quæ
in loco firmamenti ad faciendum firma-
um; eo quod Cælum ſit ſolidum, & denſiſ-
m, aquæ autem ſunt raræ. Jam verò ſi ex cal-
ione Ariſtotelis decem pugilli aquæ requi-
r ad faciendum unum pugillum terræ, uti-
d aliud denſius, quale eſt Cælum inſtar æ-
oc & amplius requiritur. Tamen non ob-
e hac poſitione firmamenti in aquis poterit
bſque ulla materiâ componente, qui enim
et novem partes certe credendus eſt deci-
ſupplere.

Objicit ſecundò, Cælum habere quanti-
, adeoque etiam materiam; nam quantitas
ſequitur materiam. Item eſt denſum ut dixi jam; Denſum autem eſt quod habet multam materiam. Reſpondeo nego conſequentiam unius, & antecedens alterius, vel potius probationem antecedentis. Dico ergo quantitatem non ſequi ſolam materiam, ſed etiam corpus ſimplex, quod caret materiâ. Contra tamen inſtari poteſt ſic. Conſtat nobis quantitatem ſequi materiam, tanquam proprietatem, ergo non debemus dicere quod ſequatur corpus ſimplex, quia eadem Proprietas non poteſt ſequi ad plures eſſentias diſparatas. Hæc replica aliquid valet, ſed in aliquo retunditur inſtantiâ elementorum, ut aquæ & aeris, quæ vendicant ſibi frigus, Terra etiam, & Aqua vendicat gravitatem. At enim non eſt adhuc plena paritas, quia paſſio aquæ non eſt frigus, ſed frigus cum humiditate; Item gravitas eſt ei paſſio, ſed infra ſummum: Hoc autem quod eſt infra ſummum, aut ſimile non habet locum in quantitate: quia cuicumque convenit, abſolutè, & ſumme convenit, neque eſt alia paſſio materiæ, cum qua combinari poſſet, ergò.

Dicendum eſt ergo, quod quantitas non ſit proprietas materiæ primæ ſed primò alicujus tertii abſtrahentis ab ipſa, & corpore ſimplici. Certe autem ſi deberet aſſignari uni ex his duobus, potius dubitari deberet de jure materiæ hîc, quam de jure corporis ſimplicis, quum corpora ſimplicia ſint majora centies millies quam inferiora hæc. Alias ratiunculas minoris momenti legas apud Rec. paſſim, quibus proinde miſſis.

Addo ipſe, & objicio tertio, ſi Cælum eſſet corpus ſimplex, nihil poſſet educi ex Cælo; Id autem eſt falſum, quum omnes qualitates eius, item motus educantur de illius potentia, utique enim hæc non creantur; ſequela autem probatur, quia nihil poteſt educi ex forma: Cælum autem habet formam materiæ identificatam: utrumque enim in illo eſt idem, ergò jam nihil poterit educi de potentia Cæli Reſpondeo poſſe aliqua educi ex alio, quam ex materia; Actus intellectus, & voluntatis educuntur ex ipſis intellectu, & voluntate animæ quæ forma eſt; educuntur ex Angelo, qui materia non eſt.

Item utriuſque habitus ex eſſentia utriuſque, ſicut & habitus gratiæ qui eſt in eſſentia animæ, & Angeli; At enim omnia hæc negabunt qui ponunt in Anima, & Angelo materiam licet ſpiritualem, quod non obſcure aliquando ſignificavit tam Subtilis, quàm Seraphicus Doct. unde urgeo reſponſionem in hujuſmodi doctrinâ; Nam ſi in Angelo ſit materia, atque etiam in anima, ex qua materia omnes qualitates educantur etiam motus, tamen actio motiva non poteſt educi ex illa; Hæc enim educitur ex agente, materia autem non eſt agens.

Objici ultimò poteſt contra me Scotus, qui loco cit. in themate ait, in veritate Cælum eſſe compoſitum ex materia, & forma. Reſpondeo Scotum hoc dicere, ſecundum Theologos hoc eſſe dicendum nos interim dum philoſophos agimus, amplectimur de mente eius id, quod judicavit philoſophis eſſe cenſendum, id autem eſt Cælum eſſe ſimplex ut vides, adeoque.

Cælum

Digitized by Google

Cœlum non eſſe mixtum ex elementis.

5. EX his habes dicendum omnino, quòd cœlum non ſit mixtum corpus, cujus oppoſitũ olim cum antiquis illis & rudibus ſepultum ſuſcitare conatus eſt Camerarius, ſed ſuo malo, ut ſic oſtendo. Vult enim ille cœlum eſſe igneæ naturæ, & tamen factum eſſe ex aquis. Certè quod ex aquis factum eſt, vel ſolis, vel majori ex parte in illo aqua debet prædominari. Cœlum ſic factum eſt: ergo non dominatur in eo ignis, ut iſte vult. Item ſic; dominatur in cœlo ignis, ergo non eſt ex aquis, neque totaliter, neque majori ex parte factum. Major patet in ipſo homine, qui, quoniam factus eſt ex terra majori ex parte, eſt terreæ naturæ, & motus deorſum eſt ei naturalis, motus ſurſum violentus. Urgeo argumentum: quia quùm fieret cœlum, non exiſtebant alia elementa certò, ſcilicet aer, & ignis; Et aliàs certũ videtur terram non concurriſſe ad fieri cœlorum, cùm cœli facti ſint in medio aquarum, ubi nihil terræ erat; atque ita videtur ex ſola aqua factum, & non tantùm pro majori parte ſicut homo ex terra. Si ergo dominatur terra in homine, multo magis aqua in cœlo.

Secundò ſic arguo: ſi cœlum ſit mixtum, aut eſt mixtum ad pondus, aut eſt non mixtum ad pondus, ſive eſt mixtum non ad pondus; ſi ſit mixtum ad pondus, nullum elementum debet in eo dominari, quod eſt falſum ſecundùm ipſum, volentem ignem in cœlo dominari, ita fervidè, ut neceſſe fuerit reſervari aquas ſupra ipſum ad temperandum calorem ejus, ſi eſt mixtum non ad pondus, non poteſt eſſe æternum, ſed neceſſariò diſſolvendum aliquando, elementis minus validis cedentibus fortiori.

Tertiò videtur parum rationi conſentaneum, ponere aliquod corpus centuplo majus omnibus elementis. Neque dicatur non eſſe majus aquâ, quia factum eſt in medio aquarum, id enim ex parte jam ſuprà rejeci, & hîc impugno, quia ſi eſt mixtum ad pondus, omnia componentia debent eſſe æqualia in eo; cœlum autem ſi mixtum ſit, certè eſt ad ſummum temperamentum & pondus. Denique contra hoc ipſum temperamẽtum, & pondus eſt, quòd cœlum, eſſet naturaliter in loco cujuſcunque elementi, & violenter ſupra, aut infra omnia. At verò ſic eſt, quòd cœlum ſit naturaliter ſuprà omnia, ergo.

Objicit: cœlum eſt calidum, ergo vel eſt ignis, vel conſtat ex igne. Conſequentia patet, quia alterutrum eſt neceſſarium. Antecedens autem aſſeritur Pſalmo 18. *Non eſt qui ſe abſcondat à calore ejus*, ſcilicet Solis. Sed eſt error, cœlum enim non calidum, nec frigidũ eſt, niſi virtualiter aut eminenter; Hanc reſponſionem expectabat Camerarius, & ideo contra illam ſe armavit ſic: Non aliunde judicamus aliquid eſſe virtualiter calidum, niſi quia ſenſu percipimus illud non eſſe formaliter calidũ; hoc nunquam percepimus de cœlis. Reſpondeo; percepimus de aliis, ut de pipere, & cinnamomo, hæc autẽ ſufficiunt, ne dubitemus de cœlis, & aliis, quæ non experimur. Inſtat: Eccleſia docet aquas relictas eſſe ſupra cœlum; *ut unda flammas temperet*; ergo cœlum eſt formaliter calidum. Reſpondeo inferre debuit, quòd cœlum ſit formaliter ignis aut flamma, hoc enim ait hymnus ille, non ergo rectè intulit ille hinc cœlum eſſe mixtum. Deinde mixtum nunquam participat qualitates elementi in æquali gradu; cœlum ſecundùm ipſum participat calorem in ſummo. Adhuc amplius, quia ſaltem nullum mixtum excedit ſimplex ſuum in qualitate communi; cœlum in levitate excedit ignem. Denique ſi cœlum ſit tam calidum, unde oportuit tertiò ei affundi aquas, certè valde mirum eſt ab altera parte adjectum eſſe ei ignem; nam concavum Lunæ eſt plenum igne.

Maneat ergo cœlum eſſe quintam eſſentiam, id eſt, aliquid non compoſitum, quemadmodum neque quatuor elementa ex alio priori compoſita ſunt. Imò multò magis, ut jam oſtendi, quod etiam Camerarius fateri habet ex hactenus illatis; dico fatendum eſſe ei, quòd cœlum ſit phyſicè ſimplex, quia cùm ille putet non dari aliam materiam ab elementis, & jam elementa exploſa ſint à cœlis, ſequitur &c.

ACTIO II.

De diſtinctione Cœlorum inter ſeipſos.

Breviarium.

N. 1. *Probabile cœlos differre ſpecie: probatur pluries.*
2. *Rationes in oppoſitum adducta & ſoluta.*
3. *Ariſtot. creditur ſibi contradixiſſe in hac materiâ.*
4. *At non vero.*

1. IN hac, & pleriſque ſequentibus debemus eſſe paucis contenti, eò quòd parum ſciamus de natura cæleſtium ob diſtantiam eorum, & cõſequentem defectum noſtræ experientiæ. Breviter ergo dicendum hîc nihil poſſe certò dici, ſequendo autem probabiliora, potiùs credibile, quòd cœli differant ſpecie. Primum illud probatur ab aliis omnibus, quia denique nihil certi afferunt, meum hoc ſic ſuadeo. Primò, quia ſaltem empyreum eſt diſtinctæ naturæ à ſidereis cœlis, atque ita indefinita illa eſt vera. Sed nolo mihi ſufficere hoc, quin probo diſtinctionem inter ipſos cœlos mobiles ſic, quia aſtra certiſſimè differunt ſpecie: at verò aſtra ſunt aliquid orbis, nec differunt ſecundùm pleroſque, niſi ſecundùm magis & minus, puta raritate, & denſitate, quam probationem differo in Apologiam de aſtris ultimatè reſolvendam.

Secundò, quia Deus in hoc mundo elementari non diviſit locis, & ſphæris, niſi corpora ſpecie diverſa, ſcilicet ignem, aërem, aquam, terram, quorum cuique ſphæram diverſam cœlis, quòd cœli

Digitized by Google

etiam ſpecie diſtinguantur. Urgeo, quia
licitas, quæ in his corporibus præ aliis eſt,
r eſt in cœlis ; illi enim ſunt compoſiti ex
bus phyſicis, iſti non ex totis, cœli autem,
x partibus, neque ex totis.

Tertiò: Ratio quæ ſuprà probavit ſimpli-
em hanc cœlorum, huc redit ad probandam
itudinem ſpecificam eorum; nam ſi decet
 univerſo corpus phyſicè ſimplex, certè de-
ſſe multitudinem ſpecificam ejus; datur e-
multitudo ſpecifica ſpirituum ſimplicium,
gelorum; Item corporum tam ſimplicium,
 compoſitorum, atque ita negari non debet
ultiplicatio ſpecifica cœlo, niſi negetur ex-
ia, & ſimplicitas ejus: ut videas, quàm incon-
nter loquantur, qui ponunt cœlos ſimpli-
 tamen ejuſdem ſpecici. Urgeo hanc no-
pecialiter contra quoſdam, & ſunt Thomi-
i enim ajunt multiplicationem neceſſariò
ni à materia, atque adeò, ubi non eſt mate-
i nec quidem poſſe eſſe ſpecificam diverſita-
atqui ſi cœli ſint ſimplices phyſicè, clarum
ıòd non habent materiam; ergo à Thomi-
nentibus ſimplicitatem, non poteſt negari
plicatio ſpecifica cœlorum de poſſibili, nec
ão, ſi detur multitudo numerica ipſorum,
omne individuum apud ipſos neceſſariò eſt
s.

Dici poteſt ad aliquas ex his, puta ad ſecun-
rationem ſuprà, determinatas eſſe diverſas
as illis corporibus, non verò cœlis, quia illa
non ſolùm ſimplicia corpora, ſed elementa,
talia, ex quibus alia fieri deberent: at verò
lis nulla corpora fieri debent, adeóque.
ſt cœlos, quamvis nõ diſtinguerentur ſpe-
men dividendos fuiſſe in claſſes & ſphæras,
òd habent diverſis motibus moveri, non
t enim ſic moveri, niſi eſſent diſcontinui.
ndeo, me non prætendere, quòd proba-
 adductæ ſint demonſtrativæ, ſed tantùm
artem ab aliis deſertam juvare, ad quod
ndum verto hoc argumentum in autho-
; Cœli habent moveri diverſis motibus,
abent diverſas ſpecie naturas; nam *Natura
cipium motus*: Et certum eſt, quòd duo in-
a ejuſdem ſpeciei, non exigunt duo ſpecie
, ita ut unum exigat diverſum quid ab eo
lterum exigit. Video, quid dici poſſit,
 motus hos non exigi à cælis, ſed tantùm
admitti ab illis neutraliter ſe habentibus,
ntra pro ratione allata à me facit hæc alia

i enim quòd exigerent cœli hos diverſos
, argueret diverſitatem ſpecificam eorum,
iam, quòd acceperint tam diverſos mo-
eo; utique enim rationabile videtur, ut
 Deus ſtatuit facere orbes, qui diverſis
is moverentur, faceret illos orbes eſſe ſpe-
rſos; nam multò magis conveniunt mo-
ie diverſi mobilibus ſpecie diverſis, quàm

In oppoſitum pro unitate cælorum ob-
onnulli, primò Accidentia omnia omni-
orum eſſe uniuſmodi: at verò nobis non
ſubſtantia corporis, niſi ex accidentibus,
emus dicere, omnes cœlos eſſe ejuſdem
 Major patet ad oculum, videmus eos
ce, eâdem figurâ, motu, &c. præditos.
ſpondeo, nulla accidentia nobis conſta-
dicent eſſentiam cœli, niſi lucem, cer-
tum eſt autem cœlos habere alia, adeóque ex ſen-
ſibus noſtris non poſſumus rectè judicare de identitate, aut diverſitate naturæ cœleſtis: Reliqua enim illa, ut motus, & figura, non tam certò arguunt eſſentiam, quàm qualitates.

Objici ſecundò poteſt aliud caput, ſcilicet influxus, & effectus cœleſtium corporum; hic enim provenit à ſtellis, non verò à cælis, ergo nullum remanet caput, ex quo colligi poſſit diverſitas cælorum. Minor hujus videtur experientiâ inculcari, nam ſi à cælis proveniret, experiremur ſemper eoſdem effectus in noſtro mundo ſublunari, quia ſemper aliqua pars cæli imminet ei; Si autem cæli omnes ſint ejuſdem ſpeciei, multò magis omnes partes ejuſdem; quùm ergo non experiamur eoſdem, ſed diverſos effectus in terris, ſcilicet modò flores, alios fructus, ſubinde ariditates, & carentiam utrorumque, cenſenda eſt hæc varietas provenire ex eo, quod aliquando deeſt, ſcilicet ex aſtro, non verò ex illo, quod ſemper adeſt, ſcilicet cælo. Reſpondeo, non poſſum negare huic argumento, quin præcipuæ cauſæ mutationis ſint aſtra; at verò quòd cæli nihil cauſent, aut nihil immutent in his inferioribus, difficulter concedam, quamvis videam id communiter ſupponi. Moveor autem (aliorum veniâ) quia ſi cæli ipſi nihil agunt, quorſum facta ſunt, & durant tam vaſta corpora? Scio quid reſpondendum, ſcilicet illos factos eſſe in vehiculum aſtri. At enim ego hanc Philoſophiam non facilè admitto, & paulò difficilius, in ſententia ſic reſpondentium, quia exiſtimant illi cælos cieri ab intelligentia externa, non verò à propriâ forma; ſic enim quid prodeſt cælum? Nonne intelligentia facilius moveret aſtrum ſolùm, quàm aſtrum, & cælum? Certè ſi quis deberet portare gemmas in longinquam regionem, ſtultè alligaret eas ingentibus annulis, quùm multò facilius ſolas portaret, non gravando ſe pondere annulorum, ergo ad motum aſtri non juvat, ſed obſtat cælum, quæ res etiam urget, ſi dicantur aſtra à ſe moveri; nam principium intrinſecum, quod ipſum movet, certè facilius impelleret ipſũ ſolùm, quàm cum toto cælo? Ergo cenſendum eſt, cælum factum ſui gratia, ac non tantùm gratia aſtri, adeóque non eſſe merum vehiculum, ſed habere vires, & naturam propriam, quibus hæc inferiora promoveat.

An Ariſtoteles conſtiterit ſibi in hoc negotio.

3. CEnſetur non conſtitiſſe: quia nimirum judicavit omnes cælos eſſe de ſe ſingulares (atque etiam omnia aſtra,) nec poſſe dari duos ejuſdem ſpeciei; (imò neque unum in rigore loquendo) eò quòd in ſempiternis idem ſit poſſe, & eſſe, adeóque tot ſint, quot poſſint eſſe. Si autem non eſſent de ſe ſingulares; poſſent infiniti eſſe, quùm ergo non ſint tot, ſignum eſt, nec duos poſſe eſſe ſimiles; Deinde judicavit materiam totam eſſe creatam, nec poſſe plus materiæ fieri, ſed hoc potiùs ſpectat ad unitatem, vel multitudinem Mundi, ſeu Univerſi totius, quàm cælorum. Ex altera autem parte apud ipſum, cælum conſtat genere & differentia, eſt enim in prædicamento ſubſtantiæ, cùm ſupremum genus hujus omnia creata complectatur; ex quibus ſequitur cælum eſſe multiplicabile, & ſpecificæ eſſentiæ,

Digitized by Google

tiæ. non verò de ſe ſingulare.

4. Propter hæc cenſent aliqui Ariſtotelem latenter ſibi contradixiſſe: at non ego. Cedant mihi iſti Cenſores, ubi Ariſtoteles dixerit cælos eſſe in prædicamento? Deinde demus eum id dixiſſe; non continuò contradixit ſuperiori aſſerto; Poſſumus enim concipere differentiam ſpecificam eſſe ipſam numeralem,loquor de ſpecie metaphyſica,non Logica,,aut nominali. Sic plures exiſtimant Angelos eſſe de ſe ſingulares, ſine dubio tamen dant eis differentias ſpecificas, quia ponunt eos differre eſſētialiter; & omnes omnino debemus dicere,quòd in Deo ſit aliqua qu differentia præter individualem,quæ eſt de ſe ſi gularis; nam ſinglaritas illa appellit ſupra cor pletam eſſentiam divinam, non verò ſupra rati nem genericam, aut quaſi genericam ejus. V de ſi placet quæ de hoc dixi Tom.1.Apol:. Ac Videatur etiam ante omnia Doct.2. d.3. q. 7. u unum tantùm de Ariſtotele dicit, ſcilicet eum nuiſſe ſingularitatem.& immultiplicitatem,(n verò aliud,) ſed quia id ex falſo principio intulit, Theologos debere in hoc ab eo diſcordare.

ACTIO III.

Vtrùm cœli ſint animati, nec ne?

Breviarium.

N. 1. *Premiſſa hypotheſis ſtatuenda Concluſioni.*
2. *Verius eſt cælum non eſſe animatum.*
3. *Id tamen ratione non poſſe convinci.*
4. *Quid dictet fides in hac materia?*
5. *Ratio omnium optima contra animatio cæli.*

1. Hic potiùs timendum eſt Ariſtoteli à contradictione;nam palàm aſſeruit cælos animari, quod etiam alii anteriores clarè profeſſi ſunt, & facilè credi poteſt de ipſis, qui tam proni fuerunt ad adoranda omnia maximè cæleſtia. Unde Anaxagoras
Diogen. Laert. ex Sotiõ. poſtulatus eſt impietatis, quòd Solem non dixerit Deum, ſed flammam. Iterum aliud hîc eſt ſupponendum, ſcilicet difficultatem hanc non habere locum in noſtra ſententia de ſimplicitate phyſica cæli; nam corpus phyſicè ſimplex clarum eſt, quòd non poſſit eſſe animatum, cùm ſimplicitas excludat formam, Anima autem certiſſimè ſit forma. Itaque ne omittamus hanc, aut alias inſignes difficultates, admittemus aliquandiu aliorum ſententiam de compoſitione phyſica cæli,ut videamus,an etiam ſtante illâ ſententiâ forma poſſit eſſe Anima?

Mihi autem inprimis ſtatuenda eſt mens Doct.mei ſuper hac re. Eſt autem quod ille 2. diſt. 14. 19. ubi rem hanc examinat poſt longam diſcuſſionem ejus denique reſolvit breviter, *ſi Cæli non ſint animati,hoc eſſe creditum,ſed non ratione concluſum, &c.* ad ejus explicationem, ac defenſionem.

2. Dico primò verius eſſe, quòd cælum non ſit animatum animâ vegetativa, ſenſitivâ, aut
S. Cyril. lib. 2. contra Iulian. rationali. Hæc eſt vox omnium D. etiam qui non diſcrepat in concluſione, ſed in probatione ejus
Damaſc. lib. 2 fid. ab aliis: Authores partim citantur à modernis.

Ambroſ. lib. 2 Hex. Ratio autem pro prima parte mihi eſt iſta, quòd vegetatio requirit alimentum, & excre-
D Thom. 1.p.q 70. mentum, neutrum autem in cælis apparet, niſi u-
S. Bonav. 2.p.14q.2 num.3. num devoraret aliud, & ita cæli eſſent corruptibiles: Imò nec hoc ſufficeret, quia alii ſunt aliis improportionabiliter majores; Deinde corpus
Durand. ib.q.2. homogeneum non poteſt vitaliter ali: Corpus
Ockam. q 12cap.2. d. 9. magnum non poteſt ſaltem commodè ali; cælum autem habet utrumque impedimentum; nam cæli planetarum, non habent aliam differentiam partium, niſi unicum aſtrum; nam totus
Argent. ib.d.14. reliquus orbis eſt omnis ejuſdem rationis. Deinde quodlibet cælum eſt tantæ vaſtitatis, ut alimentum ferè infinitum tempus inſumeret tr ſeundo ad omnes partes, quæ deberent ali quamvis huic rationi ſuprà à me reſponſum ſi liquo modo,tamen tota abſurditas non eſt ab ta quin remaneat quoad difficultatem ſaltem, non quoad impoſſibilitatem.

De ſenſitiva etiam idipſum facilè ſuad tùm aliis rationibus, quas apud authores leg tùm quia vertigo illa tam præcipitata impedi omnem actum ſenſationis, tam primum, qu ſecundum, ut conſtat ex nobis ipſis; tùm qu quòd ſic vitaliter movetur, fatigatur & labora movendo,adeóque ſegnius in fine,quàm in pr cipio movetur,quorum omnium contrarium petimur in cælis. Eadem & ſimiles probatio de anima rationali recurrunt ut videre eſt a omnes omnino hoc loco, & breviter oppoſi non eſt aliud, quàm ponere cælos eſſe homir ſcilicet animalia rationalia.

At enim aliquis has,& hujuſmodi alias c temnit, quia (inquit,) non probant niſi ſen vam, aut vegetativam noſtram non mover cælis; ſed quæro ex hoc homine, quæ ſit iſta ſitiva, aut vegetativa non noſtra? Aut unde conſtet conceptus, aut poſſibilitas alicujus, non conveniat in ratione vegetandi, aut ſe ſendi cum noſtra? ſi non convenit in re, au tione cum noſtra, neque etiam debet conve in nomine, Cur enim? Itaque illa non eſt an ſenſitiva,& vegetativa, de qua loquimur, at ita ille non negat, quod nos aſſerimus: Po ille omnia quæcumque eludere diſtinguendo noſtra,& non noſtra,&c.

Itaque cenſeo ſatis efficaciter convi quòd cæli non ſint animati his tribus viris, aut qua ex illis; adhuc tamen ad manutenent Doctoris.

3. Dico non eſſe certè demonſtratum; q cælum non ſit abſolutè animatum; & in ſp dico animam, de qua dubitari poſſit, an com tat cælo, eſſe loco motivam. Itaque dub poteſt, an cælum non moveatur à ſe vitaliter, jus oppoſitum, cùm nondum demonſtratum

Digitized by Google

et facilè etiam demonſtrabile, reſtat in eo ſtanum, quòd non ſit omnino ratione certum, cæs non eſſe animatos.

Ad hanc doctrinam ſuadendam aſſumo ihi aliam ex phil. 2. de An. tex. 27. *Potentiaum autem animæ, quæ dictæ ſunt. aliis quidem inſunt nnes, alio quadam harum, quibuſdam verò una ſola. otentias autem diximus vegetativum. ſenſitivum, aptitivum, motivum ſecundùm locum, cogitativum &c.* quo loco intulerunt Commentatores, & ſeaces Ariſt. quatuor eſſe viventium genera, ſciet vegetativum, ſenſitivum, rationale & locootivum. Hoc autem poſito, dico non eſſe deonſtratum, quin cælum ſit vivens locomotim. Urgeo: quia rationabile eſt concedere ic quintæ eſſentiæ motum ab intrinſeco, ſit conceditur aliis quatuor elementis, quæ à ſeſis moventur; atqui ſuppoſito, quòd ſit ab inſeco, videtur omnino debere eſſe ab anima, imò, propterea quòd hic motus non ceſſat in mino, motus autem aliorum ceſſat, adeòque motus non erit à qualitate, qualis eſt gravitas, levitas. Secundò, quia hic motus eſt regula- & legitimus, nunquam velocior, aut tardior; tus autem mortuorum per qualitates eſt irrelaris nunc tardior, nunc velocior.

At enim hæc ratio videtur nimium proba- ſcilicet non ſolùm locomotivam Animam incælis, ſed etiam rationalem, quia tam legitis videtur exigere rationem. & quidem exactiſam. Reſpondeo pro nunc: ſufficit mihi n dari exceſſum, aut diſparitatem in motu, & ſolo utor. Id autem non eſt, quod infert ionem hîc, ſed advertentia ad particularia humotus, item ad bonum Univerſi, de quo à.

Duo tamen alia hîc ſunt moleſta, unum d locomotiva non ſit ſpecies Animæ, ſed ſemconjuncta cum una ex duabus, ſcilicet ſenſitiut rationali, adeòque fruſtrà laboramus ad bandum cælum poſſe eſſe animatum locoiva, ſi non cenſeamus ipſum eſſe animatum tativâ, aut rationali, neque id eſſe demonile. Reſpondeo tamen hanc rationem forpoſſe pro mea concluſione; nam locomotieque oritur à ſenſitivo, quùm competat non itivo, ſcilicet Angelo. Neque oritur ab inctivo, cùm competat non intellectivo, ſciliruto, adeóque emanabit ab aliquo genere, pecie ſubalterna, quæ nos latet, & ſub hac m ego cælos.

Alterum objiciendum eſt hoc, quòd cælum n hac, ſive in illa ſpecie ſit, non habeat inſtrua motus, ubi enim? & quæ illa? Ad hoc tadici poteſt inſtrumenta motus requiri in eo, l progreſſivè moveri debet, non autem in uod quomodocunque continuè, ſic terra abet inſtrumenta motus deorſum, nec ignis m, & tamen habent principium intrinſellis, ita hic.

4. Quoad aliud illud in reſolutione Doct. ma cæli, ſcilicet illud creditum eſſe, oſtenreviter, quomodo ad fidem pertineat cæon eſſe animatum. Cenſeo ergo id eſſe uſionem Theologicam ſaltem, ut ſufficienfiniri poſſit, licèt non conſtet apertè eſſe definitum: Moveor ad primam partem, quia in Divinis litteris ea dicuntur de cælo, quæ non poſſunt intelligi de re animata: dicitur enim Domus, dicitur Regnum, dicitur Cubile, aut manſio. Quis autem habitare poſſet domum animatam? Idipſum ſignificatum eſt in ſac. Geneſi ipſo principio, ſtatim ubi dicitur *Deus feciſſe cælum & terram*, tanquam fundamentum, & tectum hujujus magnæ Domus.

Deinde abſolutum teſtimonium hujus habetur apud Nicephorum Calliſtum, qui etiam refert verbatim definitionem V. Synodi ad hoc: *Si quis dicit cælum & Solem. & Lunam, & ſtellas, & aquæ ſuper cælos ſunt, animantes quaſdam eſſe & materiales virtutes*(vel ut rectius alii) *animales, Anathema ſit.*. Quem locum omnes affectant, & in eo conquieſcunt, non advertentes definitionem non ſufficere eorum intentioni, quia non negat, niſi ſenſitivam, & intellectivam vitam. Simili defectu laborat alius locus, in quo applaudunt ſibi communiter Authores. Eſtque Concil Lateran. ſub Innoc. III. quòd *Deus produxerit ſimul ab initio temporis utramque creaturam, Angelicam & mundanam, & deinde humanam tamquam mediam*, nec enim mundanæ creaturæ, ſub qua compræhenduntur cæli, ſunt animatæ aliquæ. Id tamen reſtat ad veritatem aſſerti à Doctore, quòd ex his locis creditum ſit cælum non eſſe animatum animâ ſenſitivâ, aut rationali; ex prioribus à me adductis, atque etiam ex Pſalm. 113. ubi dicitur: *Cælum ſedes Dei*, ſequitur ſtatim quòd non ſit animatum animâ locomotivâ, evidens enim eſt non convenire, quòd Locus aut Sedes ſint animata anima locomotiva, alioquin deberet animal aut ſpiritus ſemper, etiam invitus moveri, nec poſſet quieſcere, ſi vellet.

Unum in fine hîc adverto non eſſe rectè dictum à Rec. quodam, quòd complexum ex cælo & intelligentia ſit animatum, aut vivens, eò quòd in hoc complexo inveniatur aliquid, quòd ſit animatum, aut anima, aut vita. Id enim non eſt rectè dictum, neque ſufficit ratio probationi, quia ad hoc, ut complexum eſſet animatum, deberet anima aut vita afficere ipſum, aut aliquid ejus, quod non facit. Confirmo, quia complexum ex cadavere, & anima non eſt animatum, ergo. Redeo ad impugnandam adhuc primam partem aſſerti &c.

Objicio, quòd etiam certum ſit, non poſſe cælum eſſe præditum anima locomotiva, quia hæc ſupponit cognitionem, poteſt autem probari ratione, quòd cæli non ſint cognitivi.

5. Deinde, quòd nulla omnino anima, quia cælum eſt ſiccum, ſive caret humore, *Anima autem, eò quòd ſpiritus, nequit in ſicco habitare.* Propter hæc non eſt contumaciter negandum, quin rationes adducibiles ad diſſuadendam animationem cæli, non ſint validæ: Neque Doct. negavit eſſe id demonſtrabile, ſed demonſtratum, intellige ab Authoribus ei notis: ſiſtendo tamen in ejus reſolutione, nego univerſaliter motum localem ſupponere cognitionem, Animam non poſſe in ſicco habitare: verum eſt de facto, & pro hoc ſtatu ſublunari, in quo omnis anima ſupponit vegetationem, & hæc humorem, quo alitur, aliàs autem non.

ACTIO

Digitized by Google

ACTIO IV.

De Numero Cœlorum.

Breviarium.

N. 1. *Poſitio antiquorum Aſtronomorum.*
2. *Stellæ moventur motu orbium.*
3. *Stellis fixis omnibus unus orbis ſufficit.*
4. *Alii tamen ſeptem aſſignandi ſunt planetis.*
5. *Nonum cælum probatur.*
6. *Triplex differentia motus in quolibet planeta longitudinis, latitudinis, & elevationis*
7. *Prima dua non cogunt multiplicare orbes cujuſvis planeta.*
8. *Vltima tamen neceſſariò convincit ponendos orbes eccentricos.*
9. *Præterea etiam ponendos epicyclos.*

1. PONam communem ſententiam, ut videre poſſimus, an, & quid in ea immutandum. Itaque communis, & vetus ſententia fuit ſemper dari octo cælos ſive ſphæras mobiles, ſeptem inferiores totidem planetarum, ſive ſiderum errantium, ſic dictorum, eò quòd non ſervent eundem aut æqualem motum, nec eandem aut æqualem diſtantiam inter ſe. Alii deinde ſuperaddiderunt nonū, quod volunt eſſe primum mobile (quùm tamen antiquis primum mobile fuerit octavum) rapiens ſecum alios: ſed hanc œconomiam aſtrorum apud antiquos, non poſſum melius aut utilius deſcribere, quàm verbis D. qui excellentiſſimè tradit hujus materiæ, tam theoricam, quàm praxim: Ecce ipſam.

2. Supponendum eſt, quòd nulla ſtella habet proprium motum &c. localem; id eſt, quod non movetur motu alio, quàm motu orbis in quo locatur: ſi enim ipſa partem illam orbis in qua eſt, relinqueret aliquando, & ad aliquam aliam partem moveretur, vel ſibi nihil ſuccederet, & ita eſſet vacuum: vel aliquid aliud ſibi ſuccederet, & ita corpus cæleſte eſſet rarefactibile & condenſabile, vel poſſet ſcindi & recedente corpore ſcindente rurſum continuari: vel ſi nullum iſtorum concedatur, ſequitur, quòd ſtella mota ſemper ſit ſimul cum alio corpore movente. Hæc eſt intentio Ariſtotelis 2. de cœlo & mundo, ſi natura dediſſet virtutem progreſſivam &c.

3. Hoc ſuppoſito ſequitur, quòd quæcunque ſtellæ non ſunt inter ſe æquè diſtantes, non ſunt in eodem cœlo: nam diſtantia alia & alia diverſis temporibus non poteſt eſſe per proprium motum ſtellæ, ſed tantùm per motum cœli, in quo ipſa eſt, & ſi diſtet difformiter ſtella à ſtella, ergo cœlum hujus difformiter movetur a cœlo illius, & ita aliud eſt cœlum hujus & illius. Moventur autem ſeptem ſtellæ difformiter, ita quòd non ſemper æquè diſtent à ſtellis illis fixis; (quæ ideo dicuntur fixæ, quia ſemper inter ſe æquè ſunt diſtantes & eundem ſitum ac figuram ſervantes) & ideo reſpectu omnium illarum fixarum non oporteret ponere niſi unum cœlum: nec illæ ſeptem inter ſe ſemper æquè diſtant. Ita duo de inæquali diſtantia planetarum inter ſe & ad alias, quæ dicuntur fixæ, ſupponantur ſecundùm conſiderationem Aſtronomorum. Poſſibile eſt enim de locis planetarum certificari per inſtrumenta, de quorum uno, ſcilicet armilla tractat Ptol. in Almag. diſt. 5. cap. 2.

4. Et ſi objiciatur, quòd radius viſualis frangitur propter diverſitatem mediorum, & ideo non certificat de vero loco ſtellæ, ſaltem certificabit de loco viſibili ſtellæ, & ſi ſtellæ ſecundùm locum viſibilem earum æqualiter diſtent, ergo & ſecundùm locum verum, quia loca viſibilia nunc & tunc proportionabiliter, ſe habent ad loca eorum viſa, nunc & tunc, aut ſaltem non ita improportionabiliter, ut poſſit eſſe tanta diſtantia locorum viſibilium ſine aliqua diſtantia locorum viſorum, & iſta diſtantia ſufficit ad propoſitum. Ad minus ergo præter cœlum quod ponitur omnium fixarum, quæ ſemper uniformiter diſtant, ſeptem ſunt cœli proprii ſeptem planetarum, qui difformiter moventur, & ab iſtis & inter ſe, ſunt ergo octo cœli.

5. Ulterius etiam communiter conceditur nonum cœlum ſuperius cœlo ſtellato, quia unius corporis cœleſtis tantùm eſt unus motus proprius, motus autem diurnus, non eſt motus proprius cœli ſtellati, quùm illud cœlum moveatur alio motu, ſicut probatum eſt ex conſiderationibus. Nec enim quæcunque ſtella fixa æquè diſtat à polis immobilibus, nec etiam ſemper in temporibus æqualibus æque diſtat à capitibus Arietis & Libræ, ergo iſte motus diurnus eſt proprius alicujus alterius corporis, & non niſi ſuperioris, quia hoc motu movetur cœlum octavum; non autem movetur aliquod cœlum motu proprio alterius, niſi illud alterum ſit ſuperius: erit ergo aliquod mobile, quod uniformiter movetur motu diurno ſuperius cœlo ſtellato Hoc dicit Avicen. 9. Met. cap. 2. & Ptol. in Almag. quære.

6. De ſecundo, in quo non concordant omnes tractantes de iſta materia, dubium eſt, an ſufficiat unum cœlum unicuique planetæ, & ſic ſufficiat tantùm ponere novem cœlos. Triplex quippe in motibus planetarum apparet differentia, una in latitudine, quia non ſemper planeta æquè diſtat à polis immobilibus. Alia in longitudine eſt, quia diverſimodè, & non æqualiter percurrunt Zodiacum. Tertia in elevatione, & depreſſione, quia idem plane-

planeta, quandoque plus appropinquat ad centrum terræ, quandoque plus diſtat: ſicut probat Ptol. in Almag. quia cujus circuli diameter viſualis in longitudine longiore eſt longior, in longitudine breviore eſt brevior. Apparet etiam de Marte, qui quando eſt in auge, appare notabiliter parvæ quantitatis, reſpectu illius quam habet, quando eſt in oppoſito augis. Probatur etiam de Luna; quia ipsâ & Sole exiſtentibus æquè prope caudam & aput Draconis, non ſemper Eclipſis æquè durat: ſed quandoque diutius, quandoque minus, hoc eſt impoſſibile, niſi quia Luna quandoque plus, quandoque minus in umbram terræ intrat, ita quod ubi tranſit diameter Lunæ diutius moratur umbra pro eo quod ibi eſt diameter umbræ longior, quàm alibi juxta conum. Si etiam univerſaliter negetur iſta elevatio & depreſſio Solis & Lunæ: nec ex parte unius, nec ex parte alterius poſſet aſſignari diverſa quantitas umbræ: ſemper enim umbra æque in altum porrigeretur, & ibi eſſet æqualis quantitas; & ſemper Luna, quando æqualiter eſſet prope conum, æquè eſſet juxta & prope umbram. Ex his & aliis conſiderationibus Ptolomæi, ſupponatur elevatio & depreſſio.

7. Primas duas differentias, ſcilicet longitudinis, & latitudinis, poſſet quis fortè ſalvare attribuendo planetæ unum cœlum per ſitum polorum illius cœli, quomodo nixus eſt Aſtagius ſalvare, in Libello ſuo de quantitate motuum cœleſtium: qui ponens polos cœli ſtellati, exire polos noni cœli, & per conſequens circa illos polos immobiles deſcribere parvos circulos, ponit cœlum octavum ſuper ſuos polos, ſed non contrario motu moveri motui cœli noni, ſed ad eandem partem: & quòd polus octavi cœli minus efficaciter recipit influentiam, quàm ſuum cœlum nonum: & ideo ipſe polus non complet circulum, dum punctus aliquis in cœlo nono, complet circulum: & quod polus inferioris cœli deficit à completione circuli, vocat interciſionem primam, quam ſecundum ... ſupplet motus cæli inferioris ſuper illum polum: & in cælo octavo perfectè ſupplet, quantum ad longitudinem, ſed quantum ad latitudinem neceſſariò eſt differentia: nam polus exit polum, nam motus factus ſuper polum cæli inferioris, licèt compleat motum cæli illius circa polum ſuperiorem, quantum ad longitudinem: tamen non poteſt eſſe verus circulus alicujus ſtellæ motæ in cælo inferiore, ... ſphæra, quia non redit ad eundem punctum, à quo incipit motus. Ita univerſaliter propter diverſitatem polorum quorundam polorum ab aliis, & per interciſionem primam ... ſupplętionem ejus, & ſpecialiter in quibuſdam ſtellis, per hoc, quod non ſituantur in medio ſui cæli, nititur dare fundamenta ad ſalvandum differentias longitudinis & latitudinis in motibus planetarum: & hoc non ponendo aliquod cælum inferius moveri contra motum cæli ſuperioris, quia talis, ſed ponendo cælum ſuperius moveri ad eandem partem, ad quam inferius, ſed tamen minus efficaciter: quia naturale eſt, quod virtus recepta in aliquibus ad invicem ordinatis, efficacius recipiatur in proximioribus. Iſta traditio ſatis videtur conſonare cum principiis naturalibus, ſi poſſent per eam ſalvari omnia apparentia ſecundùm longitudinem, & latitudinem: fortè enim per eam poſſent ſalvari ſtationes, & retrogradationes, & proceſſiones planetarum, ſicut & ipſe nititur ſalvare in quibuſdam polis, in libro ſuo.

8. Sed tertiam differentiam, videlicet elevationis, & depreſſionis, impoſſibile eſt ſalvare, ponendo omnes cæloseſſe concentricos, quia tunc ſi planeta non exit cælum ſuum, ſed tantùm partem ſui cæli; illa pars cæli ſui qualitercunque moveatur, ſemper æquè diſtat à centro; pro eo quòd totum iſtud cælum circulariter rotatum, eſt concentricum mundo; ideo ubicunque ſtella fuerit, ſemper æquè elevabitur: & æquè deprimetur per reſpectum ad ſuum cælum, & licèt non eſſet neceſſarium, propter duas primas differentias ponere eccentricos, & epicyclos, ſecundùm Ptol. & alios Aſtronomos, tamen propter tertiam differentiam eſt neceſſarium.


Et hoc ſupponendo, ad propoſitum concluditur, nulli planetæ ſufficere ad motum ſuum unicum cælum. Accipiatur ergo, v.g. cœlum Saturni, ſi ponatur concentricum mundo, dum cælum octavum ſit concentricum mundo, moveatur cælum Saturni; ſuccedit ergo aux iſtius cæli, augis oppoſito: ſed aux iſtius non intravit cælum ſtellatum; quia duo corpora eſſent ſimul, ſed tantum attingebat oppoſitum augis; ergo ſi minus eſt diſtans à centro terræ, quàm aux, non attinget ſuperficiem concavam cæli ſtellati: & ita erit ibi vacuum, ergo non poteſt vitari inconveniens, de inciſione, vel ſimultate corporum, vel vacuo, niſi attribuendo cuilibet planetæ ad minus tres cælos circumdantes terram, quorum duo extremi, videlicet ſuperior & inferior, habeant ſuperficies ultimas concentricas, videlicet ſuperius convexam, & inferius concavam: habeant autem illæ duæ ſuperficies, alias duas videlicet ſuperius concavam, & inferius convexam eccentricas mundo: & inter illas duas ſuperficies ſit tertius orbis, qui dicatur deferens, ecentricus quidem terræ, concentricus autem illis duabus ſuperficiebus deferentibus; ita quòd illi duo revolventes ad quamcunque partem moveantur, non ſequitur vacuum: ſemper enim ſpiſſior pars unius eſt contra partem minus ſpiſſam alterius & è converſo.

Similiter qualitercunque moveatur deferens inter iſtos duos revolventes, ſuperiorem & inferiorem, ex motione ejus non ſequitur vacuum, nec ſciſſio: quia ſuperficies ſunt ambæ concentricæ illis ſuperficiebus, inter quas continetur, & movetur: & ita ſtella fixa in parte una illius deferentis, quandoque erit in auge, quando ſcilicet illa pars deferentis, in qua eſt ipſa, directè ſuperponitur ſpiſſiori parti inferioris revolventis, & ſupponitur minus ſpiſſæ parti ſuperioris revolventis: quia tunc maximè diſtabit à centro terræ. Erit autem ſtella in oppoſito augis, quando illa pars orbis deferentis, ubi ipſa fixa eſt, ſuperponitur tenuiſſimæ parti inferioris revolventis:

tis: & ſupponitur ſpiſſiſſimæ parti ſuperioris revolventis: quia tunc minimū diſtabit à centro terræ. Iſtius imaginatio patet expreſſius in figura tali



Ulterius cùm Mercurius habeat deferentem, cujus centrum movetur, & non circa terram, ſicut centrum Lunæ, ſed ex una parte deſcribendo circulum parvum, ſicut patet in Almageſto, ſequitur, quòd orbis deferentis non ſit concentricus revolventibus, ſupremo ſcilicet & infimo: & ideo neceſſe eſt ad minus, ibi ponere quinque orbes, quatuor revolventes, & orbem quintum deferentem, ut patet in figura.



Præter iſtos autem, neceſſe eſt ponere epicyclos: qui non ſunt orbes circumdantes terram, ſed parvi orbes ſituati in determinata parte orbium circumdantium terram. Et hoc, quia major eſt elevatio ſtellæ quandoque quàm aliàs, quæ elevatio non poſſet eſſe ex ſolo deferente. Proceſſio etiam & ſtatio, & retrogradatio facilius ſalvantur per epicyclum. Sed quidquid ſit de epicyclis, ſaltem cœli mobili circumdantes terram, erunt viginti quinque, ſcilicet viginti tres planetarum, & præter hoc cœlum octavū & cœlum nonū.

Ad argumenta. Ad primum dico, quòd Scriptura accipit firmamentum, pro toto cœlo inter empyreum, & elementa.

Ad ſecundum dico, quòd illa conformitas motuum non concludit continuitatem.

Ad tertium dico, quòd non poteſt cœlum cedere ſtellæ motæ, ſicut poteſt aqua, vel aër corpori impoſito, moto per ipſam: quia corpus naturaliter incorruptibile, eſt naturaliter indiviſibile, ſi ſit incorruptibile tam ſecundùm partes, quàm ſecundùm totum, quale ponitur eſſe cœlum. Et ita non poteſt eſſe motus alicujus in cœlo non moto per aliquod agens naturale. hæc Doct. cit.

ACTIO V.

Reſolvit ex proprio Titulum Actionis præcedentis.

Breviarium.

N. 1. *Nullus orbis mobilis eſt ſupra cœlum ſtellatum.*
2. *Non ſunt numerandi ſeptem cœli planetarum.*
3. *Vnum tantùm eſt cœlum mobile.*
4. *Contra eccentricos & epicyclos.*
5. *Vera diſpoſitio cœlorum.*

1. Sequi Scotum, ni fallor, eſt exemplum ab eo ſumere & exprimere facto, ait autem ipſe in Met. com. 58. *Ad evidentiam iſtorum notandum, quòd Ariſtoteles & hi quos ſequitur in multis erraverunt circa Aſtrologiam, tum quia cœlum ſtellatum opinati ſunt &c.* Itaque indicavit Scotus in hoc genere credendum novis experimentis, & authoribus eorum, unde illius exemplo reſolvam breviter hæc tria puncta: Primum, an ſupra cælum ſtellatum dentur alii mobiles, unus vel plures? Secundum, an ponendi ſint ſeptem orbes pro totidem planetis. Tertiò, an aliqui ſint ponēdi eccētrici, & epicycli.

Dico ergo primò non eſſe ponendum ſive unum, ſive plures cœlos mobiles ſupra ſtellatum. Hoc pro media parte eſt Scoti, qui non poſuit, niſi unum ſupra ſtellatum.

Probo improbādo rationē Veterū, quæ eſt iſta: quia

ia nimirum in Firmam... o deprehenſi ſunt
i motus præter motu... diurnum, ſcilicet mo-
tardus ab Occi... te in Orientem, & alius
otus acceſſus ... receſſus ad polos, qui eſt mo-
trepidat... is. Hanc Philoſophiam dico non
ſiſter... mirum eſſe, quòd venerit veteribus
n... tem: quia nimirum ipſi Veteres judicave-
t ſphæras cœleſtes ab intelligentiis moveri, *ne-*
eſt, (ait Ariſt. citatus) *lationem unamquamque à*
immobili, & æternâ ſubſtantiâ moveri. At verò
ta intelligentia movente, ut quid adhibebi-
lius Orbis ſuperior, aut includens? planè fru-
? Quis enim neſcit Intelligentiam ſive Ange-
aptiorem eſſe ad imprimendum motum,
m orbem?

Dices adhiberi orbem ſuperiorem ut con-
raliter moveatur; Egregiè, num enim motus
eſt ab extrinſeco, eſt connaturalis? Si ſic, er-
ab Angelo impreſſus erit connaturalis; Si
, certè nec impreſſus ab alio orbe ſuperiori.
de quid minus naturale, magis violentum
uàm rapi? & tamen alii orbes cenſentur à ſu-
ore rapi. Proſequor hanc orbium incluſio-
: Dicunt enim illi ſecundum motum conve-
orbi Solis v.g. quia fertur ſuper polos Zo-
i eo motu, quùm motu ſuo feratur ſuper po-
Mundi. At verò hoc videtur manifeſtè con-
tionem, & ſenſum. Nihil enim poteſt ſimul
eri ſuper diverſos polos, ex quo apparet ina-
inventionis quorumdam, qui ut ſalvarent
rſos, & quodammodò oppoſitos motus, in
m, dixerunt id fieri poſſe, dummodò illi
es motus non fiant ſuper eoſdem polos, ve-
enim eſt, poſſe diverſos motus fieri ſu-
liverſos polos, & axem. At enim tam im-
bile eſt idem corpus volvi ſuper diverſos po-
quàm duos ipſos motus competere imme-
uni corpori. Nec eſt alia differentia, niſi
alis, per quam non ſolvitur, nec vitatur diffi-
s, ſed extenditur, & differtur paululum, de-
e obrutura fugientes.

2. Dico ſecundò, non eſſe numerandos ſe-
cœlos planetarios. Hanc per partes pro-
, & explicabo diverſis mediis. Primum:
non ſunt conſtituendi cœli, ſeu ſphæræ to-
, de quibus loquimur, niſi illis aſtris, quæ cir-
dant terram; hoc autem non omnes plane-
ciunt, non enim Venus, non Mercurius, qui
planetæ circa Solem ſolummodò abſolvunt
m, circa terram, non, quod deprehenderunt
riores Mathematici, & ego exiſtimo illîs
ndum, tùm quia omnis diſciplina proceſſu
oris crevit, adeòque etiam Aſtrologia; tùm
iſti invenerunt novos tubos, & alia optica,
as exactius rimantur ſuperiora, & cœleſtia.
Alterum fundamentum mihi eſt iſtud; quia
um non ſapit magnam prudentiam, quod
oteles in hac materia docet, ſcilicet motum
eſſe propter motum aſtri, etenim cœlum, ſi-
æra totalis eſt pluſquam centies millies ma-
ro, cùm hoc ſit ſicut nodus in tabula; aut ſi-
berculum in ingenti monte, ſicut ergo ma-
oliditatis argueretur, qui ingentem mon-
ellet circumferre ad circumferendum lapil-
minentem in monte, ac non potiùs imme-
apprehenderet lapillum, ita non video,
odo debeamus judicare cœlos illos tam
aſſignatos eſſe ſtellis illis quæ reſpectu cœ-
ſunt minimæ inſtar nodi, aut gemmæ.
Hæc ratio ſanè rem promovet, nec parum,
& me quidem convinceret, niſi obviari poſſit ei,
& ipſa retorqueri in alia materia contra me; nem-
pe dicturus ſum contra Pythagoricos, cœlos &
ſidera moveri, terram autem quieſcere. At verò
hæc ratio ſtatim obturabit mihi os.

Nam planetæ ſunt plurimò majores terrâ,
Sol eſt major eâ centies ſexagies ſexies, Saturnus 166.
nonagies ſemel, Jupiter nonagies quinies, adeò- 191.
que, ſi rectè calculum diſpoſui ſuprà proximè, 95.
non planetæ circa terram; ſed terra circa plane-
tas, aut rectius infra eos debet moveri. Reſpon-
deo primò, planetas non moveri ſolummodò
circa terram, ſed etiam circa alia elementa fœ-
cundando ea. At verò planetæ, licèt excedant
terram, non tamen alia elementa, ſaltem conjun-
cta eo exceſſu, ſed potiùs videntur excedi ab eis.

Reſpondeo ſecundò, nos debere intelle-
ctum in hoc negotio ſenſui accommodare, & re-
ſolvere inprimis quæſtionem, an ſit? Deinde pri-
mùm divertere ad quæſtionem, Cur ſit? At verò
videmus aliqua, quæ neceſſariò convincunt ipſo-
rum planetarum motus. Nam planetæ variant
diſtantiam non ſplùm à terra, ſed inter ſe. Id
autem non poſſet contingere, niſi ipſimet mo-
verentur, & non ſolùm terra, adeòque. At verò
nihil viſu, aut ullo ſenſu percipimus, quòd cogat
ad movendos tam immenſos orbes adeòque. Ex
his exiſtimo

3. Dicendum unum tantùm cœlum mo-
bile. Ratio aſſignata eſt, quia nimirum non re-
quiritur ſingulus orbis, ſeu ſphæra completa
mundum noſtrum ambiens pro ſingulis aſtris, ut
oſtenſum eſt. Poſſunt ergo & debent duo eſſe
in uno, ſi autem duo, certè alia omnia, quæ enim
cauſa diſparitatis? adeòque. Confirmo, quia nu-
per ope tubi optici deprehenſi ſunt novi planetæ,
ſcil. duo prope Saturnum, quatuor prope Io-
vem, nec tamen credo multiplicatos eſſe cœlos
pro his ne quidem à Galilæo, ergo jam
intelligi poſſunt multiplicari planetæ non multi-
plicatis cœlis.

De eccentricis & epicyclis non ſtatui mul-
tum diſſerere, ne egrediar limites phyſicos ad A-
ſtrologiam & Matheſim digreſſus. Si quis ta-
men meum ſenſum de his ſcire volet; exiſtimo il-
los eſſe tantùm præſidia ignorantiæ noſtræ in ipſa
magis, quàm in cœlo fundata. Suadebo hoc
breviter per duo dubia, quæ contra iſta movebo,
ante quæ ponâm communem difficultatem con-
tra eccentricos, & eſt, quòd illi eccentrici cùm
ſint tres, motus proprius ipſius cœli, convenit
orbi medio, unde non poteſt hic orbis moveri
tota illa velocitate, quam imprimit raptus primi
mobilis: retardatur enim ab eo tantum; quan-
tum pergit proprio motu, & quidquid ſit de hoc
in re, ſic intelligitur ab Aſtrologis, qui proinde
volunt duos eccentricos ambientes hunc medi-
um rapi, ad motum primi mobilis. At verò inin-
telligibile eſt, quòd aliquid diſtans rapiatur ab ex-
terno includente, & non rapiatur, quod eſt vici-
nius, neque dicas tertium eccentricum, non rapi
illa velocitate, idque propter hanc rationem,
non licet enim tibi huc confugere, quia uterque
ex his ambientibus medium debent pari veloci-
tate moveri, & coreſpondere ſibi ad proportio-
nem, alioquin dabitur penetratio orbium in cœ-
lo, ad quam fugiendam inventi ſunt eccentrici.
Hanc rationem vidit Aveil. ſed miror, quòd non *Raph.*
viderit eam recurrere contra zonas eccentricas, *Averſa.*
quas ponit, ſicut contra orbes.

4. Ite-

4. Iterum contra Eccentricos facit quod excogitati ſint ad ſalvandam propinquitatem aſtri ad Terram, & majorem molem, quæ in ipſo conſpicitur uno tempore præ alio, at vero niſi fallor, (de quo dubito) non erant adhibendi eccentrici ad hoc explicandum, quia nimirum ipſa obliquitas Zodiaci hoc præſtat aliquo modo, per hoc quod ſpiræ, quas deſcribit ſol quando eſt in Aquario, & Piſcibus ſunt minores, & ad ſenſum propriores terræ. Terra enim non eſt tam exacte centrũ, ut undequaq; æque diſtet à cælo. Confirmo hoc (licet non abſolute affirmem ipſum) quia diverſitas magnitudinis, quam deprehenderunt authores eccentricorũ in ſole eſt, quod in ſolſtitio hyemali eſt major, in æſtivo minor; At verò in æſtivo aſcendit Zodiacũ, & eſt altiſſimus in hyemali è contra, ergo. Deinde ſol, & alia aſtra in ortu apparent majora, quam quando ſunt elevata ſupra horizontem notabiliter, nec tamen ponuntur eccentrici ad hoc ſalvandum, ergò, nec ad illam aliam differentiam magnitudinis; cur enim non poſſet ſalvari ſine hoc termino, imo veroſimile eſt eorumdem effectuum eaſdem eſſe cauſas.

Contra Epicyclos id mihi occurrit, quod, præterquam nondum determinaverint authores quomodo conſtituendi ſint poli eorum, ſecundum longitudinem, an ſecundum latitudinem cæli, quod neceſſe fuit, adhuc non videntur ſufficere, quia inventi ſunt ad ſalvandam variationem velocitatis, & tarditatis in motu planetæ; at verò ni fallor id non faciunt, quid enim refert ad decurrendum aliquod ſpatium, quod mobile in illo, ſive infra aliquam partem eius celeriter voluatur, dummodo non pergat in directum? nihil ſane; ſit canis Romæ in dolio, etiam ſi ſe fatiget ibi verſando, & volvendo ſe, nunquam accedet Neapolim, ſed nec appropinquabit ei, niſi dolium appropinquet.

Ultimò utor hac comprobatione à ſenſu ipſo petitâ: nam quantum ad omne judicium viſus, qui ſolus ſenſus de cæleſtibus poteſt nos certificare, Planetæ omnes ſunt in eodem, aut quaſi eodem concavo, nam ubi videtur nobis ſol occidere, ibi apparent ſtellæ oriri. Et quamvis non debeamus fidere eius judicio in tantâ diſtantia quoad omnia, tamen ſine dubio non debemus rejicere ipſum abſolute, aut contraire ei, tam directe, & vaſte, ut credamus tanta intervalla, & tam magna corpora ibi eſſe, ubi ille dicit nulla, aut quaſi nulla, hoc eſt parva, vel exigua eſſe.

5. Quæres ergò, quomodo diſponenda ſint corpora cæleſtia? & quomodo numeranda? Hic eſt punctus principalis negotii; Ad quod reſpondeo ſtellas octavi cæli, ſive firmamenti eſſe ubi apparent, & omnia unum cælum habere. Etiam planetas in eodem cælo eſſe, ſed habere totidem Zonas, ſeu faſcias in eodem cælo, in quibus volvuntur. Hoc autem intelligo de illis planetis qui gyrum circa Terram abſolvunt, non de aliis, unde hæ Zonæ quinque tantum erunt, nam tres Planetæ unam, & eandem habent ſcilicet Sol Venus, Mercurius. Hi tamen ipſi habent Zonas ſuas; at non ambientes Terram, ſed dumtaxat ſolem. Ratio horum ſupra allata eſt, & ipſa magis intelligentur ex ſequentibus. Addo autem has Zonas ponendas omnino eſſe concentricas, tam toti orbi, ſeu ſphæræ quam Mundo ob rationem ſupra adductam; Idemque ob rationem jam adductam contra epicyclos, quia per epicyclos non ſalvatur celeritas, aut retardatio planetæ. Denique ob rationem Act. & Apol. 3. proferendam, quia tarditates illæ videntur apparentes, non autem veræ, ex his.

Dico ultimò, unicum eſſe cælum mobile, ſive quintam eſſentiam, hoc eſt corpus contradiſtinctum ab elementis, quod ideo addo, quia aër aliquando dicitur cælum.

ACTIO VI.

Vtrum Cæli ſint ſolidi, an fluidi?

Breviarium.

N. 1. *Cælum mobile eſt ſolidum: Scriptura cui parti hic faveat?*
2. *Adducta rationes pro aſſertione poſitâ.*
3. *Fundamenta cæli liquidi adſeruntur, & expenduntur.*
4. *De Cometis, & phænomenis.*
5. *De maculis ſolis.*
6. *Obſervationes Tychonis Brahe ſuſpecta.*
7. *Nova probatio concluſionis & nova objectio ex refractione radiorum.*
8. *Tres eius ſolutiones ex proprio.*

1. IN hac Actione magna pars totius hujus materiæ abſolvitur, nam orbes Eccentrici, epicycli &c. qui in ſtructurâ ſphærarum intruduntur, & difficultates fere inſuperabiles inferunt, ſtatim extinguuntur, ſi dicantur cæli eſſe fluidi, ſed enim occurrunt ſtatim aliæ non minoris negotii: propter quas exiſtimo

Dicendum, quod cælum mobile, de quo hactenus, ſit totum ſolidum, ſicut argentum, aut æs, non verò liquidum ſicut aer, aut aqua. Hanc mordicus tenuerunt fere omnes Sancti, & Ariſtotelis interpretes, ex quibus eſt Subtilis, quod mihi ſufficit: alios tam ſacros, quàm prophanos fuſe deſcribunt Rec. hic.

Adducuntur, & expenduntur auctoritates pro hac parte.

VIdebo imprimis, num hæc philoſophia fidei concordet, an repugnet? ut proinde ex hoc capite alteri præferenda ſit: Et in primis utor loco Gen. 1. *fiat firmamentum,* tunc enim factum eſt cælum de quo loquimur: dico autem hunc locum inferre concluſionem, quia infirmitas, quæ opponitur firmitati, conveniret cælo liquido ſcilicet cedere tactui, ponderi, & eſſe fragile, ergò ſi cælum ſit firmum, imo firmamentum, ut eſt de fide, non eſt liquidum, ſed ſolidum. Ex iis, quæ congeſta video ab authoribus cæli liquidi, quod opponi poſſit huic rationi, eſt autographum tex-

Digitized by Google

ebraici,in quo vox reſpondens huic τὸ fir-
entum ſignificat proprie expanſionem,at-
ta nihil ex hac ſcriptura habetur,niſi cælos
expanſos,quod veriſſimum eſt, licet etiam
di ſint , ſed enim ego ajo vocem hebræi-
ſignificare firmamentum , alias non recte
let interpres , nec textus noſter faceret fi-
Item quia alibi,ubi vox illa recurrit,cer-
iè ſignificat ſoliditatem ut patet Ecli. 34.
menta virtutis hoc roboris.Quis autem neſ-
buſta eſſe ſolida,liquida non eſſe robuſta?
al.24.& Sap.4.& aliis ſexcentis.
Deinde contra hanc expoſitionem facit ra-
uam infra firmabo ; interim ſit hoc argu-
tum litterale, nam ſi firmamentum ſignifi-
expanſionem, prout non includit ſolidita-
firmamentum non fuit factum,tunc quum
tur à ſcripturâ factum, quod eſt falſum ſi-
bio: ſed probo ſequi,quia materia illa fuit
expanſa ſine dubio , quia ambiebat reli-
aquas ſub ſe contentas,ſicut nunc facit in
lum differentes, quod tunc erat tenuis,&
a res,jam ſit durata,& ſolida.
Tangam etiam alium locum in favorem
s adferri ſolitum ex Job.37. *Tu fabricatus es*
o calos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt,cui loco
am detrahere volunt auctoritatem,eo quod
verba cujuſdam Eliu conſolantis Job non
m ipſius Job ; At enim ſi hoc detrahit illi
oritatem , omnibus ſimilibus locis detrahet;
e ita illud,quo ubique feſtorum, & terrarum
eſia utitur ad laudem Virginis Mariæ , nihil
oderit puta *Beatus venter,qui te portavit,& ube-*
a ſuxiſti, Non enim ſunt verba Spiritus San-
i cuiuſdam feminæ de Turba. Deinde ſi fuiſſent
a Job,non proinde ſunt Spiritus Sancti quo-
oc aliter, quam hiſtorice, alias auctoritates
eferunt.
Mihi unum occurrit contra primam à me
ctam & eſt, quod firmamentum non poſſit
co capi pro re ſolida, ut nos volumus, quia
tum firmamentum dicitur dividere aquas
uis , illas quæ ſupra ſunt ab illis quæ infra
, atque ita debet eſſe conjunctum utriſque a-
, ut utraſque diſpertiat : At verò clarum eſt
d proximè conjunctum aquis inferioribus ſit
dum non ſolidum, eſt enim aer. Sed enim
inventionem ſtatim retundo,provocando
mpus Mundi conditi, & firmamenti produ-
tunc enim verò omnia erant aquis plena uſ-
d cælum empyreum, ſcriptura enim non re-
quidquam factum in principio, niſi tria cor-
, ſcilicet cælum, terram, & abyſſum aqua-
; Itaque tunc revera & litteraliter divide
firmamentum aquas ab aquis quia erat pro-
m. & contiguum utriſque.
Contra alterum locum ſuboluit mihi diffi-
s ex textu ipſo Job nam cap. 38. ſequenti ſta-
oſt theoricam hanc Eliu refertur quod Deus
obaverit eam, *Ait enim : Quis eſt iſte involvens*
itias ſermonibus imperitis? Reſpondeo hoc di-
eſſe Jobo,non autem Eliu, ut vides in textu,
argumento capitis clarius. Revera autem
a ſit,non ſolum non favet hic locus ſoliditati
rum,ſed damnat eam.

Rationes eiuſdem.

Venio jam ad rationes quarum prima ſit illa
deducta ex priori ſcriptura in hunc mo-
cælum quod ibi refertur factum,& de quo
hic tractatur, factum eſt ad dividendas aquas ab aquis: At verò huic muneri ineptiſſime deſtinaretur,ſi eſſet fluidum,ut quiſque videt, ſtatim enim rimas ageret & dimitteret ſuperpoſita,ut quiſque intelligit,& evidenter videt in aere.

Duo ad hoc dici poſſunt; unum eſt quod unum liquidum poſſit ſuperſtare alteri ; ita enim oleum aquæ ſupernatat: Alterum eſt,aquas ſupra cælum non gravitare ſicut intra Mundum elementarem, adeoque poſſe tantum imminere firmamento, nec decidere. His reſponſionibus ſic reſiſto: ſi aquæ cæleſtes non gravitant,nec habent periculum decidendi , ut quid poſitum eſt aliquod intermedium ad eas dividendas? certe dividi volunt illæ , quæ alias confunderentur, niſi medium interponeretur; Quam ineptè interponeretur aliquid inter aerem, & ignem , ne forte aer locum ignis occuparet?

Inſtari tamen poteſt adhuc ex hoc ipſo: ſi enim ignis eſt proximus aeri,& eſt liquidus, nec tamen illi miſcetur , poterit cælum liquidum eſſe prope aquas liquidas,nec confundi.Sed eſt latum diſcrimen : quia ignis non eſt natus deſcendere: aquas autem eſſe oſtendo:quia ſunt eiuſdem rationis cum inferioribus quum ſint altera pars earum : In quo refutata eſt prima reſponſio ſupra facta.

Altera probatio mihi ſit, quod ſi cælum ſit liquidum non eſt incorruptibile , eſt autem incorruptibile, ergò non liquidum, ſequelam majoris probo, quia liquidum quando tranatur,ſive tranſitur per aliud,dividitur ; At verò eius quod dividitur aliquid corrumpitur, ſcilicet indiviſibile continuans. Dices indiviſibile, v.gr. punctum continuans, neque eſt cælum, neque aliquid cæli, quia cælum non componitur ex indiviſibilibus. Reſpondeo eſſe aliquid cæli licet non ſit pars cæli , & ſi auferrentur omnia indiviſibilia cæli non remanſurum cælum, adeoque cælum non poteſt eſſe indiſſolubile, ſi indiviſibilia eius corruptibilia ſint. Deinde in diviſionem continui alicujus liquidi, v.gr. maris per navem non ſolum deſtruuntur puncta,ſed ſuperficies, at verò ſuperficies, non ſolum ſunt vincula partium,ſed partes, ergo.

Tertio arguo, quia aliter contingeret cælum diſſolvi ſcilicet per mixtionem,ſi enim totum eſt liquidum etiam aſtra talia erunt, atque ita cælum miſcebitur aſtro , & aſtrum cælo, ſic enim videmus duos liquores, verbi gratia vinum, & aquam juxta poſita confundi, & miſceri.

Dici poteſt non omnes liquores miſceri, nam oleum ſupernatat aliis liquoribus & aqua ſuſtineri poteſt inconfuſa vino , ut ſæpe experimur interjecta cruſtula panis , &c. poterit ergò cælum eſſe talis naturæ ut ſupernatet ei ſtella , & viceverſà. Reſpondeo oleum miſceri aliis liquoribus in extremitatibus utriuſque nec aliter eſſe poteſt, niſi impediat, aut neget reactio, & repaſſio agentium. Deinde etſi exemplum aliquid proficiat, tamen non ſufficit argumenti, reſilit enim in ipſum ; nam licet oleum,& aqua ſtent ſeorſim quieta,tamen ſi moveantur,ſtatim miſcebuntur, maximè ſi motus ſit vehemens,ergo,ſi ſit paritas,aſtra quæ rapidiſſimè moventur per cælum, ſi utrumque ſit liquidum ſtatim miſcebuntur ſibi.

Addo rationibus adhuc duas ; una eſt ex parte motorum, quia intelligentiæ quùm non poſſint movere corpora niſi conjuncta , maximè in ſententiâ Thomiſticâ quæ negat actionem

Digitized by Google

in diſtans, & facit Angelos eſſe præſentes per ipſam actionem, debent Angeli moveri cum ſtellis, quod valde inconveniens eſt, quia rapidiſſimè volverentur & præcipitate, quod impedit beatitudinem illorum ſaltem actualem, & revera indignum eſt eorum ſtatu, & fælicitate. Altera, & ultima hæc adferri ſolet, quod ſi cæli eſſent liquidi, & aſtra moverentur per ipſos ederent ingentem ſonum; ſic enim videmus ſemper fieri, quoties liquidum dividitur impetuoſe per ſolidum ſecans ipſum: ſed enim quærendum eſt ex utentibus hac ratione: Unde conſtet iis aſtra eſſe ſolida ſi cæli ſint liquidi? ſane communis apprehenſio de ipſis eſt, quod ſint partes cæli accidentaliter differentes ab eis, puta in raritate, aut denſitate. Et hoc eſt, quod vere obſtat huic rationi: Cæterum enim concipiendo ſtellas, ut communiter intelliguntur, ſolidas, valet ratio, nec ſufficit ad enervandam eam quod ajunt aliqui fieri fortaſſe ſonum, ſed non ſentiri à nobis propter diſtantiam, utique enim eadem eſt diſtantia ſoni aſtrorum, & ſubſtantiæ, ſi ergò ſubſtantiæ videntur cur ſoni non audientur? & multo minus vult quod aliqui imo iidem dicunt cælos non eſſe medium aptum ad transferendos ſonos, nam quidquid dicatur de aliis cælis, & aſtris, luna bene poſſet edere ſonum, quia tranſit per aerem quoad ſuperficiem concavam. Sed enim hæc replica nocet etiam nobis, deberet enim de facto luna, imò etiam cælum lunæ edere ſonum: Exiſtimo ergo dicendum quod luna non cauſet ſonum eo quod non dividat ſed rapit ſecum aerem: & nihilominus valere rationem factam, non autem valere ſolutionem, ſed eſſe arbitrariam & confictam ad evadendum: Cur enim cælum Diaphanum erit medium aptum ad percipiendos colores aut lumina, & cælum liquidum non erit aptum ad percipiendos ſonos? cur ſpeciebus ſoni reſiſtit liquidum illud; & ſpeciebus lucis non reſiſtit Diaphanum? Unde tam hoc, quàm alia ſupra adducta ſatis ſolida ſunt pro hac ſoliditate; ut videas quàm immeritò quidam dixerint ſententiam cælos ſolidos conſtituentem non tam ratione, quam auctoritate niti.

Fundamenta Cæli liquidi adferuntur, & expenduntur.

3. PRimum, & maximum meo judicio pro hac doctrinâ liquefaciente cælos eſt, quod ipſe ſupra attuli Act. 5. num. 3. quod ſcilicet ſi cælum ſit ſolidum & aſtra ei infixa, tum cælum movebitur ad motum aſtri, atque etiam propter ipſum, at verò valde irrationabile videtur, tam vaſtum corpus circumferre, tam ingenti ſpatio ſolum ut moveatur aliquod minutum ei annexum, fateor etiam aſtra eſſe ingentia, ſed comparatione cæli, quæ hic attendenda eſt, ſunt inſtar alicujus puncti in plano. Reſpondeo primò hoc argumentum ruere etiam contra adverſarios (ut intellexit bene noſter Poncius hic) Etenim ſi hoc permittatur currere evincet non dari omnino cælum. Cur enim? nam ſi dixeris dari ut in eo moveatur aſtrum, dicam irrationabile eſſe quod adhibeatur magnum corpus ut in eo moveatur parvum: Cur autẽ erit irrationabile ordinare illud ut cum eo moveatur, non autem, ut in eo moveatur? Reſpondeo ſecundo arguentes ex parte hic falli. Etenim ſupponunt ſingulis aſtris ſaltem errantibus deſtinatos eſſe ſingulos cælos, quod ego non concedo, ſed oppoſitum aſſerui ſupra Act. præcedenti, ubi videatur.

At enim non evado per hoc, fateor, nam ego eo loco, quo negavi ſingulis aſtris ſingulos cælos conceſſi eis ſaltem Zonas ſingulas: At verò argumentum recurrit contra Zonas, nam hæ ſunt plurimo majores ſtellis, adeoque non poterunt ordinari ad deferenda aſtra, niſi irrationabiliter; ſicut imprudentiæ eſſet portare annulum aut catenam auream, aut ferream, ſolum ad hoc ut circumferre poſſis gemmam ei inſertam, cum multo commodius portare poſſis gemmam ſolam, quam onerare te pondere ferri, aut auri. Reſpondeo *Certiores neceſſitates quando quis fuerit aſſecutus, tunc gratiam habere oportet invenientibus, nunc autem non quod videtur dicendum eſt.* Sive in hac materia, ſufficiet aſſignare viam minus abſurdam. Nec eſt exigendum, ut explicemus cæleſtem naturam tam placide, ne quid difficultatis patiamur, itaque fateor argumentum aliquid difficultatis retinere contra Zonas etiam, tamen ego retineo Zonas quia minus abſurdæ ſunt, aliâ viâ excludente Zonas, & ponente liquidos cælos. Atque hinc patet via ad ſolutionem eius, quod

Objicitur ſecundò, ſi dicatur cælum ſolidum, neceſſe erit intrudere ei tantam varietatem partium, quaſdam eccentricas, quaſdam concentricas Mundo. Item alias concentricas ſecundum ſuperficiem convexam, & eccentricas ſecundum concavam, & vice versâ, tum etiam epicyclos, atque id genus, quæ omnia ſalvantur ponendo cælos liquidos. Reſpondeo hic non eſſe timendum ne nimii ſumptus fiant, neque enim quidquam conſtant nobis, aut Eccentrici, aut epicycli: Imò hinc ego ſumo arma in Adverſarios, revera enim plures ſumptus, ut ſic dicam, fient, ponendo liquidos cælos: Nam quum cælum ſit ſphæricum, ſi ſit liquidum debent, ſaltem ne confundatur, adhiberi perpetua opera, & ne ruat. Etenim figura illa non eſt liquori illi naturalis, adeoque ab extrinſeco debet conſervari, & quodammodo ad ſingulas particulas adhiberi cuſtodia; At verò ſi ſit ſolidum non item. Deinde varietas hic non eſt nimietas, ſed ornamentum; imò exiſtimo, ſive cæli ſint ſolidi, ſive non, ſed liquidi valde rationabiliter ponendam eſſe ſpecificam diverſitatem, & optandam eſſe majorem omni illa, quæ à nobis poni poteſt, vide ſi placet ſupra dicta.

Tertium, & principale eſt argumentum deſumptum à phænomenis cælorum, quæ ad tria capita reduco. Primum ſunt Cometæ, qui ſupra lunam apparent & moventur; non poſſent autem ibi moveri, niſi corpora illa ſuperlunaria eſſent liquida, ut patet, alias enim penetrarẽtur. Secundum ſunt mutationes Mercurii, & Veneris, qui apparent inſtar Lunæ orbiculati, & corniculati, ſaltem id de Venere conſtat per tubum, & quidquid de hoc ſit, uterque ille abſolvunt circulum circa ſolem modo altiores eo, modo depreſſiores, quod non fieret, niſi tranſirent per ipſam ſolis ſphæram; & denique Mars deprehenſus eſt manifeſte cælum Solis interſecare; Hoc autem manifeſtum eſt pugnare ſoliditati, convenire liquiditati cælorum, ergo. Et confirmatur valide ex maculis ſolis, & ex ſtellis circumdantibus Jovem, & Saturnum; Hæ enim cum circumeant dictos planetas, debent aut penetrare orbem illum,

quod

d eſt impoſſibile naturaliter , aut ſecare il-
, quod certiſſime relinquit orbem illum
liquidum,& fragilem, qui & findi facile,&
tricem obducere poſſit.

In hoc argumento ſitum eſt magnum præ-
um Adverſariorum, & revera validum eſt,
deficiat in hypotheſibus, de quibus infra,
c,ut ordinate dicam ad partes eius, in pri-
non capio quid proſint Adverſariis cor-
Veneris,aut Mercurii, ſive quod illi inſtar
næ corniculentur, aut orbiculentur, neque
m aut horum planetarum, aut ipſius Lunæ
nua ſunt corpora, aut quantitates, quæ lo-
m occupent,quæ ſecare, aut ſecari,vel pene-
ri poſſint,ſed ſunt radii,aut incidentiæ lu-
quæ mera qualitas eſt, nec occupat locum:
tandum eſt ergo cum aliis duobus, ex qui-
.

Reſolutio de Cometis.

AD primum illud de Cometis dico illud tum
habiturum difficultatem quum conſtiterit
s Cometas fuiſſe ſupra Lunam , & non
ius in aere,aut igne ſublunari.Hucuſque au-
non convenit de hoc inter Aſtrologos,
rum quiſque videtur ſibi ſuam partem de-
nſtrare, ut videas apud Georg. Pranzam.
n. Regellin.& Joan. Regiomontan. & ante
nes Ariſtot.lib.1.Meteororum.

Dato autem quod ſint ſupralunares , vel
nes,vel aliqui, Reſpondit aliquis eos eſſe
ncurſum plurium ſtellarum,vel corporum lu-
orum, quæ per cælum ſparſa ſunt,& tum
veniant ob varios motus cælorum, quum
meta videtur,hanc ſolutionem ab uno Rec.
ctam alius amplexus eſt,& pro ea produ-
authores aſſerentes in praxi contigiſſe,ut vi-
etur media pars Cometæ dividi ab alia me-
tate. Kepler de Cometa anni 1618.& Dio-
de aliis.Certe Cometa qui in urbe Ro-
& alibi europæ viſus eſt in ſolſtitio brumali
ximè præteriti anni 1652. plane approbat
njunctionem plurium minutarum ſtellarum.
que una pars hujus argumenti obſtat alteri,
nim dentur illi comites Jovis, ſatellites Sa-
ni,maculæ ſolis &c.Et ambiguum ſit an non
eant adhuc aliæ minutæ per novos tubos
prehenſæ , quod ſe feciſſe gloriatur Carolus
lapertius uſque ad plurima novorum aſtro-
n millia, quum tamen vetera non niſi 1022.
le viginti duo in toto numerentur, non vi-
quidni contingat eos ſæpe conjungi,& red-
e Cometas. Itaque cum Cometa deprehen-
ur ex parallaxi eſſe ſupralunaris non eſt im-
babilis hæc via ; quum non, ſtari debet in
mmuni.

Habeo tamen quod contra hanc viam fa-
, eſtque quod motus proprius planetarum,
quem ſine dubio accedunt ad ſe invicem ſit
iſſimus,adeoque illi,nec conjungi,nec ſepa-
poſſint,niſi longo tempore, cujus oppoſitum
ltat in diſſolutione Cometarum quæ parvo
pore fit. Communiter periodus eſt ſex men-
,aliqui durant tantum ſeptem diebus, vix un-
n deprehenſus eſt qui annum excederet. Co-
a præcedentis anni non exceſſit hebdoma-
, quum tamen motus proprius planetarum
es annos inſumat. Mars,qui minimum, fere
; Jupiter,duodecim,Saturnus triginta. Sed
enim hoc quoque convenire poteſt cum ſolutione datâ , quia nimirum non debet perfici periodus tota ut Cometa diſſolvatur , ſed aliqua pars eius dumtaxat,etiam parva.

5. Alia inſtantia non paulo gravior eſt,& magis moleſta nobis; dicam quod poſſum,imprimis illam circuitionem quorumdam aſtrorum , aut macularum circa ſolem non multum premere ſe ſolâ, niſi quatenus conjuncta eſt cum aſcenſione, & depreſſione illorum aſtrorum ſupra , & infra ſolem. Poſſunt enim circumdare ſolem ſicut corona caput non deſcendendo. At verò ille deſcenſus ſuperiorum planetarum,verbi gratia Martis infra inferiorem multum negotii faceſſit; Totum autem ortum videtur ex obſervationibus Thychonis Brahe qui aſſerit deprehêdiſſe ſe manifeſte hunc deſcenſum Martis infra ſolem. Ego ſane fateor me plus deferre novis Aſtrologis, quam antiquis,quum hi nova ſubſidia habuerint. At verò cum videam ipſos novos inter ſe digladiari, neutra pars fidem mihi facit, quam quilibet alteri demit. Suppoſita autem veritate hujus obſervationis deſcenſus,communis reſponſio multorum eſt, eum fieri per epicyclum, in quo Mars ponitur nunc alte nunc ime ferri. Ego autem fateor meam tarditatem in hoc non capere prorſus poſſibilitatem hujus per epicyclum,quin potius difficultatem redire contra epicyclum, quæ eſt contra ipſum orbem Martis , aut enim Epicyclus eſt immerſus totaliter orbi ut creditur, aut non eſt. Si ſit,non poteſt deferre Martem infrà ſolem magis, quàm ipſe Orbis , aut ſphæra Martis; ſi non,redit difficultas toto robore,quia Epicyclus ſecat,aut penetrat cælum ſolis ſicut ipſe planeta, imò jam duo penetrant , aut ſecant, cum alias quaſi unum tantum ſecaret.

Itaque ad hunc nodum meliorem cuneum non video, quam negare veritatem, & ſubſiſtentiam harum obſervationum , nam ſi concedantur, vereor ne ſtatim liquefacti ſint cæli. At verò negandos eſſe eos, ni fallor, cuiquam perſuadere debet infimum fundamentum, cui innituntur, ſive quam dubiæ fidei ſit Tycho in his rebus, quod ego hic aſſeram ex alio. Quidam Amicus me hoc faſce levavit producendo teſtes , & rationes contra Tychonem. Ait enim obſervationes Tychonis eſſe falſas. *Primo quia* Clavius non multis ante finem vitæ conſultus reſpondit ſibi ſuſpectas eſſe obſervationes Tychonis circa ea quæ à tot ſæculorum ſenſu diſcrepant,cum tamen in commentariis Sac.Boſc. com.3. operum ex novis apparentiis beneficio tubi optici novum ſyſtema cælorum conſtituendum exiſtimet ut refert Jamner. loc. cit. unde Malapert.aſſerit Tychonem, bonam operam nugaſſe videri, *niſi violentum ſuum Martem ſolis orbitam contra ius faſque perrumpentem feciſſet*: & præſtantiſſimi Mathematici Tychonis obſervationibus quoad longitudinem conſtanter repugnarunt ut Chriſtoph. Rottoman. & Wilhelmus Lantgravius, ut ipſe Tycho fatetur libro pri. Epiſt. Aſtronom. ad lectorem & Epiſt.ad Wilhelmũ Principem Haſſiæ. Similiter obſervationes eius circa Cometas rejicit Scotus, non imperitus Mathematicus ut ipſe Tycho fatetur epiſt. ad Rottoman. data 14. Januar. an. 1595. quod etiam præſtat Abrah. Rogenb. lib. 5. de Cometis cap. 17. ubi Ariſtotelis opinionem tuetur. Denique Maginus qui maximè favere videtur Tychoni epiſt. ad ipſum hanc interſectionem Solis & Martis non probat & addit quod *ſi Mar-*

Barth. Tr.5. de Cælo.

tem Acronynum terra propius accedere, quam Solem à te eſſe obſervatum, interſectio hujuſmodi omnino eſt admittenda quare illam probat ex Hypotheſi quæ nihil ponit in eſſe.

Secundo quia ipſemet Tycho fatetur ſe in ſuis diligentiſſimis obſervationibus ſæpe fuiſſe deceptum tum in altitudine poli deſignanda, tum in conſtituenda longitudine & latitudine ſtellarum fixarum, ut patet ex additione ad cap. 2. lib. 2. de cometa anni 1577. quæ deceptio oriri poteſt partim ex defectu inſtrumenti, quod tamen ut ait Tamner. habebat perfectiſſimum; partim ex defectu refractionis nondum ſatis noto, partim ex defectu horologii, quod tamen habebat affabre factum, & diviſum etiam in ſecunda ſcrupula: unde factum eſt ut erraverit, in conſtituenda altitudine cometæ, & idem patet ex appendice ad tom. 1. ubi ait eccentricitatem ſolis ex obſervato Marte certo ſe deprehendiſſe eſſe partium circiter mille octingentarum ſeu viginti ſemidiametrorum Terræ, cum tamen alibi ſæpe fateatur ſe magno labore & exquiſitis inſtrumentis obſervaſſe diligenter eſſe partium 3600. ſeu diametrorum terræ, 41. Quare ut in hac obſervatione deceptus fuit in magnitudine deducta ſecundum duplam rationem, ita & potuit in aliis atque adeo etiam in obſervando motu Martis & hinc prudenter hæc obſervatio, vel falſa judicatur, vel ſaltẽ dubia, præſertim cum ex ea tam nova, & inſolens concluſio deducatur, ſcil. *ſolem ſecundum Ptolomaicam ſuppoſitionem æqualibus temporibus inæquales arcus ſuæ orbitæ conficere* contra omnes anteceſſores: legendus Keplerus in ſua Aſtronomia nova edita 1609. ubi varios Tychonis errores in ſuis obſervationibus, etiam circa hunc Martis deſcenſum ex variis principiis, & ſæpe ex mala conſequentia, notat ut p. 2. c. 10. & 11. & refert Tamner. q. 3. d. 3 per totam præſertim num. 95. apud quem videri poſſunt, nam non eſt noſtrum illa diſcutere.

Tertio, quia in obſervandis cœlorum motibus multæ cauſæ deceptionis intervenire poſſunt, quæ non eſt cur abſint ab obſervationibus Tychonis, tum quia multa non per ſe, ſed per ſuos Miniſtros obſervavit, ut fatetur Tycho, & notat Kepler. loc. cit. c. 11. ubi addit ſe ſæpe errores Miniſtrorum emendaſſe, tum quia cum fuerit novitatum amator, facile ex affectu novarum inventionum decipi potuit, quod ipſe Regiomontano objicit, tum 3. quia ſuis contra Ariſtotelem præjudiciis nimium confideret negando cometas eſſe ſublunares, tum 4. quia eius obſervationes pugnant cum obſervationibus Ptol. Alph. Regiom. Coper. in Aſtronomicis peritiſſimorum, quos non eſt probabile circa Martis motum, & locum cometarum aberraſſe, neque enim ex tota antiquitate extat qui hanc interſectionem adverterit, neque eſt probabile tantam differentiam parallaxeos, vel tantam diverſitatem magnitudinis non fuiſſe ab aliquo notatam, & tam magnum Martis deſcenſum ſub ſolem & aſcenſum eiuſdem ſupra Jovem & Saturnum non fuiſſe, qui notaret: unde fit ut imprudenter uni potius Tychoni credatur, quam omnibus antiquis, quorũ aliqui nec doctrina nec diligentia ſunt Tychoni inferiores, præſertim cum motus martis adhuc duret & à nullius oculis præter Tychonis ſit viſus & obſervatus: nam qui poſt Tychonem de eo motu ſcripſerunt non ſuis, ſed Tychonis oculis ſe credere profitentur: quare donec apparentia illa diu, conſtanter & à pluribus fuerit propria obſervatione **confirmata, eſt omnino rejicienda.** Schenier excuſat Tychonem de minutis quibuſdam vel neglectis; vel non accurate perpenſis inter obſervandum, quod veritatem non evertent, nec magnitudinem viri, qui majora præſtitit, quam cometas cœlo inferre, quia errores cœleſtium erronum, præſertim Martis emendavit, æquinoctia, temporumque rationes reſtituit, ſtellas firmamenti numero auxit, Venerem & Mercurium Soli circumpoſuit.

7. Placet hic ad caput cauſæ devolui, & probare propriam aſſertionem nova ratione ſic: Si enim cæli ſint liquidi, quotieſcumque non eſt nubilum illud, imò etſi ſit nubilum, deberent in eo apparere Irides; hoc autem eſt contra experimentum: ſed probatur ſequi, quia Iris non eſt aliud, quam incidentia radiorum Solis in materiam aqueam aut roridam. At verò ſi cælum ſit liquidum ſemper impingit radius ſolaris in talem materiam, ſcilicet in partem aliquam ipſius cæli ſaltem in ortu, & occaſu eius, ergò. Sed eſt etiam, quod

Objiciam, ſcilicet ſi cæli ſint ſolidi tunc refringi lineam viſualem à perpendiculo, atque adeo non videri aſtra in loco ſuo, conſequens ſupponitur falſum, ſed probatur ſequi, quia quotieſcumque radius viſualis tranſit per media diverſæ raritatis, & denſitatis, refringitur à perpendiculo, ſi vicinius objecto ſit medium denſius, & medium rarum remotius. Atque ita hic eſt, quia cæli Planetarii ſunt Diaphana denſa, aër, & ignis: quæ remotiora ſunt, rara ſunt, ergò. Huic argumento reſpondet Recens citatus, fieri quidem refractionem hic, ſed non diſtorquere viſum, nec decipere, quia nimirum reparatur ſtatim; quemadmodum in tubis habentibus plura vitra, ſecundũ vitrum reparat refractionem primi vitri; ſed neſcio an id ſufficiat, quia deberet aliquod corpus cæleſte ſolidum ſequi elementa liquida ad hoc ut repararet refractionem factam per ea, quemadmodũ natura in fabrica oculi tot tunicas poſuit, quarum una corrigeret errorem ſequuturum ex incidentia ſpeciei viſibilis in alteram. Nam ſi objecta viderentur quomodo primum incurrunt in pupillam, apparerent inverſa, id eſt viderentur ſuperiora quæ ſunt inferiora, quod pateret, ſi reciperentur ſpecies extra cameram exiſtentium per foramen in charta, aut muro candido clauſa camerâ. Ad rem ipſam:

8. Reſpondeo primò argumentum facere contra quamcumque ſententiam in hac materia. Nam licet cæli eſſent liquidi, cum ſine dubio ſint ut minimum inſtar humoris liquidi, deberet refractio contingere: quandoquidem ſequitur ignis, & aër, quia apud nos radius tranſiens ab aqua in aerem refringitur à perpendiculo, ut conſtat in nummo viſo in concha plena aqua.

Reſpondeo ſecundo, ad hoc ut nos poſſemus certo judicare fieri refractionem, deberemus aliquando aſpicere cælum abſque his mediis quod non poſſumus. Reſpondeo ergò tertio, & ultimate non ſequi hoc abſurdum certo quia non omnia media diverſæ raritatis cauſant refractionem, ut conſtat videntibus res per criſtallum in feneſtra vitrea: ibi enim tranſeant ſpecies per media diverſæ raritatis, & diaphaneitatis, nec tamen refringuntur, neque res apparet in alio loco, aut ſitu quam appareret intuenti, ſine his mediis puta aperta feneſtra per aerem ſolum.

Digitized by Google

ACTIO VLTIMA.

De incorruptibilitate Cælorum.

Breviarium.

1. Cælum ſi compoſitum, neceſſario corruptibile.
2. Ratio dubitandi de hac ipſa veritate.
3. Cælum abſolute incorruptibile eſt; & cur?
4. Objectio: ſolvitur: Quantitas quæ facit diviſibile, quomodo non facit corruptibile?

NOn attinet referre diverſitatem ſententiarum: nulla enim tam ſingularis via eſt expediendi hoc negotium, quæ non ſit aliquibus viſa, & habeat ſuos Patronos. Mihi veritas & Scotus eſt
pus: unde breviter

Dico primò: ſi teneatur cælum ex materia,
orma compoſitum, neceſſario corruptibile
neque aliter eſſe poteſt, ne divinitus quidem.
thor aſſertionis eſt Doctor ſcholarum Sco-
,tum, in 2.d.14. tum, in 4. pro themate citato,
poſt ipſum multi. Probo quia ſi ſit compo-
m ex hujuſmodi partibus, una poterit ſepa-
i ab alia: At verò ſeparatione partium factâ
ruptio totius eſt facta, ergò. Major ſic pro-
tur: quia nulla pars iſtarum eſt alteri unita
ſemetipſam: ergò quælibet unita eſt per a-
d; at verò nullum creatum eſt ſine quo non
ſſit aliud abſolutum eſſe, nam abſolutum,
que habet connexionem neceſſariam, & eſ-
tialem cum relativo cæli abſoluto, alias ip-
n non eſſet abſolutum, ſed eſſentialiter ad a-
d, ergò à primo ad ultimum, quælibet pars ex
poteſt eſſe ſine altera parte, atque etiam ſine
one ad ipſam.

Urgeo argumentum: ſi materia cæli eſt in-
arabilis à forma, fruſtra facta eſt diviſio rea-
r ab ipſa: nam diviſio realis eſt potentia ſe-
rationis, ſi ergò ibi non datur potentia ſepa-
ionis, nec diviſio dabitur. Confirmo ex com-
ni, quia ſi fruſtra eſt potentia, quæ non re-
citur ad actum &c. ſequitur liquido quod
poſſibilis eſt potentia, cujus impoſſibilis eſt
us. Sed ſecundum Te impoſſibilis eſt corrup-
ilitas eius; ſed ſeparabilitas eſt corruptibili-
, ergo à primo ad ultimum, ſi cælum habet
tes diviſas non eſt incorruptibile.

Opponi tamen poteſt huic rationi ipſum
um ex alio capite, nam cælum habet quan-
tem atque adeo diviſibilitatem, & tamen
n dividitur integraliter, ergò non licet in cæ-
inferre ex defectu actus impotentiam ad eiuſ-
di actum. Reſpondeo primò non eſſe adeo
tum, quod cælum non dividatur; qui enim ip-
ponunt fluidum, volunt illud quotidie di-
i.

Dices qui ponunt fluidum, ponunt corrup-
ile, adeoque: hoc nihil ad nos: Reſpondeo ta-
n non eſſe neceſſariam conſequentiam ſeu
nnexionem fluxibilitatis, & corruptibilitatis,
qua infra. Reſpondeo ſecundo eſſe latam di-
ritatem inter quantitatem cæli, & compoſi-
nem ex partibus phyſicis, nam effectus prima-
s quantitatis non eſt diſſolubilitas, ſed extenſio,
mpenetrabilitas; At verò effectus primarius
iſionis realis partium phyſicarum eſt ſeparabi-
s earum, & diſſolutio totius.

Urgeo amplius: omnis compoſitio phyſica fit non ſolum ex materia, & forma ſed etiam ex privatione. In cælis ergò ſi ſit materia & forma, erit privatio; ſed privatio in rebus eſt cauſa corruptionis, ergò.

Confirmatur, in materia hominis eſt privatio, & forma hominis, quæ eſt anima rationalis, non ſatiat appetitum materiæ, quin alias appetat, propter quod compoſitum humanum eſt corruptibile, ergo à fortiori neque forma cæli, quia eſt multò imperfectior quam forma hominis, ſeu anima rationalis, imò quam quæcumque anima etiam nutritiva, atque ita compoſitum quod eſt cælum eſt corruptibile.

2. Objicio quamvis in cælo ſint Partes phyſicæ, tamen unio earum poteſt eſſe indiſſolubilis, quia nimirum poteſt fieri, ut ſit talis quæ debeat immediate deſtrui actione terminatâ ad ſolum non eſſe eius, & quod non habeat contrarium; At verò Agens naturale non poteſt deſtruere quidquam niſi producendo contrarium, adeoque illam unionem non poterit deſtruere, atque ita nec diſſolvere. Reſpondeo primo hoc non evincere, quod cælum ſi componatur, ſit abſolute incorruptibile, ſed tantum quod ſit naturaliter incorruptibile, quia ſaltem Deus poteſt corrumpere non generando. Reſpondeo ſecundo nec hoc ipſum abſolute probare, ſed tantum de Agentibus naturalibus jam creatis, non vero de creabilibus. Tertio dico ſic valet omne corpus eſſe incorruptibile quia nulla unio videtur habere contrarium quum unio non ſit qualitas, ſed relatio. Itaque ſtet illud, non poſſe dari corpus phyſicum, ſive compoſitum indiſſolubile, nec animal per naturam immortale; Quæ ratio bene oſtendit contra quoſdam animam rationalem non eſſe compoſitam phyſice, quia nimirum de fide eſt eam eſſe Immortalem.

3. Dico etiam ſecundo cælum eſſe abſolute incorruptibile etiam quoad omnem potentiam, probavi hanc ſupra, quando oſtendi ipſum eſſe phyſicè ſimplex; utique enim tale eſt incorruptibile, quia corruptio eſt ablatio, aut ſeparatio formæ à materia. Clarum eſt autem formam quæ non eſt non poſſe perire, nec materiam, quæ non eſt poſſe perdere.

Suadeo etiam hujus partis probabilitatem, quia congruentius litteræ ſcripturæ eſt dicere quod cælum ſit proprie creatum: At verò quod creatum eſt, corruptibile non eſt, quùm corruptio reſpondeat generationi, annihilatio creationi. Itaque cælum annihilabile eſt, corruptibile non eſt; Addi poteſt ex ſuperioribus hoc: Aut enim cælum corrumpendum eſt aut non eſt corrumpendum; ſi non ſit corrumpendum, certe neque eſt corruptibile, non enim cenſendum eſt Deum poſuiſſe media ad finem non futurum, & omiſiſſe ea, quæ conducerent ad finem futurum, ergò ſi futura eſt in re incorruptio cæli, nunquam
autem

Digitized by Google

autem corruptio; cenſenda eſt poſita in re incorruptibilitas cæli, nullatenus autem corruptibilitas eius. Nec valet dicere, quod multæ potentiæ non reducuntur ad actus, nam omne grave habet virtutem deſcendendi ad centrum, nec tamen omne grave eo deſcendit, alioquin nihil relinqueretur ſupra; Diſpar enim eſt ratio, quia gravitas in aliquo ſubjecto deſcendit, adeoque potentia deſcendendi in toto genere non fruſtratur. At verò nullum cælum corrumpetur, ut communiter tenent authores, adeoque potentia corruptibilitatis in toto genere cælorum eſſet ſupervacanea. Alterum membrum non proſequor, quia hoc eſt omnium ferè, ſcilicet cælum non eſſe corrumpendum. Ariſt. aliquas rationes pro hac parte excogitavit, ſed enerves, & plane pudendas: videantur apud ipſum lib.1.cap.2. cæli text. 20. Contra ipſum, & me hic Adverſarii magno animo adferunt, & congerunt experientias quarumdam mutationum corruptivarum in cælo, ſcilicet aliqua aſtra, quæ cenſentur Partes cæli; Item alia quaſi aſtra quæ ſunt maculæ planetarum fuiſſe longe poſt productum cælum genita, ac paulo deinde corrupta; nam, & olim viſæ ſunt tales, ut teſtantur authores illorum temporum, & noſtris ſæculis 1572. in Caſſiopeiâ viſa eſt nova ſtella magnitudine par Veneri, & iterum anno 1660 alia in Cygni pectore viſa. Alia item ſub genu ſagittarii &c. quæ magno animo jactant adverſarii cælorum, & Peripateticæ Philoſophiæ, ſed reſpondeo vertendo me ad arguentes, à quibus quæro, num credendum ſit paucis experimentis, an multis? aliquot dierum, aut menſium, an verò aliquot ſæculorum quando videntur iſta inter ſe pugnare? Tot ſæculis, & millibus annorum cæli immunes permanſerunt, eandem magnitudinem, lucem, & curſum ſervantes ipſi, & aſtra eorum, quum tamen dudum omnes, non dico mutari, ſed abſumi deberent, ſi eſſent capacia corruptionis: Nam luna, verbi gratia, nonne dudum labefactari deberet à proximo igne? vel, ſi neges ibi ignem, ab aëre, qui ut ait Plutarchus humore quaſi clavo res perfringit, & demolitur. Ipſe motus terræ rapidus, & præcipitatus nonne dudum, non dico incendere, ſed liquefacere eos deberet? Itaque ubi quis hinc inde difficultatibus obſidetur, ni fallor, prudentis eſt eligere minores, & pauciores, adeoque ſtandum eſt pro cælorum immunitate; nam ſi contra ſtare voluerimus, majoribus opprimemur.

Quid verò dicendum ſit ad paucas has, ubique leges, omnes fere novas ſolutiones adferunt, quas non vacat hic aut refellere, aut recenſere. Breviter duas propono. Primò ut dicantur illa phænomena fuiſſe ſublunaria, adeoque elementaria non cæleſtia, neque particulares experientias, aut earum defectum evincere firmiter contrarium, quum tot modis falli potuerint ex vitio inſtrumenti, ex calculi errore, ex ludificatione ſenſuum &c. quæ colligi poſſunt ex pugnâ ipſorum Aſtrologorum inter ſe in metienda altitudine horum: ſecundo ſi fuerint ſublunares, non fuiſſe novas, aut ſpeciales ſtellas; ſed aggregationem aliarum, quæ in cælis planetariis irregulariter moventur, & aliquando ita conjungi poſſunt, ut appareant magnæ, deinde ſimili motu decreſcant, & penitus evaneſcant, quod contigit ſtellæ, quæ in ſigno caſſiopeiæ apparuit, & adhuc cernitur in ſtella illa Cygni.

4. Objiciam ipſe phyſicam difficultatem, & eſt quod fateamur omnes etiam Peripatetici, & Advocati cælorum, ipſos cælos eſſe quantos, ac proinde diviſibiles idque non obſtante quod ſint corpora ſimplicia. At verò diviſibilitas eſt corruptibilitas, nam neceſſe eſt quod dividitur corrumpi, quod ſic oſtendo; nam diviſio continui fit per deſtructionem indiviſibilium continuantium; hæc autem ſunt aliquid continui; nec valet reſpondere ea, verbi gratia, puncta continuantia non eſſe partes cæli, ſed vincula partium, nam non ſola puncta ſunt vincula, ſed etiam ſuperficies, & lineæ, hæc autem ſunt partes, adeoque Reſpondeo primò hoc ipſum argumentum non convincere me, ſed nec ſufficere Adverſariis quia nimirum etſi demus ita eſſe, adhuc cælum non eſt corruptibile, neque corrumpitur: nam indiviſibilia illa tunc non deſinunt per corruptionem, non enim relinquunt aliquid ſui poſt ſe, quod ſit materia, ut fit in corruptione, ſed deſinunt plane, planeque nullo cadavere, nec veſtigio relicto; idque ſecundum utentes argumento. Reſpondeo ſecundo hoc argumentum valde perſuadere quod ſuo loco poſui de continuo, ſcilicet ipſum non compingi hujuſmodi indiviſibilibus aut unionibus mathematicis, ſeu quantitativis, ſed metaphyſicis ſolis, quæ ſunt ſecundum me relationes, ſecundum alios modi.

Authores.

Plato *in* Tymæo: *refertque* Alcin. *c.*12. *de doctr.* Platon. Ariſt. 1. *Cæl. cap.*2. Plin. *lib.* 2. *nat. hiſt.* Ptolom. *lib.* 1. *Quadripart.* Jambl. *in lib. de myſt.* Aver. *lib. de ſubſt. orb.* Cardinal. Beſſar. *lib.* 5. *con. calum.* Platon. S. Bonav. 2. *d.* 14. *p.* 2. *ar.* 19. Albert. Mag. *lib.* 2. *cæl. Tract.* 3. D. Thom. *q un. de ſpirit. creat.* Godefrid. *quod* 2. *q.* 2. Dur. Gabr. Aureol. 2. *d.* 12. Joan. Benedict. *lib. de cæl. & elem.* Freder. Pendas. *de nat. corpor. cæleſt.* Ragus *diſp.* 13. Peripat. Valleſ. *de ſacr. Phil. cap.* 2. Camil *glorioſ. lib.* 4. *de Comet.* Fracoſtor. *lib. homocentr.* Georg. Valla. *lib.* 3. Aſtrol. Cremon. *lib. de motu cæl.* Lucil. Philalt. *lib.* 2. *cæl. Tom.* 7. Magin. *in Theoric.* Suar. *diſp.* 13. *Metaph. q.* 7. Javel. 8. *Met. q.* 12. Rap. Averſ. *Tom.* 2. *q.* 32. Ruv. *hic lib.* 1. *c.* 2. *q.* 5. *Videri poſſunt de iiſdem* S. Joan. Chryſoſt. *hom.* 4. *in Geneſ.* Juſtin. *mart. qu.* 57. Clem. Roman. *lib.* 2. *Recog.* Ambroſ. *in Exam, &c.*

Digitized by Google

APOLOGIA SECVNDA.

De Aſtris.

ACTIO I.

Quid aſtra? An ſpecie diſtincta à ſuis orbibus?

ACTIO II.

Utrum aſtra habeant lumen à ſe,an à ſole?

ACTIO III.

De figura,& magnitudine aſtrorum.

Scotus *pr. Meteor. qu.* 17. *ar.* 2.

Ecundum hoc promitur iſta concluſio,quod ſtella Cometa non eſt de natura cæli: probatur quia ſi ic,ſequeretur, quod ſtella Cometa eſſet perfectè ſphærica, conſequens eſt contra experientiam, ſemper apparet cum Coma, vel caudâ; conſequentia probatur, quia quælibet ſtella cæli eſt ſphæ-

Idem *ibidem q.* 20. *art.* 1.

Ed contra hoc objicitur,primo quia ſemper Sol aſpicit omnia aſtra cæli,ſcilicet octavæ ſphæræ,igi-ur Galaxia non cauſatur per prædictum modum. Conſequentia tenet,quia hoc ſupponit ſuppo-illa,& antecedens apparet,nam per demonſtrationes aſtrologicas patet, quod Sol eſt multo ma-quàm Terra: ſimiliter patet, quod umbra Terræ non pertingit ultra ſphæram Mercurii.

ACTIO I.

Quid aſtra? an ſpecie diſtincta à ſuis orbibus?

Breviarium.

. Denſitas,& raritas cælis ineſſe poſſunt.

..Non eſt neceſſe aſſignare aſtris denſitatem, orbibus raritatem.

3. Stellæ ſunt opacæ & denſæ ſpecie diſtinctæ à ſuis orbibus.

4. Objectio ex magnete ſumpta,ſolvitur.

SEnſus communis multorum ex veteribus ſaltem eſt, Aſtra, ſeu ſtellas eſſe homogeneas orbibus ſuis & ſolum differre in denſitate, & raritate, quod ſcilicet cæli ſint rariores, aſtra denſiora.

Dicendum exiſtimo primo, poſſe quidem ſtris deſignari denſitatem, & in orbibus rari-m,id tamen non eſſe neceſſe. In hunc ſenſum eScouſtæ moderni intellexerunt Scotum. Pri-n partem ſuadeo refellendo fundamentum oſiti, quod contra me adferri poſſet, eſtque : Ego enim ſupra dixi in cælo non eſſe mate-n; at vero in raro eſt materia,& plus in denſo, m enim eſt , quod habet parum materiæ in tis dimenſionibus; denſum, quod multum; autem dico non præjudicare quidquam,quia cria quoad raritatem eſt ſubſtantia corpulen-ſive ſit incompleta ut materia prima, ſive ſit pleta,ut ſubſtantia ſimplex,eſt enim id,quod ternitur quantitati.

Confirmo expoſitionem , quia in multo- etiam Peripateticorum doctrina ſubjectum ntitatis non eſt materia, ſed totum; Hi autem modo explicabunt definitionem illam? uti- accipiendo materiam pro toto compoſito; jam ſubſiſtit definitio non accipiendo mate- n pro parte, ſed pro toto; ſi autem pro toto dni pro toto ſimplici , ſicut pro compoſito? um quorundam ſententia eſt materiam non aliud quam elementa, & tamen apud hos da- arum, & denſum. Objici abſolutius poteſt d rarum, & denſum non poſſit competere incorruptibili, quia raritas eſt diſpoſitio ad corruptionem ut experimur, nam quod rarefit, & liquefit diſſolvitur. Reſpondeo primo ſequi fortaſſis hinc, quod cælum, aut aſtra non poſſint rarefieri, non autem ſequi quod non ſint rara ex natura ſua à principio. Reſpondeo ſecundo rarefactionem non inferre liquefactionem, nam caro, & ligna rarefieri poſſunt, liquefieri non poſſunt, fateor ſi teneatur cælum eſſe inſtar Cryſtalli in aquis factum prævalere aliquid hanc rationem, ſed ſupra negavi ſuppoſitum.

2. Probo jam ſecundam partem, quia nimirum differentia quæ cernitur inter aſtra, & orbes; aliunde oriri poteſt, & de facto cenſenda eſt orta; ſcilicet ex opacitate; Aſtra enim terminant viſum, & reflectunt ad nos lumen ; hoc autem eſt effectus opacitatis , nam opacitas eſt quæ impedit trajectionem viſus, & ſpecierum; Confirmo utrumque, nam vitrum eſt magis denſum, quam lignum , & tamen vitrum permittit tranſire viſum, & ſpecies, lignum non permittit, ergo jam hæc permiſſio, aut impeditio non oritur ex denſitate, ſed ex opacitate. Huc redit probatio allata Action. præced. num. 1. ex ſcripturâ quæ aſſerit ſolidiſſimos ipſos cælos inſtar æris , & tamen permittunt tranſire per ſe ſpecies viſibiles tam impreſſas, quam expreſſas, & patet ſcripturam velle quod ſumma ſoliditas convenit ipſis orbibus, quia æquat orbes æri quod eſt metallum ſumme ſolidum ex omnibus corporibus , quæ apud nos ſunt.

3. Dico deinde ſtellas videri opacas, & denſas ut ſupra, ſpecialiter verò lunam. Ratio primæ partis,

partis, in qua à nonnullis diſſentio, eſt, quia ſtellæ abſcondunt ſe invicem, & inducunt Eclipſes. nam Mercurius Venerem occultat, Mars Jovem, Sol utrumque, Luna omnes fere, quod dico propter exceſſum corporis ſolaris quod non poteſt totum tegere; At verò ſi hæc eſſent Diaphana non occultarent alia, ut patet cuilibet, ergò.

Dices hæc eſſe lucida, adeoque non opaca. Reſpondeo nego conſequentiam, quia conveniunt hæc invicem; opacum enim eſt, quod non permittit tranſitum viſui, aut ſpeciebus: lucidum autem eſt quod illuſtrat alia circumpoſita, & viſibilia reddit; quæ ambo convenire poſſe patet in carbone, patet in ferro ignito, nam non poteſt videri res retro carbonem exiſtens, nec retro ferrum, & tamen hæc ſunt lucida & illuſtrant circumpoſita ut poſſint videri.

Tertio cenſeo aſtra omnia ſaltem planetas eſſe ſpecie diſtinctos à ſuis orbibus, nec mirum cum ſupra dixerim ipſos cælos probabiliter inter ſe ſpecie diſtingui, cuijus aſſerti rationes huc applicari poſſunt: Prætetea etiam iſtæ, quia cæli ſunt Diaphani ut patet, nam videmus per, & trans ipſos. Aſtra non item quia non videmus per, aut trans ipſos. Secundo quia Aſtra habent lucem, idque à ſe, cæli non habent, ergò. Quod verò aſtra habeant lucem à ſe, ſuaderi poteſt contra negantes qui cenſent illa habere lumen à ſole, primò quia in quocumque aſpectu ſit Sol; Aſtra omnia ſunt lucida, adeoque ſignum eſt hæc non accipere lumen à ſole: ſi enim acciperent, deberent aliquando obſcurari; & alias illuminari, prius ſecundum partes, quam ſecundum totum, ut contingit in Luna; Id autem non fit, deinde ſtellæ firmamenti, ſive octavi cæli diſtant à ſole ſecundum quorumdam calculum ſeptuaginta ſex millionibus milliarium; At verò Sol non habet vim tranſmittendi lucem ſuam eo uſque ſive ad tantam diſtantiam, quod ſubſumptum reliquit improba-
2. tum Cornel. à lapide, cum tamen ſumma res in eo vertatur, ſic id ſuadeo; quia ſi operatio ſolis poſſet in tantam diſtantiam non remitteretur calor eius ſtatim in ſecunda Regione aeris imo totus ambitus à corpore ſolari uſque ad centum Terræ non faceret unam Regionem, nec mediam, ne vel quartam partem unius, eſt enim milliarium tantummodo 3640000.

Diceret forte aliquis lucem ſolis eo uſque pergere etſi calor non item: ſed non bene multorum ſenſus eſt, quod Sol calefaciat ... mine, non verò aliâ virtute; ſecundum ha... tem viam non poteſt ſoli alia eſſe ſphæra lu... & alia caloris. Deinde ſit alia via verior, qu... licet Sol alia vi calefaciat, & alia illuminet ... eſt, cur una virtus dicatur habere hujuſmod... ram potius quã alia, alioquin aſſignetur illa...

Denique hoc convincit varietas ſpecific... ctuum, qui proveniunt à cælis, & qui ab aſtr... na v. g. cauſat æſtum, ſive fluxum, & refluxu... ris, quod non cauſat ſphæra ſeu Orbis eius, ... ſemper flueret &c. quia ſemper aliqua pa... imminet ei; Item alia aſtra cauſant calorem noxium, ut canicula, alia ſanitatem, & tempe... In quibuſdam Terris fructus naſcuntur, qui i... non proveniunt, maxime apud antipodas ... ter conſtellationes poli antarctici, quæ apu... non apparent &c. at verò nullum majus judi... eſt differentiæ ſpecificæ, quam diverſitas effe...

4. Objici tamen poteſt contra hæc um... magnete deſumptum, nam magnes unus fe... attrahit, alius repellit: Quæ diverſitas etiam ... tingit circa acum nauticam, & impulſum ... magnete quia eiuſdem Magnetis una pars t... alia repellit ferrum. Reſpondeo tenendun... quod iſti Magnetes plures, & plures partes ... dem omnino ſint ſpecie differentes. Illud a... de fluiditate acus nauticæ in mari non debet ... videri mirum, quia contingit poſtquam naut... quinoctialem tranſierunt, quo tempore p... mutarunt, ut qui ante fuit ſuperior ſit jã infe... & qui dexter ſit ſiniſter. Sicut ergo ipſi mut... runt ſitum, & ordinem ad partes univerſi, ita ... eſt mirum, quod corpus impellens ad partes ... dinales univerſi mutet motum ſuum.

Ultimo confirmo concluſionem theolo... argumento ex Gen. primo, ubi refertur Deu... quarto feciſſe luminaria magna Solem, & ... nam, eaque poſuiſſe in firmamento cæli, na... ſint partes cæli, & eiuſdem ſpeciei cum illis, q... modo non ſunt facta prima die aut ſaltem ſe... ma cum ipſis. Urgeo quia quælibet dies ex ... ſex, habuit opera diſtinctæ ſpeciei ab aliis; ... dies habuit aſtra, ergo aſtra ſunt diſtinctæ ſpe... ab aliis, ſeu aliorum dierum operibus, atqui o... alterius fuit firmamentum, & ante omnem di... factum eſt aliquod cælum, ergò.

ACTIO II.

Vtrum aſtra habeant lumen à ſe, an à ſole?

Breviarium.

N. 1. *Omnia aſtra habent lumen à ſole.*
2. *Singula tamen habent aliquod luminis à ſe.*
3. *Cur Luna ex omnibus ſit minimi luminis?*
4. *Cur ſtellæ interdiu non apparent?*

1. Hic etiam phyſici, & aſtrologi diviſi ſunt, aliqui in extremis ſunt, alii in medio, de quibus videndi Recent.

Dico primo omnia aſtra habere lumen à ſe; De ſola Luna eſt difficultas, probo ergò de ipſa, quia nimirum *fecit Deus duo luminaria magna luminare majus, ut præeſſet diei, & luminare minus ut præeſſet nocti*, quæ luminaria paſſim in ſcripturis ſignificantur eſſe Sol, & Luna nominatim pſalm. 135. Luna ergò eſt lumina... atqui non eſſet ſi non haberet Lumen à ſe. ... dem argumentum fieri poteſt ex præmiſſa ... turali, quod Luna ſit aſtrum, ſidus, aut ſtel... nam tale non eſt, niſi habeat Lumen à ſe, qu... ſic probo quia reflectere Lumen alienum n... facit aliquod eſſe luminare, eſſe ſidus, aut ſt... lam, alioquin ſpeculum erit ſtella, erit lum... nare. & ſimiliter lamina ænea, & denique quo... vis corpus ſolidum, & lævigatum, quo nihil i... eptius, ergò.

Digitized by Google

Vereor tamen, ne hoc argumento obſim meæ; nam Luna reverà eſt luminare, & noċti, atque illuminat eam: at verò hoc facit per lumen receptum à ſole, & ab ipſa ım. Reſpondeo Lunam reverà eſſe lue per proprium lumen, non verò per illud nathematicè loquendo: at verò ſecundùm onem vulgi, hoc de ea accipiendum eſt, quailluminatur à ſole; nam Scriptura de his ibi loquitur ſecundùm apparentiam, & vulnionem, non verò ſecundùm mathemativeritatem; ſic enim docet Lunam eſſe lue magnum, quùm tamen ſit omnium minipræter Mercurium ſolum.

Secundò idipſum: quia ſi Luna participalum lumen à ſole, obſcuraretur totaliter, do privatur ſole, ſive participatione lumit verò ita non eſſe videmus; nam in eclipſi videtur pars eclipſata, & in novilunio, pars luminata à ſole: imò Luna rubet in his ca-

Sed hoc argumentum ferè extorſit nobis ribus Moriſanus noſtras, qui quùm ſuſcedefendendum oppoſitum, reſpondet huic, m tunc perfundi lumine ſecundario, non eſſe lumen innatum: ita ille, quod qualeue ſit, verum, aut falſum, difficulter infi ngi-

Arguo tamen contra ipſum hoc medio, lumen ſecundarium non videtur in magna itia, ut experimur; nam ſit candela in aliqua ra, non diſcernetur in multa diſtantia ſaillius domus, ſed ſolius feneſtræ, & tamen andela trajicit lumen ſecundarium ad alias mpoſitas feneſtras intra ſphæram, quæ brea eſt.

Tertiò ſic: quia corpora ſimplicia, & cœconveniunt in ratione generica talis, adeóabent communem ſibi qualitatem genericalium, hæc eſt lux, adeóque; ratio Majoris aritas: quia corpora inferiora conveniunt in genericis qualitatibus, quæ dicuntur, & ſunt æ, omnia enim habent eas, aut ipſorum aliſive puras, ſive mixtas.

Quartò ſic: quia ſi alia aſtra præſertim plahaberent lumen aliunde, puta à ſole, debenunc magis, nunc minus illuminari per acım, vel receſſum à ſole: Id autem non conit, ſed oppoſitum, videmus enim illa eodem lo ſemper illuminari; & nunquam mutare am ex acceſſu luminis, ut facit Luna.

Adhuc quintò: quia ſi Venus, & Mercurius ole exiſtentes non haberent lumen à ſe, ſed à , ex ſe eſſent tenebroſi, atque ita per interponem Veneris, vel Mercurii inter noſtrum vi& ſolem, deberet ſol eclipſari, ſic enim proeandem cauſam eclipſatur à Luna, id autem contingit, ergo.

2. Dico jam ſecundò: Alia aſtra recipere uid luminis à ſole, id tamen non eſſe univerſaec certum de aſtris octavi cæli, ſaltem omni Primũ primò ſuadeo ſic: quia nimirum Luna ninatur, quid ni ergo alia cùm ſint capacia, & niora, Solque ſit agens naturale? Secundò, per tubum opticum deprehenſa eſt Venus niculari, & orbiculari inſtar Lunæ, per acceſ- & receſſum, ſive per diverſum aſpectum ſo-

Quod à ſe factum de Venere teſtatur Corus, & de Mercurio Tycho Brahe. Tertiò dit alia obſervatio Aſtronomorum apud Aquòd nimirum lumen planetarum à ſole ſuperius augetur, puta dum ſol eſt in auge, minuitur dum in oppoſito augis.

Alterum illud, quòd hoc non contingat univerſaliter, ſaltem in aſtris octavi cœli perſuadet mihi ratio, quam formavi ſuprà Act. . num. . de diſtantia, videtur enim firmamentum ſaltem quoad profundum eſſe extra ſphæram ſolis, ut loco citato deduxi. Et hîc amplius proſequor cum noſtrate citato, quia plerique ex illis vicies ter tantum diſtant à ſole, quantum ſol à nobis, ex quo fit, ut ſol reſpectu iſtorum habeat talem magnitudinem, qualem habet aliqua ſtella firmamenti reſpectu noſtri. Clarum eſt autem illas ſtellas non illuminare nos ſenſibili aliquo lumine, ſaltem ſingulas hoc non præſtare, quidquid ſit de conjunctis, ergo ſol non illuminat illas.

Objectiones contra hæc ſunt rationes earum hinc inde, quæ ne videantur reverà pugnare, res ſic eſt componenda, ut utraque concluſio ſit vera, ſcilicet, quòd aſtra habeant lumen à ſe, atque etiam à ſole.

Reſponderi tantùm debet ad quartam, & quintam rationem è prima concluſione, ſive oſtendi, quomodo non militent contra ſequentem; Itaque fatendum eſt, lumen in aliis planetis augeri, & minui; unde etiam illi cornutam, & ſphæricam figuram obducunt, at non nimis ſenſibiliter, eò quòd ipſa habeant lucem à ſe, atque adeò pars eorum, quæ deſeritur à ſole, non obſcuratur, propter quod alia pars non habet cornua, aut diviſionem luminis. Hæc eadem cauſa eſt ad quintam rationem ſequentem, cur non eclipſetur ſol ab his. Sed reverà mihi hoc non plenè ſatisfacit; nam cùm ſint denſa, & opaca, ſic ut non permittant radios viſuales tranſire, (aliàs non poſſent videri nec reflectere ad nos lumen ſolis) deberent omnino occultare ſolem, etſi non facerent tenebras, eò quòd ipſæ lucerent proprio lumine. Quare rectius unum ex duobus dicitur vel quod eclipſent pro rata parte ſolem, ut referunt Conymbr. ex Scalig. Mercurium generaſſe maculam in pectore ſolis; vel quòd non eclipſent ſolem, eò quòd non perficiant circulum infra illum, ſed circa illum, unde fit, ne objiciantur ex diametro ſoli.

3. Quæres quare Luna facta ſit tam exigui luminis, ex omnibus enim aſtris minimum luminis à ſe habet, plurimum ab alio? Reſpondeo id providè factum, quia ſi Luna haberet innatum lumen pro portione magnitudinis ſuæ vix unquam haberemus noctem, ſed ſemper diem quod valde importunum eſſet, & noxium animalium ſaluti, quia requiem, & reparationem virium, concoctionem, & ſomnum impediret. Sequelam illationis probo, quia Luna quoad nos in magnitudine eſt inſtar ſolis; & licèt non haberet tantum lumen, quantum ſol, adhuc faceret perpetuum diem, quia intenſio luminis ſolaris compenſatur per viciniam Lunæ; utique enim lumen parvum vicinum illuminat, æquè ac magnum diſtans. Hoc autem ita fuit commendatum naturæ, ut non ſolùm negaverit Lunæ proprium lumen, ſed etiam vim recipiendi, & reflectendi alienum, hinc illæ maculæ in ipſa, quæ ſunt partes opacæ ejus ineptæ ad recipiendum, & reflectendum lumen in aliqua intenſione.

4. Quæres jam, quare ſidera non videntur de die? & quidem hoc libenter quærit vulgus, & reſolvunt Philoſophi, quam bene ſtatim reſolvam;

Digitized by Google

vam; nunc interim dico ſtellas à nobis videri de die, at non diſcerni; eos autem, qui aſſerunt eas totum lumen habere à ſole, non rectè reſpondere, quòd non videantur. Moveor, quia ſunt viſibiles, & potentia eſt viſiva. Dices obrui lumine magno ſolis; ſic Philoſophi quotidie, ſed neſcio, an exactè, nam magnum lumen non ſubtrahit res viſui, ſed ſubjicit, quod, quia eſt caput controverſiæ, ſuadeo experimento, nam ſquamæ piſcium, & putredines lignorum, oculi felium, & ſimilia noctiluca ad lucernam explicata videntur, licèt non ſuo lumine, ſed alieno. Et quia agimus de corporibus verè lucidis, ignis nonne ad ſolem videtur? Certè flamma ipſa candelæ videtur, licèt vix diſcernatur. Ita exiſtimo aſtra videri, licèt non diſcerni, quia non apparent in ſuo lumine, ſed in illo ſolis, quod, quia omnibus commune eſt facit omnia videri ejuſdem coloris, ut ſic dicam, & proinde manavit hic error in quoſdam Philoſophos, quia non apparent in illo lumine aureo, quod de nocte præferunt. Id autem oritur ex eo, quod obruitur hoc lumen à majori lumine ſolis, quod quaſi argenteum eſt.

Confirmo reſolutionem, nam ubi ſtellæ apparent de nocte, vel nihil ibi apparet de die, vel aliquid apparet, ſi aliquid, habemus intentum, quia ſine dubio non apparet, niſi quod eſt: ſecundum autem non poteſt prætendi, quia apparet nobis ſphæra continua cœlorum.

Quæres ſecundò: Cur non eclipſentur Planetæ, & alia aſtra à terra, ſi mutuentur lumen à ſole. Reſpondeo primò, jam dictum eſſe ex Scaliger. in Cardanum, quòd Mercurius, & Venus eclipſentur. Reſpondeo ſecundò ideo non eclipſari, quia habent à ſe prædicta lumina. Reſpondeo tertiò reliqua aſtra nimis diſtare.

ACTIO III.

De figura & magnitudine Aſtrorum.

Breviarium.

N. 1. *Planetæ ſunt ſphærici.*

2. *De aliis Aſtris id non conſtat.*

3. *De magnitudine & diſtantia aſtrorum, Altercatio Phyſicorum & Aſtronomorum.*

4. *Calculus Ptolomæi de eorum mole, &c.*

1\. CÆlos eſſe ſphæricos omnes jam aſſerunt, & probant Philoſophi, ac Aſtrologi paſſim ex medio motus, ex eclipſibus &c. quæ non eſt opus repetere, quod apud alios legantur: Aſtra ſimiliter ſphærica ſupponunt & conantur probare: de his, dico meum ſenſum, & eſt, quòd quidem Luna, & Planetæ omnes, aut ferè omnes ſint ſphærici: de aliis id non certò conſtare, niſi fortè ex Conſequentia ab his ducta; Primum patet ſucceſſiva illuminatione & obſcuratione Lunæ. Hoc enim eſt proprium ſphæricæ figuræ. Dices id non ſufficere probationi, quia poteſt provenire ab ipſo ſole, ut infrà. Reſpondeo negando Subſumptum, quia ſol diffundit lumen circum circa ad ſpatium minus. Idem probatur ex eclipſi ſolis per ipſam Lunam. Sol enim ſphæricè. & circulariter obſcuratur: Id autem quùm fiat per umbram Lunæ, ſequitur ipſam eſſe rotundam, intellige tam umbram, quàm Lunam, atque ideo Lunam, quia umbram; quod intellige quoad nos, nam in re primum ſphæricum hîc eſt ipſum corpus Lunæ, & propter illam, ac per illam redundat circularitas in umbram. Exiſtimo tamen has rationes non eſſe tam certò plures, vel ita multas, quæ ſeorſim valeant, Moveor, quia licèt Luna non eſſet orbicularis figuræ tamen ſenſim obſcuraretur, & orbicularetur propter orbicularitatem terræ, cujus umbra eam obſcurat, adeòque ſucceſſiva obſcuratio, non eſt argumentum ſufficiens ſe ſolo ad convincendam ſpæricitatem ejus, quod ſic obſcuratur.

2\. Alteram partem mei ſenſus, ſive quod non ſit certa hæc figura omnium omnino aſtrorum, ſuadeo exinde, quia aſtra habent rem per eandem faciem obverſam nobis, unde ergo inferre poſſumus illa habere adverſa in circuitu, ac non potius eſſe ſicut laminas quaſdam? Confirmo, quia aſtra facta ſunt propter bonum mundi hujus noſtri, ergo cenſeri debent ſic facta, ut præcipuæ partes reſpiciant hunc mundum; ſi autem eſſent ſphærica, æquè reſpicerent hunc mundum inferius, ac id, quod eſt ſupra eas: Item quod eſt ab utroque latere, imò ab omni parte. Addo ſolem poſitum eſſe non in medio aſtrorum abſolutè, aut omnium omnino, ſed errantium tantùm, ſive planetarum, quibus lucem impertit ſucceſſivè, ergo alia aſtra non accipiunt lucem ſucceſſivè adeóque non ſubeſt fundamentum dicendi ea eſſe ſphœrica.

3\. De magnitudine aſtrorum, atque eorum à nobis diſtantia Philoſophi Recentes tam diverſi ſunt ab Aſtronomis, quàm dici poteſt. Iſti omnes promittunt, & definiunt tam liberè de magnitudine orbium cœleſtium, & aſtrorum, de diſtantia certa à terra, ac centro ejus planè quaſi deſcendiſſent ipſi de cœlis, & in tranſitu omnia menſi fuiſſent, non ſolùm palmo, aut pede, ſed pollice, & puncto. Ita incipiunt menſuras ſuas tam religiosè à grano hordei, quod eſt minimum in menſuris. Iſti autem rident omnem hanc diligentiam, & volunt nihil planè ab illis ſciri certò poſſe, quia nimirum alterum ex duobus ſupponunt, ſcilicet, vel magnitudinem, vel diſtantiam, & unum ex alio inferunt, ſcilicet corpus aliquod cœleſte v. g. ſolem eſſe tantæ magnitudinis, puta centies, & octuageſies octies mille milliarium quingentorum ſexaginta. quia corpus apparens in magnitudine unius palmi in tanta diſtantia, quanta eſt hinc ad ſolem, debet eſſe tantæ vaſtitatis, Iterum ex adverſo diſtantiam ex vaſtitate, invertendo calculum ſic; quòd exiſtens tantæ magnitudinis decreſcit tantoperè in apparentia debet eſſe tantæ diſtantiæ. In quo videntur circulum

Digitized by Google

ulum committere, & ſemper unum ſupponere ro arbitratu: at enim Aſtronomi non ita liberè upponunt, neque ſemper verſantur inter ma-nitudinem, & diſtantiam, ſed incipiunt à ma-nitudine terræ, quam indagant deſignando in erra duo loca, v. g. duas civitates rectâ lineâ po-tas ſub meridiano, & tunc per quadrantem in-eſtigando altitudinem poli iterum variatam, uæ ſi fuerit unius gradus, & loca ut ſupponi-mus, diſtent 60. milliaribus, poſſunt per calcu-um inferre magnitudinem totius multiplicando o, per 366, tot enim ſunt gradus in cœlo, & quo-libet circulo cœleſti, quùm quadrantes eorum ſint 90 graduum. Itaque ne hæc omnino ne-ſciantur (quanquam moderni Phyſici ducant ſibi honori ignorantiam eorum) dabo breviter calculum eorum, idque ſecundùm antiquorum computationem, non quòd judicem præſentem abſolutè veriorem, calculo modernorum, ſed quia hi inter ſe diviſi ſunt, & per eadem inſtru-menta videantur ſibi pugantia videre; antiqui autem ſunt magis conſtantes, ergò ſecundùm doctrinam Ptolomæi hinc ad

4. Concavum Lunæ ſunt ſemidiametri terræ 33.	id eſt	milliaria $59045\frac{1}{4}$
Concavum Mercurii 66.		milliaria $118090\frac{1}{2}$
Concavum Veneris 167.		milliaria $597609\frac{1}{2}$
Solis 1121.		milliaria $433498\frac{1}{2}$
Martis 1216.		milliaria 4351456.
Jovis 8853.		milliaria $31680460\frac{1}{2}$
Saturni 14378.		milliaria 51451673.
Octavæ ſphæræ 22612.		milliaria 80917042.

Ex ipſis Aſtris, Luna, Mercurius, & Venus cenſentur minores terrâ, unde terræ diameter conti-

et diametros Lunæ 3. & ultra	id eſt	milliaria 7157.
Omitto fractiones numerorum.		
Mercurii 28.		milliaria 7157.
Veneris 3.		milliaria 7157.
Solis diameter continet terræ diametros 5.		milliaria 35785.
Martis diameter ultra unam terræ		milliaria, 7157. & amplius
Iovis & Saturni 4. terræ		millaria 28628.

Stellæ primæ, & ſecundæ magnitudinis, & ferè etiam tertiæ

diametros ultra 4. terræ	id eſt	milliaria 28628. & amplius nonnihil
4. & 5. ultra 3.		milliaria 21471.
6. ultra 2.		milliaria 14314.

Ex quibus judicandum eſt quòd

Terra continet Lunam ultra 39. vices	
Mercurium	21952.
Venerem	37.
Sol continet Terram	166.
Mars	1.
Iupiter	95.
Saturnus	91.
Stellæ primæ magnitudinis - -	107.
Secundæ - - - -	90.
Tertiæ - - - -	72.
Quartæ - - - -	54.
Quintæ - - - -	36.
Sextæ - - - - -	18.

Quod tum accipiendum eſt ſuppoſitâ diſtinctione orbium cœleſtium, quæ ab antiquis illis ſuppoſita eſt, à me negata. Tamen etiam in mea ſenten-tia recurrit; nam zonæ, ſeu faſciæ, quas loco or-bium poſui, ſunt quoad hoc inſtar orbium. Quia autem hæc omnia innituntur menſuræ terræ, da-bo etiam ejus diametrum juxta eundem Ptolo-mæum, & eſt 7159. milliarium.

Unum habeo contra hunc calculum diame-trorum, & aſtrorum, quod videatur ſibi pugnare; cùm enim faciat terræ diametrum continere dia-metros Lunæ nonniſi 3. facit tamen ipſam terram continere Lunam pluſquam trigeſies nonies; quùm tamen eadem videatur proportio circu-li ad circulum, quæ eſt diametri ad diame-trum.

Videndi de his.

ARiſt. 1. *bujus* 22. *& lib.* 2. *initio.* Plutarch. *lib. de placit. c.* 2. Senec. *natural. quæſt. lib.* 7. *cap.* 1. D. Thom. 1. *p. q.* 66. Maſſalach. *lib. de ſphæra mota.* Albert. Magn. *hic Tract.* 3. *cap.* 4. Ioan. Majòr. . . Thie-enſ. 2. *de Cœlo Tract.* 3. *cap.* 1. Niph *ad text* 41. Philat. *ad text.* 55. Achillin. *lib.* 1. *de orbibus.* Chriſtopho-rus Clau. *in cap.* 1. *ſphær.* Tycho Brahe *lib.* 1. *progymnaſm.* Conymbr. *lib.* 2 *de cœlo q* 1. *&c.* Paul. Soncin. 12. *Met. q.* 10. Poncius & Moriſan. *hic diſp.* 2. Hurt. *diſp.* 1. Tanner. 1. *p. diſp.* 6. *q.* 4. Raph. Averſ. *Tom.* 1. *q.* 33. Hurt. *hic diſp.* 1. Ruvius *hic lib.* 2. Maſtrius & Bellut. *diſp.* 2. *de Cœlo.* A-riag. *diſp. unic.* Vide etiam citatos ad calcem Apolog. præced.

APO-

APOLOGIA TERTIA

De Motu Cœlorum.

ACTIO I.

Utrùm Cœlum reverà moveatur,an non? ſed potiùs Terra?

ACTIO II.

Utrùm Cœli à ſeipſis moveantur?

ACTIO III.

Quot motibus Cœli, aut Aſtra moveantur?

Scotus 2. *Phyſicorum q.4.n.5.*

QUantum ad ſecundum notandum,quòd cœlum movetur ab intelligentia approximata ſibi quæ cognoſcit cælum,motum ejus & finem,propter quem movet cœlum, & propter hoc movet ipſum voluntariè tantâ velocitate,quantâ vult movere,nec eſt quærenda alia cauſa de quantitate velocitatis,quàm voluntas motoris.

Idem 2. *diſt.14. q. 2.n.5.*

VNiverſaliter propter diſtantiam polorum quorundam cœlorum ab aliis, & interciſionem primam,& ſuppletionem ejus,& ſpecialiter in quibuſdam ſtellis per hoc, quòd non ſituantur in medio ſui cœli,nititur dare fundamentum ad ſalvandum differentias longitudinis, & latitudinis in motibus planetarum,& hoc non ponendo aliquod cœlum inferius moveri contra motum cœli ſuperioris qua talis,ſed ponendo cœlum ſuperius moveri ad eandem partem,ad quam inferius,ſed tamen minus efficaciter, quia naturale eſt, quòd virtus recepta in aliquibus ad invicem ordinatis efficacius recipiatur in proximioribus. Iſta traditio videtur conſonare cum principiis naturalibus &c.

ACTIO I.

Vtrùm cœlum moveatur,an non,ſed potiùs terra?

Breviarium.

N 1. *Non moveri terrã,probatur phyſicis argumentis.*
2. *Idem probatur mathematicis argumentis.*
3. *Theologica argumenta contra Copernicum.*
4. *Fundamenta Adverſariorum allata.& ſoluta.*

1. NIl hîc magis perſuaſum, quàm terram quieſcere, & corpora cœlorum moveri: at enim ſicut in aliis materiis, ita in ſcholis nata ſunt monſtra opinionum de hac re. Olim Pythagoras, & nunc Nicol. Copernicus voluerunt Solem & Cœlos quieſcere,terram autem moveri motu diurno perficiente circulum 24. horis. Copernicus autem ulterius poſuit Solem in medio mundi, Terram in quodam orbe, ſicut nos intelligimus eſſe Solem.

Dico autem ſtandum eſſe doctrinæ Ariſtotelis communi de quiete terræ.

Argumenta phyſica pro quiete Terræ.

PRobo primò, quia ſi daretur ejuſmodi motus terræ,ſentiremus eum,non ſentimus,ergo. Reſponderi poteſt,cœlos ſaltem moveri, nec tamen nos ſentire motum eorum: ſed hoc nihil eſt, nempe in promptu eſt diſparitas: id enim contingit nobis circa cœlum ob vaſtam diſtantiam ejus à nobis: at verò non diſtamus à terra, ſed appropinquamus,& inſiſtimus ei.

Urgeo, quia decipimur circa magnitudinem,& figuram corporum cœleſtium, quæ ſunt ſenſibilia communia ſicut motus, non tamen decipimur circa hoc in terra. Putamus aſtra eſſe parva, eſſe plana, & vicina, quùm tamen ſint maxima, ſphærica &c. At verò corpora prope nos planè, & rectè diſcernimus, adeóque diſcerneremus etiam motum ſi daretur.

Dices ſecundò id contingere, eò quòd ſimus aſſuefacti iſti motui, ac proinde eum non diſcernimus. At enim hæc quoque eſt fuga ſimilis præcedenti; ſed ipſa ſic fugatur: primò, quia innititur falſo, quod ſcilicet ab aſſuetis non fit paſſio; nam qui à nativitate habet morbum, v. g. vehementem febrem, certè ſentit eum, licèt ſit

multorum annorum, & eſt ei moleſtus. Deinde ſi ita ſit, quid refert maledicto ire in ignem, nam ſimul,ac ille aſſueverit aliquandiu igni, non ſentiet,itaque. Deinde,ſi non ſentitur ille motus terræ,quomodo aſſeritur? Certè non rectè infertur per Conſequentias, quùm nihil ſit, quòd debeat eſſe notius nobis,quàm quies,aut motus terræ. Cur enim gravitas terræ,frigus terræ ſentitur,motus non ſentitur?

Secundò ad idem ſic; Motus ille circularis terræ, aut ab ipſa terra fit, aut imprimitur ei ab extrinſeco. Neutrum dici poteſt: non ſecundum, quia nec Copernicus ipſe, quod ſciam,id prætendit,& ſi prætendat,refellitur ut infrà,ex refutatione primi, quam ſic præſto; quia eidem corpori ſimplici nō poſſunt duo motus ſpecie diverſi competere; competit autem terræ ex ſe motus ad medium, qui eſt deſcenſus, ergo ei motus circa medium, qui eſt ille circularis. Confirmo, quia ſi licet eidem adſcribere duos hujuſmodi motus in ſpecie,poterimus prætendere,quòd terra etiam moveatur connaturaliter à medio, ſive quòd aſcendat: illud autem eſt contra rationem & experientiam; nec valet dicere hos motus,ſcilicet aſcenſum,& deſcenſum eſſe varios, non verò deſcenſum, & circuitum; nam ut omittam hoc gratis dici; quæcunque duæ ſpecies repugnant in eodem æquè ac contrariæ; nam forma ignis v. g. æquè repugnat formæ lapidis,ac formæ aquæ, licèt in hac appareat aliqua major contrarietas.

Ex his redeo ad ſuadendum primum punctum ſupra,quod ſcilicet cœlum non moveatur ſic ab extrinſeco, quia quùm contrarius motus ſit ei naturalis,per hujuſmodi motum diurnum cœlum eſſet in æterna violentia.

Tertiò ſic arguo,quia ſi ita foret,quòd cœlum connaturaliter fertur hoc motu raptus, ſequeretur motum vertiginis non fore incommodum animalibus, ſed jucundum, & ſalutarem; quod ſine dubio eſt falſiſſimum, quùm vertigine impediatur non ſolùm intellectio, ſed ſenſatio, imò vegetatio, & vita, ſed probatur ſequi, quia connaturale eſt cuilibet mixto moveri motu elementi prædominantis, terra autem eſt elementum prædominans in animali, ut cuique patet, ergo ſi vertiginoſus motus ſit terræ connaturalis erit etiam animalibus.

Quartò,ſic applicando rationem,quâ probatur rotunditas aquæ ex guttis, quæ ſeparatæ conglobantur ſic: eadem eſt natura totius,& partis,ut patet in exemplo allato aquæ,propter,quod etiam videtur grando eſſe ſphærica, ſeu rotunda; tum ſic: ſi ergo tota terra connaturaliter movetur in circuitu,debet etiam qualibet pars & particula ſic moveri, cujus contrarium experimur, quia ſi quis dimittat lapidem ex alta terra, utique ille in terram decidet, & nequaquam circumdabit turrem

Urgeo hoc argumentum, quia ſi motus ille circularis terræ ponatur ab Oriente in Occidentem, vel etiam ſi ponatur ab Occidente in Orientem ut voluit ſpecialiter Guliel. Gilbert. quidquid ſit, currit hæc ratio: Accipiamus primum modum,& tunc dico, quòd experiri deberemus ſagittam, vel lapidem emiſſum impetu ab Occidente in Orientem redire per aerem ab Oriente in Occidentem; at verò nihil minus fit, ſed lapis ille, quùm conſumpſerit impetum, labitur rectus in terram, & nequaquam redit ad projectorem in Occidentem: Cauſa ſequelæ eſt, quia quùm imprimitur alicui corpori impulſus ad motum violentum conſumpto impetu redit ad naturalem ut repetat proprium locum: ita enim in lapide videmus,quùm ſurſum ejicitur, quòd deſcendat deorſum,& ne hæc ſit quædam principii petitio,apparet idipſum in aqua, quæ cùm calefacta eſt amoto calefaciente reducit ſe ad frigus.

Aliorum inſtantiæ pro concluſione ſunt iſtæ & probant terram non moveri ab Occidente in Orientem,quia ſi ita eſſet,tum nubes,quæ in aere pendent,deberent videri nobis ferri ab Oriente ad Occidentem, & nullatenus pendere immotæ ſuper eandem portionem terræ, imò nihil deberet apparerere quieſcens,ſed quodlibet rapi, contra ſenſum & veritatem; Conſequentia probatur contra ipſos ex ipſis; nam quùm quidpiam movetur rapidè ad unam partem, res immotæ apparent ei moveri in contrariam partem, ut patet in exemplo eorum de homine, qui in navi fertur,huic enim, *Turreſque urbeſque recedunt*, hoc V eſt, apparent moveri in contrariam partem,& quaſi fugere ab ipſo. Iterum ſic: quùm quis ejaculatur lapidem in altum, rectâ lineâ, velut ex arcu, lapis ille deſcendens deberet incidere in partem terræ diſtantem ab ea,à qua projicitur, & eſſe multò orientalior poſt deſcenſum, quàm antè,quia nimirum terra interim magnam viam inceſſit ab Occidente in Orientem, & pars, quæ ſubeſſe debet lapidi cadenti longè occidentalior eſt parte, ex qua aſcendit. At verò hæc omnia ſunt figmenta, & deprehenduntur manifeſtè falſa à ſenſu,adeòque. Denique terra eſt ſummè gravis, ergo patet eſſe in infimo loco; ſed hæc non me convincit; nam quamvis terra moveatur circulariter, poteſt eſſe in infimo loco, quia quod movetur circulariter,non proinde deſerit locum,quoad ſub aut ſupra, ſed intra eundē volvitur, facit quidem hoc contra ſyſtema Copernici,qui terram poſuit in medio Univerſi,ſed quodam orbe, quomodo nos ponimus de facto ſolem,aut alium ex planetis.

Argumenta Mathematica pro eadem.

1. ET hæc quidem merè phyſica ac naturalia ſunt; ſunt autem alia ex Matheſi, aut Aſtrologia petita,quibus hæc novitas verberatur: Primò,quia motus irregulares planetarum, elevatio,ſtatio,retrogradatio,&c. ſalvantur ab Aſtronomis communiter,per orbes eccentricos,& epicyclos, quod aliter non videantur poſſe contingere, aut capi: at verò in terra nihil minus ſunt,quàm diviſio orbium in eccentricos,& concentricos,quàm epicycli,quos nec ipſe Copernicus videtur ibi poſuiſſe,ergo. Hanc probationem pono contra principia ponentium epicyclos; nam qui putant cœlos non poſſe ſine illis ſalvari,ſi moventur,certè debent eos in terra ponere ſi moveatur.

Adhuc aliter ſecundò,& magis abſolutè: quia planetæ non ſolùm variant aſpectum aut ſitum reſpectu terræ, ſed etiam inter ſe; atqui impoſſibile eſt ſalvari diverſum aſpectum eorum inter ſe, ac non tantùm reſpectu terræ per motum ſolius terræ, ut cuique patet; liquidum enim eſt corpora quieſcentia non mutare propinquitatem aut diſtantiam inter ſe,quantumvis aliquod aliud diſparatum interim moveatur.

Alia

Digitized by Google

Alia ratio, quia ſtellæ fixæ non poſſent oriri ſupra idem punctum horizontis, id autem eſt manifeſtè contra experientiam, ſed probatur ſequi, quia, ſi terra movetur loco cœli, debet ſic moveri ſicut cœli, & tot motibus; Planetæ autem non occidunt quotidie ſub eodem puncto octavi cæli, ſed quotidie unum gradum variant, ergo ſimiliter & terra, nec refert falſam fortaſsè eſſe hypotheſim, ut hîc ſonat, ſcilicet cœlos moveri diverſis motibus; nam idipſum eſt æquivalenter verum; licèt enim non moveantur diverſis, moventur in uno attemperato, & æquivalenti duobus, quod perinde eſt; nam ſive id fiat hoc, ſive illo modo, variat ſitum ſtellarum fixarum.

Quartò principaliter, quia ſi terra movetur circulariter, debet ſic moveri, vel ſupra polos mundi, vel ſupra polos Zodiaci: neutrum dici poteſt, quod probo ſic, quia ſi moveretur ſupra polos mundi, ſequeretur præter alia in quolibet climate dies, & noctes fore ſemper æquales, quia nimirum clima ipſum & ſitus ejus æqualiter reſpicit ſolem, qui facit dies, & noctes: Item nec darentur eclipſes unquam, aut ſemper quotidie darentur, quorum utrumque, & ſingulæ partes complexi ſunt falſæ: Sequelæ probantur, imò patent, quia ſi terra ſemel interponitur inter ſolē & Lunā ut una ſit in hoc hemiſphærio altera in altero ſemper interponitur; &, ſi ſemel non interponitur, nunquam interponitur; nam iſta non mutant horizontem juxta hanc viam.

Quòd autem non poſſit dici eam moveri ſupra polos Zodiaci, probo, quia ſic non ſervaret eandem elevationem poli, ſed quotidie variaret eam, ut patet intuenti, & applicanti circulos ſphæræ materialis; nam Zodiacus non deſcribit circulum parallelum circa polum, atque ita nec deſcriberet Civitas mota ſupra polos ejus, ſed obliquum, cujus centrum eſſet longè diverſum à centro mundi. Experientia autem clamat in oppoſitum; nam ſtella illa, quæ ſupponit nobis pro polo deprehenditur ſemper in eadem elevatione reſpectu cujuſcunque unius loci ſemper.

Fateor, Multa ex his poſſent evadi dicendo, quòd terra moveatur, & firmamentum cum ſtellis fixis quieſcat, cœli item planetarii, aut certè planetæ ipſi moveantur, ut quidam poſuerunt; ſed ineptè planè, nam ut fugerent difficultates unius viæ, acceſſerunt ſibi difficultates duarum; nunc enim tenentur illi reſpondere tam rationibus noſtris, quàm iſtis Adverſariorum. Præterea etiam contra eos facit, quòd tunc planetæ non poſſint duplici motu moveri, puta ab Oriente & Occidēte, ſive motu raptus, & proprio, nam firmamentum quod deberet eos rapere, non movetur, & hic motus ab Oriente ab ipſis datus eſt ſoli terræ. Probo autem ego eum concedendum eſſe planetis. Luna enim neceſſariò fertur hoc motu, quod inde patet, quia aer ſic fertur, non fertur autem ſuo motu (nam aëri non eſt naturalis motus circularis ut ſuo loco) adeòque fertur ſic, quia rapitur à corpore ambiente, quod eſt Luna. Nam ignis aut non interjacet, aut ſi interjacet, non poſtulat motum circularem magis, quàm aër. Moveri autem aërem circulariter, quod eſt fundamentum argumenti, ſuadeo inde, quia Cometæ viſibiliter cernuntur moveri ab Oriente in Occidentem: Hi autem ſunt vel in aere, vel in igne, quod perinde eſt ut ſuprà, adeòque.

Theologica contra Copernicum.

3\. PRimùm ſint Loca Sanctorum immediata, quorum aliqua palàm aſſerunt terræ quietem, alia cæli, vel ſolis motum; Alia denique utrumque. Primum Iob. 38. *Super quo baſes ejus ſolidatæ ſunt? aut quis dimiſit lapidem angularem ejus.* Iſai. 44. *Ego Dominus extendens cœlos, ſtabiliens terram.* Solis motus. Eccleſiaſt. 43. *in ſermonibus eius* (Solis) *feſtinavit iter.* Iſai. 38. *Et reverſus eſt Sol decem lineis per gradus, quos deſcenderat* utrumque. Eccleſiaſt. 1. *Oritur Sol, & occidit. & ad locum ſuum revertitur. ibique renaſcens gyrat &c. Terra autem in æternum ſtat.* Quo loco in Hebræo eſt, *Terra in æternum fixa & conſiſtens &c.* Ex quibus & aliis locis præſertim Geneſ. 1. hæc confici poſſunt ad propoſitum à ratione contra ſyſtema Copernici.

Primò enim ſi terra eſt in orbe magno ſupra ſolem, ut volunt Authores hujus motus terræ, & quietis ſolaris, ſequitur ſolem non eſſe ſupra terram, cujus contrarium docet Scriptura Geneſ. 1. cap. 17.

Secundò ſequitur terram eſſe in firmamento cœli, patet, quia eſt in cœlo ſidereo ſecundùm hos, id autem quod dicitur firmamentum, eo loco à SS. ponitur.

Tertiò ſequitur firmamentum non diviſiſſe aquas ab aquis, quod repugnaret Geneſi, & aliis Scripturis. Sequela autem patet, quia ſecundùm eos terra, & aquæ ei circumfuſæ, & incluſæ ſunt intra ipſum firmamentum, veluti in medio ejus, quo poſito, clarum eſt firmamentum non poſſe dividere illas ab aliis aquis, quæ ibi ſunt, ſicut nec cor poteſt dividere animal à trabe, & minus ab hepate, vel jecinore ejus.

Quintò non rectè iter ad inferos diceretur deſcenſus contra ſymboli veritatem ubi *Chriſtus* dicitur *deſcendiſſe ad Inferos*; patet ſequela, quia inferi ſunt in terra, terra autem ſurſum non ſubtus eſt contra hoc ſyſtema. Nec evadet, qui dicet infernum eſſe in centro terræ, adeòque iter à ſuperficie ſaltem ſuperiori ad ipſum poſſe eſſe deſcenſum, quia nulla pars circumferentiæ in circulo eſt ſub, ſeu deorſum, ſed hæc comparatio debet eſſe circumferentiæ ad centrum. Deinde quùm terra æterno motu volvatur, quæ pars poterit dici ſuprà præ alia.

Denique ut notavit doctiſſimus Melchior Iacoſar. in Tract. ſylleptico, ex quo plura decerpſimus, nō quadrat hoc ſyſtema cum doctrina fidei, quæ docet *terram appenſam ſuper nihilum*. Nam Io quod eſt extra inane, hoc inter alios orbes ſolidos nequaquam poteſt dici eſſe appenſum, & circumfuſum inani, aut aurâ, vel nihilo, ſicut nec planetæ de facto, nec cœli planetarii appenſi ſunt ſuper nihilum, neque imminent ei,

* * *

Fundamenta Adverſariorum adducta & ſoluta.

4. INprimis ad illud Eccleſ. 1. quod eſt fundamentum terræ quieſcentis: *Terra in æternum ſtat.* Duo autem adferunt, unum quod ſtatus ibi opponitur corruptioni, non motui, ut patet ex textu: *Generatio præterit, & generatio advenit, Terra autem ſtat.* Unde *ſtat*, idem eſt, ac *durat*. Secundum, quòd Scriptura loquitur hîc, ac alibi ſæpè in ſenſu vulgi, quia ſic apparet. Primum breviter repello, quia præterire, & advenire, quæ hîc opponuntur ſtatui, manifeſtè ſignificant motum, adeóque ſtatio ſignificabit quietem: deinde ſi hæc ſint dubia ſtatim in ſequentibus ponitur manifeſtè motus. Cur autem ly *ſtat* referendum erit ad immediatè præcedentia non ad immediatè ſequentia? Secundum illud eſt effugium & detrahit auctoritatem Scripturæ.

Objicio ergo rationem, quæ reverà apud me aliquid valet, ut ſuprà innui, quùm aliquid e-us atuli. Cenſendus eſt Deus, & natura feciſſe quod rationabilius eſt: at verò rationabilius eſt terram moveri ſub cœlo, quàm cœlum circa terram; cœlum enim eſt infinities quaſi majus terrâ; verò rationabile eſt ex duobus moveri minus, quàm majus: ſicut ſi quis vellet aſſare gallinam, ſtultus eſſet ſi ingentes, & ignitas trabes circumferret gallinæ immotæ, ac non potiùs gallinam veru verteret ante ignem, aut trabes. Reſpondeo rationem vincere, ſi cætera ſunt paria; verò talia non ſunt, ſicut gallina & trabes, quoniam quodque gravitat unum minus alio, nam cœlum non gravitat, terra autem bene, adeóque eſt bona ratio dictare cœlum eſſe volvendum potiùs, quàm terram.

Objicio ſecundò: Quies melior eſt, quàm motus, & cœlum nobilius terrâ, ergo judicandum eſt, quòd cœlo competit quies, terræ autem motus; utique enim ratio vult, quòd nobiliori naturæ nobilior paſſio conveniat. Reſponderi poteſt quietem competere cœlo non minus, quàm terræ ex natura ſua, de facto tamen, & ab extrinſeco competere ei motum ob bonum Univerſi, contra hanc reſponſionem ipſis

Objici quartò poteſt, redire nodum ſuperiorem; nam rationabilius eſt minus bonum ordinari ad majus, quàm è contra majus ad minus, ergo non debet cœlum eſſe propter terram, nec carere perfectione ſibi debitâ propter illam, ſed potiùs terra debet ſuâ carere, ſi neceſſe ſit ut accommodet ſe cœlo.

Urgeo, & explico rationem, quia illud *Univerſum* in ſolutione ſignificat mundum hunc elementarem, ſcilicet terram, & aquas, non verò univerſitatem corporum abſolutè, aliàs cœlum moveretur propter ſeipſum, quod eſt falſum. Poſito autem primo, argumentum toto robore viget, ergo. Propter hæc &c. ad ipſam rationem principalem exiſtimo dicendum, quòd quies oppoſita motui locali corporis intra locum connaturalem ſupra axem & polos ſuos, non ſit perfectio major illi, quàm ipſe motus, nec è contra, quia utraque ſunt illi æquivalentia, & paria. Tantum enim juvat motus talis, quantum quies, quia non extrahit eum extra locum ſuum, magis quàm quies, adeóque reverà ibi quieſcit quiete appetitâ, licèt non quiete phyſicâ aut mathematicâ. Alias ſolutiones omitto pro nunc, contentus præſenti: omitto etiam mathematica argumenta Copernici, & ſuorum, quæ ad Aſtrologiam ſpectant: Non omittam tamen theologica, quibus utuntur: unum eſt ex Geneſi, in quo *cœlum ſidereum* dicitur *firmamentum*, ergo jam illud eſt firmum & immotum ſecundùm mentem Scripturæ, quid enim firmius firmamento? Idipſum ſuadet locus ille Apoſt. ad Heb. c. 8. ubi cœlum vocat *Tabernaculum quod fixit Deus*, & ejuſdem c. 10. ſequenti, *Immobile*. Hæc duo ultima valde moleſta fuerunt Incoferio. Unde reſpondit loquutionem Apoſtoli eſſe figuratam, & ſimilia, ſed non eſt opus huc confugere. Reſpondeo enim facillimè, ibi non agi de cœlo ſidereo, ſed de empyreo, quod certè non movetur. Veritatem hujus videbis clarè in textu, ibi enim Apoſtolus diſcurrit de cœlo, in quo beatitudine fruemur; illud autem certò non non eſt ſidereum, ſed empyreum, ergo. Ad primum Reſpondeo cum S. Auguſtino quòd *nomen firmamenti non cogit, ut ſtare cœlum putemus, Dictum enim eſt cœlum firmamentum non propter ſtationem, ſed propter firmitatem, aut propter intranſgreſſibilem terminum ſuperiorum, & inferiorum aquarum.* *Lib. 2. de Gen. ad litt. c. 10.*

Iterum ſic: In cœlo ſupra firmamentum ſunt aquæ ex Gen. 1. ergo etiam terra, quia locus naturalis aquæ eſt terra, adeóque, non neceſſariò terra eſt in centro, ſed poterit extra & ſupra illud eſſe; ſi autem eſt ſupra, certè etiam volui. Reſpondeo, ultimam Conſequentiam Scripturæ antè ipſemet conceſſi, & hîc primam Conſequentiam ſimiliter do, etſi falſum aſſerat; quid enim mea refert, quòd ibi ſit terra; loquor enim de terra, quæ non eſt ibi, ſicut ipſe arguens, ſi credat ſanctis habet aſſerere aliquas aquas non eſſe ibi.

ACTIO II.

Vtrùm Cœli à ſeipſis moveantur?

Breviarium.

1. *Motus circularis nulli eſt naturalis: Inconſequentia Ariſtotelis in hoc negotio.*
2. *Probatur cœlum non cieri à ſeipſo.*
3. *Motus circularis non eſt tantùm neuter.*
4. *Objectiones in contrarium adductæ & rejectæ.*
5. *Cœlum ab externo agente movetur.*

REſpondeo negativè cum D. 2. d. 14. & ſequentibus, quem in hoc deſerit Camer. ſed ignoſcamus ei, citat enim pro ſe S. Bonaventuram Ut probem Concluſionem hanc, pono aliam, & eſt: Motum circularem nulli eſſe connaturalem, eo modo, quo motus recti ſunt naturales elementis, dico enim hæc connecti inter ſe; unde miror Ariſtotelem ſic diſcurrere de cœlis tanquam hæc duo non ſe comitarentur, vult enim cœlum à motoribus cieri, & tamen ex motu circulari infert exiſtentiam cœli, quod apud ipſum eſt quinta eſſen-

Digitized by Google

eſſentia ſimplex ſicut elementa, atque ita cenſet motum circularem eſſe naturalem cœlo ſicut rectum elementis.

2. Arguo pro me ſic: Quod ſeipſum movet, aut gratiâ motus movet, aut gratiâ quietis. Mobile circulariter non poteſt movere ſe, neque gratiâ motus, neque gratiâ quietis, ergo non ſe movet; ſed movetur tantùm, ab alio intellige. Probo primam partem, quia omnis motus eſt medium, nullum medium eſt finis, ergo nec ullus motus, adeóque nec propter ſe. Quòd non ob quietem, probo, quia finis ſemper eſt magis appetitus quàm media; at verò quies in circulo non magis appetitur, quàm motus, quia nimirum non plus conducit mobili, ergo quies non appetitur propter ſe, & motus propter quietem.

Urgeo; ſi motus ſit motus, intelligo de circulari, quies non erit niſi violenta, quia quies dicit privationem motus.

Dices aſſumi falſa, quia in elementis, quæ moventur motu recto, ſi v. g. terræ deorſum motus eſt naturalis, & adhuc amplius quies, & tamen motus ſine dubio dicit privationem quietis, & vice verſa, ergo.

Reſpondeo tamen arguentem non adduxiſſe paritatem; nam motus elementorum non fit; quando elementa ſunt in ſuo loco, &, ſi fieret non eſſet naturalis: at verò motus cœli fit quando cœlum eſt in ſuo loco, adeóque. Nî fallor tamen, latet hæc diſparitas adducenda contra hanc diſparitatem; nam motus elementorum rectus, ſi daretur circa elementa in ſuis centris, extraheret ea à centris: at verò motus cœli non extrahit illud à centro, adeóque. Itaque in fine hîc ſtandum eſt doctrinæ, quam ſuprà aſſignavi Action. præced. num. . ſcilicet motum circularem nulli corpori eſſe poſſe naturalem, quia nimirum quocumque nos vertamus, debemus concedere quietem magis naturalem, quàm motum: at motus deſtruit illam quietem, & quies illum motum, adeóque nec quies, nec motus erunt naturalia ut ibi. Proſequor argumentum ultimò factum, ſi motus circularis ſit connaturalis cœlo, quæro ex qua parte? ad quam partem? & ſuper quos polos, & axes? num ab Occidente in Orientē, an à Septentrione in Auſtrum, vel verſis vicibus? Quodcunque elegeris, ſtatim occurret alterū æquale jus ejus in cœlum, non enim eſt illa connexio cœli cum hoc motu, aut his polis magis, quàm cum aliis: at verò hoc probat nullum motum eſſe naturalem ei, quia unus impedit alterum, Formo etiam hoc argumentum; quia ſi motus ſit naturalis cœlo, circularem intelligo, erit ſimiliter & æqualiter ei naturalis ſecundùm omnes partes, ſicut alia ſimplicia quoad omnes partes æqualiter appetunt moveri ad ſua centra; id autem nō eſt verum in cœlis, vel certè cœli patiuntur æternam violentiā à motu, etiam dum moventur. Sequelam hujus probo, quia dum movetur cœlum duo poli ejus quieſcunt, & ſi ſit ſolidum, quale eſt ſphæra, axis totus quieſcit. De facto quidem cœlum non eſt ſphæra ſolida, quia impletur hoc mundo inferiori & elementari, nihilominus argumentum non perdidit vim, quia cœlum eſt minimæ profunditatis, & ita habet axem, aut quaſi axem pro maxima parte: De illa autem parte currit difficultas, nam illa perpetuò impeditur à motu, nec poteſt cœlum moveri circulariter, niſi aliqua pars ejus quieſcat hoc modo: at verò videmus omnes partes cœli eſſe homogeneas, adeóque motus non eſt naturalis omnibus partibus cœli, vel certè aliquæ debent vim pati; nec aliter fieri poteſt natura, imò nec ſupernaturaliter, ut apparet, ergo.

Aliquis formavit hanc rationem pro concluſione, quia, inquit, vel cœlum poſtulat motum hunc ſecundùm ejus circumſtantias, velocitatem, tarditatem &c. vel abſolutè ſolam ipſam ſubſtantiam motus. Si primum tunc forma cœli non eſt ejuſdem rationis in toto cœlo, quia nimirum in partibus vicinis polo, tardius movetur, in æquinoctiali velocius. Si autem ſecundum dicatur, tunc determinari debet ab extrinſeco ad hunc motum cum ſuis circumſtantiis, atque ita adhibendus eſt denique motor extrinſecus juxta primam concluſionem. Valeat ratio, opto eam valere, nihilominus habeo contra eam iſtam inſtantiam; nam motus progreſſivus eſt naturalis animali, ut ſuppono, & tamen ille patitur hanc difficultatem; nam dum progreditur ſuper terram ſaltem animal bipes, ut homo, una pars ejus velocius movetur, quàm altera, ſcilicet caput, quàm pedes, quia nimirum caput majus ſpatium pertranſit in eodem, vel æquali tempore, eo quòd partes remotiores à centro deſcribant majorem peripheriam, quàm propiores: caput autem tranſit per partes remotiores à centro, adeóque: Iam ad majorem declarationem rei

3. Pono tertiam propoſitionem, quæ eſt, motum circularem verè eſſe naturalē, ac non tantùm neutrū cœlo. Aſſertū principale propoſitionis ſic oſtendo; vel motus erit naturalis cœlo, vel quies erit, ſi motus ſit naturalis, jam eſt naturalis; ſi quies ſit, etiam motus erit, quia tantum adquirit per motum, quantum per quietem; imò (ut ſuprà dixi, & eſt notandum) motus circularis eſt quædam quies.

Urgeo argumentum: eſſe in loco, eſt naturale cœlo, non poteſt autem eſſe ibi, niſi per motum, vel quietem, ergo alterum erit naturale Major patet, quia eſſe eſt cuilibet naturale (quid enim naturalius, quàm natura?) At verò non poteſt eſſe, niſi alicubi; *quod enim nullibi eſt, non eſt*, ut cit. Ariſt. tum ſic, ſed patet perinde eſſe cœlo motum, ac quietem ad occupandum ſuum locum.

Iſcque reſolutivè exiſtimo cœlum in utrumque propendere & eſſe connaturale ei, non alterum extremum ex duobus illis motu & quiete, neque utrumque, ſeu complexum, ſed aliquod abſtractum ab utroque, quod eſt occupare locum illum ſive volvatur in eo, ſive non, ſed quieſcat.

Puto ex his haberi reſolutionem integram de natura motus cœleſtis, atque etiam probationem primæ concluſionis, quòd ſcilicet cœli non moveant ſeipſos, quia nimirum tunc motus circularis ſic eis competeret ſicut elementis.

Deinde puto ſecundò ex his ſequi ſequi non poſſe dari corpus ſphæricum, cui motus ille ſit hoc modo naturalis. Tertiò has ipſas propoſitiones non eſſe inter ſe contrarias, eſt enim motus naturalis cœlo non aſtris. Motus eſt oppoſitus quieti, ſed quatenus eſt occupatio loci, quoad hoc coincidit cum quiete.

4. Objicitur: Natura eſſe principium motus, & quietis; nam licèt cœlum apud nos non conſtet naturâ, puta materiâ, aut formâ diſtinctis, tamen id eſt perinde, quia ſubſtantia ſimplex eſt inſtar naturæ quoad hoc, ut diximus ipſi ſuo loco, ergo cœlum movebitur à ſe; Quæ ratio augetur

Digitized by Google

getur, quia inferiora habent activitatem in hoc genere, ergo ſuperiora, & cælum; Aliqui hîc multa dicunt, ut quòd cælum ſit principium motus alterationis, aut ſimilis, non verò lationis: nolo illa, & reſpondeo cælum eſſe principium motus lationis, non tamen intra locum ſuum, ſed extra, ſicut cætera: unde ſi quo caſu aliqua pars cæli deſideret, aut portaretur intra elementa dico illam ſeipſa adhuc rediturum ad ſuperiorem non minus, quàm ignem.

Video tamen inſtari poſſe, quòd hoc non ſufficiat, id enim non facit cælum eſſe naturam, aut motivum ſui activè, ſed partem cæli. Quòd autem cælum non ſit tale, oſtendo ſi enim tale ſit, idque ob hujuſmodi rationem, tunc habemus dicere, quòd ſi cælum transferretur aliò, puta in aliam partem ſpatii imaginarii, quod, inquam, tunc rediret ad iſtam in qua nunc eſt, quod eſt falſum; nam cælo æquè naturale eſt utrumque, patet ſequela ex dictis.

Reſpondeo, ſi relinquerentur tunc elementa ubi jam ſunt, fortaſsè rediturum cælum huc, quia connaturale eſt ambire elementa. Reſpondeo ſecundò, non ſequi ſequelam, quia nimirum ubicumque vadit cælum ſemper eſt in loco ſibi æquè cõnaturali; adeòque nunquam ponitur extra locum ſuum, quòd ſi non ponitur, non eſt neceſſe ut redeat.

5. Dic ergo ultimatè cœlum ab alio moveri: illud autem aliud dic eſſe Deum Opt. Max. aut certè Intelligentiam malam, id eſt, Angelum reprobum. Hæc eſt contra communem ſenſum, nunc dierum in ſcholis, omnes enim ſupponunt moveri eos ab Angelo Beato, ſed reverà non videtur id convenire beatitudini ejus; ut tanquam captivus in navi affixus ſit remo ad impellendum magnum vas cœli intra aquas ſuperiores & inferiores, eſt enim ſibi quidam labor, & eſt magna ſervitus ac jactura libertatis, quia non poſſet aliò migrare. Cùm ergo Angeli omnes quoad naturalia ſint pares & hic labor, ac ſervitus magis deceat damnatum, quàm alium, proinde &c.

Dices rationem non valere, quia Deus neceſſariò movet cœlum; quicunque enim movet illud, Deus cooperatur ei, & tamen Deus non ſervit, neque fatigatur in movendo, ergo ſimiliter. Reſpondeo non eſſe ſimile, quia Deus non eſt aliis ſimilis, cujus cauſam credo me attuliſſe ſuo loco in Apol. . ph. . Act. . hi enim univerſales concurſus non refundunt ejuſmodi denominationes; nam Deus utique non eſt ſartor, aut ſutor, licèt concurrat cum ſutore. Videatur noſter Poncius qui bene de his; Ex quo crediderim alterum illud in concluſione habere ſuam probabilitatem, quia Deus poteſt hoc facere ſine fatigatione, & ſine indecentia ulla, ſolo verbo ſive actu voluntatis ſuæ. Quod ſignificatur, Job. *Poſui legem procellis ſonantibus*, & alibi dicitur *poſuiſſe* Iob. c. 28.
arenam terminum tempeſtati *maris*, cùm tamen certum ſit arenam non poſſe obſiſtere inſaniæ Hierem. 5.
maris; & bene, atque egregiè quadrat cum do- 22.
ctrina noſtri Subtilis volentis in Deo non diſtingui potentiam exequutivam à volente, ſicut ergo nemo fatigatur volendo, neque decet Deum de his rebus ordinare, aut præcipere, ita bene per ipſum immediatè fieri poteſt eo volente, non autem exequente.

6. Objiciunt hîc in fine unam difficultatem contra hactenus dicta de motu cœli per alium. Cœlum activè & poſitivè quieſcit, ergo poteſt activè moveri, producendo in ſe motum. Conſequentia patet, nam cœlum ut diximus ſic exigit motum, quomodo quietem in eo loco, & ad utrumque æqualiter ſe habet; unde ſi aliqua pars ejus deorſum impellatur, renititur impellenti, ſicut grave reſiſtit elevanti, quod eſt ſignum, unde colligatur grave poſitivè ibi quieſcere. Propter hoc argumentum exiſtimo eſſe probabile, quòd cœlum poſſit ſe poſitivè movere, licèt non cum illo artificio, quo de facto movetur. Solvam tamen illud aliter, negando cœlum totum poſitivè quieſcere, quia cœlum totum ſi moveatur aliò, non redibit huc, ubi nunc eſt, ut ſuprà dixi.

ACTIO III.

Quot motibus Cœli, aut Aſtra moveantur?

Breviarium.

1. *Doctrina communis Aſtronomorum.*
2. *Reverà non dari plures motus ejuſdem.*
3. *Poſſe tamen idem corpus ferri ab Oriente in Occidentem, & è contrà.*
4. *Fundamentum Aſtronomorum ſolvitur, & accommodatur.*

Referam breviter quod imaginantur Aſtrologi in hac materia, atque etiam quod Ariſtoteles intellexit, qui videtur ſcopum rectius attigiſſe, quia paucioribus fuit contentus. Primò autem, tam ..., quàm illi ponunt motum diurnum cæli, qui motus ab Oriente in Occidentem, & perficitur 24. horis, ſive per diem naturalem, & reſpectu ... orum orbium à primo mobili dicitur motus ...tus, quia creditur primum mobile illos rapere ...um hoc motu. Alius eſt motus ab Occidente in Orientem tardiſſimus, qui etiam omnibus convenit, & dicitur exerceri per diverſos polos, & axem, non ſuper communes illos mundi, ſed ſuper alios polos & axem Zodiaci. Tertiò quidam ponunt alium motum trepidationis, ſive acceſſus & receſſus, & denique ſunt motus proprii planetarum ab Occidente in Orientem. Duo hîc expendam: Unum, an cœlum, aut aliquod corpus cœleſte moveatur duobus, & quidem oppoſitis motibus, ut hactenus Authores voluerunt? Alterum, an primum mobile rapiat ſecum cælos inferiores?

Probo

Probo non dari verâ & phyſicâ re plures motus ejuſdem.

2. DIco autem primò totam hanc machinam motuum præter unum illum diurnum eſſe imaginariam & fictam.: Ita poſteriores Philoſophi, & ante multos Subtilis. Ratio, quia idem non poteſt diverſis motibus moveri, & multò minus oppoſitis, quales ſunt illi, quorum unus eſt ab Oriente, alter ad Orientem: hîc enim duo ſunt impedimenta & quaſi impoſſibilia; unum quòd idem bis moveat, & bis locet. Alterum, quòd exiſtant duo aliqua, quorum unum deſtruat aliud, nam hæc efficient potiùs, ut neutrum ſit, quàm ut utrumque.

Non potuit latere antiquos vis hujus rationis, & proinde voluerunt occurrere ei, dicentes verum quidem eſſe, quòd idem non poſſit moveri duobus motibus, & multò minus adverſis, quando uterque motus fieret ſuper eoſdem polos & axem: at verò quando fieret ſuper diverſos polos, id non eſſe implicatorium, & ita contingere in propoſito, nam motus diurnus cœlorum fit ſupra polos mundi; motus naturalis ſuper polos Zodiaci, qui diſtant à polis mundi 23. gradibus circiter, adeóque. At enim in re, hoc eſt nihil dicere, ſed petere principium, nam ſi poſſit res moveri pluribus motibus ſuper plures polos, dicam eam non poſſe moveri ſuper plures polos; nam in re illud eſſe debet firmiſſimum, quòd idem nil poſſit duobus motibus ſimul in diverſa moveri. Quod quoniam eſt fundamentum aſſertionis, & totius doctrinæ, placet hîc demonſtrare: motus diverſi tendunt ad diverſa loca, & ſunt poſitiones rei in diverſis locis; non poteſt autem naturaliter res poni, nec eſſe in diverſis locis ſimul, ergo nec moveri. Hinc vides æquè repugnare motus cōtrarios; ac duos motus ſimiles. Ratio enim repugnantiæ oritur ex pluralitate locorum; non autem ex oppoſitione, huc uſque; unde non poterit res moveri ad duo loca orientalia, & eſt æquè impotens ad hoc, atque ad duo loca, unum orientale, alterum occidentale.

Secundò ſic: non poteſt idem moveri ſimul & quieſcere, ergo non moveri motibus contrariis. Probo Conſequentiam, quia mobile, ut tranſeat ad extrema debet tranſire per medium v.g. ut fiat quis ex inimico amicus, debet fieri non inimicus, ſeu non odio habitus, antequam ametur, & debet eſſe non calidus, ut ex calido ſit frigidum, ergo ut moveatur localiter motu oppoſito huic debet quieſcere ab hoc, atque ita non movetur hoc, & illo motu ſimul, niſi ſimul movetur, & quieſcit; atque id implicat, neque Antecedens argumenti poteſt unquam falſificari ſaltem naturaliter, ergo.

Dices probationem Conſequentiæ & exempla non ſubſiſtere, nam non prius eſt quis non inimicus Deo, quàm amicus, etenim per amicitiam deletur formaliter inimicitia, frigus extinguitur per calorem, non verò per carentiam frigoris ante calorem, & ſic de aliis. Reſpondeo hæc eſſe vera, at non nocere, nam ſaltem ſimul debent eſſe, atque ſimul debet eſſe quies ab uno motu cum oppoſito motu. Si autem quieſcat mobile ab uno motu, jam non movetur duobus.

Dicerent fortaſſis Adverſarii poſſe utrumque competere ei diverſo modo, unum per ſe, & in ſe; Alterum per accidens, & in alio, cuju[s ex]emplum adferri poſſet in teſtudine incumb[ente] rotæ, quæ velociter volvatur in unam part[em.] Poteſt enim teſtudo moveri in contrariam [par]tem rotæ, idque incumbendo interim ipſi r[otæ;] ſic illi explicare poſſunt motus planetarum, [qui à] primo mobili rapiantur in Occidentem, ipſ[i au]tem intra illud velut teſtudines repant ſuper [illud] ad Occidentem. Sed non vicerunt, quit[a] hæc inſtantia eſt ſimilis præcedenti, recurſ[u ad] principium, Deinde, quid refert, quòd [unus] motus ſit ab alio, alius à ſe, ut poſſint conci[liari;] non enim eſt difficultas in effectibus mot[uum,] ſed in ipſis motibus; unde ſi non pugnent [inter] ſe, poterunt ab eodem imprimi mobili, v. g[. po]terit idem impelli à ſeipſo in Orientem & O[cci]dentem. Dico ergo teſtudinem illam tunc [mo]vendam in unam partem tantùm, ſcilicet i[n O]rientem quò vergit rota; quod quia eſt baſi[s, ſic] ſic ſuadeo, quia licèt punctum B, in rota quid[em] magis orientale, quàm punctum A. tamen q[uan]do teſtudo fertur in punctum B. à puncto A. [pun]ctum B. eſt magis occidentale, quam fueri[t an]tea punctum A, atque ita motus ab A in B. i[n ro]ta mota eſt realiter motus ab Oriente in O[cci]dentem.

Secundò ſic: ſi ſignetur aliquod pun[ctum] immobile extra rotam hîc, & extra planet[as in] cœlo, nunquam continget, quòd planeta m[ovea]tur citra, & ultra ipſum ſimul, ſive ad dext[ram] & ad ſiniſtram ejus, ergo nunquam verific[abitur] quòd moveatur ſimul ab Oriente in Occ[iden]tem, & ab Occidente in Orientem, ad hoc [enim] opus eſſet, ut ſimul ferretur ab utraque [parte] puncti immobilis, quod ſcimus eſſe falſum, [...]

Poſſe idem ferri ab Oriente [in] Occidentem, & è conra.

3. ADdo licèt hæc ſint ſpeculativè, & ph[yſicè] veriſſima, poſſe tamen idem ſimul [mo]veri ab Occidente in Orientem, & ab Orie[nte in] Occidentem, dummodò puncta orientali[a &] occidentalia unius motus ſint fixa & immob[ilia.] Hic eſt ſatis congruus modus conciliandi m[otus] Planetarum, & defendendi veteres Aſtrolo[gos] ac Peripateticos, ut patebit infrà ſtatim, ubi [ratio]nibus objectionibus reſpōdebimus per hanc [doc]trinam. Veritas ipſius in ſe nullo melius o[ſten]ditur, quàm exemplo meo de teſtudine, & [...] Verè enim teſtudo movetur cum rota ab Or[ien]te in Occidentem, ſi talis ſit impulſus impr[eſſus] rotæ: Et verè movetur ab Occidente in O[rien]tem, ſi conſideretur poſitio partium ipſius r[otæ,] nam tranſit à puncto A. ad punctum B. cùm [ta]men punctum A. ſit occidentale, & punctu[m B.] orientale reſpectu ejus.

Urgeo, quia alius eſt impulſus, quem [mo]tor rotæ imprimit teſtudini, & realiter aliu[s,] quem teſtudo ipſa imprimit ſibi, nam poteſt [utriſ]que fatigari, quiſque ſuo motu, ergo unus e[fficit] aliquid quod non efficit alius.

Addo ſecundò non valde mihi probari [mo]tum raptus, quo primum mobile rapit ſecu[m in]feriores orbes. Moveor, quia raptus in[fert] violentiam, quam, certum eſt, non conting[ere in] corporibus cœleſtibus, tùm ob alia, tùm [quia] motus ille tam eſt connaturalis reliquis orb[ibus] quàm primo. Secundò magis principaliter [...]

Digitized by Google

quando corpora ſunt lævigata ſufficienter, & exactè videmus unum quamvis contiguum alteri poſſe volvi ſine alio; certum eſt autem cœlos eſſe ſummè lævigatos, ac politos, ergo poterit unum moveri ſine eo, quòd rapiat aliud ſecum.

Tertiò, contra motum trepidationis hoc habeo, quòd ſi daretur ille, tunc ſequeretur idem moveri pluribus motibus ad idem ſpacium: hoc autem eſt falſum, ſicut enim non poteſt idem ſpacium occupare bis, ita nec invadere, aut ferri ad illud bis. Sequelam tamen probo, quia motus trepidationis eſt concuſſio quædam corporis ſic moti, & movet rem in utramque partem hinc inde, ut patet ex terminis & experimento, adeóque in noſtro propoſito eſt tam ad Orientem, quàm ad Occidentem, licèt leviter hinc inde, adeóque corpus quod movetur motu diurno, ſi præterea moveatur illo motu trepidationis, movetur bis ſimul ad Orientem ut vides, nec tamen eſſe poteſt ob rationem à me adductam.

Fundamentum Aſtrologorum ſolvitur, & accommodatur.

4. Objectio Aſtronomorum contra principalem reſolutionem de uno ſolo motu ſunt phænomena, quæ in cœlis, aut rectius in aſtris apparent, inprimis enim clarum eſt omnia aſtra moveri motu diurno in Occidentem, omnia enim oriuntur, & occidunt ſemel intra 24. horas, præterea etiam Planetæ apparent diſcurrere per ſigna occidentalia, & orientalia ſucceſſivè, nam ſol v. g. modò eſt in, aut ſub Ariete, poſtea in Tauro, tum ſub Geminis, &c.

Dicunt plerique, & eſt communis jam, quòd totum hoc appareat, & reverà fiat per retardationem motus diurni in planetis. Contra quod facit, quòd retardatio debet fieri per eandem viam: at verò hic motus naturalis planetarum non ducit eos per eandem viam, ſed per viam, & polos Zodiaci, non verò per polos mundi. Valeat quantum poteſt, non puto ſufficienter expugnari illam rationem per hoc, quia, quamvis obliquè divertat mobile à via, retardatur tamen motus rectus. Solvam aliter infrà. Interim confirmo argumentum ex eo, quòd planetæ variant puncta ortus & occaſus ſuper horizontem, ut patet in ſole, qui modò oritur citra, modò ultra æquinoctialem, aliquando etiam in ipſo; hoc autem non poſſet fieri per retardationem motus diurni, quia adhuc ſemper orietur in iiſdem punctis licèt ſeriùs.

Reſponſio modernorum eſt id totum fieri per apparentiam, eò quòd unus moveatur rapidè, alius tardè: at verò quando ſunt à longè plura, quorum aliquod velociter, aliud tardè movetur, hoc, quod tardius movetur, apparet regredi; quod, (inquiunt,) videre eſt in campo, ubi plures equitant ſeorſim, unus longo intervallo ante alium; nam aſpicienti hos à longè videtur ſecundus retrocedere à primo, & tertius à ſecundo: Ita dicunt illi de planetis; ſed non aſſentior, neque puto rem rectè explicari per hanc inſtantiam: nam inprimis planetæ reverà, ac non tantùm apparenter tranſeunt ad ſigna orientalia, ergo non ſufficit hîc allegare apparentiam, & eſt diſpar caſus eorum, atque eſt equitum. Deinde ſit par, etiam ſic redit contra ipſos; nam, niſi nobis aliunde conſtaret illos equites non regredi, judicaremus omnino eos regredi, idque ſine formidine, ergo niſi jam non habeamus aliam experientiam de planetis, quàm aſpiciendi eos à longè, debemus judicare, quòd omnino regrediantur.

Itaque exiſtimo occurrendum eſſe huic argumento, & ſimilibus per doctrinam ſuprà traditam num. 3. fatendo, quòd planetæ reverà jam moveantur tam ab Oriente in Occidentem, quàmècontra ab Occidente in Orientem, ſed aliter, ut motus eorum ad Occidentem ſit reſpectu punctorum fixorum: motus autem ad Orientem reſpectu punctorum mobilium; planè ſicut teſtudo intra rotam tendit in punctum magis orientale ejus, ipſa interim rotâ rapta in Occidentem, ita hîc planetæ: per quod ſervari poteſt modus loquendi antiquus, & reverendus Aſtronomorum, atque etiam Ariſtotelis ſtante veritate, quæ facit, ne idem phyſicè moveatur, & in rigore duobus motibus adverſis.

* * *

Videndi de his.

Plato in *Tyme & 1. de legib.* Ariſt. *hic lib. 2. cap. 5. & 12. Met. in fine.* Avicen. 9. *Metaph. cap. 2.* Cic. *lib. 2. de natur. Deor.* Ptolom. *in edit. mag.* Alphrag. *in compendio Procl. in ſphær.* Arat in *Phenom.* Manl. *lib. 2. Aſtrol.* S. Bonavent. 2 *diſt.* 14. *q.* 2. *art.* 3. S. Thom. 1. *p q.* 70. Joan. à Sacroboſco *in ſphær.* Oront. Fernel. Fracaſtor. apud Conymbr. *hic cap.* 5. *q.* 4. Valleſ. *controv.* 11. *phyſ.* Zimar. *in Theor. propoſ.* 79. Nicol. Copernic. *lib. de revol. orb. cœleſt.* Didac. Aſtunic. *in Iob:* Philip. Feber. *Theor.* 63. Melchior Incofer. *Tract. ſyllepti*co. Ponc. *diſp.* 51. *q* 9. Maſtrius *hic d.* 2. Hurt. *ibid.* Ariag. *d. un.* Moriſan. Leon. Leſſ. *lib.* 1. *de perfect. divin.* Camerar. *p.* 2. *Diſp. q.* 25.

APO-

APOLOGIA QVARTA.

De influxu corporum cœleſtium.

ACTIO I.

An & quomodo effecta corporum inferiorum pendeant à cœleſtibus?

ACTIO II.

Utrùm cœli per lumen, an verò per influentias agant in hunc mundum elementarem?

ACTIO III.

Quid certò colligere poſſint Aſtrologi ex corporibus cœleſtibus?

Scotus *Lib.*1. *Meteor.q.*11.*art.*2.

QUarta concluſio eſt, quòd corpora cœleſtia cauſant frigiditatem in iſtis inferioribus. Pro de Luna, cui attribuitur fluxus & refluxus maris, & etiam de Saturno, cui attribuuntur mu fectus frigiditatis: ſecundò, quia quandoque in æſtate videmus frigiditatem quaſi ſubitò venire dò non eſt alia cauſa, à qua poſſit iſta frigiditas produci, niſi à corpore cœleſti, ergo. Et quinta cluſio eſt, quòd corpora agunt in iſtis inferioribus per aliam influentiam, quàm ſit lumen. Prob quia per præcedentem concluſionem corpora cœleſtia frigefaciunt iſta inferiora, & non per lu quia quodlibet aſtrum eſt calefactivum ſuo lumine, igitur per aliam influxionem.

Idem 3.*ſent.d.*14.*q.*3.*num. ult.*

AD tertium dico, quòd non poſſunt per motum localem; quia omnis forma abſoluta eſt p ctior reſpectivâ, ergo oportet, quòd ſit per formam abſolutam ſubſtantialem, vel accid lem, quod concedo judiciis. Contrà, quia tunc, ſi planetæ, vel corpus cœleſte ſtaret, cauſaret: C cedo, cauſaret, quantum de ſe eſſet, nec ejus motus localis facit ad actionem ſuam; latio enim, ve tus ſolis requiritur ad hoc, ut adducat agens &c.

ACTIO I.

An, & quomodo effecta corporum inferiorum pendeant à cœleſtibus?

Breviarium.

N. 1. *Corpora cœleſtia imitantur Deum influendo in inferiora.*
2. *Objectiones aliquot contrà mota & ſoluta.*
3. *Cœlum non agit in mundum inferiorem p tum.*
4. *Objectiones; an motus ſit conditio ad influe*

1. QUod Philoſophis circa Deum contingit, ut quidam arbitrentur, omnia ab ipſo fieri, aliqui nihil, ſed totum à cauſis ſecundis, videtur redire in cœlis; nam dubitari poteſt, an non omnia ab ipſis fiant, quia per eorum applicationem omnia videntur fœtari, & germinare, ut patet in vere, in quo terra, & arbores producunt fructus ex Solis acceſſu, & autumno omnia perdunt per receſſum ejuſdem.

Exiſtimo ergo hîc eſſe paritatem inter Deum, & corpora cœleſtia, ut omnia in his inferioribus pendeant à cœleſtibus, tanquam à cauſis univerſalibus, aliqua etiam tanquam à cauſis particularibus, loquor de corporibus, & corporalibus, ut patet ex ſitu ipſius cœli, quòd omnia ambit utique ob rationem ſimilem, quæ eſt influxus in omnia: nam ſi quæ eſſent independentia, poſſent & exigerent poni ſeorſim extra ipſum, ſicut Beati extra cœlum mobile ſunt. Et confirmatur: quia non eſt ratio, cur cælum factum ſit tantæ amplitudinis, & non majoris, niſi ob bonum inferiorum: idipſum probat ratio adducta jam ſuprà, atque etiam paritas; nam non eſt ratio, cur cæli cooperentur operationibus quorun & non aliorum.

Objicio ex Gen. 1. Opus tertii diei, i ait Deus: *Germinet terra herbam virentem &c. gnum pomiferum faciens fructum &c. & factum namprotulit terra herbam virentem, lignumque fructum &c.* quæ ideo pugnant cum hac co ſione, quia cæli vel maximè per aſtra agunt, men nondum facta ſunt aſtra, ſed poſt hc mùm, ſunt enim facta die quarta ſequenti, ſignum eſt, quòd terra non egeat aſtris ad fi ferendos. Reſpondeo Contrarium cor experimento ſuprà adducto; & quotannis r rente de vere, & hieme, unde deinde reſpo poteſt non malè, corpora cæleſtia nondum ducta, ſed ſuppleta fuiſſe per aliud, ſcilicet p cem, quam proinde Deus ante omnem actic inferiorum produxit. Tertiò dici poſſet. ſequentiam non debere trahi à prima produ ne rerum ad cæteras; non enim poterunt re mò produci, quomodo naturaliter jam p cuntur, alioquin primus homo v. g. debere duci per congreſſum aliorum ejuſdem ſp quod implicat, quia tunc primus, nó eſſet pr

Objicio ſecundò, cùm quieſceret cœ

Digitized by Google

inferiora hæc movebantur, & germinabant fructus, & effectus connaturales: Quis enim dubitet illa integra die, quam Scriptura dicit longiſſimam, quâ Sol ſtetit, multas generationes in his inferioribus contigiſſe? Reſpondeo, hoc argumentum ſupponit cœlos agere per motum, quod ſuppoſitum, niſi ſubſiſtat, neque argumentum, infrà autem de hoc agam.

Tertiò, ſi ponatur flamma juxta ſtupam in ſpatio imaginario, non eſt credibile quin illa hanc inflammaret, ibi autem nullus eſſet influxus cœli, ergo nec nunc eſt, quia non eſt ratio, cur alia, & non ignis eo egeat; non egere autem patet ex illo caſu. Hoc acrius eſt, & abſtraxit Moriſanum noſtratem ab hac aſſertione. Sed eſt mirum, quòd ille non viderit redire ſibi argumentum in caput, cur enim ignis ignem producet nō influente cœlo, & arbores non dabunt flores, aut fructus, niſi adjuvante cœlo? nonne tam adæquata cauſa eſt ſui fructus, quàm ignis? aut ſi id negetur de igne, redit de animalibus: cur enim duo non generabunt unum ſine cœlo. Reſpondeo ergo primò argumentum debere in aliquo peccare; nam procedit etiam contra Deum, ne cauſæ ſecundæ egeant concurſu ejus ad agendum, eò quòd habeant ſufficientem virtutem ſingulæ, & parem effectui producto, ſicut ergo reſponderi ſolet eas habere ſufficientem virtutem in ordine cauſæ ſecundæ, non verò abſolutè, ita hîc dici poteſt eum habere ſufficientem in ratione cauſæ particularis, non verò abſolutè. Atque ita denique dici debet hunc ignem noſtrum, non calefacturum extra cœlos vel certè quòd corpora ſimplicia, qualia ſunt elementa, non egeant influentiâ cœleſti; ſicut nec ipſum cœlo alio.

3. Cenſeo ſecundò cœlum non agere in hæc inferiora per motum; ita expreſsè D. in themate 2. cit. Habet hæc contra ſe antiquos ſequutos Ariſtotelem. Probata eſt à modernis pluries, quibus ego addo iſtam: Nam ſi cœlum influeret in hæc inferiora per motum, tunc polus nihil ageret hîc apud nos; id autem eſt falſum, ut patet in magnete, qui perpetuò trahitur à polo, & acus nautica, atque alia eidem magneti affricta eidem ſemper obvertuntur. Sequela autem cuilibet patet, nam polus non movetur, quùm hoc ſit illud immobile, cui tanquam fundamento innititur quælibet ſphæra, dum movetur.

Deinde, ſi ita eſſet, tunc ſtellæ prope polos minimum agerent in hæc ſublunaria, quod eſt falſum, quia ibi ſunt lucidiſſimæ conſtellationes.. adeóque, patet ſequela, quia pars ſphæræ prope polos quàm minimè movetur.

Tertiò: quia ſi actio ſit in paſſo, ut volunt multi, tunc oportebit terram moveri, & cœlum quieſcere, quod eſt delirium Pythagoricum reſuſcitatum à Copernico, & refutatum à nobis ſuprà.

Dices ergo: cœlum fruſtrà movetur, non enim ſui cauſa movetur, ſed terræ. Secundò, tunc dicendum erit, quòd poſt diem judicii cœlum influet in hæc inferiora, atque ita erunt generationes, & corruptiones, quod eſt falſum. Si ergo ceſſante motu ceſſant operationes, cenſendum eſt, quòd per motum fiant operationes. Nego Conſequentiam primi: Et ſanè ſi per motum fierent effectus tanquam per virtutem activam, ut intelligunt Adverſarii, tum ſanè non referret moveri cœlum magis, quàm lignum ſi ibi poneretur. Ad probationem dico, cœlum moveri ad hoc ut applicentur aſtra ſucceſſivè omnibus partibus terræ &c. Sed contra hoc non parum facit, quòd certum ſit cœlum agere in diſtans, agit enim in profundum ipſius terræ, quid ergo opus eſt ipſum circumvolvi, ut fiat præſens partibus, in quas debet agere, cùm poſſit etiam in oppoſitum hemiſphærium agere, quod expreſsè contingit in Luna, quæ conturbat aquas oppoſiti hemiſphærii, quátò magis id fieri poteſt reſpectu horizontis oppoſiti ab aſtris, quæ majoris ſunt molis & virtutis? Æſtimo hoc argumentum, proinde exiſtimo dicendum, quòd ſine dubio poſſit fieri cœlum, & aſtra, quæ agant & applicentur ſufficienter terræ ſine motu, tamen non videri hos cœlos, & hæc aſtra ſic eſſe activa, ſed illud de Luna, poteſt contingere, vel ex eo, quòd aquæ hemiſphærii oppoſiti ſint conjunctæ aquis hujus, & ita impulſus illis impreſſus has impellit, vel quòd non fiat æſtus maris à ſola Luna; necdum enim illud eſt demonſtratum. Denique ſolvi commodè poteſt hæc replica, tenendo aſtra influere lucem, & proinde debere circumvolvi. Clarum eſt enim, quòd non poſſint illuminare totam terram, niſi circumvolvantur, & hoc mihi videtur, vel maximè ſuadere illam ſententiam.

Ad ſecundum illud de ſtatu mundi poſt diem judicii, exiſtimo (ſalvo majorum ſenſu) quòd corpora hæc ſublunaria tunc induent meliorem conditionem, & quandam immutabilitatem. Colligo hoc tùm ex illa ratiòne, tùm (ne petam principium) aliunde, ex dicto B. Pauli Rom. 8. *Tunc & ipſa Creatura liberabitur à ſervitute corruptionis.* Itaque corpora hæc inferiora accipient quandam intranſmutabilitatem, ne alterari aut corrumpi deinceps poſſint ad ſimilitudinem quandam (non ad æqualitatem) corporum Beatorum, quæ à nullo contrario, quamvis violento alterari poſſunt v. g. non uri à flamma, nec ſecari inſtrumentis. Et reverà ita providendum fuerit mundo tunc, tùm ob alias rationes, tùm quia lux ſolis tunc erit ſeptuplo major, quàm hodie, adeóque, niſi impediretur, ſtatim terram hanc torreret, & in cineres verteret, ex quibus habes motum, non ſolùm non eſſe virtutem, ſed nec conditionem abſolutè agendi, ſed tantùm in has partes præ illis; nam ſine dubio in illo uno ſolſtitio Joſue, 10
cœli agebant in terram, ſed v.

4. Objicies, terram eſſe punctum reſpectu cœli, eſt enim centrum illius ſphæræ, cujus cœlum eſt circumferentia, ergo æquè proximum cuilibet parti ejus, adeóque non eget motu, in quantum approximatio eſt, egebit ergo, ut virtute. Reſpōdeo primò, ſi terra eſt punctum, jam non habet partes. Secundò terram non eſſe reverà punctum reſpectu cœli, ut oſtendit Clavius, quia reverà habet magnitudinem. Tertiò, Quamvis aliqui laborent in hoc nodo; dico eum non debere eſſe magnoperè moleſtum nobis, quia licèt terra ſit centrum reſpectu cœli, non eſt centrum reſpectu aſtri.

Objicitur ultimò, motum eſſe cauſam caloris, quod eſt axioma Phyſicorum ex Ariſtot. ſect. 5. probl. & præterea experientiâ ipſâ probatum, nam animalia non ſolùm incaleſcunt, ſed ſudant; ſagitta impetuosè mota liqueſcit in mucrone plumbeo, radii & axes rotarum ſcintillant, & alia plurima idipſum convincunt, ergo jam motus eſt quid activum, quidni ergo ſit activitas cœli? Nec valet reſpondere, motum non eſſe cauſam caloris magis, quàm frigoris, id enim potiùs con-
firmant

Digitized by Google

firmat argumentum, nam ſi eſt cauſa caloris, & frigoris, jam eſt plurium cauſa, & ita poterit eſſe cauſa omnium omnino, ſi enim ſit cauſa oppoſitorum, multò magis diſparatorum. Reſpondeo tamen motum non eſſe cauſam propriam, aut caloris, aut frigoris, neque axioma hoc velle in eo rigore, tanquam ſit productivus, ſed tantùm occaſionativus ejus; aut alterius, & ita fit, nam animalia incaleſcunt ex eo, quod ſpiritus vitales, qui intrò erant concitentur, & diſpergantur per corpus, adeóque exeant in partes exteriores; inanimata incaleſiunt, ex motu, eò quòd per ipſum attritum mutuò rarefiunt, Raritas enim eſt comes caloris, ut notum eſt; ex quibus habes argumentum eſſe in oppoſitum quodammodo, nam ſi motus calefacit per attritum, & fricationem quandam, clarum eſt cœlum non debere calefacere hæc inferiora, cùm non affricetur ipſis.

ACTIO II.

Vtrùm cœli agant per lumen, an verò per influentias in Mundum hunc elementarem?

Breviarium.

N. 1. *Corpora cœleſtia habent virtutes activas alias à lumine.*
2. *Rationes dubitandi de hoc mota, & ſoluta.*
3. *An cœli poſſint animantia producere.*
4. *An ſaltem corpora organica animantium.*

1. Hoc eſt alterum caput, in quod refundi ſolitus eſt ab antiquis influxus cœlorum; intelligunt autem influentias eſſe virtutes alias à virtute illuminativa; nam aliàs ipſa illuminatio eſt influentia quædam. Ratio pro lumine eſt illa præcipuè, quam ipſe ſuprà attuli. Act. præcedent. n. . alias infrà proferam, quibus non obſtantibus, cenſeo attribuendas corporibus cœleſtibus alias virtutes activas à lumine. Eſt certa mens Subtilis, nam 2. diſtinct. 14. quæſt. 3, *Saturnum & Mercurium* vocat *ſtellas effectivè frigidas*, & ibidem docet, quòd ſtellæ habent actionem in elementa quoad generationem. Sequuntur eum plerique ex recentiſſimis noſtri ævi ultra alios antiquiores, tam ſuos, quàm exteros; quòd ergo tota activitas cœli non poſſit refundi in lumen, probo primò ex illo capite quod tetigit Doct. de Saturno, & Mercurio, quæ ſtellæ frigefaciunt, clarum eſt autem illas non frigefacere per lumen, cùm lumen apud omnes, & reverà ſit principium caloris.

Reſpondent, frigus cauſari à cœlis indirectè tantùm per remotionem agentis calefactivi, puta ſolis &c. vel per talem aſpectum ejus, ut radii illius non reflectantur ad hæc inferiora per angulos rectos, aut acutos. Sed inprimis mirum, quòd non viderint ſe hac ſolutione juvare inimicos; nonne enim nobis promptum eſt dicere aſtra non calefacere, ſed tantùm removere cauſas infrigidantes, imò non dari omnino frigida, aut frigefactiva; adhuc amplius ipſum frigus nihil omnino eſſe. Præterea contra hoc ſunt experientiæ Aſtronomorum, & Medicorum, & adhuc amplius principia ipſa Adverſariorum; nempe volunt illi, quæ ſunt collecta in ſublunaribus uniri in ſupralunaribus, unde omnia ad lumen referunt, Certum eſt autem frigus, & frigefactivum dari in ſublunaribus, ergo.

Secundò arguo, quia corpora cœleſtia attingunt hîc ſubſtantias: at verò ſolo lumine non poſſent attingere ſubſtantias, quùm lumen ſit accidens.

Tertiò à ſimili, quia ſecundùm pleroſque Adverſarios, cœli producunt animata: at verò lumen non ſufficit producendo animali, aut animato, alioquin tenebræ ſufficerent ad occidendum, quod conſtat eſſe falſum, ergo.

Quartò propius, quia lumen non ſufficit, ne quidē ad producendū, quantum experimur de eo, quod quàm maximè ab eo prodire poteſt: ergo multò minus ad alia omnia. Antecedens oſtendo, illud enim eſt calor: at verò plus experimur de calore, quàm de lumine provenire à cælis, nam canicula terribiliter inflammat, at non terribiliter illuminat.

Quintò illuminatio impeditur per interpoſitionem corporis opaci inter cœlos, & corpora illuminanda, influxus cœlorum non impeditur, nam agunt in profundum terræ, nedum in cameras aut cryptas, quò non poteſt pervenire lumen.

Sextò, quæ habent lumen commune, non habent influxus communes, ergo ſignum eſt, quòd influxus non fiant per lumen. Antecedens oſtendo, & inprimis augeo hoc addendo, quòd ſcilicet aliquid minus habens de eodem lumine plus habet de effectu, aut influxu, quod totum probo in Luna, hæc enim accipit à ſole lumen, ut ſuprà; (nam quod habet à ſe eſt tam exiguum, ut computari vix mereatur) atque ita idem numero eſt utriuſque lumen, (nedum ſpecie) nam in Luna eſt tantùm lumen ſolis reflexum, & tamen ipſe ſol, non poteſt cauſare effectus Lunæ, ſcilicet æſtum maris, pituitam in corporibus animatis, putredinem in aliis; clarum eſt autem æſtum maris potiùs debere à ſole expectari, quàm à Luna, ſi Luna omnia præſtaret per lumen, & tamen Philoſophi, quùm ſciant lumen Lunæ eſſe idipſum, quod ſolis, nolunt adſcribere fluxum, aut refluxum maris ſoli, ſed Lunæ; vis hujus apparebit in ſtantiâ aliarum qualitatum, quæ reflectuntur; nam quùm ſpecula aliena reflectunt calorem, ita ut interjecta crementur, quod fecit aliquando Archimedes, tunc, inquam, Agens in flammas nō fuit ſpeculum, ſed ſol; at verò ſiceſt, quòd Luna, non aliud ferè facit, quàm reflectere lumen ſolis, ergo quicquid hîc fit, adſcribendum eſt ſoli, ſi per lumen cauſatur, quùm ergo nec Adverſarii hoc auſint, ſequitur &c.

Ulterius,lumen cœleſte,& lumen elementare ſunt ejuſdem ſpeciei, nam utrumque habet conſequentem calorem, unum illorum auget alterum &c. Et tamen clarum eſt non poſſe à lumine elementari produci illos effectus,qui à corporibus cœleſtibus proveniunt, nunquam enim lumen candelæ produxit corpora organica, nedum animas ipſas, nunquam gemmas, neque æſtum illum,non dico in mari, aut fluvio, ſed nec in dolio,aut calice aquæ.

Dices per ignem produci aurum in chymicis fornacibus, vereor, ne fornaces illæ chymicæ ſint chimericæ, quando enim quiſpiam ditatus eſt auro chymiſtarum? ſi per chymicam poteſt verum aurum fieri, cur Ecclesia prohibet uſum ejus? ſed eſto,fiat aurum & argentum à Chymicis,an hoc efficiunt per lumen? Dicturi ſunt fortè effici per calorem, qui à lumine fit,ſed tunc virtus activa,non eſt lumen,neque agens eſt cœlum,ſed lumen ipſum. Omitto alia,ut quòd aſtra omnia ſint diverſæ ſpeciei, adeóque habeant virtutes diverſas; nam Aſſumptum negaret Mirand. neque rectè hîc probari poteſt per influentias, ſed potiùs deſcriberetur Circus probando hîc virtutes diverſas per diverſitatem ſpecierum & ſpecies diverſas, per diverſos influxus.

2. Contra hæc noſtra maximè facere videtur, quod ipſe ſuprà attuli, ſcilicet ſi concedantur influentiæ non poſſe aſſignari cauſam,cur cœli,& aſtra moveantur circa terram; neque ſufficeret ſyſtema Pythagoricum, nam etiam non expediret moveri terram intra cœlum,quia nimirum influentiæ poſſunt pervadere terram: at verò ſi dicatur cœlum agere per lumen,ſtatim redditur hujus ratio, quia lumen non poteſt pervadere opacum & terram. Ad hoc tamen ſuprà ipſe dixi; Adverſarii objiciunt primò has influentias non poſſe habere terminum in medio; ſed agens naturale non poteſt agere in extremum niſi agat in medium: id autem totum vitatur ponendo cœlos agere per lumen; nam lumen bene recipi poteſt in cœlis intermediis,licèt non calor,aut frigus vel ſimilia,ut tractio qualis imprimitur magneti à polo. De hoc cogitent, qui negant actionem in diſtans,&tamen ſuſtinent hanc concluſionem: mihi argumentũ hoc improbat hanc concluſionem; ſed probat aliam. At enim Reſpondeo etiã pro aliis evidens eſſe admittendam eſſe à cœlis aliquam hujuſmodi actionem quia polus non trahit ad ſe aërem, nec tecta domorum, & tamen trahit magnetem,qui infra aërem, intra domum eſt. Itaque licèt non agant illâ actione in medium,agunt autem, atque ita omnino in diſtans. Ultimum ſit iſtud: quia agentia ſuperiora & univerſalia paucioribus inſtrumentis utuntur, eò quòd diſperſa in inferioribus congregentur ibi: videmus autem ipſa elementa,quæ ſunt imperfectiora cœlis,unam tantùm complexionem qualitatum habere, minus autem ſufficiet cœlo,adeòque una. Confirmatur apud eos,qui tenent cœlum eſſe corpus ſimplex; nam naturæ ſimplici non videntur quadrare multiplices qualitates. Denique aliqui utuntur exemplo caloris naturalis,quia in diverſis partibus diverſos effectus habet,in corde facit vitales ſpiritus, in cerebro animales, quidni ergo idem lumen in diverſis aſtris? Reſpondeo tamen hæc non multum mihi nocere;non enim ego pono plures qualitates in cœlis, ſed plures influentias, quæ ſunt virtutes ſubſtantiales: imò ſi non ſint ibi plures ſubſtantiales, ſed una, ſufficit aliquam eſſe, aliam à lumine; unde exemplum de elementis ruit. Utique enim elementa habent alias vires ſubſtantiales præter combinationem qualitatum: ex quo vides, quid dicendum ſit ad ſequentia, maximè ad illud de calore: Ruit enim hoc, & repulſum eſt in ſolutione jam datâ, nam cerebrum,& cor ſine dubio habent aliam cauſam,ſeu vires ſubſtantiales.

Credo tamen huic argumento dandum, quòd in cœlo non facilè ſint plures qualitates, quàm lumen,neque virtutes accidentales. Dices, polus attrahit magnetem, Aſtra gignunt frigus & humiditatem, qui ſunt termini accidentales. Reſpondeo,quis novit attrahi magnetem, an occurrere? hoc eſt,quis ſcit motum illum provenire à polo, an ab ipſo lapide, cujus natura ſit ſic ferri, ſicut fertur grave ad centrum, non verò trahitur à centro? Deinde qualitates accidentales,nonne poſſunt produci à virtute ſubſtantiali? Equidem credo apud nos ignem calefacere, ac non tantùm calorem, & quocumque te vertas, debes aliquem calorem igni concedere immediatè productum, niſi iveris ineptè in infinitum, unde non poſſis redire.

3. Quæres an cœli poſſint animantia producere? multi in hoc laborarunt, & videntur denique concluſiſſe,quòd imperfecta animalia poſſint,ut vermes,ranas,lumbricos, veſpas,&c. quæ oriuntur ex putri materia; perfecta autem non ita,ſed hæc debēt ex ſemine fieri. Exiſtimo in hoc non fuiſſe diſtinguendum, ſed ſi aliqua poſſint, omnia poſſe; nam ratio dubitandi non eſt ex diſcrimine hujus animalis in ſpecie ab illo, ſed ex communi ratione organici corporis. Avicenna prædixit vitulum ex aſtris lapſurum, quod factum eſt,& tamen vitulus eſt ex perfectis animantibus, Secundò exiſtimo nullius animalis animam à cœlis produci,eò quòd hic effectus excederet cauſam.

Dices ex Moriſano noſtrate hæc habere ſe diſparatè, & ex una parte eſſe hanc perfectionem,ex alia aliam, quæ compenſatur, adeóque non contingere, quòd effectus excedat cauſam. Reſpondeo,placet mihi diſcurſus quoad vegetantia: credo enim rapam aut lactucam poſſe produci à cœlo ob hanc rationem, non credo animal,quia vita hæc cognitiva. & concupiſcens non poteſt compenſari per aliud,poterit ergo vivens produci a cœlo,non poterit animal.

4. De corporibus animalium fateor aptiorem huic rei eſſe ſententiam Thomiſticam, quàm noſtram: illi enim credunt in corpore ante animam non eſſe,niſi accidentia,quæ facilius produci poſſunt,quàm ſubſtantiæ, fateor etiam me hîc pati anguſtias; nam recurrere ad Deum pro qualitatibus muſcæ videtur indignum Philoſopho, quidquid ſit de Deo. Aliunde tamen, cur formentur corpora hæc ex putri materia, cur inducantur formæ omnes organorum tam affabrè, quomodo materia ille exigit induci hæc lineamenta,difficile eſt refundere in ſtellas, & multò minus in intelligentias, quia hæ non videntur aliter iſta præſtare, quàm applicando activa paſſivis, ſcilicet ipſos cœlos materiæ. Crediderim utrumque aliquam partem habere in negotio,ut per æternas cauſas, puta intelligentias inducantur figuræ corporum, per cœlos formæ ſubſtantiales,aut accidentales organorum; iſta enim diſtinguenda patet: nam aliud eſt longitudo naſi, aliud forma carnis in ipſa.

Ob-

Objicio contra me unum, & eſt iſtud: ſi enim poſſunt aſtra aut intelligentiæ producere corpora animantum etiam perfectorum, ſequitur, quòd poſſint homines producere: Sequela eſt intoleranda, ſed probatur ſequi, quia qui producit corpus, producit hominem, non enim aliter parentes ſunt cauſa filii, niſi quia corpus organizant, non ergo refert, quòd cœli non generent animam, aut quòd hæc ſit ſpiritualis, ne fiat à cœlis. Reſpondeo, ſine dubio cœli & intelligentiæ ſibi relicta plurima facere poſſent, à quibus jam impediuntur: quidni ergo hoc ſit unum ex iſtis? Sed denique de hoc refero me ad dicta Tomo 2. Quodlibetorum, ex quibus hoc eſt ordine.

ACTIO III.

Quid colligere poſſint Aſtrologi certò ex corporibus cœleſtibus.

Breviarium.

N. 1. *Aſtronomia verè ſcientia eſt, ſed in hominibus non plena.*

2. *Rationes dubitandi. Quid conſequenter de Medicina cenſendum?*

3. *Credenda Aſtrologis, quàm maximè ſunt eclipſes, tempeſtates, ſerenitates, non item fortuna hominum.*

4. *De virtutibus & vitiis hominum, ſed quoad actum primum duntaxat.*

5. *Rationes aliqua de hoc dubitandi.*

6. *An cœli influere poſſint ſupra convexum ſuum?*

1. Dico primò Aſtronomiam eſſe veram ſcientiam, & probo, quia aſſignat veras cauſas rerum, v. g. fluxus, & refluxus maris, motus magnetis erga polum arcticum, ventorum, tempeſtatis &c. quia nimirum hæc habent adæquatas cauſas ſui in cœlis.

Secundò hanc ſcientiam non videri eſſe in hominibus perfectam, & plenam. Ita viſum Doct. ſuprà, & pro eadem adducitur ratio: quia etſi ſciant aliqua corpora cœleſtia habere vires excitandi tempeſtates, v. g. aut ventos, neſciunt tamen, an non occurrant alia, quæ impediant ea. Certum eſt enim corpora cœleſtia, non omnia eſſe ejuſdem ſpeciei, ſed quædam aliis adverſæ, ut manifeſtè patet de planetis; nam Jupiter eſt placidus, Saturnus malignus, Sol calidus, Luna humida, friget. At verò quotidie deprehenduntur beneficio tuborum nova aſtra in cœlo, quæ antiquos latuerunt, atque ita in antiquis, Aſtronomia non potuit eſſe ſcientia, unde etiam de modernis dubitari poteſt, quùm credibile ſit, poſſe perfici hujuſmodi tubos, ſeu inſtrumenta optica, & nova inveniri, quæ revelent nova aſtra.

Tertiò Angelos etiam malos habere ſcientificam Aſtronomiam. Ratio eſt oppoſita priori, quia nimirum illi intuitione vident aſtra omnia, & nôrunt eorum naturas. Quod etiam verum puto de animabus ſeparatis ſibi relictis; Id autem addidi, quia niſi moveantur fortè non penetrabunt eſſentias cœlorum, quia non eſt certum, quòd ſint intra ſphæram activitatis eorum. Antequam pergam, adferam, quæ contra hæc ipſa habeo.

2. Contra primum eſt, quòd ſcientia ſit infallibilis, quia de neceſſariis, atque iis, quæ non poſſunt aliter ſe habere, utique enim Deus poteſt prævenire, & omnino impedire tempeſtates &c.

Reſpondeo primò: hoc fortaſsè facit, ne concluſio ſit probata ſatis, non autem efficit, ne ſit vera. Itaque adhuc Aſtrologia erit ſcientia, ſiſtendo intra ipſa aſtra, & non miſcendo ſe elementis, quia nimirum demonſtrabit hanc paſſionem ineſſe huic actui.

Reſpondeo etiam adhuc illam eſſe ſcientiam reſpectu inferiorum etiam futurorum, ſed tantùm quoad actum primum, non verò quoad ſecundum; eſt dicere Aſtrologum poſſe demonſtrare, quòd connaturaliter futura ſunt, non verò quòd reverà exiſtant. Contra ſecundam rationem objecit quidam, ſi vera eſſet, ſequeretur medicinam etiam non fore ſcientiam. Certum eſt enim quòd Medici non norunt omnium herbarum vires, ergo ſic deſinit Aſtrologi judicium de futuro eſſe ſcientificum, quia neſcit omnium aſtrorum vires ſimiliter &c.

Reſpondeo certiſſimum eſſe, quòd nec Medicina ſit plena in hominibus, ſicut nec Aſtrologia, quod idem dicatur de aliis. Etenim tradidit *Deus mundum diſputationi eorum, ut non inveniat homo opus dei.* Sed ad rem noſtram id non refert, ergo eſt diſpar caſus Aſtrologi, & Medici in prædicendo; non enim neceſſe eſt, ut Medicus ſciat naturas omnium herbarum ad hoc, ut ſciat num medicina, quam hîc & nunc propinat, ſit collatura ſanitatem ſufficit enim ſcire aliquas, id eſt, illas, quas applicat, de aliis ſufficit ſcire, quòd non concurrant, quod manifeſtum ei eſt, dum non applicat eas. At verò Aſtrologus neſcit, an non aliqua adverſa aſtra concurrant, quæ impediant influxus perpetuos aliorum, vel vice verſa.

3. Addo quartò, quæ maximè certò prædici poſſunt à noſtris Aſtrologis ſunt eclipſes, & ſimiles concurſus planetarum: tum proximè tempeſtates: tertiò fructus, aut ſterilitas. Ratio primi, quia in his minus eſt impedimenti, ſciri ergo poteſt non eſſe futuram eclipſim ſolis uſque ad talem annum, diem, & horam, eò quòd ſciatur nullum eſſe corpus quod eripere poſſit radium ſolis terræ, niſi unum, quod eſt Luna, hanc autem non fore interponendam uſque ad talem diem. Hîc volo eſſe computatas ſtationes, retrogradationes & elevationes planetarum, & ſimilia, quia eandem regulam ſubeunt.

Ratio ſecundi, quia hæc ſunt in proximo gradu ipſis, minus enim requiritur, aut certè concurrit ad hæc, præter ſola aſtra, quàm in aliis; nam ven-

Digitized by Google

venti ſunt aër agitatus, nihil ergo eſt in vento, quod obſtet cœlis; ſimiliter ferè de aquis. In terris autem multa, quia quædam aquis egent, aliæ abundant, alia petroſa eſt, alia magis, aut minus ſubacta propter quod non omnes fruges in qualibet ſeri aut meti poſſunt.

Quintò principaliter fortunas hominum non poſſe ab Aſtrologis præſciri. Hæc eſt quæ maximè offendit illos, qui in hoc ſummè gloriantur. Ratio quia ſciri non poſſunt niſi neceſſaria, fortunæ autem ſunt contingentes, id enim eſt eſſe fortuitum. Confirmo, & explico rationem extendendo eam ultra rigorem ſcientiæ. Ex neceſſario enim non ſequitur niſi neceſſarium, natura cœlorum, & aſpectus ſiderum ſunt neceſſaria, ergo non poteſt ſequi ex illis contingens, quale eſt omne fortuitum. Dixi hoc extendere rationem ultra rigorem ſcientiæ, quia contingens non ſolùm non ſequitur ſcientificè, ſed nec probabiliter ex neceſſario: non enim eſt probabilis, aut opinabilis hæc Petrus eſt riſibilis, ergo eſt doctus.

Urgent aliqui ut S. Aug. hanc rationem ex experimento Geminorum, qui eodem tempore ex eodem utero naſcuntur, nec tamen eandem fortunam habent, ut patet in ſacris Litteris de Jacob & Eſau; in prophanis de Cyreſtæo, & Proclo fratre ejus Laconibus, qui eandem horam nativitatis, diverſiſſimam fortunam adepti ſunt. At enim non puto hoc argumentum tantum valere quantum æſtimatur. Egregiè ei reſpondit Ægidius Aſtrologus, qui commota citiſſimè rota, cùm aſpergeret eam duobus punctis, quam potuit continuè, deinde tamen in ipſa quiete deprehendit duo illa puncta quàm longiſſimè abeſſe propter ingentem velocitatem rotæ in circumeundo. Ita inquit, quamvis duo continuè naſcantur, non eſt mirum, quòd non ſint ejuſdem ſortis, ò, quòd inter utrumque vaſtiſſimum intervallum cœli interponatur, & circumferatur.

Sed hanc ipſam reſponſionem refutavit non malè S. Gregor. Papa, ſi enim id ſufficit ad dirimendam fortunam duorum dividet etiam unius fortunam à ſemetipſo, & idem unus non habebit eandem fortunam, ſed una pars unam, & alia aliam v. g. caput unam, & collum diverſam, multò magis pectus, & venter, aut pedes, quod eſt ridiculum, & tamen hinc ſequitur; ſine dubio enim inter caput, & pectus, ſive inter tempus, quo prodit in utero caput, & illud quo prodit pectus, ingens pars cœli circumfertur, ut non ſit idem horoſcopus utrique; valeat, quantum poteſt ratio.

Adfero ipſe tertium: quia ut rectè pronunciarent Aſtrologi de futuris eventibus, & fortunis hominis, deberent attendere potiùs ad Conceptum, quàm ad Nativitatem hominis, tunc enim verè fit homo, tunc influunt ejus cauſæ in ipſum. At verò Aſtronomi de hoc non ſunt ſolliciti ut plurimùm, ſed toti ſunt in inveſtiganda, & examinanda hora nativitatis, quùm tamen nativitas non ſit productio rei in eſſe, ſed quædam expoſitio ejus extra uterum, velut extra tentorium. Urgeo, nam etſi Aſtrologi vellent, non facilè eruerent horam conceptus, niſi in illis parentibus, qui ſemel tantùm ſunt congreſſi, propter quod exactè notavit Apoſtolus Paulus ad Rom. 9. *Iacob & Eſau*, habitos eſſe à matre eorum Rebecca, intellige *ex uno concubitu*, alioquin non tam facilè concluderet diſparitatem eorum fuiſſe ex divina electione, ac non potiùs ex naturalibus cauſis ut aſtris.

4. Ultimò ajo, Aſtronomos poſſe ferre ſententiam aliquam non tamen abſolutam de virtutibus & vitiis hominum quoad actum primum, nullatenus autem quoad actum ſecundum, ne Angelos quidem, qui perfectè ſcientiam callent, & abſolutam ſententiam ferre poſſunt de inclinationibus. Cauſa primæ partis eſt, quia aſtra influunt in humores corporis, & generant tales præ aliis v. g. Luna phlegma, Venus ſanguinem, & calorem: unde priores deſides, & obtuſi ſunt, poſteriores laſcivi. At verò recurrit huc ratio principalis ſuprà facta, quòd ſint aliæ cauſæ humorum præter aſtra, eſt enim ſemen paternum ſanguis matris; imaginatio utriuſque &c. & fortaſſis alia aſtra pugnantia, & prævalentia illis notis ab Aſtrologo: ubi autè plures cauſæ concurrunt, ſtultum eſt ferre ſententiam abſolutam de toto propter unam cauſam de partialibus, reliquis omiſſis, aut etiam ignoratis.

Illud de actibus ſecundis liberis eſt fides Chriſtiana, & oppoſitum non eſt aliud, quàm eripere homini libertatem, & ſubjicere eum neceſſitati cœlorum, ac proinde efficere ne quid laude, aut vituperio dignum agar, ex quo ſequitur Sacramenta, & remedia à Chriſto Domino inſtituta vel omittenda fuiſſe, vel applicanda aſtris, & reverà hæc Philoſophia, vel inde deberet eſſe ſuſpecta. Denique hoc vellem ſcire ex Aſtrologis, ſi ipſi ſuæ ſcientiæ credant, cur non ſubſcribunt ei in praxi, cur non ſeminant filios in Capricorno, vel ſaltem in Ariete, ut naſcantur in Capricorno, ſi verum eſt, quòd nati in Capricorno fiunt Reges, ſimiliter de aliis conſtellationibus, quæ inferunt varias fortunas, & tamen eſſent facta ridicula, nec aliud, quàm hominem æquare frumentis, quorum ſationi ſolſtitia, & æquinoctia obſervantur. Cõmunes objectiones pro Aſtrologis partim motas & ſolutas, videbis apud Amic. Delrium, Moriſ. Ponc. &c.

Concil. Braccar. 1. cap. 9. & 10. Concil. Toletan. 1. in aſſert fid contr. Priſcill. Martin. PP. can. non l cet Alex. III. Sixt. V.

5. Objicio inſuper contra dictum ſuprà de actibus liberis ſic: non eſt hæreſis, neque falſitas adhuc demonſtrata, quòd corpora cœleſtia prædeterminent actus brutorum tam cognitionis, quàm concupiſcentiæ ſive proſequutionis, qui ſunt quædam volitiones eorum, ergo nec quòd humanos actus voluntatis, ex quo ſequitur non eſſe falſum, quòd prædeterminent etiam, Conſequentiam primam probo, quia actus ſenſationis, & concupiſcentiæ hominis ſunt ejuſdem ſpeciei cum actibus ſimilibus brutorum; ſicut enim univocantur in ratione animalis, qui eſt actus primus, ita in aliis; Conſequentiam verò ſequentem probo, quia actus ſenſitivi, & volitivi in homine ſunt concomitantes ex una parte, quæ facit contra arguentem, non ex utraque, aut ex altera, quæ faceret contra me, quia actus voluntatis habent concomitantes actus concupiſcentiæ, non è contra, alioquin nunquam poſſemus diſſentire ſenſui.

Objiciunt illi experientias Aſtrologorum; Nigidius Auguſto prædixit Imperium, & alius idem Othoni, & Traſillus revelavit Tiberio cogitationes ſuas de morte ipſimet inferenda. Reſpondeo hoc argumentum ſimile eſſe alteri ſuprà allato pro corruptibilitate cælorum in duobus aut tribus phænomenis, quod ſuprà ibidem ſtatim obrui infinito exceſſu oppoſitorum experimentorum. Ita hîc dico, ſi ſemel, aut iterum colli-

Digitized by Google

collimaverunt Aſtrologi, non eſſe approbandam, propterea Aſtrologiam, ſed reprobandam à contrario propter deprehenſas illius falſitates, quæ reſpectu verorum ſunt, velut ducenta ad unum, ut videre eſt apud Mirandum qui computum inivit prænotionum quarundam aſtronomicarum, & ita, atque amplius invenit: quòd cùm omnium facillimè poſſit rectè fieri, tamen tam mendaciter ab illis prodit, ut Georgius Trapezuntius juſtum opus ediderit *de eo, cur Aſtronomorum judicia ut plurimum falſa ſint.*

6. Quæres an cœli, & aſtra influere poſſint in res ſupra convexum eorum poſitas? Reſpondeo, ſi immediatè continuæ ſint res illæ convexo cœleſti, poſſe illas pati ab aſtris; ſin minus, dubium eſſe ſaltem apud Thom. & Rec. nam per interpoſitum vacuum, non eſt certum, quòd cœli agerent: mihi tamen, & meis eſt probabile ſaltem quòd ſic, ſi illa corpora relinquantur intra ſphæram activitatis cœlorum; nam ſi longè removeantur in ſpatio Imaginario (ut poſſunt) nec continuantur ſphæræ, nil poterunt ab illis pati.

Quod dixi de certitudine Aſtronomiæ reſpectu futurorum ſive naturalium, ſive contingentium idipſum intellige reſpectu præteritorum. Unde Aſtronomi poſſent nobis ſcribere Annales rerum plerumque geſtarum ab origine mundi, quod accipe per omnia juxta ſuprà dicta.

* * *

De his amplius.

ARiſt. 1. *Meteor. c.* 3. Avicen. 1. *de cœlo tex.* 32. Alb. Mag. *lib.* 4. *de coav.* S. Bonav. 2. *diſt.* 4. *q. penult.* S. Thom. 2. *Cœl. cap.* 7. Georg. Agricol. *lib.* 4. *&* 5. *de cauſ. ſubter.* Medin. *lib.* 2. *Paraneſ.* Pic. Mirand. *lib.* 3. *cont. Aſtrol.* Zimar. *in Theo. prop.* 45 Bucafar. *in Meteor.* Syren. *in lib. de fato.* Piccolom. *de cœl. c.* 38. Achillin. *q. de orbibus* Thom. Gian. *lib.* 2. *de nat. cœli:* Sebaſtian. Baſſon. *in philoſoph. natur.* Vicomerc. 1. *Meteor.* Clav. *in ſphær. c.* 1. Amic. *Tract. de cœl.* Conymbric. *hic lib.* 2. *cap.* 3. *q.* 3. Fonſec. 7: *met. cap.* 7. Suar. Suar. *d.* 18. *ejuſdem.* Raph. Averſ. *Tom.* 1. *q.* 35. Hurt. *hic diſp.* 2. *ſ.* 6. Poncius. Ariag. Ovied. Moriſan. *ſuprà citati.* Videantur etiam Authores Apolog. 1. & 2. ſuprà.

APOLOGIA VLTIMA, ET VNICA.

De Mundo.

ACTIO I.

An rectè creditus ſit mundus eſſe rotundus, ſeu ſphæra?

ACTIO II.

Utròm Mundus potuerit eſſe æternus quoad permanentia?

ACTIO III.

Utrùm ſucceſſivum potuerit eſſe æternum?

ACTIO IV.

Utrùm Generationes viventium potuerint eſſe æternæ?

Scotus 2. *diſt.* 11. *q.* 1. *n.* 7.

FIeri dat intelligere oppoſitum præcedens qualecumque ſive poſitivum, ſive privativum; ſed ultra hoc creari propriè ſumptum addit, quòd oppoſitum immediatè præcedens ſit contradictoriũ, puta negatio, non in aliquo ſubjecto, ita quòd nec privatio, nec contrarium: hoc modo à creari ſtrictè accepto illud dicitur ſtrictè Creatura, quod accipit eſſe à primo efficiente immediatè, & poſt omnino non eſſe, ſive poſt purum nihil.

Idem 7. *Phyſic. q.* 2. *n.* 5.

POteſt concedi in propoſito quod virtute agentis naturalis non eſt poſſibile, quòd in moventibus & motis ſit proceſſus in infinitum: attamen hoc bene eſt poſſibile virtute agentis infiniti, quia Deus poteſt creare infinita moventia, & mobilia quorum quodlibet eſſentialiter dependeret, ſicut iſta inferiora dependent à ſuperioribus.

ACTIO

ACTIO I.

Vtrùm rectè credatur Mundus eſſe rotundus, ſive ſphæra.

Breviarium.

N. 1. *Orbicularitas mundi non eſt tam certa quàm putatur.*

2. *Tenetur tamen. & ſuadetur ipſa multipliciter.*

3. *Cœlum, & elementa quoad ſuperficiem concavam rotunda.*

4. *Fundamentum oppoſiti.*

5. *Quomodo faciliùs ſuſtinetur orbicularitas mundi.*

1. Videor hîc redire ad præcedentem Apologiam; quùm enim figura rei attendatur penes exteriores partes, & cœlum ſit omnium extimum; figura cœli erit figura mundi; ſive autem hoc, ſive illud quæratur, variè reſponſum eſt ab authoribus, quibuſdam ovalem, aliis cameralem figuram ei aſſignantibus, aliis aliam, quibus omiſſis, tangam generalem varietatem, quæ eſt inter antiquos, & modernos, his tamen confidenter tribuentibus ei ſphæricam figuram, & notantibus antiquos, quòd hoc neſcierint, & negarint.

Dico ergo non eſſe tam compertum, quòd cœlum, ſeu mundus, ut mavis, ſit ſphæricæ figuræ. Ratio hujus primùm mihi eſt infirmitas rationis, quâ oppoſitum adſtruitur. Audiamus enim Ariſtotelem, quantum in hac parte profecit: *Cùm videatur,* (inquit,) *ac ſupponatur univerſum ipſum verſari, id eſt, convolvi in orbem, ac rotari, demonſtratumque ſit extra converſionem extimam, neque locum, neque vacuum eſſe, rotundum etiam eſſe, ob hæc ipſa neceſſe eſt: nam ſi rectarum linearum erit figura, eveniet & locum eſſe, & corpus, & vacuum extima; nam quùm rectarum linearum figura verſatur, nunquam eundem occupabit locum, ſed ubi prius erat corpus, nunc non erit* Ita ille, neceſſariò concludens rotunditatem cœli, ne daretur vacuum, aut etiam locus extra Univerſum, ille ſcilicet, qui impleretur, & deſereretur ab angulis cœli, ſi eſſet quadratæ figuræ. Sed ni fallor, in utroque pugnat ſibi, & veritati; nam cùm locus ſecundùm ipſum *ultimam ſuperficiem continens,* & anguli illi non haberent ſuperficiem continentem, ſeu ambientem, non haberent locum, neque relinqueretur vacuum ob ſimilem rationem, quia vacuum eſt *locus aptus repleri corpore,* ibi autem non eſt locus: Confirmo, quia ipſe mundus de facto non eſt in loco, aliàs aliquis eſſet præter mundum, & extra mundum; utique enim locus eſt extra locatum, neque poteſt eſſe pars locati, ergo ſimiliter ſi eſſet mundus quadrangulus, poſſet, quantum ad hoc verſari, ſeu convolvi circulariter, & rotari.

Directè pro me eſt, quòd figura rei attendenda ſit, ut ſuprà jam, non ex concava terminatione rei, ſed ex convexa: at verò nemo Aſtronomorum unquam expertus eſt ſuperficiem convexam mundi, alioquin deberent de hoc mundo exiſſe, in quo vide notabilem oſcitantiam aliquorum, & quidem ſatis communem, quia cùm reſolvant figuram mundi eſſe rotundam, probant id per argumenta, quæ omnia ferè procedunt de ſuperficie convexa, ut eſt aſpectus ſtellarum, & elevatio earum ſupra horizontem.

Totum hoc ulterius confirmatur, ex aliquo credito, quod eſt de cœlo empyreo ſupra omnes mobiles; nam ſi ita ſit, quòd hoc ambiat alios, & ſit ſupremũ, jam figura hujus erit figura mundi: at verò hoc videtur eſſe quadrum, non verò rotundum; ita enim innuitur Apoc. 21. qui locus quùm ſit ænigmaticus, non poteſt certam fidem facere, & magis, quòd reſponderi poſſit hanc figuram competere corpori viſo à Joanne in raptu &c. Quia tamen viſio illa, & oſtenſa in ea referuntur ultimatè ad cœlum, proinde aliquid certitudinis, ſaltem probabilitatis ab hoc loco provenit ſententiæ, quæ aſſerit empyreum non eſſe rotundum, quia Civitas *in quadro poſita eſt.*

Dici poſſet contra me, quod à me ſuprà contra alios, ſcilicet poſſe cœlum eſſe quadrum intra, ſeu in concavo, & adhuc rotundum in convexo, Id autem adhuc relinqueret mundum ſphæricum, ſeu globoſum. At enim non facilè inferetur ea replica hic contra me; quia, quod eſt quadratum in concavo, tale eſt in convexo. Aliàs enim magnum diſpendium fieret, ſeu magni ſumptus in profunditate illius corporis. Pone enim illud eſſe in auro, ſicut Civitas cæleſtis à Joanne dicitur ex auro, & gemmis. Plurimum auri deberet impendi, ut omnes anguli æquarentur ad rotunditatem, & totum fruſtrà, quùm facillimè poſſit æquari, ponendo ipſum rotundum intra, ſi debuit fieri rotundum extrà, ſeu in convexo.

2. Relinquendo tamen pro nunc cœlum hoc empyreum, quia ſolâ fide conſtat, & accipiendo mundum pro corporibus, qui ratione, aut experimento naturali conſtat: Cenſeo veriùs eſſe quòd mundus ſit ſphæricæ figuræ ſaltem in convexo. Sic accedo ad communem, & probo eam Primò, quia in concavo eſt ſphæricus, adeóque vero vicinius eſt, quòd ſit etiam in convexo, cur enim corpus aliquod exiget unam figuram in una parte, & aliam oppoſitam in alia parte, ſi partes ipſæ non ſint oppoſitæ naturæ?

Secundò utor invento Ariſtotelis: prima figura primo corpori eſt aſſignanda, hoc eſt cœlum, illa eſt ſphærica, ergo. Denique cælum eſt ſphæricæ figuræ. Major videtur ex ſeipſa probabilis ob proportionem; Minor autem quoad primam partem, neſcio quomodo probetur, nec Ariſtoteles probavit, ſed ſuppoſuit eam. Poſſet autem ſuaderi accipiendo primitatem perfectionis, quia cælum eſt perfectiſſimum corpus, quomodo etiam Minor pro ſecunda parte accipi poſſet, at non accipitur ab Ariſtotele, ſed potiùs pro primitate ordinis. Probatur enim ſic ab eo, tam quoad planas, quàm quoad ſolidas, quia omnis figura plana, aut eſt rectilinea, ſicut triangulus, & quadratum, aut circularis, rectilinea continetur pluri-

pluribus lineis, circularis una. At verò clarum eſt unum eſſe prius pluribus. Eadem ratio recurrit de ſolidis; nam aliæ ſolidæ figuræ conſtant pluribus ſuperficiebus, ſphærica autem una, certum eſt autem unum eſſe prius pluribus. Intelligendo autem primitatem perfectionis in Majori, Minor ſic probari poſſet. Primò, quia ſimplex eſt perfectior compoſita: Circularis eſt ſimplex, quadrum eſt compoſitæ, ergo.

Item ſic, quia imperfectum eſt, cui aliquid addi poteſt, perfectum, cui nihil: at verò rectilineis aliquid addi poteſt, circulo nihil, ita Ariſtoteles, valeat quantum poteſt. Tertiò, quia eſt capaciſſima, & plura continet, ac minus loci occupat.

Denique hæc globoſitas mundi eruitur ex Sacris Litteris Job. 9. *ſub quo curvantur, qui portant orbem.* ubi mundus dicitur orbis, ſeu ſphæra, ſcimus autem orbem, aut ſphæram æſtimandam eſſe quoad ſuperficiem convexam corporum, hæc enim attenditur ad dandam denominationem alicujus figuræ corpori. Unde & illa, quæ nullam habent figuram in concavo, eò quòd ſint ſolida, & plena, recipiunt hujuſmodi denominationes ſphærici quadrati &c. Item Eccleſ. 25. *Gyrum cæli circuivi ſola*, quo loco ſermo eſſe debet de convexo, non verò de concavo cœli, quia ibi extollitur ſapientia ex eo, quòd omnia omnino ambiat, & luſtret, unde & ſubditur *in profundum abyſſi penetravi*: at verò ſi circuiviſſet ſolummodò concavum cœli multum ei ſupereſſet luſtrandum ſcilicet profunditas, & convexitas totius cœli, ergo.

3. Tenendum eſt tamen certò, quòd cœlum in ſuperficie concava ſit circulare, & rotundum, ſimiliter ignis, & aer, aqua, & terra; adeóque etiam ex hoc capite mundus dici poteſt ſphæricus, & rotundus; nam mundus ex his componitur; mixta enim non ſunt partes primævæ, aut principales mundi, ſed quaſi per accidens ex concurſu aliarum generata; hic non eſt tam propriè locus probandi iſta, ſed ſingula ſuũ habent. Adverto tamẽ quòd prima illa pars non rectè probatur à quibuſdã ex eo, quòd ſtellæ, quò propiores ſunt polo, eò minorem circulum & minores arcus deſcribunt, id quidem probat cœlum non eſſe quadrangulum, aut certè non eſſe quadratum: at verò, quòd non ovale non probat, nam etiam in corpore ovali, quando vertitur circa axem, partes propiores polis minores circulos, & minores arcus deſcribunt. Poteſt tamen probari, quod cæli incluſi in ſupremo, ſeu in primo mobili non ſint ovales, quia ſi eſſent, non poſſent moveri ſupra alios polos, & axem præter illum primi mobilis, aut mundi, quia conus corporis ovalis incurreret in planitiem ſuperioris cœli, & aut penetraret illam, quod non poteſt fieri naturaliter, aut ſiſteretur ab illa, atque ita non poſſet cœlum illud incluſum moveri intra ipſum ſuper alios polos, quàm ſint poli cœli includentis, quod tamen negatur communiter ab Aſtronomis & Philoſophis, qui volunt cœlos planetarios moveri motu proprio ſuper polos Zodiaci; non verò ſuper polos mundi, ſuper quos movetur primum mobile.

Deinde in tali motu relinqueretur vacuum, quia cùm cornua, ſeu apices corporis ovalis incluſi moverentur citra, aut ultra cornua incluſi, relinqueretur diſtantia aliqua inter latera utriuſque corporis, quæ quia non habet, quo repleatur, foret abſolutè vacua, ſi tamen hoc ſit ibi abſurdum. Sanè ſiſtendo in ipſa natura cœlorum non inveniy magnam abſurditatem; aut inconvenientiam hujus; aliundè tamen eſſet abſurditas, quia ſequeretur nos non poſſe ſemper videre aſtra ſuperiorum orbium, quia non poſſumus per vacuum videre, eò quod ſpecies viſibiles nõ poſſunt tranſmitti per ipſum.

Denique, etſi daremus cœlum non moveri, ſed terram, adhuc non ſufficeret cœlo figura quadrata, idque probatur argumento proximè adducto, quia nimirum tum non poſſemus ſemper & liberè videre aſtra omnia, quæ ſunt in hemiſphærio ſupra horizontem elevato; nam anguli, aut potiùs latera angulorum impedirent viſionem aſtri incluſi, & propè exiſtentis, ſi non quoad totum, ſaltem quoad aliquam partem, cujus contrarium experimur, adeóque.

Contra figuram ſphæricam cœli, quoad ſuperficiem concavam objecerunt olim S. Joan. Chryſoſt. & alii apud Damaſc. lib. 2. orthod. fid. cap. 6. Scripturam, quæ docet cœlum eſſe tabernaculum, Iſaiæ c. 40. & Pſal. 103. quod etiam repetit Apoſtol. Hebr. Conymbr lib. 2. Cœl c. 4. dicunt cœlum dici tabernaculum ratione officii, (non ratione figuræ) eò quòd tegat incluſa ſicut tabernaculum. Optarem eſſe ſatisfactum argumento per hoc, ſed non credo, alioquin eludi poſſunt ſcripturæ à nobis adductæ, de gyro cœli, & de orbe, &c. Dico ergo eſſe tabernaculum, ſeu tentorium, atque etiam fornicem &c. quæ magis verificantur noſtro modo, quàm illo Adverſariorum, quia ſecundùm nos cœlum eſt ſæpè tabernaculum, ſcilicet in utroque hemiſphærio, & in quacunque poſitione, quâ cœlum dividitur in duas partes, ſingulæ enim includendo terram faciunt hemiſphærium.

Magis obſtat experientia aſtrorum, quæ videntur quadra, atque adeò ſunt talia, nam etiamſi eſſent leviter quadra, viderentur à longè rotunda. Vis hujus argumenti eſt in paritate orbium, ac aſtrorum, quia, quùm ſint ejuſdem naturæ, videntur debere eſſe ejuſdem figuræ. Reſpondeo negando aſſumptum, ut patet in Sole, & Luna, quæ quamvis videantur plana, tamen ſunt rotunda, idemque de aliis planetis. Stellæ autem firmamenti fortaſſis aliquam talem apparentiam Quadraturæ habent propter ſcintillationem, in qua ejaculantur radios directos, & diſtantes in unam partem præ alia: In re autem non habent eam, vel ſi habent non trahunt cœlum ad ſuam figuram; nam figura hæc à nullo exigitur.

5. Denique adverto, quòd qui poneret cœlum liquidũ, facilius poſſet tueri ipſius, & conſequitur mundi orbicularitatem, idque in convexo ejus; per rationem, ſcilicet, ob quam terra & aqua ſunt rotunda, quia nimirum omnia gravia tendunt ad centrum per lineas facientes angulum, & omnia, ac ſingula nituntur ſe applicare centro; id autem ſtatim efficit figuram rotundam totius, quia ſi grave remotius à centro hîc videret locum deſertum ibi, ſtatim accurreret eò, atque ita omnia in circuitu vadunt. Idem jam transferri poſſet ad cœlos, horum enim locus eſt ſupremus proximè applicatus elementis, debent ergo illud cingere, ſeu circumvenire æqualiter ab omni parte. adeóque ipſi eſſe ſphærici & circulares.

ACTIO II.

Vtrùm Mundus potuerit eſſe æternus quoad permanentia?

Breviarium.

1. *Verius non poſſe permanens eſſe æternum: Suadetur Theologicè.*
2. *Phyſicè etiam, à paritate aliorũ attributorũ Dei.*
3. *Creatura æterna non poſſet deſtrui & deſinere.*
4. *urgetur adhuc pluries: tali creaturæ repugnaret creatio.*
5. *Objectiones tres in oppoſitum ſolutæ.*
6. *Aliæ duæ adhuc, æternitas durationis, an ſit infinitas perfectionis?*

SUppono factum, ſcilicet Mundum de facto non eſſe ab æterno, id enim eſt de fide toties, etſi non eſſet, certè vix expediri poſſet per rationem, an fuerit, ſuppoſito, quòd potuerit eſſe. Ad rem præſentem habemus ſubſidium aliquod veritatis liberè inquirendæ, quòd Doctor Subtilis hîc nulli parti ſe addixit, ut videas 2. diſt. 1. q. 3. ubi negotium ex propoſito tractat, neque quidquam reſolvit aliud, quam rem dubiam, ſe incertum eſſe, quo poſito.

Dico ad quæſitum negativè, ſcilicet nullam creaturam etiam permanentem potuiſſe eſſe ab æterno. In hanc inclinor primò ob rationes: ſecundò, quia magis concors Catholicæ fidei defendendæ, ut infrà. Tertiò, quia ſic ſequor Seraphicum S. Bonaventuram, qui eſt Dux, & Signifer ſcholæ in hac parte. Præter ipſum autem plures hanc tenuerunt, & etiam nunc moderni tenent, ut videas apud ipſos, atque etiam apud Camer. in præcedenti, qui ipſe Scotiſta eſt, & hanc mordicus tenet.

Prima hujus probatio ſit diſcurſus ille Dei cum Job, ubi Deus ſe exaltat, & creaturam deprimit ex diſparitate perfectionum utriuſque, ut videre eſt ibi cap. 38. uſque ad 42. excluſivè. At verò multò magis valebit diſcurſus Dei, ſi dicantur perfectiones illæ non modò nõ cõpetere creaturæ, ſed nec poſſe. Aliàs enim Job, aut alius ex illis ſapientibus poſſent commodè reſpondere Deo, & redigere eum ad aliquod ſilentium, dicendo verum quidem eſſe, quòd de facto iſta dignitas (æternitatis v. g.) non competat homini, attamen
4 poſſe eum etiam quoad hoc æquare Deum. Sic
id Lucæ 2. illud B. Virginis quod ſonat de facto, accipiendum eſt de poſſibili: *Quomodo fiet iſtud* (ut ſcilicet pariam filium) *quoniam virum non cognoſco*; ad hoc ut ipſa teneri poſſit prudenter loquuta, alioquin enim reſpondere poſſet ei Angelus, nihil referre quòd eo uſque virum non cognoverit, adhuc ſupereſſe tempus huic rei, & poſtea cognituram, unde debet eſſe ſenſus, virum non cognoſco, id eſt, non poſſum cognoſcere ob emiſſum votum caſtitatis, ita hic. Poteſt etiam argumentum hoc extendi ad Patres; nam niſi dicamus cum concluſione, ſtatim ſequetur illos hoc incommodum malè inferendi, eò magis virandum, quòd aliqui illorum in Concilio Oecumenico uſi ſunt illatione, quæ planè nulla eſt; niſi teneatur veritas noſtræ reſolutionis. Cùm enim Arius blaſphemaret filium Dei eſſe creaturam, ipſi contra eum ſic arguebant: filius eſt æternus, ergo non creatura; quæ illatio, ut vides, ſupponit nullam creaturam poſſe eſſe æternam; nam ſi poſſit, ipſa nulla eſt, Athanaſ. orat. 2. contra Arian.. Ita Cyrill. Alexand. lib. 6. theſ. cap. 2. Unde Baſil. lib. 2. contra Lunam; *Nos ejuſdem dementiæ eſſe putamus, & creaturæ æternitatis teſtimonium præbere. & Creaturarum Dominum hac confeſſione privare.* Et ex Latinis Amb. lib. exam. & Auguſt. 12. civit. c. 15. *Quomodo Angeli creati dicendi ſunt, ſi ſemper fuiſſe intelliguntur.*

Ad hæc dicunt Adverſarii, ſeu potiùs vellent multa dicere. Primum eſt ſanctos Patres loqui ad hominem, ſive ex principiis Arianorum: at enim hoc eſt divinare. Oſtendant enim Arianos ita ſenſiſſe. Deinde Ariani, quorum dogma invaſit maximam partem Europæ, & ſcholarum, ac Scriptorum ejus, non poterant eſſe tam ſtupidi, ut ſimul hæc duo tenerent, ſcilicet Verbum eſſe æternum, nullam creaturam eſſe æternam, & adhuc contenderent illis quaſi præmiſſis admiſſis, quòd Verbũ eſſet creatura, aut negarent illud eſſe creatorem. Tunc enim ſtatim ſequeretur eos illud Conſequens, quòd aliqua creatura eſſet æterna.

Aliter ergo exire tentant, dicendo Patres loqui de æternitate perfecta, & independente ſpecialiter, & hac æternitate creaturam non eſſe æternam apud ipſos: non verò de æternitate imperfecta, ſeu participata, de qua hîc eſt ſermo. At enim hic eſt error pejor priore, qui plerumque contingit illis, quos piget videre authores in fonte. Etenim primus Adverſarius Arianorum, & primarius hujus argumenti uſurpator Athanaſius planè oppoſito modo utitur illo, & nequaquam accepto pro perfecta æternitate, ſed pro ipſa participata; nam quùm ſcilicet in concluſ. 2. habita in concluſ. Nyſſen. uteretur ille hoc argumento noſtro, Ariani uſi ſunt hac ſolutione Adverſariorum, & ipſe protinus refutavit eam nolens ullam æternitatem competere creaturæ, ait enim *ſi æternus, ergo non creatura.*

2. Accedendo jam ad rationes hujus partis: Prima ſit à paritate; quia alia Dei attributa non poſſunt competere creaturæ, ergo nec æternæ. Nec evadet, qui dicet æternitatem participatam poſſe ei cõpetere, id enim refutatur ex Antecedenti, quia alia attributa Dei, ne quidem participatè, & cum dependentia poſſunt ei competere; non enim creatura poteſt omnia ſcire ſaltem uno actu; non poteſt omnipotentiam habere, & ſi dicamus omnipotentiam illam habere cum dependentia à Deo; non poteſt eſſe objectum beatitudinis, licèt dicatur interim dependere; & denique non poteſt eſſe immenſa, id eſt, replere omnem locum ſine replicatione per unicam ſimplicem præſentiam, quia hoc non ſolùm eſſet habere; ſed exigere immenſitatẽ, cur ergo poterit æternitatem habere, licèt dicatur habere, illam cum dependentia? Sanè ego mihi diſparitatem dare non poſſum, neſcio quomodo alii dent maximè illi, qui profitentur veritatem Antecedentis in propriis materiis, v. g. qui dicunt creaturam, non poſſe creare, id enim intelligunt etiam de creatione activa dependenti. Diſputant enim, & reſolvunt, an creaturæ communicari poſſit virtus creativa? & reſpondent negativè.

Secunda ſit illa: Æternitas eſt quædam infinitas, creaturæ autem nullæ infinitas poteſt convenire, ergo nec æternitas. Major patet, quia æquivalet infinito tempori, & ſic durans infinitè durat, ſive accipiatur adæquatè, ab utraque parte ante

Digitized by Google

ante & poſt, ſive ab una tantùm, puta à parte ante. Minor eſt clara, quia finita eſſentia non eſt capax infinitæ proprietatis, aut accidentis, ſive ulliusaffectionis.

Reſponderi fortaſſis poſſet durationem hujuſmodi æternam eſſe quandam infinitatem, ſed extenſivam, adeóque non ſimpliciter, & abſolutè talem; ſed fruſtrà; nam talis æternitas manifeſtè eſt intenſiva, quia eſt aliquod indiviſibile tantæ virtutis, ut ſuſtinere poſſit habens ipſum in vita, ſeu exiſtentia per infinitum tempus, puta infinitos dies, & annos.

Dici tamen poſſet argumentum non poſſe convincere, quia de facto competit creaturæ æternitas à parte *poſt*, nec tamen habet ullam propriè dictam infinitatem proinde, aut ſi habet poterit aliam ſimilem habere pro *ante*. Reſpondeo non eſſe ſimile, quia duratio à parte poſt, non eſt tota ſimul, ſed ſuccedit per partes. Secundò res, quæ durabit à parte poſt in æternum poteſt non durare infinitum, poteſt enim deſtrui à Deo interim: at verò res quæ ab æterno produceretur, non poteſt tam citò deſtrui, quin infinitè duraverit.

Imò videtur mihi (& ſit tertia probatio) quòd illa res nunquam poſſet deſtrui; id autem non videtur poſſe competere creaturæ; nam proinde
6 ſcriptum eſt de Deo, *quòd ſolus habet immortalitatem*; probo ſequelam, quia æternitas involvit omnem durationem, & habet eam ſimul; nam illud indiviſibile inſtans æternitatis includit omnem omnino, (cur enim unam magis, quàm aliam;) atque adeò ſicut ipſe Deus per ſuam æternitatem, quæ inſtans eſt ejuſmodi, coexiſtit, & vivit ſimul omnem durationem, ita quodcunque ponitur in illa æternitate, ut ſit duratio ejus. Urgeo quia æternitas non eſt duratio ſemi-infinita, ſed abſolutè infinita, ergo exigit, ut id cujus eſt menſura, non tantùm pro dimidio temporis vivat, ſed pro toto, & omni. Urgeo adhuc ſi res in æternitate producta poteſt in tempore deſtrui, ita ut debeat tantùm pro parte ante eſſe æterna, Quæro num hoc determinato tempore v.g. anno 1650. an verò anterius? ſi anterius 100. annis, quæro an ibi ſiſtendum ſit, dicent quòd non, & ego quæram ſemper uſque dum fateantur mihi aut rem ab æterno productam poſſe ab æterno deſtrui, quod implicat, aut non poſſe in tempore deſtrui, quod eſt intentum; nam ita debebit toto tempore durare, atque ita eſſe omnino indeſtruibile, quod repugnat creaturæ. Proſequor argumentum, nam accipiendo omnes annos, omnes dies, & horas &c. quæ ſunt in æternitate ante, vel verum eſt, quòd res illa poſſit in quolibet ex his deſtrui, vel eſt aliquis annus, aut dies in quo non poſſit deſtruibilitas ejus ibi incipere potiùs, quàm uno anno, aut die antecedenti.

3. Si autem primum dicatur, ſequitur ut ſuprà, quod etiam tunc poſſet deſtrui, quùm producitur, ſi enim nullus annus, dies, hora, &c. excipitur, jam nec ipſum inſtans, in quo incipit, atque ita incipit, & definit ſimul, eſt, & non eſt tunc.

Contra hoc dici poteſt, non eſſe neceſſe, ut quod ab æterno fuit, debeat in æternum eſſe; nam ab æterno fuit non eſſe mundi, non tamen in æternum erit, ab æterno fuit non eſſe unionis hypoſtaticæ, & humanitatis in Verbo Dei, & tamen jam eſt ipſa, imò, & ipſa humanitas. Reſpondeo negando hæc fuiſſe ab æterno, non enim habent eſſe, ſed non eſſe iſta, adeóque verè dicuntur non fuiſſe, falsò autem fuiſſe. Dent aliquod poſitivum Adverſarii, quod fuerit ab æterno, & non fuerit in æternum, & tunc adferent inſtantiam in contrarium. Interim hoc eſt nihil.

4. Ultimò arguo ex ipſa productione creaturæ: quælibet enim debet ex nihilo produci, ſed talis nõ potuit ex nihilo produci, eò quòd non ſit nihil ejus, neque unquam fuerit, quùm ſemper fuerit eſſe, & aliquid ejus, hinc opponitur non-eſſe, & nihilo, adeóque. Sed hæc ratio pleriſque non videtur vincere, quia credunt, ut aliquid fiat ex nihilo non requiri: verum nihil ejus, ſive non eſſe illius prius tempore, ſed ſolùm prius naturâ, quod tunc haberetur: at enim credo ego rationem meliorem eſſe ſolutione, contra quam dupliciter inſto; Primo, quia omne inſtans naturæ eſt in aliquo inſtanti temporis, ſeu durationis realis; non enim enim ſunt per ſe iſta inſtantia naturæ; at verò illud non-eſſe non eſt in ullo inſtanti reali, ergo nec naturæ. Minor probatur, quia aut eſt in inſtanti, quo producitur res, aut in in aliquo priori; non in illo, aliàs in eodem inſtanti foret eſſe, & non eſſe ejuſdem, non in aliquo priori, quia æternitate non datur prius.

Secundò, quia ut aliquid ſit terminus motus, non ſufficit exiſtentia ejus in inſtantibus naturæ, aut alia metaphyſica & ſpeculativa, vel conditionalis exiſtentia, ſed opus eſt verâ, & præſenti: at verò id, ex quo ſit aliquid eſt terminus motus, ergo non ſufficit ad ipſum, quod eſſet, daretur, aut exiſteret, ſed opus eſt, quòd ſit ſuo modo de præſenti tunc, quando motus eſt: Patet autem exiſtentiam illam in inſtanti naturæ non eſſe talem, quia explicatur per hoc, quod eſſet, fuiſſet, daretur &c. Negotium reſolvitur in Majori, quam probo ſic: Primò, quia terminus ad *quem* motus debet exiſtere, ergo & à *quo*; Detur enim diſparitas. Secundò præcipuè, & practicè ſic: ſi hodie deſtrueretur urbs Roma ita in non eſſet amplius magis, quàm ſi nunquam extitiſſet, certè ego non poſſem diſcedere Roma, neque etiam accedere Romam; ſive Roma non poſſet eſſe terminus aut à quo, aut ad quem itineris, aut motus mei, ergo ſimiliter

Contra hoc videtur tamen eſſe inſtantia privationis, quæ eſt terminus à quo motuum generationis, & tamen non exiſtit aliter, quàm hoc modo. Reſpondeo ſi non inſit aliter, dic, quòd non ſit terminus. Re autem vera ineſt carentia, idque in inſtanti reali, an verò illa carentia ſit propriè privatio in generationibus, quæ de facto contingunt, non defendo, neque Ariſtoteles id tam clarè docuit, ſed abſtraxit à caſu, & tradidit univerſalem doctrinam. Unde nimis animoſi ſunt, qui abſolutè volunt generationes omnes de facto fieri ex privatione, quùm nunquam ſit privatio veræ formæ ſequentis in ſubjecto; nam in inſtanti generationis non eſt, quia tunc eſt forma ipſa, in præcedenti non, quia tunc eſt forma corrumpenda.

Hæc de difficultate creaturæ parmanentis ab æterno; quam tamen alii aliter reſolvunt, & probant: ſed, ni fallor, perperàm; imaginantur enim quæri, an creatura permanens poſſit exiſtere infinitis annis à parte ante, ſcilicet nullo anno ita antiquo; ut ſic dicam, quin extaret alio anteriori, illud enim eſſet extare in tempore, non verò in æternitate. Itaque tota diligentia eorum in hoc puncto eſt intempeſtiva, & irrita; nobis infrà ſuo loco occurret examen hujus.

Digitized by Google

5. Objicio: non eſt neceſſe quod cauſa præ-
lat tempore ſuum effectum, ſed ſufficit quòd
ecedat natura, ergo non eſt impoſſibilis aliquis
ectus coætaneus Deo, atque ita æternus. Hic
rus aheneus illis, ſed, nî fallor, facilè irrumpam
n, & cogam illoſmet erumpere. Licet enim
ni arguere ſic; non eſt neceſſe, quòd cauſa ſupe-
in perfectione ſuum effectum, ſed poteſt eſſe
qualis, ſic enim ignis ignem, homo hominem
erat; ergo non eſt impoſſibile effectum ali-
m Dei eſſe infinitæ perfectionis; Tanta enim
oteſt eſſe ut ſit æqualis illi, non audebunt admit-
e Conſequentiam Adverſarii, cur ergo volunt
go illam admittam, quæ enim diſparitas? nul-
lanè, ſed utrique hinc inde debemus has re-
las circumcidere quando aſcendunt ad Divi-

Hæc ſolutio ſolvit etiam ſequens, *in quo*
um fundari volunt. Si non poteſt Creatura
qua eſſe æterna, ſequeretur quòd Deus infinito
npore fuerit otioſus, & neceſſariò ceſſaverit
omni opere ad extra, Id autem apparet ſtatim
inconveniens, eſt enim ligare manus Deo in
a æternitate. Reſpondeo reſumendo idipſum
od ſuprà, & ſic applicando: Aut enim Deus
eſt æqualem ſibi effectum producere, aut non
eſt. Primum jam dixi ab ipſis Adverſariis ne-
i, & meritò, eſſet enim Deum ad extra produci,
n infinita perfectio non poteſt niſi in Deo eſſe,
autem dicatur ſecundum, (ut omnino dicen-
m eſt) tunc ſequitur quod infinita virtus in Deo
otioſa, quod ſic deduco. Deus enim nullam
tutem finitam habet, adeóque virtus ejus pro-
ctiva ad extra eſt infinita; at verò non poteſt
am hanc applicare in producendo aliquid, er-
neceſſariò continetur ab agendo. Hæc duo
uli propter ſolutiones has adhibendas; nam
oquin argumenta ſunt communia. Idem facio
ſequenti.

Tertiò: Creatura poteſt eſſe infinita à parte
ſt, quidni ergo à parte ante. Reſpondeo, qui
urgent non videntur adhibuiſſe reflexionem
ra concluſionem, quam impugnant; negavi
aturam poſſe eſſe æternam ſic ut duraret æter-
are, & produceretur ante omne tempus: at
ò Creatura, quæ erit æterna à parte poſt, non
ante tempus, aut ſine tempore. Itaque hæc
io hîc importuna, eſt alibi fortaſſis tempeſtiva.

6. Objicio quartò, nihil repugnat Creatu-
, niſi quod habet aut trahit ſecum infinitatem
rfectionis, ſed æternitas non habet infinitam
fectionem, quia tantæ perfectionis eſt res, quæ
rat multis annis, & quæ durat uno. Hoc tan-
Doct. in Littera, & videtur æſtimare; poteſt-
confirmari à paritate, quia ſi res ponatur in
ltis locis, non propter hoc erit perfectior,
m ſi relinqueretur in ſolo uno, cur ergo dicet
nitam perfectionem, quòd res ponatur in
ltis temporibus, vel in aliqua duratione adæ-
nte multa tempora? Unde formari poteſt à
ite argumentum contra concluſionẽ, quia de
to poteſt res poni in infinitis locis ſi ſint, ergo
nfinitis temporibus &c. vel ſpaciis durationis,
enim in his ſpaciis præ illis? Et ſi fortè res non
ſt poni *in* infinitis locis, ſed impotentia illa
n oritur à re, ſed à locis, qui tot eſſe nõ poſſunt,
o ſimiliter. Reſpondeo ſolutio hujus debet
poſitiva probatio Concluſionis, nam in ſolu-
ibus adfertur ratio repugnantiæ, quod etiam
bis ſuprà factum eſt.

6. Quintò ſic arguo; ſi poneretur ſive facilè, ſive difficulter creatura æterna, quæ eſſet activa, certè poſſet habere effectum æternum: quidni ergo Deus, qui de facto eſt æternus? an minus abſurdum eſt, quòd creatura recipiat æternitatem à creatura alia, quàm à Creatore? Antecedens autem videtur certum, nam ſi ponatur corpus & ſpeculum ab æterno, ſine dubio corpus illud exprimeret imaginem ſuam in ſpeculo.

Hoc argumentum habet alteram partem de ipſo Deo immediatè, qui ſi eſſet agens naturale produceret de facto res omnes ab æterno, ergo etiam poteſt, licèt non velit, aut non expediat, quia non differret, tunc in virtute activa à ſeipſo hodie, ſed in modo agendi. Mirum fortaſsè videbitur, quod mihi videtur de hoc argumento, puto enim faciliorem eſſe primum caſum, quàm ſecundum, id eſt, facilius fieri poſſe, ut creatura æterna habeat effectum coævum ſibi, quam ut Deus immediatè; aſſigno tamen rationem, quia nimirum tota difficultas jam eſt ſuperata in productione primæ creaturæ, puta in productione ſpeculi, & hominis: unde non eſt mirum, quòd producatur imago in ſpeculo. In utroque ergo dicendum eſt, ſi hæc eſſe poſſint, propterea poſſe eſſe quia tunc præſervit alia ſuppoſitio impoſſibilis: Quamvis reverà non cogit nos ſecundum argumentum directè; nam etiamſi Deus eſſet naturalis in agendo, non ſequitur, quòd ab æterno produceret, tunc enim ſequeretur, quòd produceret effectum aliquem infinitum. Naturalitas ergo non redderet ei poſſibilem aliquem effectum, qui aliàs eſſet impoſſibilis, ex primo caſu arguo ultimò contra me: Creatura habet eſſe poſſibile ab æterno, & etiam ab ipſo Deo accepit eſſe æternum ſive illud, (ut videtur velle D.) ſive aliud; certum eſt etiam quòd habeant eſſe cognitum ab ipſo, & in ipſo. At verò iſta cognita, & poſſibilia ſunt creaturæ ſine dubio, alioquin ſumus extra caſum; & iſta non erunt creaturæ cognitæ, aut creaturæ poſſibiles, ſed Deus cognitus, & Deus poſſibilis, &c. quæ falſa ſunt, ergo jam aliquæ creaturæ verè fuerunt æternæ. Si autem creaturæ in eſſe diminuto, poſſunt eſſe æternæ, quantò magis ſecundùm eſſe ſimpliciter, necenim credibile eſt majorem perfectionem poſſe illis, quàm his convenire, adeóque. Reſpondeo argumentum non poſſe vincere, quia Concluſio ejus denique eſt contra fidem. Determinatum eſt enim, quidquid ſit de poſſibili ſaltem de facto omnem creaturam cœpiſſe in tempore. Secundò etiam reſpondeo ideo illud non vincere, quia eſſe illud cognitum eſt realiter Creator, intentionaliter tantùm creatura, ſicut imago in ſpeculo, realiter eſt ipſe homo extra ſpeculum, intentionaliter eſt aliud; & clarius ſunt imago hominis picta, realiter eſt tabula, & colores, & nihil minus, quàm homo, licèt dicatur homo à repræſentatione. Sic inquam, illæ æternæ ſunt divina realiter licèt repræſentativè ſint creaturæ; ſicut imago repræſentat hominem, quùm ipſa tamen nihil humanitatis habeat.

ACTIO III.

Vtrùm Succeſſivum potuerit eſſe æternum?

Breviarium.

N. 1. *Nullum ſucceſſivum eſt categorematicè æternum, probatur.*
2. *Objicitur contra, & reſpondetur.*
3. *Non implicat ſucceſſivum ſyncategorematicè æternum, probatur pluries.*
4. *Ratio ardua in oppoſitum de tranſitu infiniti, ſolvitur.*
5. *Alia ſimilis: an omni motu detur aliquid prius?*
6. *Vltima minoris nota de loco mobili eliditur.*

1. AD hoc nunc temporis Authores expeditè, & ſubitò reſpondent negando, parati ſtatim demonſtrare, unde & ſupplodunt Ariſtotelem tanquam parum verſatum in materia æternitatis, & circumſtantiis ejus. Exiſtimo non eſſe temerè reſpondendum, ſed diſtinguendum de categorematicè æterno, & de ſyncategorematicè æterno ut infrà, tùm ob rei veritatem, tùm ob mentem noſtri Doct. Quid autem ſit categorematicum, & ſyncategorematicum æternum, patet ex categorematico, & ſyncategorematico infinito ſuprà. Unde

Dicendum primò & certò nullum motum, aut aliud ſucceſſivum potuiſſe eſſe categorematicè, & propriè æternum. In hoc omnes conſpirant, & videtur ſolum ipſum eſſe in oculis eorum, qui dicunt abſolutè, & ſine limite ſucceſſiva, nullatenus potuiſſe eſſe ab æterno; & ratio in promptu eſt multipliciter, quia nihil poteſt eſſe æternum, quo aliquid eſt prius: at verò omni ſucceſſivo aliquid eſt prius, ergo nullum ſucceſſivum eſt æternum. Major ſeipſam oſtendit, quùm nihil poſſit eſſe prius æterno, quia hoc occupat omne ſpatium, quia aliàs Deo eſſet aliquid prius, quia æternitas definitivè eſt *interminabilis vita*, ſed terminaretur de facto, ſi excederetur ab alio, ubi enim aliquid exceditur ibi finitur. Minor ergo eſt probãda, quod ſic præſto: in omni ſucceſſivo prima pars eſt prior ſecundâ ſine dubio: vel ſic clarius; pars præcedens ſine dubio prior eſt parte ſequenti, quod certiſſimũ eſſe termini ipſi docent, ergo & eſt prior toto, quia totum dicit partem ſequentem. Pergo: clarum eſt, quòd ſucceſſivum illud ſecundùm poſteriorem partem non poſſit eſſe æternum, infero: ergo nec ſecundùm priorem; quam Conſequentiam probo, quia aliter pars præcedens duraret infinita duratione, ſcilicet tota æternitate, antequam adveniret ſecunda, quod implicat quùm inter iſta mediet tantùm inſtans, & denique in his idem eſt de parte, ac de toto, quia quùm ſit continuum, quælibet pars eſt totum, quia conſtat aliis partibus. Aliæ rationes faciles, & frequentes ſunt, adeóque omitto eas, quia paſſim leguntur; ut, quòd tunc motus non eſſet in fluxu, ſed in ſtatu, quod non eſſet mutatio mobilis &c. Quæ omnia, & ſingula ferè faciunt hujus rei evidentiam.

2. In oppoſitum opponi ſolùm poteſt ex ſuppoſitione communioris ſententiæ de poſſibilitate creaturæ permanentis v. g. ſolis ab æterno. Si enim hic fuiſſet ab æterno, poſſibilis eſſet motus ab æterno, quia hic fuit ſemper mobilis, quùm fuerit ſemper naturalis, ſed hoc non premit. Dicetur enim fuiſſe mobilis in tunc, ſed non pro tunc; ſicut etiam tunc, imò in ipſo inſtanti productionis ſuæ eſt corruptibilis: at non pro illo.

Acrius ex dictis ſuprà in hunc modum: motus poteſt pro aliqua parte coexiſtere inſtanti; nam inſtans poteſt coexiſtere parti, quod totum viſum eſt ſuo loco, quidni ergo motus, aut ſucceſſivum, quid poſſit eſſe in æternitate. Confirmo, ſaltem mutato eſſe poſſunt eſſe in inſtanti. Ipſa enim ſunt talia, quùm ſint indiviſibilia continuativa motus: at verò quandocunque iſta ſunt partes motus, aliàs non continuarent eas. Non enim poſſunt inter ſe continuari, quæ non exiſtunt ut evidens eſt. ergo.

Reſpondeo hoc fortaſſis efficiet, ut aliqua pars proportionalis, aut quaſi indiviſibilis motus poſſit correſpondere inſtanti, non autem quòd pars æqualis, de qua hîc: & retunditur argumentum hoc in iiſdem principiis, ex quibus eſt ortum, nam licèt in continuis permanentibus proxima aliqua pars indeterminata poſſit contingi à puncto, & coextendi ei, non tamen pars æqualis; non enim poteſt punctum coextendi palmo; ita nec inſtans horæ, & multò minus anno: at verò velle oppoſitum Concluſionis eſt velle, quod inſtanti coexiſteret annus non unus, ſed plures, & quod partes ejus interim non fluerent, ſed coexiſterent ſibi &c. quæ omnia ſunt paradoxa.

3. Dico jam quoad alterum illud non repugnare tam manifeſtè, quòd motus, aut ſucceſſio fuerint ſyncategorematicè æterna, id eſt ſic, ut nullus fuerit motus, aut pars ejus, qui ne eam præceſſerit alia, habet hoc D. lib. 7. phyſ. q. 2. ibi: *Poteſt concedi in propoſito quod virtute agentis &c.* ut in themate apud Sco. n. 5. Idipſum alii plerique conati ſunt ſuſtinere. Licèt communiter non auſint hoc Authores aſſerere: quæ mihi videntur militare pro hac parte, huc adfero: Et primum ſit Concil. Later. cap. *Firmiter* &c. ubi definit Mundum hunc cœpiſſe, & non fuiſſe æternum, ſive *Deum ſua omnipotenti virtute ab initio temporis utramque de nihilo condidiſſe Creaturam ſpiritualem, & corporalem &c.* quo loco notandum eſt, Concilium non dixiſſe in *tempore* condidiſſe, quia tunc dubitari poſſet, an non ab æterno condiderit, eò quòd dubitetur, an ipſum tempus ſit, aut potuerit eſſe æternum, ſed dixit eum condidiſſe ab initio temporis, quo poſito, certum eſt eum non condidiſſe mundum ab æterno, quia non habet initium, neque quidquam æternitati coævum, adeóque jam ſecundùm Concilium relinquitur, quod tempus potuit eſſe æternum, etſi initium temporis non potuerit eſſe æternum, aut ſaltem hoc eſſe

Digitized by Google

bium de mente ejus, alioquin fruſtrà recurriſ-
ı tempore ad initium temporis.

Arguo etiam ſecundò à ratione ſtando ad- in materia hujuſmodi argumenti; nam ſi pus non poteſt coexiſtere æternitati, ſed de- eſſe poſterius; quæro de primo tempore ndo productum ſit, (productum enim eſt, ſit aliquid extra Deum) in æternitate, aut in pore? ſi in æternitate jam erit æternum, ut vi- Quòd autem non in tempore videtur ex caſu patere, quia ipſum eſt primum tempus, pponimus, adeóque non poteſt dari aliud s, in quo hoc producatur.

Dilato vim hujus argumenti: Dicunt enim rique aſſertores creaturæ permanentis ab æ- no, quòd illa poſſit deſtrui, ſed in tempore in æternitate. Hîc quæro ergo quænam mu- o facta fuerit circa illam creaturam, ut ab æ- nitate reducatur ad tempus? quando æterni- non poteſt amplius defendere eam à corru- ne, & eo relicto Adverſariis explicando

Probo intentum aliter ſic: de facto mun- cœpit ante ſepties mille annos, ut ſupponi-; Quæro autem, an neceſſariò tunc cœperit, on potuerit prius cœpiſſe. Certum eſt, quod uit, neque ullus negabit; cœpiſſet ergo mille s prius, an potuit prius cœpiſſe? potuit; an uit bis mille? potuit, ter mille? potuit, & ſic ndendo per myriades annorum; aut erit ſta- & hoc non, quia non poteſt dari ratio ſtatus, non erit ſtatus, & eſt intentum; hæc enim eſt æternitas ſyncategorematica, quam moli-; neque video quid directè poſſint ad hoc re Adverſarii.

Hæc ratio recidit in aliam, quâ probatur nclusio ex eo, quòd tempus imaginarium po- eſſe æternum, & ferè ſunt unum, quia illud pus imaginarium eſt quaſi quædam poſſibi- temporis realis. Sed quoniam negant illud verſarii, probo ſpecialiter à paritate, quia ni- um ſpacium imaginarium loci datur, atque in eſt mundus de facto, & ſine dubio eſt infi-, neque ullos terminos habet: cur ergo ter- os, aut fines habebit ſpatium temporis? Con- o, quia ſi mundus creatus fuiſſet mille annis terius, quàm de facto fuit, tum negatio, aut eſſe mundi magis duraſſet, quàm de facto du-: at verò hic exceſſus menſurandus eſt tem- e imaginario; nam reale tempus cum ipſo ndo cœpit, & ſic quidem probatur hæc ſynca- orematica æternitas motus, ita ut æquet ſuo do ipſam categorematicam æternitatem.

Aliter fortaſſis probari poſſet concedendo quem exceſſum illius ſupra hanc, quam explico paritatem infiniti permanentis; nam ſub in- to categorematico poſſunt fieri infiniti aſcen- abſque eo, quod unqnam deveniatur ad æ- ilitatem infiniti categorematici, v. g. Deus eſt nitè ſapiens, dico ſapientiam creaturæ poſſe geri infinitis ſyncategorematicè ſaltem au- entis abſque eo quòd æquet Dei ſapientiam.

Et probo efficaciter, nam ſi finitis æquaret, Dei ſapientia eſſet finita. Dices non æqua- initis, tamen ſub ea non poſſent ſumi, niſi fini- Malè dictum; adhuc enim redit abſurdum, d Dei ſapientia ſit finita, ſi enim infra ipſam tantùm finitæ ſapientiæ, & una aliqua adæ- t eam, certè jam finita ſapientia adæquat eam, finitum per additionem unius non redditur itum.

Sed inquies; quæ Conſequentia hujus doctrinæ, negare creaturam permanentem ab æterno poſſibilem, & concedere ſucceſſivam, quùm æternitas ſucceſſiva duas difficultates involvat; unam communem omnibus creaturis, alteram propriam ratione prioris, & poſterioris? Reſpondeo, videbitur fortaſſis malè textum, ſed à longè videntibus, ſi propriè diſpiciatur, cohæret. Non enim ego id concedo ſucceſſivis, quod nego permanentibus, (inſanum enim id foret) ſed aliud, negavi permanentibus æternitatem, quia in illis foret categorematica, foret aliquid indiviſibile virtualiter, imò formaliter infinitum; creatura illa, (ſit enim homo) foret coæva Deo, non poſſet ab illo deſtrui; ſaltem non niſi poſt infinitam vitam &c. quorum nihil hîc recurrit. Æternitas enim horum eſt ſyncategorematica, eſt in qualibet parte finita, imò breviſſima, ſeipſo deſinit, imò ruit ſine eo, quòd actione ullius interim agentis deſtruatur, &c.

Inſtabis, ſaltem totum ſucceſſivum eſt æternum, eſt coævum Deo, &c. Nego: quia illud totum nunquam eſt, ſed dividitur *inter eſt, erit, fuit*, quæ nunquam coexiſtunt.

Adverte etiam me præſcindere pro nunc ab aliis abſurdis, ſi quæ fortè ſequuntur, ut quòd detur infinitum actu, ſi crearentur Angeli in ſingulis partibus ſaltem determinatis, & non communicantibus motus, &c. Reſolvi enim duntaxat quoad intrinſecam poſſibilitatem, & impoſſibilitatem motus.]

4. Contra hanc ipſam tamen eſt non parva difficultas, quæ communiter objicitur, & cenſetur triumphare. Eſtque de tranſitu ſucceſſivo infiniti, qui cenſetur impoſſibilis, & talis expreſsè ab Ariſtotele eſt reputata: non poteſt ergo infinitum ſucceſſivum pertranſiri: at verò tranſiretur in noſtra Philoſophia, ergo denique hæc involvit impoſſibilitatem. Puto tamen, quòd etiam hanc difficultatem tranſibimus; ad quod præſtandum, quæro ex inimicis, num infinitas, aut æternitas à parte poſt, poſſit ſucceſſivè tranſiri? Reſpondebunt negativè, at ego aſſero, ſic illam tranſiri ſicut iſtam noſtram, licèt inverſo modo; nam incipiendo hodie nunquam devenietur ad ultimam diem, ideóque non tranſitur æternitas illa poſt; atque etiam incipiendo hodie nunquam devenietur ad primam diem retro, cur ergo tranſibitur? non vident paritatem? Sed inquies illi dies reverà tranſierunt, iſti non; neque unquam tranſibunt. Concedo totum, & nego intentum tuum. Non enim tranſitus eſt contra rationem infiniti. Sed enumeratio, quæ apprehenderet primum, & ultimum, quia ergo in æternitate à parte ante, non datur primum, licèt detur ultimum, non poteſt illa numerari, adeóque nec tranſiri modo ullo indebito, planè ſicut in æterno à parte poſt, invenitur primum, non tamen ultimum, adeóque &c. vides plenam paritatem.

5. Aliud fundamentum Adverſarii non malum eſt, quòd res æterna non habeat prius, omnis motus habeat prius: Idem eſt de poſteriori, nam omnis motus habet poſterius, in æternitate nihil poteſt eſſe poſterius, ergo nihil motum. Explicatur vis argumenti; ſignantes enim duas partes æquales motus, vel etiam duo puncta apud Zenonem, unum ex his eſt prius, aliud poſterius, & tum quæritur, aut inter primum, & ſecundum interceſſit æternitas, aut non, ſed ſolum inſtans temporis noſtri ſi primum, ſequitur motum non fluxiſſe

Digitized by Google

fluxiſſe,ſed ſtetiſſe ab æterno quod ſtatim deſtruit ipſam eſſentiam ejus, adeóque hypotheſin noſtram. Si ſecundum, ſequitur, quod ne quidem primum illud componens,aut continuans fuerit ab æterno. Ratio,quia non præcedit rem temporalem,niſi unico inſtanti, non poteſt autem æternitas unico ſolo inſtanti excedere tempus,ſicut nec quidpiam infinitum excedere finitum, finito (& multò minus indiviſibili) exceſſu.

Ad hoc unica reſponſio pluribus viis dari poteſt: Reſpondeo ego negando Minorem, dico ergo non omnem motum habere aliquid ſe prius,quia non motus totalis, qui fieret ab æterno,ſolum ergo verificatur illud de partibus motus, ſed hinc inſtant illi, motus nihil eſt niſi ſuæ partes, quod ergo prius eſt omnibus partibus prius eſt toto motu. Reſpondeo motus nihil eſt niſi ſuæ partes diviſivè ſumptæ,nego,collectivè ſumptæ,concedo,& tum nego aliquid eſſe prius omnibus partibus motus.

Inſtari tamen adhuc poteſt; ſi quis auferat omnes partes diviſivè ſumptas, certè auferet totum motum. Et magis ad rem præſentem, ſi quis poſtponat alicui ſigno notabili v. g. alicui puncto,ſingulas partes alicujus, certè poſtponet ipſum totum,ergo ſi fateamur ſingulas partes eſſe poſteriores æternitate, fatebimur totum motum eſſe poſteriorem eâ. Ex his primum convincit, ſecundum non, intelligo prius de ablatione deſtructiva partium, ſi ſcilicet ſingulæ deſtruantur. tunc enim non poſſunt remanere omnes. Alia tamen ſunt prædicata, quæ poſſunt negari de ſingulis, & affirmari de conjunctis; nam ex duabus unitatibus ſingulæ non ſunt duæ, ambæ conjunctæ ſunt duæ, materia, & forma ſingulæ non ſunt homo, conjunctæ ſunt: unde nego ſecundam inſtantiam, quòd ſcilicet, ſi ſingulæ poſtponantur, omnes poſtponentur, ad id enim opus eſt,ut ſimul eſſent poſt ipſum vel ut aggregatum ex omnibus ſequeretur ipſum.

Dices ſi ita ſit,tum nõ valebit dicere:hic homo eſt riſibilis,& ille eſt riſibilis,& ſic de cæteris,ergo omnis homo eſt riſibilis, quod tamen celebratur in ſcholis tanquam certiſſimum inſtrumentum ſciendi,imò non valebit inferre,quòd duo homines ſint riſibiles etiamſi enumeraverim illo modo infinitos. Nego tamen Conſequentiam hujus,non enim adfert paria: Aliud eſt enim dicere, hic, & ille, & tertius &c. eſt riſibilis: ergo omnis homo eſt riſibilis; Aliud verò inferre, hic, & ille eſt riſibilis, ergo omnes homines ſunt riſibiles.

Oſtendo jam ego hunc illorum diſcurſum redire in ipſos: omni motu eſt aliquid prius dicunt illi, idque eſt de eſſentia motus, qui non poteſt habere primum: Quæro ergo utrùm omni motu ſit aliquid poſterius? utique dicent quòd ſic; nam de eſſentia motus eſt etiam non habere ultimum,tum inquiro,an toto motu qui erit, aut poteſt eſſe æternus à parte poſt, erit aliquid poſterius? Si ſic, ipſe non erit æternus ab illa parte, quia exceditur, ſi non,ut reverà non erit,jam neque neceſſe erit, ut aliquid ſit prius omni motu; cur enim neceſſe eſt aliquid eſſe prius,& non erit neceſſe aliquid eſſe poſterius,aut vice verſa?

6. Tertia ratio contra me eſt iſta :mobile v.g.Sol,qui debet æterno motu moveri, creatus eſt in uno ex duobus hemiſphæriis ſine dubio; ſit ergo noſtrum hoc, debuit Sol in eo fuiſſe per æternitatem,quia omne cum quo res ponitur in æternitate durat totâ illâ, & non poteſt in ipſa deleri, ergo jam non potuit ſol ab æterno moveri, niſi velis ut tota æternitate quieſceret ſimul, & moveretur. Reſpondeo tamen hoc non facere contra me directè. Etenim ego aſſero non repugnare motum æternum ex ratione ipſius motus ſeu ſucceſſionis,ſive ex eo capite, in quo à re permanenti diſtinguitur: an verò ex alio capite pugnet,quale eſt hoc,quod hîc adfertur, de creatione ejus non laboro. Reſolvo enim,quod deberet dici, ſi ſol eſſet à ſe, & dico dicendum eſſe, quod ſemper potuit moveri. Deinde dico argumentum quodammodo ſolutum eſſe per hoc ipſum;nam ſi ponamus ſolem productum eſſe ab æterno,erit tamen tam vetuſtus,& tantùm durabit, ac ſi fuiſſet à ſe, idem ergo de illo dicendum erit in caſu, quo produceretur, & caſu quo eſſet à ſe; ſicut ergo ſi foret à ſe, non eſſet prius in uno hemiſphærio,quàm in alio, id enim eſſet incipere æternitatem, & æternum motum, ita hic; exiſtimo ergo ad hoc ultimatè dicendum reſpectu talis ſolis non dari creationem, quæ ſit aliud à conſervatione,ut imaginatur arguens, neque Deum videre aliquid, quod ſit creatio,& non ſit conſervatio ejus; id enim eſſet videre initium exiſtentiæ ſolaris,quod pugnat hypotheſi,ſic enim non eſſet æternus, ergo jam accipienda ſunt in tali ſole creatio,& conſervatio pro eodem, & tum dicendum eſt, quòd ſol v. g. creatus ſit in utroque hemiſphærio,quia intra tempus(ut ſic loquar)creationis,& conſervationis ejus fuit infinities in quolibet ex his hemiſphæriis, & in utroque conjunctim, quam viam reſpondendi ex parte vidi, & approbavi in quodam acuto Recenti, adeóque aliquid ejus debeo ei,non debeo tamen, nec probo,quod ibidem ille ait de motibus æternis,ſcilicet unum non poſſe eſſe alio velociorem, quod ſufficit indicaſſe, nam argumenta ducta ex comparatione motuum,& exceſſu,aut infinitate partium ejus,jam dixi ad me non ſpectare.

Addo tamen ipſe aliud hoc, quia motus ab æterno maximè eſſet circularis, (rectus enim patitur difficultates,) at verò implicat hunc eſſe æternum, nam ſemper eſt aliquid eo prius, utique enim mobile prius pertranſit ſemicirculum quàm circulum, adeóque omni circo eſt aliquid prius puta pars integrans ipſum , ergo. At hoc non nocet, poteſt enim dici primò, quòd ſemicirculus non fuerit prior circulo in motu infinito, eò quòd ante omnem circulum mobile deſcripſerit circulum, imò infinitos circulos,ſicut jam dixi, quòd antequam ſol fuiſſet in ſecundo hemiſphærio (intellige omnem determinatam præſentiam ejus in illo)fuerit infinities in primo, imò in utroque. Sed eſt durum , nam infinitum non pervertit ordinem partium,& totius,nec eſſentialem compoſitionem,aut præcedentiam rerum : unde in infinito primò ſunt Quarta , quàm Quinta. Mitius ergo dici poteſt illum motum eſſe circularem etiam quando non perfecit circulum, & ſine dubio ita eſt,aliàs nunquam daretur propriè circularis , nam nunquam aſſignari poteſt *nunc* in quo totus circulus ſit.

* * *

ACTIO

Digitized by Google

ACTIO IV.

Vtrùm generationes viventium potuerint eſſe ab æterno?

Breviarium.

. *Generationes non poſſent fuiſſe æterna, ſi procederent à cauſa externa &c.*
2. *Alius modus decidendi ad quæſitum etiam affirmativè.*
3. *An poſſit mundus ſeipſo durare in æternum?*
4. *Rationes contra reſolutionem hujus ſive pro parte affirmativa.*

EXaminabo hoc in communi ſenſu, cui addam ipſe alium, quo intelligi & reſolvi poſſit. Communis modus inter Chriſtianos Philoſophos eſt, ut intelligatur, ut aliquid a homo a Deo immediatè productus, & ab alius viâ naturali per propagationem, ac conium ſexuum. Ariſtoteles autem, & alii ſic inigebant generationes æternas, ut hoc animal t à ſuis parentibus, parentes ab aliis parenti-, hoc eſt filius à Patre, hic ab Avo, Avus à pro-, proavi ab atavis, ſine fine, vel potiùs ſine ini- non adhibendo aliam cauſam præter ipſos nnes, neque ullum hominem, niſi genitum illis.

De hoc inprimis cenſeo eum eſſe quidem um, at non ex eo capite, quod communiter onitur ei: eſt ergo inde falſus, quia ponit gerationes independentes à cauſa externa, quæ Deus, aliàs tam poſſibilis, qàm modus philohandi Chriſtianorum, de quo nunc cenſebo, iturus poſtea ad Ariſtotelem.

Dico ergo generationes non potuiſſe fuæternas, ſi procederent ab aliquo individuo to à cauſa externa illi collectioni, de qua agi-; hoc eſt clarè loquendo, non poſſe fieri æter-, ſi orirentur ab aliquo producto à Deo.

Pro hac adfero rationem à quibuſdam retam, ſed immeritò, ut oſtendam; eſt autem : nihil æternum ſupponit aliquid prius, genetiones naturali viâ factæ ſupponerent aliquid rius, ſupponunt enim alterationem, & diſpoonem, quæ debent etiam tempore præcedere nerationem ſubſtantialem, (agimus enim de nerationibus naturali viâ factis,) at verò hoc odo diſpoſitiones præcedere debent generanem non utcumque, ſed tempore

Reſpondent aliqui hoc nihil efficere, quia t quælibet generatio particulariter ſumpta ponat diſpoſitiones prius tempore, tamen a collectio generationum non ſupponit eas, : infertur rectè ex eo, quòd quælibet generatio ponat alterationes tempore priores, quòd tocollectio ſupponat eas; clarum eſt enim multa npetere collectioni, quæ non competunt ſinis unitatibus illius: ita ferè omnes, qui in hac atione conquieſcunt, & adferunt exempla erum.

Verùm, niſi fallor, non eſt expugnata ratio hæc, & adhuc ſequitur generationem non æternam ex eo, quòd ſupponat aliquid antelenter, quod ſic deduco. Non ſolùm ſingulæ erationes, ſed collectio earum habet aliquid is hoc autem ſi probetur, actum eſt de Adverſariis, etiam ex ipſorum confeſſione, ſic autem probo ipſum: collectio diſpoſitionum eſt prior collectione generationum: ergo aliquid præcedit ipſam collectionem. Antecedens ſic ſuadeo: Aut collectio diſpoſitionum eſt ſimul cum collectione generationum, aut eſt prior eâ, aut eſt poſterior: ſi ſit prior, vicimus, ut vides. Quòd autem non poſſit eſſe poſterior, fatentur Adverſarii, nam dicere habent hanc eſſe æternam, non eſſet autem, ſi foret poſterior alia collectione tota. Res ergo deducta eſt tota ad hoc, ut probetur illas collectiones non eſſe ſimul tempore, quod ſic præſto; ſicut enim ſe habent ſingulæ ad ſingula, ita complexum ad complexa, ſed ſingulæ diſpoſitiones ſunt priores tempore ſingulis generationibus correſpondentibus ſibi, ergo complexum hoc alterationum & diſpoſitionum eſt prius tempore complexo generationum correſpondentium. Confirmo exemplo, trahendo rem à prioritate temporis ad illam naturæ, dignitatis, &c. Valet enim dicere de duabus multitudinibus hominum, & leonum, quilibet homo ex his eſt perfectior quolibet leone, ergo collectio hominum eſt perfectior collectione leonum. Item de iiſdem; quodlibet riſibile eſt poſterius natura quolibet rationali; ergo collectio riſibilitatum eſt poſterior natura collectione rationalitatum. Alia probatio ſolida hujus eſt ſuprà allata Act. præcedenti in alia materia de motu quæ hîc etiam locum habet, eſtque omnibus magis evidens: videatur, & applicetur ſi placet.

2. Mihi libet examinare alium caſum hujus rei, etenim cauſa, cur tam facilè reſolvitur generationes non poſſe eſſe æternas, eſt, quia ad illas prærequiruntur diſpoſitiones, ad has autem tempus. Si ergo ponamus aliquid à Deo productum ab æterno, ſtatim generare poſſet, ſicut ſol ſtatim emittit ex ſe lumen; nam hujus generis generationes poſſent eſſe ab æterno. Reſpondeo ad hoc primò ſi illud productum immediatè à Deo naturaliter generaret, generationes potuiſſe eſſe ab æterno, at non uſque hodie, neque cum ſucceſſione, ut intelligitur hîc quæri, quia nimirùm omnia iſtius generis in eodem inſtanti producerentur, nam illud productum immediatè à Deo, in eodem inſtanti quo creatum eſt produceret aliud ſibi ſimile, & hoc eadem ratione in eodem inſtãti generatiionis ſuæ (quod fuit inſtans creationis primi) aliud, & ſimiliter hoc aliud & ita tota illa ſpecies in eodem inſtanti realiter produceretur, atque ita non foret quomodo expectatur hîc, ſcilicet cum ſucceſſione, quæ per tempus tranſiret.

Si autem liberè generaret, tunc reſpondendum cum diſtinctione, ſi ſcilicet tale vellet generare,

Digitized by Google

rare, aut producere ſimul cum ſui ipſius productione, aut vellet producere poſterius. Si Primum, jam reſolutum eſt, quia tunc incidit in caſum generationis naturaliter procedentis; etenim tunc quoad hoc æquiparantur. Si autem poſterius vellet generare, tùm nec generationes, immò nec ipſi homines forent ab æterno quia ſecundus homo non eſt ab æterno eo, quod aliquid eo realiter prius, immò infinitè prius, ſcilicet tota æternitate, primus homo.

Quæres in primo caſu num producta eſſent infinita? Ratio dubitandi pro parte negativa eſt, quia in eo poſſent aſſignari primum, ſcilicet ille productus à Deo: Reſpondeo tamen verius eſſe quod forent infinita producta, ſi contingeret per poſſibile, vel impoſſibile caſus, de quo non diſputo. Cauſa, quia productum eſſet omne producibile, hoc autem non eſt poſitum in aliquo finito. Ad rationem dico illud non eſſe primum in hoc caſu niſi naturæ prioritate, quia omnia realiter ſunt ſimul, hæc autem prioritas non impedit quia non facit aliquid eſſe finem vel extremum alicujus totiùs.

3. Quæro jam in fine utrum mundus poſſit ſeipſo durare in æternum à parte poſt, ſive continuari res ut jam currunt ordinario Dei concurſu, necne? Ad quod equidem exiſtimo probabiliter reſponderi negative ex multis capitibus, ex quibus unum eſt, quod non durabit adeoque cenſendum eſt, quod non ſit natum durare, Deus enim accommodat providentiam ſuam naturæ rerum, ſicut animam rationalem, & materiam conſervat in æternum, quia ſunt apta durare concurſu illius ordinario, & ſicut inſtituit de facto reſurrectionem mortuorum, quia de facto re vera exigitur ab immortalitate animæ.

Dices non exigebat mundus creari, & tamen creavit eum Deus, quidni ergò deſtruat, etſi exigat durare. Reſpondeo aliud eſt dare non habenti, aliud eſt eripere habitum; Deinde mundus non exigebat non eſſe, ſeu eſſe nihil.

Pergo; de facto terra, & aqua patiuntur quandam violentiam, Aqua enim exigebat circumdare terram, & terra eſſe in imo, quod non eſt factum, at verò nullum violentum eſt perpetuum, ſaltem non univerſaliter, ergo. Tertio principaliter, quia corpora naturalia mutuâ actione, & repaſſione debilitantur, quod verò debilitatur longa actione, certũ eſt quod non poſſit ſufficere, aut reſiſtere infinitæ, demus inſtantiâ hujus. Terra enim, quæ continuò aratur, non reddit ſegetem aut fructus niſi ſegniter, & malignè, non verò in ea copia, quam in principio reddebat. Quod pro-
Exod. 23. v. 11. be ſciens ipſe Deus ordinavit, ut ſeptimo quoque anno Judei dimitterent terram intactam, &, iſte annus vocabatur Sabbathum Terræ. Si ergò paucis annis minuitur fæcunditas Terræ, nonne infinitis extinguetur? utique.

Quartò eſt alia experientia hujus, quia nimirum in principio mundi homines victitabant herbis, & crudis quidem, & tamen ſaniſſimi, & robuſti erant, nunc autem videmus non ſufficere eas ad tolerandam vitam, certe autem non ad ſervandas vires.

Quintò, quia ex hiſtoriis conſtat magnitudinem corporum humanorum decreviſſe vehementer, & ſine dubio idem eſt de aliis viventi-
bus etiam vegetativis: ante diluvium, im
poſt ipſum erant gigantes. Dices, etiam nu
ſcuntur ſubinde hujuſmodi monſtra: R
deo hoc nihil eſſe, primo quia tum erant
que locis ordinaria ſtatura etiam diu po
vium ut conſtat ex num. 13. ubi exploratore
ad luſtrandam Terram Canaan retulerun
lus, quem aſpeximus procera ſtatura eſt. Ibi
monſtra filiorum Enac, de genere gigantum
bus comparati quaſi locuſta videbamur. U
Deut. 13. *ſimiliter, cunctaque terra Baſan*
tur terra Gigantum. Beroſus etiam antiqu
ſcriptor, ſignificat monſtra illa paſſim n
lita. Deindè Gigantes qui nunc cenſentu
& monſtra longè ſunt infra vaſtitatem an
rum C. Plin. de Gigante, qui tempore claud
eſt, dicit eum fuiſſe novem pedes, & to
uncias longum; At verò antiqui longiſſi
excedebant. Gigas Og Amorræus erat tre
pedes cum ſemiſſe longus ſcilicet novem c
ad *menſuram cubiti virilis* ut videre eſt ex le
reo ejus. *Deut. 3.*

Eadem ratio poteſt inſtitui de viribu
ætate hominum, nam in his quoque veh
ter decreverunt; Senectus noſtra in antiqu
pueritia, aut ut maximè juventus: &,
pius accedam, conſtat vitam humanam
meti: nam olim Eccleſia prohibebat connu
ter Conſanguineos infra ſeptem gradus u
ſtat ex cap. *ad ſedem* 35. 95. quod deſun
eſt ex epiſt. Alex. II. & ex cap. *nullus* qu
Julii II. nunc autem reduxit ea ad quatuo
dus ſub Innoc. III. in Concil. Later. & h
cap. *non debet* de Conſang. quia ut advert
ctorel in Jolet. in aliis gradibus non ſuper
4. Dices à 4000. annis terminus Ordina
tæ humanæ ſunt 80. anni, at verò jam ho
dentur multi centenarii ergò jam à 4000.
non decrevit vita hominis. Deinde obſer
eſt homines in magnitudine ſimiliter perſe
ſe, nam ſtatuæ antiquorum, quæ ſuperſ
plurimum æquant juſtam magnitudinem
num noſtri temporis, ad hoc

Reſpondeo locum illum non eſſe
univerſalem, ſed fortaſſis Davidem à que
ptum videtur argumentum, de detern
hominibus loqui, non de omnibus on
immo locus eſt in oppoſitum, *amplius enim*
& dolor ergò amplius vivunt, Eccleſ. 18.
rus dierum horum ut multum centum anni. A
rum illud neſcio ubi Moriſan noſter vide
tuas vetuſtas ullis millibus annorum; dein
vertere debuit in picturis, & ſtatuis non c
mathematicè magnitudinem, ſed ſtari
ferè citra, quia parum in imagine repræ
multum in re.

Objicio etiam rationem, aut corrum
tur aliqua ſpecies in mundo, aut non corr
retur, Si non, habetur intentum: ſi ſi
habetur: quia non fit corruptio ſine gener
adeoque ſemper erunt generationes. R
deo ſint ſemper dummodo non ſemper ſi
mantium, & præcipuorum mixtorum.

Contra ſecundo eſt, quod Cælum
fine duraturum, ſaltem aptum durare, no
autem fieret cœlum æternum, ſi mundus
ſet æternus, ſicut non fit tectum ſolidius
& multò minus fundamentis. Reſpond

Digitized by Google

on ſolum factum eſſe pro mundo mixto- : eo quia in perpetua actione verſetur, ſed pro mundi quiete, qualis poſt diem Judi- :, quia, tunc *Creatura liberabitur à ſervi- ruptionis.*

Et ego hinc ſumo occaſionem concluſionis mandæ, nam ſi Deus non erat relicturus um ad æternas generationes ſed ad tempo- & finitas, non debet dici dediſſe eis vir- ſufficientem pro æternis: tunc enim infini- us cæli eſſet fruſtra, cenſendum ergo eſt ille ſumme ſapiens, & qui omnia appen- pondere, & menſura, quandoquidem vo- luit generationes hic infra durare finito tempo- re, dederit generantibus proportionatas vires, & quæ ſoli tempori ſufficerent, non verò æter- nitati, ad quam nos beatos perducere dignetur idem Deus, & Dominus noſter per Chriſtum, filium ſuum in cujus gloriam hic imponimus qualemcumque finem Phyſicæ noſtræ, tom, 2. Cartar. ſeu Scot. defenſ. hac 22. Aprilis 1653.

(***)

Adde ex:

ıt. *in Tym.* Ariſt. 1. *de Cal. text.* 33. *&* Plutarch. *lib.* 2. *de plant.* D. Bonav. 2. *d.* 1. Thom. *ibid. & opuſc.* 27. Henric. *quodl.* 1. *qu.* 7. Albert. Richard. Marſil. Major *in* ſ. Durand. *ibid.* Guliel. Pariſienſ. *lib.* 1. *de Vniv.* Udalric. *lib.* 4. *ſum.* Areſ. *l.* 1. *de* Ge-). 4. Gabr. Vaſquez. 1. *p. d.* 177. Veract. Specul. 2. Perer. *l.* 15. *cap. ult.* Iſolan. *l. aeternit. mund.* Suares *d.* 29. Met. Conymbric. 8. Phyſic. *t.* 2. *q.* 7. Valeſ. *controv.* 25. *de Sac. Philoſ. c.* 1. Valent. 1. *p. q.* 3. Raph. Averſ. *Tom.* 2. *q.* 31. Rocc. 7. *Phyſic. q.* 2. Ruv. *ibid. q.* 1. Ponc. Ariag. Guied. *loc. ſupra citat.* Maſt. *&* Bel. *hic d.* 1. Hieron. *de aeternit. mund.* Tartar. *item dub.* 2.

COM-

COMMENTARIA APOLOGETICA SCOT
IN LIBROS METAPHYSICÆ ARISTOTELIS
Author F. Bonaventura Baro.

STatui equidem Curſum meum duobus Tomis complecti, quorũ priori Logicam & Metaphyſicam traderem, alio alia, ſcilicet naturalia, eo quod nunc ſeculi & ſtudii hæc philoſophiam abſolvant, quando Ethica non dictantur. Deinde tamen quum viderem magna injuriâ auditorum, atque etiam ipſius diſciplinæ, principé partem philoſophiæ, Moralem ſcilicet omitti, nolui committere ut aut complemento ſcientiæ, aut utilitati lectorum, aut denique Subtili meo deeſſ m, quem quum defendendum ubique aſſumpſerim: non potui deſerere quo minus etiam in moralibus propugnarem. Cæterum ſcientia Metaphyſica alio præambulo non eget, aut hederâ appensâ, quum ſit totius philoſophiæ apex, ſummæ nobilitatis, atque etiam difficultatis: ex quibus prius illud ab ob cto, alterum à potentia ſive à nobis haber, qu rum immerſus materiæ intellectus, difficilli concipit immaterialia & abſtracta, in quibus men metaphyſica omnis occupatur. Sed en nobis non erit adeo operoſus tractatus ejus, q jam ex magna parte defuncti ſumus, quum in L gicâ prædicamenta tradiderimus; hæc enim M taphyſica cenſentur: quo titulo Ariſtoteles o ſtrictus, quum ea meo more dictaſſet in Logic nihilominus in Metaphyſicâ repetivit. Itaque duabus abſtractionibus Metaphyſicæ nos una tantum proſequemur, præciſivam ſcilicet, atq ita communes conceptus duntaxat entis, boni, ſimilium: nam poſitivè abſtracta à materia pu Deus, & Intelligentiæ hunc ſeculi in Theologiâ traduntur: ergo incipiamus finem operis: & ſit.

APOLOGIA PRIMA.
Prooemialis, de Natura & Objecto Metaphyſicæ.

ACTIO I.

Utrum Metaphyſica miſceat ſe objectis aliarum ſcientiarum.

ACTIO II.

Utrum Metaphyſica ab aliis ſcientiis diſtinguenda ſit? & quid de hoc viſum ac practicatum Ariſtoteli?

ACTIO III.

De objecto vero Metaphyſicæ.

ACTIO IV.

Expedit plura ſparſim de natura Metaphyſicæ.

Scotus *lib. 6. Metaph. quæſt. 1. num. 19.*

EX his patet quod quum alicujus cognoſcibilis eſſentialior ſit illa cognitio quæ eſt in particulari, cet magis confuſa quam quæ eſt ejus in univerſali tantùm, potens applicari ad ipſum in particu ri & diſtinctè, & de quocunque ſubjecto ſpeciali prima cognitio habeatur in ſcientiâ propriâ, ſecun autem in Metaphyſicâ, eſſentialius cognoſcit quælibet ſcientia ſpecialis *quid* proprii ſubjecti qu Metaphyſicus.

Idem *quæſt. 3. Prolog. num. 29.*

AD ſecundam quæſtionem dico quod hæc ſcientia (*Theologia*) nulli ſubalternatur, quia licet ſu jectum ejus poſſit aliquo modo contineri ſub ſubjecto Metaphyſicæ, nulla tamen principia a cipit à Metaphyſicâ; quia nulla paſſio Theologica demonſtrabilis eſt in eâ per principia entis, n per rationem ſumptam ex ratione entis, &c.

Digitized by Google

ACTIO I.

Vtrum Metaphyſica immiſceat ſe objectis aliarum ſcientiarum.

Breviarium.

1. Objecta aliarum ſcientiarum attingi à Metaphyſica.

2. Non tamen ſub propriis rationibus eorum.

3. Obiicitur contra hoc ultimum, & reſpondetur quadrupliciter.

4. Alia obiectiones ſoluta: Diſtinguens an debeat diſtincte cognoſcere diſtincta.

Dicendum primo etiam ſuppoſita diſtinctione Metaphyſicæ ab aliis ſcientiis, omnium objecta attingi à Metaphyſica quoad aliquid, ita ut non ſufficiant ſingulæ ...æ ad omnes cognitiones quæ habendæ ſunt de ...ſorum objectis: Hæc videtur ſingularis, ſed ...t Scotiſtica, ex Subtili ſæpius. Poſſem pro eâ ...gglomerare Ariſtotelis Loca, ſed quorſum? ...uum illa non reddant theſin veram, ſed ſuppo...ant.

Moveor ergo ratione, quia licet forte definitio ...bjecti ſcientifici pertineat ad ſcientiam cujus ...t, tamen diviſio pertinet ad ſuperiorem, intel...go de diviſione in quâ illud eſt pars ſubjectiva ...ondividens. Verbi gratia: ſubſtantia materia...s eſt objectum phyſicæ, ſuppono: hujus defini...o & demonſtratio ex ipsâ phyſicâ petenda eſt: ... vero diviſio alterius in ipſum non item; non ...im ad phyſicam pertinet dividere ſubſtantiam ...t ens ut ſic, ſed accipere diviſum.

Reſpondet Poncius hanc diviſionem eſſe ...ctum duarum ſcientiarum, Phyſicæ & Meta...hyſicæ: quod etiam repetit ad aliam ſimilem ra...onem: ſed refelletur abunde infra eo loco: nunc ...e moror.

Proſequor argumentum, quia definitio & ...iviſio ſpectant ad eandem ſcientiam: utique ...nim ſcientia quæ plenè examinat rem, explorat, ...c tradit non ſolum quid? ſed quotuplex ſit res? ...o magis quod pleraque prius ſint dividenda ...uam definienda, adeoque diviſio & aſſignatio ...membrorum dividentium, ſubſtantiam verbi ...ratia, ut ſic, pertinebit ad ſcientiam cujus eſt ...bjectum ipſa ſubſtantia ut ſic: hæc eſt metaphy...ca ut ſupponimus, adeoque aſſignatio ſubſtan...iæ corporeæ & incorporeæ pro partibus ſubje...ctivis hujus, item aſſignatio ſubſtantiæ ut ſic pro ...enere ejus, erit opus Metaphyſicæ. Quod con...rmatur quia eadem cognitio non poteſt de jure ...pectare ad duas ſcientias diſtinctas, quum nihil ...dem poſſit eſſe in dominio ſolido duorum: alio...uin quilibet illorum poſſet illud ſibi vendicare ...ltero invito, quod non poteſt contingere: hæc ...pectat ad tractantem ipſum commune obje...ctum, ergo jam non ſpectat ad ſcientiam ſpecia...em: atque ita ſcientia ſuperior qualis eſt meta...hyſica: habet etiam aliqua tradere de objecto, ...on ſolum ſuæ ſuperioris, ſed etiam aliarum infe...orum ſcientiarum.

Dici contra hæc duo poſſunt: unum eſt ...uod ſimili jure pertineat diviſio ad inferiorem ſcientiam; nam inferioris proprium eſt dividens quemadmodum ſuperioris proprium eſt diviſum. Deinde ſecundo objici poteſt, quod ſine dubio definitio ſui objecti pertinet ad quamvis ſcientiam, eo autem poſito, ruit noſtra aſſertio: nam in definitione includitur genus, adeoque ad ipſam inferiorem pertinebit: ſed genus eſt membrum dividens, & pars ſubjectiva ſuperioris diviſi, adeoque hæc ad inferiorem proprie pertinebit.

Reſpondeo ad primum: arguentem viciſſe, niſi prius diviſio fieret quam membrum diviſum pertineret ad ſcientiam inferiorem: quia autem prius illa fit, & factio ejus pertinet ad ſuperiorem, ideo &c. Ad ſecundum dico, definitiones ſubjectorum non tam proprie ſpectare ad ſcientias in quibus traduntur; & ratio poſita fere eſt in hac ipsâ objectione, quia nimirum genus eſt prima pars definitionis, hoc autem mutuatur aliunde: Addo etiam hanc aliam, ſi tamen alia ſit, quod principia ſubalternatæ ſcientiæ ſumantur à ſubalternante, de quo infrà; at vero nullum principium eſt æque ſolemne in ulla ſcientia, ac definitio ſubjecti, adeoque.

2. Dico jam ſecundò, Metaphyſicam, ut talis ſcientia, ſeorſim non deſcendere ad proprias rationes objectorum aliarum ſcientiarum, & ſane mirum eſt oppoſitum veniſſe in mentem aut calamum ullis; quum ipſum ſuppoſitum in quo authores hinc inde conveniunt, ſcilicet diſtinctio ſcientiarum probet hoc, nam ſi illa ſola omnia contineret, aliæ ſcientiæ non eſſent aliæ, ſed eſſent illa. Deinde illa excederet ſuum objectum, quia extenderet ſe ad alia: Tertiò: aliæ ſcientiæ, puta phyſica, mathematica, non eſſent partes ſubjectivæ ſcientiæ ut ſic, ſed partes integrales metaphyſicæ, imo neque daretur ſcientia ut ſic, neque ſcientia omnino eſſet genus, ſed ſpecies ſpecialiſſima & atoma, quia nimirum non haberet ſub ſe ſpecies, ſed unam tantum ſpeciem, ſcilicet metaphyſicam: quæ omnia quam ſint abſurda, nemo non videt, ergo.

Conati ſunt reſpondere ad aliqua horum Adverſarii, dicendo fore adhuc alias ſcientias, & non fore ſuperfluas, quamvis metaphyſica tractaret proprias rationes objectorum illorum, quia nimirum ſupereſſet adhuc aliis ſcientiis quod agerent, ſcilicet conſiderare accidentia, puta proprias paſſiones, &c. objectorum: hoc enim eſt quod reddit facultatem aliquam ſcientificam. Sed non evadunt; cur enim metaphyſica miſcet ſe propriis rationibus ſubſtantiarum, non verò accidentium? cur objecta ſcientiarum conſiderat,

non

non vero paſſiones? quum aut utrumque, aut neutrum ad ipſam ſpectet? verbi gratiâ in phyſicâ, cur ratio ſubſtantiæ naturalis tractabitur à metaphyſica, ratio mobilis non? certè in mathematicâ ipſum objectum ſcientiæ principale eſt accidens, ſcilicet quantitas, & paſſio alterius puta materiæ.

3. Objicio tamen pro ipſis: objectum metaphyſicæ intrat etiam proprias rationes objectorum aliarum ſcientiarum, ergo metaphyſica habet conſiderare propria objecta aliarum ſcientiarum, patet enim quod ipſa debet ferri cum objecto ſuo, quocunq; vadit. Aſſumptum hujus ſuadetur, quia etiam propriæ rationes objectorum, quarumcunque ſpecierum & rerum includunt formaliter ens. Reſpondeo primò hoc argumentum probare ſolutionem ſupra proximè à me allatam, quod ſcilicet metaphyſica debeat etiam paſſiones conſiderare, & non tantum ſubjecta earum, quia nimirum paſſiones includunt objectum metaphyſicum ex æquo ſcilicet ens. Reſpondeo etiam argumentum eſſe in oppoſitum; infra enim ſuo loco, per Dei gratiam, oſtendam hic aſſumi planè falſum, neque ens includi aut in differentiis ſpecierum, aut in paſſionibus. Tertiò dico argumentum ſaltem deficere, nam licet includant illa ens, at non proinde poſſunt includere ſolum ens, adeoque tota illa non pertinebunt ad metaphyſicam. Denique etſi daretur totum hoc, id non eſſet dicere quod metaphyſica conſideraret objecta aliarum ſcientiarum, ſed objectum ſuum; illud enim certo eſt ens, adeoque.

4. Objici ſecundò poteſt: metaphyſica diſtinguit objectum unius ſcientiæ ab objecto alterius, v. g. objectum phyſicæ, quod eſt corpus naturale à corpore quantitativo, quod eſt objectum mathematicæ; non poſſet autem niſi utrumque cognoſceret, ergo jam denique id facit, atque ita deſcendit ad particularia objecta aliarum ſcientiarum. Patet minor: quia ponens differentiam inter aliqua attingit utrumque ſicut etiam ponens convenientiam: & hæc ipſa eſt ratio, quæ ſuadet ponendum eſſe ſenſum communem in animali, quia nimirum videmus in eo principium diſtinguendi ſenſationes, & objecta particularium ſenſuum. Reſponſio prima huius eſt, id fieri quidem ab homine, at non per habitum ullum, ſed per potentiam, ſcilicet per intellectum. At contra hoc eſt quod quicunque actus potentiæ repetitus, aptus eſt in eâ generare habitum, ergo & iſte actus diſtinguendi inter obiecta ſcientiarum; tum de illo habitu quæro quis ſit? aut eſt metaphyſicus, & habetur intentum; aut alius, & ita dabitur habitus aliquis prior ac univerſalior metaphyſico, quod omnes & merito negant. Noſtras Ponc. ad hoc reſpondit quod ille habitus quo cognoſcitur talis differentia ſit partim phyſicus, partim metaphyſicus, (quia ſcilicet uterque habitus concurrit ad eum:) At non rectè, quia ſicut nullus unus actus eſt in duplici ſpecie, ita neque eget duplici habitu ad ſe producendum: quam rationem ſic proſequor; nam actus ille repetitus gignit aliquem habitum ſine dubio, non metaphyſicum: eo quod phyſica habeat tantumdem iuris in eum: nec phyſicum propter eandem rationem huc recurrentem: erit ergo alius, atque ita dabitur habitus aliquis non ſolum diverſus ab his tribus in quos dividitur ſcientia ſpeculativa, ſcilicet, metaph. phyſic. mathemat. ſed etiam quod peius eſt erit aliquis elevatior metaphyſica & univerſalior: quam conſequentiam probo: quia ſenſus communis qui iudicat de obiectis particularium eſt magis univerſalis quam ullus particularis: ergo ſcientia quæ iudicat de obiecto Metaphyſicæ & aliorum erit magis univerſalis quam ipſa Metaphyſica & aliæ.

Itaque ad hoc dicendum denique exiſtimo, quod actus quo ſcitur obiectum Metaphyſicæ diſtingui, ab obiecto Phyſicæ, pertineat ad habitum Metaphyſicum, & poſſit elici ab eo: cuius cauſam hic aſſigno, quia nimirum ad habendum iudicium ſive affirmationem aut negationem de aliquo, non eſt opus ut concurrat habitus circa utrumque extremum propoſitionis, ſed ſufficit circa unum, quod ſit ſubiectum; v. g. ad demonſtrandam de homine riſibilitatem, ſufficit ſcientia de natura hominis, nec eſt opus aliâ de natura riſibilitatis. Dices: debet cognoſci etiam riſibilitas. Reſpondeo verum eſt, ſed non eſt neceſſe cognoſci per habitum, ſed ſufficit quod cognoſcatur per potentiam, & ad ipſum ſufficiet habitus circa ſubiectum propoſitionis; atque ita hic ad diſtinguendum obiectum Metaphyſicæ ab illo Phyſicæ ſufficiet ipſius Metaphyſicæ habitus.

Obiicies adhuc, Metaphyſicam ſic diviſam ab aliis ſcientiis conſiderare prædicamenta; in prædicamentis autem res omnes locantur, & nominatim obiecta ſcientiarum, Phyſicæ corpus, Metaphyſicæ quantitas ergo. Reſpondeo in Metaphyſica de facto conſiderari prædicamenta, non autem de iure. Dices: aut ibi de iure tractantur, aut in Logica, (nam utrobique ea repoſuit Ariſtoteles) atqui in Logicâ non, ut ibi dictum eſt, ergo iam de iure hic debent ſedere. Reſpondeo, multo minus illa ad Logicam pertinere: Cur autem ibi repoſita ſint? rationem ibi attuli: & ſane mirum eſt, quod quidam velint prædicamenta omnia ad ullam ſcientiam pertinere, non tamen obiecta omnia, quaſi obiecta ſcientiarum eſſent aliquid ultra res omnes, aut prædicamenta in quibus ſecundum ipſos res omnes continentur.

Obiicies ultimo, cognitio cauſarum ad Metaphyſicam ſpectat, inter has autem eſt materia, quâ nihil magis proprium Phyſicæ, ergo iam obiectum proprium Phyſicæ ad Metaphyſicam pertinet: Si autem Phyſicæ, quidni aliarum ſcientiarum, quum nulla æque opponatur Phyſicæ ac Metaphyſica & è contra. Hoc videtur aliquid eſſe, cum nihil ſit: non enim ad Metaphyſicam pertinet materia illa prima qua corpora conſtant, neque hæc eſt cauſa materialis, & ultima in quadrigâ cauſarum, ſed huiuſmodi materia abſtrahit à materiâ corporeâ, quia nimirum concipi poteſt materia ſpiritualis, ſive id ex quo quidpiam educitur aut componitur. Itaque cauſa materialis non eſt materialis, materiâ noſtrate, aut eâ quam communiter experimur.

Dices, ſaltem ipſa hæc materia noſtra eſt cauſa materialis, adeoque ſpectabit ad Metaphyſicam cum aliis cauſis. Nego ſequelam; non enim Metaphyſica tractat omnes cauſas materiales, Sed unam ſupremam, ſive genericam; ſpecies autem huius, ut & cæterarum, dimittit inferioribus ſcientiis.

* * *

Digitized by Google

ACTIO II.

trum Metaphyſica ab aliis ſcientiis diſtinguenda ſit? & quid de hoc viſum ac practicatum Ariſtoteli?

Breviarium.

1. *Diſtinctio ſcientiarum per abſtractiones reprobatur.*
2. *Non erat agnita Ariſtoteli.*
3. *Multitudo & diverſitas ſcientiarum neceſſaria, nec ſufficere unam.*
4. *Objicitur contra hoc ultimum. Fides quam ſit una reſpectu omnium creditorum.*

NOta eſt diviſio ſcientiæ realis ſpeculativæ in tres illas. Metaphyſicam, Phyſicam, & Mathematicam, quam Ariſtoteles tradidit, & alii receperunt, non ſolum opinione, ſed etiam praxi: hac enim thodo eas tractant: diſtinguunt autem ſcien- per abſtractionem à materia, quod quædam trahit à materiâ ſingulari, non tamen ſenſibi- t mathematica quæ eſt circa quantitatem, non nen circa hanc aut illam determinate: Alia ab- hit etiam ab hac ſenſibili, & eſt ſcientia Phy- ; alia denique etiam ab intellectuali ſeu ſub- tiali materia, eſtque Metaphyſica quam tra- mus: Et quidem hæ abſtractiones eædem per referuntur ab authoribus, licet non eo- n modo explicentur. Ego pro me

Dico ingenue has abſtractiones nunquam ii placuiſſe tanquam diſtinctiva ſcientiarum; ue videri eas Philoſopho dignas.

Probo breviter, quia iſte diſcurſus ſuppo- carentiam materiæ eſſe conditionem ad ſcibi- tem ſeu cognoſcibilitatem, proinde enim di- ſam abſtractionem ſequitur diverſa ſcientia cibilitas: at vero hoc eſt planè falſum, quum materia ſit tam intelligibilis quam ullum ge- entis, ergo.

Deinde ſecundò, quæro nunquid non po- t diviſio fieri per abſtractionem à ſpirituali- e? ſane non plura numerarentur illâ abſtra- one quam hâc; eadem enim redeunt utrobi- , etſi non eodem modo: ſi autem idem dicitur obique, certè incipiendum fuit à ſpiritualita- quæ utique nobilior eſt materialitate; atque diviſio aſſignanda potius per acceſſum & re- ſum ab ipsâ quam per hunc contrarium. Hoc umentum aliis viis extendi poteſt; ſicut etiam iſiones rerum aliter inſtitui, puta per ordinem vitam aut carentiam ejus, ſcilicet animata, aut nimata; ut abſtractiones ab animâ eſſent ſpe- cativa ſcientiarum: utique enim etiam iſto do eadem numerarentur utrobique ſcilicet nia omninò; (quùm quodlibet cogitabile eſſario debeat eſſe animatum aut inanima- n,) & tamen hæc non ſpecificant ſcientias eſ- tialiter, quùm ſub unam concurrant abſtra- nem animata & inanimata; ergo jam neque tractiones ſunt eſſentialiter diſtinctiva ſcien- um; quia ſub una abſtractione concurrunt, dixi,) hæc duo membra æque oppoſita ac il- atque ita denique hæc inſtitutio diviſionis per tractionem eſt mere arbitraria & nequaquam atione verâ, ſed ſolâ imaginatione fundatur.

Primum etiam argumentum adhuc in Adverſ. redit; nam etiam ipſa materia ſingularis à qua omnes ſcientiæ abſtrahunt ſecundum ipſos eſt ſcibilis, ſeu ab intellectu perceptibilis, eſt enim ſingularitas, quam ſine dubio intellectus attingit, alioquin nec hoc ipſum de illo cognoſci poſſet quod ſit incognoſcibilis. nec valet ſi dicant ſingulare fortaſſis eſſe cognoſcibile, non tamen ſcibile, quia nulla paſſio de eo demonſtrari poteſt, in quo conſiſtit ratio ſcientiæ: primò enim doctrina hæc eſt falſa, quia datur ſingulare de quo paſſiones ſunt demonſtrabiles, ſcilicet Deus, qui quum ſit eſſentialiter *hic*, emanat (ut ſic dicam) ſua attributa, & ipſa ſunt demonſtrabilia de eo. Secundo: quia in eo ſenſu non debent præferri immaterialia materialibus, nam materialia æque emittunt ſive emanant (ut voles) ſuas paſſiones, & fortaſſis plures quam immaterialia; adeoque ſenſus eſſe debet quod ſingulare ſit incognoſcibile quod per ſe abſurdum eſt, & tamen à Thomiſtis intenditur.

Denique diſcurrendo per ipſas ſpecies & exempla earum, doctrina invenitur manifeſte fragilis. Si non etiam falſa: nam Mathematica non abſtrahit eſſentialiter à materiâ ſenſibili ſeu ſubſtantiali, ſed omnino negligit eam, non curans num ipſa an oppoſitum ejus inſit ſubjecto ſuo: ipſa enim æque demonſtrat paſſionem de lineis ac ſuperficiebus, ſivè lineæ illæ ſint realiter materia ſubſtantialis, ſivè non; atque ita nihil minus facit quam abſtrahere, aut curare de abſtractione. Imò in quantitate diſcreta, nullam omnino abſtractionem admittit magis quam Metaphyſica; nam demonſtrationes & combinationes numerorum æque procedunt de numeris ſpirituum, puta angelorum ac lignorum. v. g. ergo.

Itaque dimiſſâ hac methodo ſtatuenda eſt alia, juxta quam dividantur ſcientiæ: in quo puncto diſceptandum primò eſt cum iis, qui nullam diviſionem ſcientiarum admittunt, ſed unicam Philoſophiam, quæ ſola de omnibus rebus agat. Pro hac viâ Raphael Averſa totam ferè antiquitatem citavit, ſi ei credimus; ipſe etiam pluribus viis nititur eam perſuadere, ſic ut non detur Phyſica à Metaphyſica diſtincta, nec Matheſis ab utraque, ſed una omnes tres complectens, promiſcue tamen, ne quæ una ab altera diſtinguatur. Ita ille Tom. 1. Phil. ſect. 6. contra communem Peripateticorum ut putavit; de quo ego per ſequentia ſic cenſeo, &

2. Dico Ariſtotelem ducem Peripateticorum non diſtinxiſſe re ipſa has ſcientias. Probo: quia Phyſicam Metaphyſicæ confudit; nam 12. Meta-

Metaph. Latè tractat de orbibus cœleſtibus: lib. 5. agit de elementis, atque etiam de Natura, quæ tamen quam maximè eſt conſiderationis Phyſicæ, quùm hæc ſcientia idem omnino ſit quod naturalis, ex altera etiam parte in Phyſica miſcuit Metaphyſicas deciſiones, nam octavo & ultimo tanquam concluſionem & colophonem totius tractatus de motu, infert tractatum de primo motore immobili qui eſt Deus, utique ſpiritualis omnino & immaterialis, quum non poſſit eſſe materialis aut naturalis niſi eſſet mobilis. Speculative tamen hæc diſtinxit, ut videas apud ipſum. Libro 2. Metaphyſ. c. 3. & alibi. Uſque adeo facilius eſt tradere bonas regulas quam obſervare.

3. Dico jam tertiò diſtinctas & diſtinguendas eſſe ſcientias, & nequaquam unam eſſe cenſendam quæ de omnibus tractet, & ſit ipſa Philoſophia. Mirum eſt qua ſecuritate ſcripſit oppoſitum hujus Averſa, ut ne verbum quidem contra ipſum ſibi objecerit.

Potuit autem primò contra ſe adferre, quod ſi una ſit ſcientia, etiam unum erit objectum, & ita omnia unum ens; quod tanquam ſtultum intulit olim Ariſtoteles contra antiquos. Urgeo argumentum ad hominem, nam ipſe Averſa approbat & cōmentatur diviſionem rerum in decem prædicamenta tanquam totidem claſſes: ſi autem reprobanda ſit diviſio ac pluralitas ſcientiæ, certè reprobanda eſt pluralitas prædicamentorum: ſcientiæ enim quum ſint imagines rerum, ſequuntur ſua objecta quocunque.

Urgeo adhuc idipſum: potentia ſemper latiùs patet quam habitus quicunque illius, licet æquetur ab omnibus habitibus ſimul, quod omnes concedunt; atqui id eſſet falſum ſi una eſſet omnium rerum ſcientia, nam ille unicus habitus æquaret ſe ſolo potentiam, cum nihil attingeretur à potentiâ ad quod non extenderet ſe habitus. Tertiò ſic: ſcientiæ concluſionum diſtinguuntur ſpecie & eſſentialiter penes diſtinctionem mediorum ſeu rationum cognoſcendi; nam alia ſpecie eſt cognitio quâ judico hoc, v. g. Deum eſſe, propter demonſtrationem à me factam; alia quâ judico hoc ipſum propter fidem alteri datam, quâ nitor teſtimonio ejus, ergo jam datur diverſitas ſcientiarum ſpecificativa, ſeu, quod idem eſt, cognitionum, ergo iterum diverſificantur ex objectis propriis, & ab intrinſeco, hoc enim magis natum eſt diverſificare ſcientiam quā medium externum; Urgeo argumentum quia cognitio fidei & cognitio demonſtrativa magis differunt quam duæ cognitiones fidei aut duæ demonſtrativæ; ſed duæ fidei & duæ demonſtrativæ utique differunt ut partes ejuſdem totius, ergo una fidei & una demonſtrativa non differunt tantum ut partes ejuſdem totius, atque ita nec una Phyſicæ & alia Metaphyſicæ, aut Mathematicæ à fortiori.

Quartò, ſic: quia hic non eſt auſus confundere niſi ſpeculativas ſcientias ſibi invicem, non autem ſpeculativas practicis: atqui aliquæ ſpeculativæ manifeſte plus differunt ab aliis quam à practicis, ergo neque ſpeculativæ erant invicem confundendæ ſed diſtinguendæ, ut communiter jam eſt factum. Minorem probabo: iſta enim: *Deus eſt ſuprema majeſtas*, eſt ſpeculativa: hæc autem: *Deus eſt orandus*: eſt practica: at vero quis non videat multas, imò omnes prædicationes de creaturis magis diſtare ab illâ primâ, quæ eſt de Deo, quam aliam illam quæ item eſt de Deo; v. g. hanc: elementa non levitant in ſu[is] locis; quod etiam bis ſpeculativè, & quaſi [à] priori probo; ſemel ſic; quia in duabus illis pr[i]mis, ſubjectum & copula ſunt eadem ſpecie: i[n] his neutrum eſt idem, utrumque eſt diverſum: ſe[-]cundò ſic: quia hæc: Deus eſt ſumma majeſta[s] æquivalet huic: Deus eſt dignus adoratione: a[t] vero quis non videat iſtam: Deus eſt dignu[s] adoratione, proxime accedere ad iſtam: Deu[s] eſt adorandus. Sed enim hanc novitatem nihi[l] æque verberat ac ſenſibilis aliqua objectio, und[e] quærere poſſumus ex hoc homine, utrum cenſea[t] omnes artes mæchanicas eſſe unam, an vero di[-]ſtinctas in diverſas claſſes? intelligo Sutoriam, Sartoriam, Sculptoriam, &c. ſi aſſerat, ridebitur; ſin vero velit has manuales & materiale[s] ſciencias non tantum integrare unam, ſed multiplicare plures ſpecies, & claſſes, quanto magi[s] hanc diſtinctionem & dignitatem debebit intellectualibus concedere, niſi velit intellectum infra materiam & inanimata deprimere.

Objicio tamen pro ipſo rationem quæ hic à me ipſo cœpta eſt: omnes omnino veritates quantumvis diſparatæ quum revelatæ ſunt, cadūt ſub habitum fidei: qui eſt unus ſpecie, quidni ergo omnes veritates naturales, hoc eſt, naturaliter ſcibiles contineantur unâ ſcientiâ quæ ſit Philoſophia naturalis. Hoc aliquid pro Adv. facit; vertam tamen illud in oppoſitum ſic: nempe ex hoc argumento habetur unitatem rationis formalis reddere habitum verſantem circa plura eundem; hinc enim actus fidei omnes ſunt ſimiles, quia omnes habent rationem formalem aſſentiendi eandem; ſi ergo in ſcientiis naturalibus eſt convenientia materiæ, quidni illæ coëant in unam, & ubi eſt diverſitas materiæ, redundent in diverſas? Metaphyſica quæ abſtrahit à materia cur non faciat diverſam ſcientiam à Phyſica quæ eſt immerſa materiæ; nam *eadem contemplatio eſt inter ſe conjunctorum*.

Objicit etiam ipſe pro ſe primo: ſi percurrantur quæ in Phyſica & Metaphyſica pertractantur, plurima occurrent quæ utrobique collocentur, de principiis, de cauſis de, quibuſdam rerum generibus, & attributis: quæ ſi quis vellet in una, puta Phyſica dictare per omnia, & in altera, puta Metaphyſica repetere, rideretur, unde & authores ſemel ea tractant, atque ita reipſa cogente Phyſicam Metaphyſicæ confundunt. Præterea ſunt quidam tractatus de quibus meritò dubitari poteſt, ad quam ex his ſcientiis pertineant; v. g. de Anima rationali, quæ ex natura ſpiritus ad Metaphyſicam ſpectat, ex ratione formæ, & actus corporis organici ad Phyſicam; atque ita ſpectatis rebus Metaphyſica erit Phyſica. Adhuc amplius argumentum ſumit ex eo, quod Phyſica & Metaphyſica non poſſunt inter ſe ordinem ſervare: nam agere de gradibus communibus præcedit omnino actionem de particularibus; atque ita à Metaphyſica eſt incipiendum, ex altera vero parte agere de corporeis præcedit actionem de ſpiritualibus, atque ita Phyſica debet præcedere Metaphyſicam, nam ad hanc pertinet agere de ſpiritualibus & abſtractis à materia: Ita ille; fundatus in apprehenſione aut conceptu harum facultatum, non ut ex natura rei habent eſſe; ſed ut nunc dierum in Scholis à quibuſdam traduntur; unde.

Ad primum reſpondeo tractatum de cauſis ex natura rei ad Metaphyſicam pertinere; nos autem

Digitized by Google

nunc ſeculi, ſicut non habemus in mundo nenta pura, v.g. aquam ſine pulvere terreo œce, neq; aërem ubique ſine humore aqueo, , ita nec in Scholis habere puras facultates, ſed ıſdam in aliis integratas, & partim aliis intru- , quod non debet accuſare ſcientias, ſed au- ıres. Ad illud de animâ rationali, dico eam ɔpriè ad Metaphyſicam pertinere, (ſupponen- quod ſpiritualia ad ipſam ſpectent;) quia ni- rum quod eſt proprium illius animæ ſpirituale : cætera quæ ſequuntur rationem formæ ut , petenda ſunt ex Phyſica cujus eſt de commu- catione formæ diſputare. Ultimum autem de- ndet ex eo, quod reliqui indeciſum in ſolutione imi, ſcilicet an ad Metaphyſicam ſpiritualia ertineant? de quo infra: nunc ſi ſupponamus ırtem negativam, argumentum totaliter ener- ıtum eſt.

4. Dicendum denique eſt rectè factum eſſe, ɛ omnes ſcientiæ eſſent una; ſed & ſuppoſitâ ıultitudine rectas diſtinctè eſſe, in Phyſicam, letaphyſicam, & Matheſin, pro hoc ſtatu ho- ıinis; non autem ſimpliciter, aut ex naturâ rei. lanc reſolutionem teneo ex alio longe funda- ıento, quam quod communiter approbatur; non nim ducor diverſis abſtractionibus, aut aliis ſu- ra rejectis, ſed hac ratione: Scientiæ, quùm nt imagines rerum, debent ipſis accommoda- i; atque ita pariter debet dividi ſcientia ut ſic, uomodo ens ut ſic, aut etiam ſubſtantia ut ſic: ʋia ergo tria hæc primo occurrunt, ſcilicet ens t ſic, aut etiam ſubſtantia ut ſic; & deinde ntia, aut ſubſtantiæ ſpirituales ac corporales ıinc inde, proinde una ſcientia debet eſſe quæ conſideret gradus abſtractos entis aut ſubſtantiæ ut ſic; alia quæ ſpirituales ſubſtantias, & alia denique quæ materiales. Prima eſt Metaphyſica; (ſecundam reſervabo infra explicandam;) tertia Phyſica eſt. Tum vero poſt has ſubſtantias, ſtatim occurrunt accidentia dividenda & ſcienda. Primum fiet, dicendo alia eſſe corporalia, alia ſpiritualia: ex corporalibus eſt quantitas certiſſima, (quum non poſſit dari quantitas ſpiritualis,) & de hac eſt matheſis. Qualitates à nobis pro hoc ſtatu non penetrantur, & proinde non habent ſcientiam, atque ita denique diviſio jam facta, pro maximâ parte quadrat rerum ſtatui & hominis conditioni pro nunc.

Dixi tamen, & merito, eam non eſſe per omnia exactam & abſolutam ex natura rei; ſed nec etiam de facto. Ratio hujus ſecundi eſt, quia illæ qualitates quas de facto homines norunt & controvertunt, puta primæ illæ quatuor, propriæ elementorum calor, frigus, &c. & ſecundæ his annexæ; iſtæ inquam nunc temporis non faciunt ſcientiam. Sed Phyſicæ intruduntur; ſicut etiam aliæ qualitates vitales tractatui de Anima. Ratio primi eſt, quod Metaphyſica jam habeat conſiderare ſubſtantias, & entia ſpiritualia in ſpecie, quod tamen non deberet ab ea exigi, ſed imponi alteri ſcientiæ, quæ eſſet ex adverſo Phyſicæ, ipſa autem Metaphyſica ſupra utramque. Itaque exactè hæc diſponendo, tractatus de Angelis, item Theologicus de Deo deberet facere ſpecialem ſcientiam intra Metaphyſicam & Theologiam: itemque tractatus qualitatum ut ſupra: quæ omnia melius ſuadebuntur attentis dicendis hac Act. ſequenti, quæ ſit

ACTIO III.

De vero objecto Metaphyſicæ.

Breviarium.

N. 1. *Metaphyſica Ariſtotelis parum Metaphyſica.*

2. *Vera Metaphyſica objectum non eſſe ens communiſſimum.*

3. *Entia rationis aliquod objectum Metaphyſica ſunt: & cujus?*

4. *Entia per accidens in genere, Metaphyſica objecta ſunt, etiam aliqua in ſpecie.*

5. *Vera Metaphyſica obiectum eſt ens reale ut ſic.*

6. *Obiicitur, & reſpondetur. Quomodo Metaphyſica conſideret diviſiva entis?*

7. *Obiectum Metaphyſica nunc tradi ſolitia.*

HIc in primis profiteor nolle me agere aut reſolvere de Metaphyſica Ariſtotelis, (quamvis præfixerim nomen ejus tractatui) quæ tam confuſa eſt ut videatur non habere objectum aliquod ſed objecta, & quidem ſubinde aliena. Libro quinto diſputat ex profeſſo de elemento; de quanto, & quali: libro octavo de materia, forma, & compoſito; lib. 11. de motu, atque etiam de infinito, quæ omnia quiſque novit propriiſſima eſſe Phyſicæ, ſicut etiam numeros, de quibus ibidem ille, Mathematicæ; unde equidem non æſtimo admodum laborem ejus in Metaphyſica, ſicut alia opera ejuſdem.

Erit ergo quæſtio de Metaphyſicâ ſecundum ſe; aut certe de ipſâ ut jam ſolet tradi ad exemplum Ariſtotelis; de quo ſententiarum varietatem videas apud alios, ego rem ipſam & mentem Subtilis reſolvam, primo per concluſiones excluſivas.

De ente ut ſic abſtractiſſimo quid cenſendum?

DIco ergo primò non rectè poni ens ut ſic commune reali & rationis pro objecto Metaphyſicæ. Hæc eſt certiſſima Subtilis, q. 1. Metaph. item q. 3. Prolog. Sentent. in quo eum ſequuntur ſui communiter, atque etiam externi, ut videas fuſe apud Maſtrium in præſenti.

Probatio in promptu eſt, quia hujuſmodi ens nullum, & nihil eſt, quum manifeſte ſit æquivocum, adeoque non niſi mera vox; ſicut ergo canis ut ſic, communis ſtellæ & animali non eſt vivens neque res aliqua vera; & ſanitas complectens ſanitatem animalis & excrementorum *Vide Maſtr. P. Fonſec. Hurtand. Paſqualium Fland.*

non

Digitized by Google

non eſt quid, aut vera res, ſed mera compoſitio intellectus, ita ſimiliter. Quod totum paulò magis ſuadebitur aliquâ praxi hujus ſic. Datur de homine ſcientia, quis neget? de eo eſt Medicina, de eo eſt Moralis: hic jam ſcire vellem num Medicina tractet de homine abſtracto à vero & picto? an tradat aliquas regulas de curandâ febre hominis picti? num ſcientia moralis conetur dirigere actiones ſtatuarum aut picturarum? utique nihil minus; atque idipſum hic agitur: ens rationis eſt ens pictum aut fictum, imago aliqua aut ſtatua entis veri ac realis; quomodo ergo eadem ſcientia de utroque erit ſollicita?

Timeo tamen, ne hoc argumentum poſſit in nos retorqueri, longè enim aliter ſe habet ens rationis, ad ens reale ac homo pictus ad vivum, nam accidentia & affectiones veri hominis nec ſimpliciter, nec ſimilitudine pertinent ad hominem pictum; non enim homo pictus afficitur febre etiam æquivocè ſumptâ, nec meretur aut demeretur aut proprie aut ſimilitudirie, & omnino correctio aut curatio hominis picti non pertinet ad eandem potentiam aut artificem, ad quem pertinet curatio hominis veri, nam defectus deprehenſus in homine ficto aut picto debet à pictore corrigi, idque per inſtrumenta externa & manus; at vero defectus & affectiones entis rationis in cognoſcendo & corrigendo pertinent ad intellectum ad quem pertitinent affectiones entis realis: Hæc replica cum aliis erit mihi cauſa ſecundæ concluſionis infra. Interim probo iterum præſentem, familiari argumento; quia ſi ens rationis & reale pertinere poſſint ad eandem ſcientiam, tum entia rationis Phyſica deberent pertinere ad Phyſicam; illa ſcilicet quæ finguntur ad modum Phyſicorum realium, v.g. monſtra entium rationis, & ſimiliter entia rationis Mathematica ſeu quantitativa ad Matheſin; atqui hoc eſt inauditum, neque ullus horum authorum id prætendit hactenus, ergo.

Denique ſic arguo & probo intentum, quia objectum ſcientiæ debet movere potentiam ad ipſam ſcientiam: ens autem rationis non poteſt movere intellectum ad Metaphyſicam, ergo nec poteſt eſſe objectum hujus. Major eſt vox omnium & veriſſima, quum enim notitia pariatur, hoc eſt, per modum partus producatur, ab objecto & potentia; illud eſt inſtar maris, hæc fæminæ: adeoque hæc ab illo excitanda & movenda eſt. Minor etiam eſt apud omnes communis, hæc enim entia, ut maxime ſunt terminativa intellectus, nullatenus autem motiva; ſive id ſit ob realitatem intellectionis, quæ non poteſt proinde habere cauſam per ſe partialem niſi realem; ſive ob inanitatem horum, & talem conditionem, ut non poſſint eſſe primæ ſed tantum ſecundæ intentiones, & ita terminare non incipere actum, de hoc tamen ipſo redibit aliquid notandum infra. Interim exiſtimo

Quid de Ente Rationis cenſendum?

Dicendum quod entia rationis ſaltem in genere ſumpta ad Metaphyſicam pertineant velut objectum, non quidem ad illam quam hactenus ipſis negavimus, & quæ ſeorſim in ſcholis docetur; ſed ad aliam ipſiſmet propriam. Hæc ſine dubio placebit illis, qui in priori concluſion diſſentiebant à nobis. Debet etiam noſtris placere; quum præter rationes jam jam proferendas adſit etiam authoritas tam Ariſtotelis quam Scoti. Ille enim 4. Metaph. docet Logicum & Metaphyſicum circa omne ens verſari: & alibi: Dialecticum ac Metaphyſicum de eodē agere, quod eſt habere idem objectum. Cui conſonat Scotus lib. 7. Metaph. ſum & cap. 2. nam in cōmento ai *Notandum quod Logica & Metaphyſica quodammodo circa idem verſantur, ideo magnam affinitatem haben & convenientiam*: Cenſetur autem Logica habere ens rationis pro objecto, ergo. Ratio quia entia rationis ſcibilia ſunt, adeoque ad aliquam ſcientiam pertinent; ſufficit hoc probare, nam inimici entis rationis ſi permitterent ipſum ulli ſcientiæ objectum, id maxime facerent Metaphyſicæ: unde probato aſſumpto res eſt expedita: probo autem ipſum ſic: quia de ente rationis demonſtrationes fieri poſſunt, adeoque ſine dubio definitiones: ergo jam plena ſcientia habetur: v.g. demonſtrari poteſt; Chymera eſſe impoſſibilis: peccatum eſſe fugiendum: magiſtratum honorandum; & alia ſexcenta: & tamen chymera eſt ens rationis certiſſimè, quum reale eſſe non poſſit: peccatum nihil eſt: vel ſi quid ſit, non eſt reale ſed rationis: ſimiliter dignitas magiſtratuum nihil reale ponit in ipſis, nec aufert quando aufertur, adeoque jam objecta rationis tam ſunt apta demonſtrationibus quam realia. Confirmo; objectum Logicæ eſt quid ſcibile, ideſt tale ut de eo poſſint formari definitiones & demonſtrationes; eſt autem ens rationis, adeoque datur ens rationis de quo poſſint formari illa, ex quo ſequitur ens rationis etiam ſuperius illo, eſſe ſcibile, quia ipſum etiam eſt ſpecies quædam entis, & addit rationi genericæ differentiam ſpecificam. Unde nihil impedire poteſt quò minus ſit ſcibile niſi inanitas, ſeu rationalitas (ut ſic dicam) ejus: quæ ſi impedimentum eſſet, tum nec ens rationis Logicum eſſe ſcibile: Et utriuſque ratio à priori eſt, quia quælibet ſpecies habet ſuas paſſiones; at vero paſſio eſt quæ ſcitur, & quæ infertur per demonſtrationem, ergo.

Habeo tamen aliquid quod objiciam concluſioni meæ præcedenti; eſtque hoc: quod ſcientia Mathematica complectitur entia rationis: ſi autem Mathematica, quidni Metaphyſica? utique enim quoad hoc ſunt pares, nam realitas æque recurrit in Matheſi ac in Metaphyſica: ſuadeo autem aſſumptum: quia proportiones numerorum quæ demonſtrantur in Arithmetica æque reſultant in entibus rationis, ac in entibus realibus, & quæcunque aliæ combinationes & affectiones, ut patebit facillimè applicanti: nam etiam in his; quatuor ad ſex habent proportionem ſesquialteram, & ſic de aliis, adeoque. Urgeri poteſt, quia nos ſupra diximus contra abſtractiones antiquorum qui per eas volebant ſcientias diſtingui, Mathematicam abſtrahere ſecundum ſe ab omni materiâ, eo quod demonſtrationes ejus æque currant de numeris angelorum ac de numeris lapidum, ergo &c. redit enim huc ratio, quia demonſtrationes æque verificantur in entibus & unitatibus rationis, ac &c. ergo. Ad hoc non occurrit mihi quod libentius reſpondeam, quam in primis Arithmeticam non eſſe per ſe de quantitate, ut communiter intelligitur, hoc eſt de quantitate molis, ſive corporeâ, ſed abſtrahere in ſuo

bjecto à quantitate illâ & oppoſito, ut probat
itio adducta: favet etiam quod ſuo loco de hoc
robabiliter dictum eſt, quantitatem diſcretam
on eſſe per ſe ſpeciem veram quantitatis prædi-
amentalis quæ concomitatur materiá. At enim
otum hoc non enervat argumentum factum; ná
item erit de objecto reali; & tum redit difficul-
is vel potius adhuc remanet. Unde exiſtimo ad
oc denique dicendum quod de negationibus &
liis inanibus, ut ſunt entia rationis, non currunt
mpliciter illæ demonſtrationes, quia nimirum
ales debent eſſe paſſiones in illis quales ſunt uni-
ates; hæ autem in entibus rationis, & nihilis illis
eu negationibus non ſunt ſimpliciter & abſolu-
æ, ſed ſecundum quid, & analogicæ; quia nec
ntitates, ſunt ſimpliciter tales, eo quod unum ſit
paſſio entis, hæc autem non ſunt vera entia, ſed
æquivoca & ficta. Quia ergo numerus reſultat ex
initatibus quæ hic non inveniuntur perfectæ,
deo, &c.

Quid de Ente per accidens?

4. Dico jam tertio: Entia per accidens in ge-
nere ad Metaphyſicam ſpectant: imo
etiam in ſpecie aliqua, adeoq; objectum ejus po-
teſt eſſe abſtractum à per ſe & per accidens modo
dicto. Hæc videbitur peregrina quibuſdam Sco-
tiſtis donec explicetur, tum autem negari à nullis
poterit.

Incipio autem à priori ejus parte probandâ
ſic: quia licet hoc ens per accidens ſit revera ens
per accidens, & illud aliud, ſit aliud tale, tamen
ens ut ſic per accidens eſt ens per ſe reſpectu hujus
& illius entis per accidens. Sic æquivocum quod-
libet eſt æquivocum tamen æquivocum ut ſic eſt
univocum reſpectu hujus & illius æquivoci, ideo-
que ratio entis per accidens non arcet quodlibet
ens à ſcientiis, ſed ut maxime particularia entia,
non vero ens per accidens ut ſic.

Dices; quod non eſt per ſe, non poteſt reci-
pere prædicationem ullius per ſe; ſed hoc ens per
accidens non eſt ens per ſe, ergo non poteſt reci-
pere prædicationem per ſe ullius de ſeipſo; adeo-
que neque ens per accidens ut ſic poterit per ſe di-
ci de illo, ergo. Reſpondeo argumentum cadere
in æquivocis; nam æquivocum ut ſic eſt univocũ,
& ipſum æquivocum particulare eſt quaſi ens per
accidens. Credo ergo in forma reſpondendum
quod de ente per accidens non poſſit dici aliquod
prædicamentum eſſentiale per ſe, poſſit tamen
aliquod intentionale ſeu univerſale: ſic de hirco-
cervo non potero prædicare verè & formaliter
animal, vivens, &c ſed bene, aggregatum, com-
plexum, impoſſibile, & ſimilia, de quo videri poſ-
ſunt quæ pluries in Logica dixi.

Arguo etiam ſic: aut eſt demonſtrabile quod
de ente per accidens non poſſit eſſe demonſtratio
ſive ſcientia, aut non eſt: ſi non ſit, non eſt id cer-
tum, & oppoſitum æque poteſt & debet teneri: ſi
autem ſit, jam de eo eſt ſcientia, quia demonſtra-
tur de eo hoc quod eſt ipſum non eſſe ſcibile.

Dices oppoſitum hinc ſequi; ſi enim demon-
ſtratur de eo, non eſſe demonſtrationem, jam
certum eſt nullam de eo dari. Reſpondeo oppo-
ſitum hujus potius ſequi, ſi enim demonſtratur de
eo non eſſe demonſtrationem, jam aliquid de eo
demonſtratur, ſeu, quod idem eſt, ſcitur, adeoque
jam de eo eſt ſcientia.

Jam vero ſuppoſito quod aliquid ſciri poſſit de
ente per accidens ut ſic, ſane id à Metaphyſica eſt
ſciendum, nam à nulla alia ſcientia ſciri plene poſ-
ſunt illa, quum quædã eorum ſint Phyſica, quædã
moralia, &c. atque abſtractum ab his pertinere
debeat ad aliquam ſcientiam ſuperiorem his.

Altera pars principalior eſt, quod aliqua entia
per accidens in particulari poſſint ſcientificè tra-
ctari; quidquid Scotiſtæ mirentur, qui Scotum
in fonte non volunt, traditur à Doctor. 6. Me-
taph. q. 1. num. 5. ubi diſerte ait. *Si autem accipiatur
ſcientia una genere proximo, illo poteſt aliquo modo per ſe
eſſe de ente per accidens*, &c. cuius rationẽ reddit ib.

Mihi ſubit iſtam adferre, quia aliqua entia per
accidens ſunt quæ habent ſuas paſſiones: amplius
autem nihil requiritur ad ſcientiam: nam ipſa ni-
hil aliud eſt quam aſſignatio paſſionis, ergo. Aſ-
ſumptum probo, adferendo ipſa, & ſunt artefa-
cta aliqua, ut domus, veſtis, manus armata gladio,
calamo, &c. hæc enim omnia & ſingula habent
paſſionem aut affectionem neceſſario emanan-
tem ab ipſis: quod libet oſtendere in pluribus illis
ſupra: Domus, v.g. eſt aggregatum ex lignis &
lapidibus ac ferro, & habet proprietatem defen-
dendi res contentas ab externa violentia, ſaltem
reſiſtere ei: veſtis ſimiliter eſt tale aggregatũ & ha-
bet defendere ab injuriâ temporis, putâ, à frigore,
& ſimilia alia, ut patet. Æſtimavi aliquando hanc
inſtantiam, ſed revera non eſt tanti: non enim do-
mus eſt aggregatum ex diverſis ſpeciebus eſſen-
tialiter, licet etiam debeat eſſe ex lapidibus & lig-
nis, atque etiam ferro; quia nimirum quod ad
propoſitum facit eſt quantitas per ſuam impene-
trabilitatem & ſoliditatem; ferrum autem & lig-
num, ſivè naturæ illæ ſubſtantiales ſunt per acci-
dens omnino, & tantundem præſtaret quantitas
illa, ſi eſſet cum ſua ſoliditate ſeparata à ſubſtantiis
ligni & ferri.

Valet nihilominus aliquo modo etiam hæc
ipſa inſtantia, quia duæ partes quantitatis diſiun-
ctæ ab invicem & ſecretæ faciunt ens per accidẽs,
licet non in toto rigore, ſed nec deſunt aliæ in-
ſtantiæ, quin abundant paſſim, ut currus, horolo-
gium rotatile etiam ſciathericũ, imo acus; manus
(ut dixi) inſtructa calamo aut enſe, nam hæc ſunt
entia per accidens; & tamen manus calamo ſcri-
bit, enſe & acu ſecat, currus vecturam præſtat,
horologium ſcientiam motus ſolaris & decurſus
temporis, atque alia ſexcenta.

Ad hæc ipſa tamen dici poſſet ea non ſufficere
probationi; quia paſſiones illæ non ſunt unum
quid, ſed aggregatum ex duobus aut pluribus,
adeoque illa non erit objectum unius ſcientiæ,
ſed plurium: quod facit denique, non eſſe ullam
ſcientiam de ullo ente per accidens, ſed eſſe plu-
res de pluribus entibus per ſe. Audio, & quæro,
utrum riſus, v. g. qui eſt paſſio hominis ſit iſto
modo quid per ſe? non ſane, ſed per accidens,
quia conſtat ex motu organi, & ex qualitate ani-
mæ quæ ſunt diverſorum generum hinc inde.
Nec refert ſi dicas riſum non eſſe paſſionem, ſed
riſibilitatem; redit enim ratio contra utrumque;
ſi enim riſus ſit partim in anima, partim in orga-
no externo, etiam riſibilitas erit. Fateor tamen
non redire rationem cum omni illâ vi, nam ani-
ma & organum faciunt unum per ſe, quùm ſint
actus & potentia, adeoque; ſed enim ſi ridere ſit
quid per ſe, quidni ſcribere, quod ſit manu & ca-
lamo? quidni arcere tempeſtatem, quod ſit do-
mo & veſte.

Tertium in concluſione dixi quod non omnia
entia per accidens in ſpecie poſſint eſſe hujuſmo-
di objecta; & intelligo nominatim eſſentias com-
pletas

Digitized by Google

pletas hinc inde quæ non poſſunt invicē ſuperaddi; v.g. homo, & lapis, lapis & Leo, hæc enim ſunt plane plura, & nullum tertium ex illis reſultat; nec poteſt expectari aliquod commune ab illis quod ſit paſſio procedens ab utroque: ſed habent oppoſitas & diſparatas paſſiones, riſum & rugitum, & alia quorum unum deſtruit aliud: Imo non ſolum duo ſpecie diverſa ſunt hoc modo ens per accidens, ſed duo ejuſdem ſpeciei, duo homines, duo leones, &c. hæc enim non faciunt aliquid per ſe ut plura ſunt, ſed tantum ut unum: ſed contra

Objicies, ut plura ſunt faciunt numerum, numerus autem eſt objectum ſcientiæ, ergo. Reſpondeo ut faciunt numerum non dicunt entitates, perinde enim eſt ad ternarium, & paſſiones ac combinationes ſequentes, quod tres illi ſint homines, ac quod ſint leones, vel etiam muſcæ: ens autem per accidens faciunt, ut tales eſſentiæ ſunt, quorum ſingula ſunt completa, & arcent alterum ex ratione ſuâ propriâ ac formali.

Objicies ultimo Leopardos, centauros, & ſimilia in quæ concurrunt diverſæ naturæ. Reſpondeo; ab iſtis beſtiis non timeo, quia non faciunt ad rem; nam non eſt verum ibi eſſe duas naturas, ſed unam tertiam quæ ex commixtione ſeminum utriuſque participat, de affectionibus eorum, atque etiam de externa ſpecie, ſicut puer aſſimilatur parentibus nunc magis, nunc minus, ſecundum quod plus aut minus materiæ ab illis participavit: non eſt ergo hic ens aliquod per accidens, ſed per ſe & verè unum.

Deciditur quæſitum: ſive verum objectum Metaphyſicæ ſecundum ſe.

Dico denique reſolutive Metaphyſicam ſecundum ſe ſpectatam, & prout exigit tractari, habere pro objecto ens ut ſic reale; prout jam poſt Ariſtotelem tractatur, ens immateriale aut abſtractum, ſed aliter quam habuit ens ut ſic reale: quorum modorum diverſitatem infra ex propoſito explicabo. Loca D. N. pro primâ parte ſunt indubitata: lib. 7. Metaph. q. 4. Ubi quærit num ens ſit objectum Metaphyſicæ? relata opinione Avicennæ ita docentis, ſubdit pro concluſione: *Tenetur igitur avicenna*: & idipſum repetit, q. 3. Prolog. ut videas apud Maſtr. & Cavell. in Scol. q. 1. lib. 1. Metaph. ejuſdem, propter quod idipſum exinde docent diſcipuli illius Ponc. Meuriſte, Maſt. &c. Hic autem oportet armis defenſivus magis quam offenſivis uti: ſcilicet ſufficiet reſpondere objectionibus: nam ſi alia omnia excludantur, relinquetur denique ſolum hoc ens in communi.

Offenſive probando ſufficit dicere quod Metaphyſica ſit ſuprema ſcientia, adeoque debet habere objectum communiſſimum: quod ens ſit objectum ſcibile, adeoque debeat objici alicui ſcientiæ conſiderandum. Tertiò quia principia communiſſima quæ Metaphyſicæ propria ſunt, & ab illâ cæteris ſcientiis communicantur, de ente procedunt; ut illud: *Impoſſibile eſt aliquid ſimul eſſe, & non eſſe: Omne quod eſt, dum eſt, neceſſe ſit eſſe.*

Itaque res eſt ſic diſpoſita, ut quomodò ex omnibus primum eſt ens ut ſic, ita prima ſit ſcientia de ente ut ſic, quæ tractet naturam ejus, paſſiones ejus, & membra dividentia prima ſaltem, v. g. ſpirituale & corporale, abſolutum & relativum, &c. Tum vero quando ipſum ens dividitur in duo hinc inde, puta in ſpirituale & corporale, etiam ſcientiæ diviſæ eſſent quæ tractarent de illis ſeorſim, & neutra eſſet Metaphyſica, ſed ſub priori comprehenderetur Deus & Angeli tanquam propria objecta; ſub poſteriori corpora naturalia, & ita hæc ſcientia erit Phyſica, licet illa quæ ex adverſo ei reſponderet non eſſet Metaphyſica, ſed Metaphyſica eſſet ſuperior utrâque.

Objici poteſt contra dicta, primò quod Metaphyſica aut attendit ens, & conſtitutiva ejus, aut etiam diviſiva illius: Primum non poſſumus nos profiteri, qui jam oppoſitum expreſſimus in explicatione noſtræ concluſionis: ſecundum autem eſt dicere quod Metaphyſica agat de omnibus rebus: nam ſi ad ſcientiam quamlibet pertinent membra dividentia objectum ejus, ac non tantum conſtituentia illud, jam omnia omnino ad Metaphyſicam ſpectabunt, nam objecta omnium omnino ſunt inferiora ad objectum Metaphyſicæ & dividentia illud. Hoc argumentum habet aliquid ſpeciale circa ſubſtantias materiales, iſtæ enim expreſſè ſunt extraneæ Metaphyſicæ, atque ejus objecto, & tamen attinguntur ab illâ juxta hanc methodum, quia ſunt membrum alterum dividens ipſum in ſe ens. Aliquid hujus rationis attulit Pet. Hurtado, hoc loco, & ſtatim in margine pinxit: *Bonum argumentum*: ſed nulli erit moleſtum: ſi attendatur quod reſolvi in meis terminis; Dixi enim Metaphyſicam tractare ens & membra dividentia ejus prima ſaltem; unde membra alia quæ ſubdividunt hæc jam diviſa non ſpectant ad Metaphyſicam, ſed ad illam ſcientiam cujus eſt conſiderare id quod proxime diviſum eſt in ipſa.

Dices hoc ipſum non ſubſiſtere, nam tunc ſaltem habebit conſiderare ens materiale, hoc enim eſt ex primò dividentibus ens ut ſic: atqui tale ens eſt expreſſè Phyſicum objectum, & à Metaphyſica avulſum, ac omnino alienum, ergo ne quidem primò dividentia pertinebunt ad Metaphyſicam. Hoc etiam argumentum præventum eſt ſupra ſtatim in prima Act. ubi dixi primas ſpecies pertinere ad Metaphyſicam quoad primas cognitiones: & ecce ut probavi: velles tu illa pertinere ad inferiorem, v. g. ad Phyſicam: at ego oſtendi Metaphyſicam pari jure cum illâ hic concurrere: etenim ex duobus quæ conſtituunt hanc ſpeciem ſcilicet ſubſtantiam corporalem, genus ad Metaphyſicam pertinet, differentia ad Phyſicam: Cur autem compoſitum ſequetur unam partem magis quam aliam?

Objici adhuc poteſt contra reſolutionem ſimul & probationem noſtram: In Logicâ tractatur ens ut ſic rationis, & præterea ens tale proprium: puta ſecundæ intentiones, & tamen objectum Logicæ non ponitur ens rationis ut ſic, ſed tale, ſcilicet ſecunda intentio Logica, ſive in genere ſive in aliqua ſui ſpecie, ut eſt modus ſciendi aut ſyllogiſm⁹, ergo ſimiliter non licet judicare quod ens ut ſic ſit objectum Metaphyſicæ licet tractetur in ipſa, ſed ens tale, puta ſubſtantia, ſpiritus, &c. Cauſa enim quæ in Logica currit, etiam huc recurrere poteſt, quod ſcilicet ens ut ſic rationis tractetur ibi in gratiam talis entis, non autem in gratiam ſui. Hoc argumentum difficulter alia via evadetur; mea autem facile; tenendum eſt enim con-

inſtater quod ſupra dixi, aſſignandam eſſe etiam itibus rationis ſuam Metaphyſicam, cujus obſtum erit ens ut ſic abſtractum. Itaque de facto ridem ad Logicam pertinet tractatio entis ra-onis ut ſic, de jure non item; quomodo alia aliis ientiis irrepſerunt, Angeli in Theologiam, præ-camenta in Logicam, atque etiam in Metaphy-ſam, &c.

Ultimo videtur mihi contra ens facere, quod on habeat paſſiones nec ſit definibile: primum uidem quia paſſiones ejus aut eſſent ipſum ens, it non ipſum: non poſſunt eſſe ipſum, eo quod lem non poſſit eſſe ſui paſſio, emanare à ſe, &c. d nec erunt non ipſum, quia ſic erunt non ens u nihil quod eſt eas non eſſe, ergo. Ratio ſe-undi eſt quod definitio conſtet genere, ens au-m non habeat genus: neque vis ſita eſt in verbis, ec poteſt evadi per diſtinctionem de genere roprio aut improprio; nam relinquendo vocem enus, debet habere ſaltem aliquid in quo conve-iat & aliquid in quo differat; atqui ens id non abet, nec poteſt habere, quum ſit primum, nec uidquam ab ipſo differat niſi nihil, cum quo in ullo convenit, ergo. Hoc argumentum verè eale eſt, adeoque æſtimandum; ſed expectan-lum infra, ubi omnes etiam partes ejus exami-andæ ſunt propriis locis: an ſcilicet ens inclu-latur in paſſionibus? quomodo definiendum el deſcribendum ſit? & quomodo ex ipſo de-nonſtrativè deducantur paſſiones ac modi? ſuffi-iat hic ſolutionem promittere, ibi præſtare. Li-et nihilominus hic interim vertere argumen-um in authores ſic: ſi demus ſubſtantiam eſſe objectum Metaphyſicæ, quas illa paſſiones de eâ demonſtrabit? an ipſam iterum ſubſtantiam? an ipſum ens? atqui ultra hæc nihil eſt adhuc in re-bus quod aſſignari poſſit ei paſſio niſi nihilum ip-ſum, ergo.

Fateor qui poneret ens eſſe æquivocum, re-ctè diceret ſubſtantiam eſſe Metaphyſicæ obje-ctum, quia nimirum tum ſola ſubſtantia eſſet vere ens, accidens nonniſi æquivocè; ſed tum ille non diſſentiret à nobis, ſed ambo idem diceremus: quum enim ſubſtantia & ens convertantur idem eſſet ponere ſubſtantiam objectum ſcientiæ ali-cujus & ponere ipſum ens. Sane autem ex his vi-deri poteſt eſſe Ariſtoteles, qui 4. Met. de hoc cla-re ſe aperit, c. 1. dicens. *Ens autem multipliciter di-citur, verum ad unum, unamque quamdam naturam, & non æquivocè, ſed quemadmodum omne ſalubre ad ſanitatem: quoddam eo quod conſervat, &c.* ubi vult ens dici de ſubſtantia. &c. quemadmodum ſanum de animali & medicinâ, &c. de quibus non poteſt dici univoce: Nec turbare nos debet illud: *non æquivoce*, in verbis Philoſophi, id enim ait ut ſignificet eſſe æquivoca analoga, ſivè cum proportione, non vero à caſu, aut diſparata: ſed quoniam non ſolet ſemper ſibi conſtare, certe autem non vult conſtare nobis; habet etiam nonnulla pro univocatione entis, & pro eo quod ipſum ſit Metaphyſicæ objectum. *Eſt quædam ſcientia quæ ſpeculatur ens prout ens eſt*: quid cla-rius? quum hanc ſcientiam velit eſſe Metaphyſi-cam. Sed inſtant Adverſarii, & volunt hunc lo-cum potius pro ipſis eſſe; ſcilicet *ens ut ens* eſſe ſub-ſtantiam, non autem reduplicationem ſupra na-turam entis, quod eſt conceptus ſimpliciſſimus incapax reduplicationis: &, fateor, præmiſſa lo-ca Philoſophi fundamentum eis præbent: ſed, aut illi, aut Ariſtoteles, convincuntur erroris, ſi ita ſit; hic enim, c. 1. præcedenti præmiſit: *nulla cæterarum univerſaliter de ente, prout ens eſt conſiderant, ſed ejus aliquam partem abſcindentes, quod ei accidit ſpeculantur, ut Mathematicæ ſcientiæ*; nam Mathe-maticæ ſcientiæ non abſcindunt partem ſubſtan-tiæ, neque conſiderant ullam ſpeciem ejus, ergo jam *ens* illud *ut ens* non eſt ſubſtantia apud Ariſto-telem. Sed aliquid ſupra ipſum & commune ac-cidenti.

Objectum Metaphyſicæ nunc tradi ſolita.

Altera pars hujus reſolutionis meæ fuit, quod Metaphyſica quæ ab Ariſtotele cœpta & à cæteris recepta eſt, habeat pro objecto ens immateriale ſeu incorporeum. Ratio, quia ad il-lam pertinet tractatus de Deo, de Intelligentiis, &c. his autem omnibus nihil unum commune eſt omnia complectens, niſi ens immateriale. Ita-que ad hanc pertinent ut ſupra innui ex moderna Theologiâ, tractatus de Deo uno & attributis; de Angelis. intellige utrumque ſecundum ea quæ naturaliter de his ſciri poſſunt.

Dixi ſupra, aliter ens immateriale eſſe ſubje-ctum hujus Metaphyſicæ, & aliter ens ut ſic rea-le objectum Metaphyſicæ ſecundum ſe: quia ni-mirum ens reale reſpectu Metaphyſicæ ſecun-dum ſe, ſupponit pro ſe ipſo: ens autem imma-teriale in alterâ non ita, ſed rectius pro ſpeciebus, quia paſſiones demonſtrantur de Deo, de Ange-lis, &c. quæ ſunt ſpecies ejus.

Dices, etiam in hac ſuæ paſſiones demon-ſtrantur de ente ut ſic: ergo etiam in hac ens po-teſt ſupponere ſimpliciter & pro ſe, ac non tan-tum perſonaliter pro inferioribus. Solvam hoc ſimul cum alio minus difficili, quod

Objicio mihi ſecundò: ſi ens immateriale meo modo eſſet objectum Metaphyſicæ aut ul-lius ſcientiæ, tum daretur aliquid ſuperius ente ut ſic, quod ſinè dubio eſt falſum, eſſet enim dare ſuperius ſupremo: probatur tamen ſequi; quia illud objectum abſtrahit ab ente ut ſic, & ab ente ſpirituali; eſtque aliquando tertium cui ambo illa ſubſunt tanquam participantia ipſum: ſingu-la enim ſunt immaterialia, ſed aliter, & aliter; ens ut ſic reale eſt immateriale præciſivè, Deus & Angeli poſitivè: unde nos ponimus ens immate-riale tanquam quid complectens utramque im-materialitatem, adeoque ens taliter immateriale erit ſuperius ad ens ut ſic. Reſpondeo negando illatum; immateriale erit ſuperius ad hoc & illud immateriale; ſive immaterialitas potius ad hanc & illam immaterialitatem, ens tamen non erit: per quod patet ad ſecundum hoc. Ad primum autem dico, etiam in Metaphyſica ſic conſtitutâ demonſtrari paſſiones de ente tanquam de obje-cto totali; in illa vero tanquam de partiali, plane ſicut demonſtrantur de D, Deo, vel de Intelli-gentiâ.

Una mihi difficultas adhuc ſupereſt contra hanc ſecundam conſtitutionem Metaphyſicæ: & eſt, quod, ſi approbemus illam, tum convince-mur dicere quod ſcientiæ diſtinguuntur per ab-ſtractionem à materiâ: nam objecta quæ aſſig-navimus Metaphyſicæ hoc modo conſtitutæ non conveniunt in ullo niſi in abſtractione à materiâ, ſcilicet, ens ut ſic, Deus, Intelligentiæ, quæ pro-inde faciunt unam ſcientiam contradiſtinctam à Phy-

Digitized by Google

Phyſica,cujus objecta omnia ſunt immerſa materiæ. Reſpondeo, quidquid ſupra dixi contra abſtractiones,ſolidum eſt,& evincit ſcientias ex natura rei non conſtitui per illas: Quod ergo Metaphyſica hoc ſecundo modo conſtituta, involvat in ſuo objecto ejuſmodi abſtractiones, probat conſtitutionem hanc Metaphyſicæ arbitrariam, & ad placitum authorum pro eorum commoditate factam exigere abſtractionem hic; & concretionem ibi, ſcilicet in Phyſicâ & Matheſi, &c. quod non obſtat priori veritati. Deinde

hoc ipſo poſito non habent Thomiſtæ intentur
nam etiam in Metaphyſicà ſic conſtituta rat
formalis non eſt abſtractio: dico ratio forma
objecti, ut à ſcientiâ conſideratur: hæc enim e
quid extrinſecum illis quatenus à ſcientiâ con
derantur: nec enim illa utitur hac abſtractio
communi ad demonſtrandas paſſiones de ipſ
eſt ergo abſtractio hæc generica quam dixi rati
non cur ſcientiæ tractent de his objectis, ſed c
ex pluribus ſcientiis fiat una, quæ alias eſſent du
aut plures ſeparatæ.

ACTIO IV.

Expedit plura ſparſim de natura Metaphyſicæ.

Breviarium.

N. 1. *Acceptio ſubalternationis communiter recepta, rejecta: vera allata.*

2. *Non omnes ſcientiæ ſubalternantur Metaphyſicæ bene tamen Logica & Theologia.*

3. *Objectiones aliquæ contra allata & ſolutæ.*

4. *Metaphyſica ex obiecto ignobilis.*

5. *Eſt ſumme certa: non tamen poſitive per e*
ceſſum.

6. *Unitas Metaphyſicæ quanta?*

1. PRimum ſit, an illa ſubalternet ſibi alias ſcientias? Ad quod equidem exiſtimo reſpondendum negativè, juxta communem modum ſtatuendi ſubalternationes activam, & paſſivam, ut ſcilicet objectum ſubalternatæ addat differentiam accidentalem objecto ſubalternantis, non enim id faciunt objecta aliarum facultatum reſpectu Metaphyſicæ, ſed addunt ei eſſentialem & ſpecificam differentiam,corporis,ſpiritus,&c. At enim neſcio quam recte hoc dicatur à communi authorum,aut quam conſequenter ad ipſorum principia, qui hoc ipſum paulo ſuperius retuli: ſcilicet nullam ſcientiam poſſe eſſe de ente per accidens; clarum eſt enim ens per ſe addito illi aliquo accidente extraneo, jam non eſſe ens per ſe ſed per accidens: num enim homo albus eſt illis ens per ſe? & ſi homo albus non ſit, quomodo numerus ſonorus erit? quum etiam hic conſtet ex rebus diverſorum prædicamentorum. Videri poſſunt quæ de hoc in priori Tomo ſuo loco dixi: Interim ex hac doctrinâ confirmatur ad hominem contra ipſos quod ſupra hic dixi ens per accidens habere ſuum modum quo poſſit ſcientia eſſe circa ipſum.

At enim re ipsâ adferenda eſt alia inſtitutio & acceptio ſubalternationis ſcientiarum,quæ pro nunc ſit, quod ſcientia ſubalternata accipiat principia ſua probata à ſubalternante,ita ut præmiſſæ in demonſtrationibus ſubalternatæ, ſint concluſiones ſubalternantis; ſic enim ſervatur ſubalternatio ſcientiarum ad invicem ut ultima prioris ſint prima poſterioris, ut poſterior, ideſt ſubalternata dependeat à ſubalternante. Hæc etiam explicatio cadit directè ſuper ipſas ſcientias, non vero ſupra objecta earum aut ſupra fines ut faciunt aliæ, adeoque præferenda eſt. Exemplum erit in Medicinâ reſpectu Phyſicæ, in illâ enim principium eſt:quod Contraria contrariis curantur: quod veriſſimum eſt: at ab ipsâ non diſcitur, ſed à Phyſicâ, quæ id probat eo quod contraria ſe invicem expellant ſubjectis.

2. Sed, inquies, hoc poſito quid ſtatuendu
eſt de aliis ſcientiis reſpectu Metaphyſicæ; an ſu
alternantur ei? Reſpondeo abſolute negand
dari tamen quandam ſpeciem ſubalternation
ad ipſam in Logica & Theologia: Pro prima pa
te hujus citatur D. ex 1. Met. q. 9. ſed revera ind
difficulter trahi poteſt in ullam partem, tam o
ſcurus eſt, unde melius fortaſſe citaretur ex
Sent. de 48. q. 2. Sed quidquid ſit de hoc: Reſ
lutio probatur, quia principia aliarum non ſ
muntur ex Metaphyſica, & multo minus ibi p
nuntur tanquam concluſiones: ſed ſunt per ſ
& prima; imo nonnulla æque nota ac Metaph
ſica ulla: v. g. Quod *ſi æqualibus æqualia demas q*
remanent erunt æqualia: item illud. *Omne totum*
maius ſua parte, & ſimilia ſunt enim tam evide
tia ex terminis, ac quod *impoſſibile ſit idem eſſe*
non eſſe, & intellectus tam rapitur in aſſenſum e
rum quam in aſſenſum ullius Metaphyſici princ
pis: aut alterius: neque opus eſt illa probari p
Metaphyſicam aut aliam facultatem.

Objicies, omnis diſputatio aliarum facu
tatum deſinit in illud *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe*
non eſſe: non enim quieſcit argumentans don
reſpondentem deducat ad oppoſitum illius pri
cipii, ergo jam omnia reſolvuntur in Metaph
ſicum principium, & ſubordinantur ei. Reſpo
deo in primis negando hanc ultimam conſequ
tiam, non enim ſufficit ad ſubordinationem,
aliquo principio, alioquin etiam Metaphyſi
ſubordinaretur ſibi, ſed opus eſſe ut princip
unius ſcientiæ innitantur concluſionibus alteri
ſic enim ſubordinatur ei; id autem non fit etia
una utatur principio illo: Deinde illud princip
videtur mihi non eſſe Metaphyſicum, ſed nat
rale, intellectus enim ipſe id dictat ſine ullius ſ
entiæ adminiculo. Do tamen pro nunc illud e
Metaphyſicum, adhuc non cogar ab argument

Quod addidi de Logicâ & Theologiâ, id
eſt, quoniam in Logicâ omnis efficacia argume
tationis quæ eſt objectum & finis illius, reſolvit
in illud: quod, *duo contradictoria non poſſint eſſe*
mul vera. Hoc autem deſumitur & probatur ſ

 logiſti

iſtice & illo principio Metaphyſico quod im-
libile ſit idem ſimul eſſe & non eſſe; adeoque
eologus etiam ea quæ Metaphyſicus docet de
o, applicat perſonis, etiam ipſis attributis
c inde, addendo revelationes, & inferendo
ſequentias: v. g. dicit Metaphyſicus, quod
us ſit æternus, idque demonſtrat: Theologus
aſſumit hanc concluſionem Metaphyſicam,
ubſumit ſub eâ, quod Verbum ſit Deus, unde
Concilio Nyſſeno illatum eſt Verbum eſſe æ-
num, & damnatum illud Arii ac ſequacium:
quando non erat: hoc eſt, fuit aliquod tempus
duratio quum Verbum non fuiſſet.

Objicit aliquis, & vult Arithmeticam ſub-
ernari Metaphyſicæ, quatenus hæc tractat de
elligentiis, quia nimirum Arithmetica agit
numero Intelligentiarum: ſed miranda eſt il-
io hujus, quum inferre debuerit quod Meta-
yſica ſubalternaretur Arithmeticæ, nam Me-
hyſica eſt quæ addit aliquam differentiam ob-
to Arithmeticæ: ecce quomodo: Dicitur
ſica ſubalternari Arithmeticæ, quia addit dif-
entiam aliquam objecto ejus, ſcilicet ſonum,
quod muſica conſideret numerum ſonorum;
rgo Metaphyſica addit ſpiritum, & ipſa conti-
t in objecto ſuo numerum ſpiritualem, non-
potius dicenda eſt ipſa Metaphyſica ſubalter-
i quam ſubalternare? In re autem neque ſub-
ernat, neque ſubalternatur, quia Metaphyſica
n addit differentiam aliquam in eo genere un-
nova proprietas emanet, ſed planè quaſi nu-
ricam & omnino materialem differentiam.
, ad propoſitum iſtæ duæ ſcientiæ ſunt ſicut
æ, quarum una ageret de homine ut ſic, alia de
c homine. Quod certe confirmat & confirma-
per id quod ſupra dixi Arithmeticam, &c.
n eſſe ex ſe affixam quantitati, id eſt, accidenti
teriali: ſed potius liberam ab omni materiâ &
materiâ, atque indifferentem ad utrum-
, licet communiter in ſcholis aliud de eâ cre-
ur.

Objiciam etiam contra id, quod dixi de Lo-
â: ſcientia ſubalternata præſupponit ſubalter-
ntem; Logica Metaphyſicam non, ſed è con-
potius, quia omnes ſcientiæ in eſſe talium de-
ndent à Logica, hæc enim eſt quæ certitudi-
n tribuit illationibus earum præſcribendo, &
bando regulas quibus in diſcurrendo infalli-
iter regatur. Non cogor huic per omnia re-
ondere, quia non poſui plenam ſubordinatio-
n Logicæ ad Metaphyſicam, ſed aliqualem:
o nihilominus ſtare quod ibi poſui, ad quod
iendum debemus ſupponere, quædam princi-
ad quamlibet ſcientiam pertinere, & omnia
n eſſe diviſa inter ſcientia, ut nullum ſit quod
aliquam non pertineat. Eo autem poſito, uni-
ſaliſſima contingunt Metaphyſicam, & ita il-
: Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe, in
od reſolvitur omnis illatio Logicorum: unde
c ſubordinatur principium Logicum, quod
o contradictoria non poſſint eſſe ſimul vera,
eoque ipſa Logica Metaphyſicæ quoad hoc. In
autem hoc principium eſt lumine naturæ no-
n, & ab ipſa didicerunt illud Logici; unde non
rum ſi ante ſcientiam Metaphyſicam regulas
ſuas diſponere potuerint, licet non ante
principia: per quod patet ad argu-
mentum in formâ.

Comparatur Metaphyſica aliis ſcientiis in certitudine, & dignitate.

4. TErtio quoad nobilitatem, Metaphyſica tenetur eſſe princeps aliarum; at non à me, qui potius credo Metaphyſicam puram ut ſupra illam diſpoſui eſſe ex objecto ignobilem, & quaſi ſummè talem. Cauſa; quia habet objectum minimè perfectum, ſcilicet ens ut ſic, quod eſt minimum in ſeminibus, eo quod quodlibet infra ipſum contrahendo ipſum addat ei aliquid, adeoque ſit melius ipſo, quum omne totum, ſit non ſolum majus, ſed & melius ſui parte.

At vero Metaphyſica diſpoſita ſecundo & communi modo eſt ſummè nobilis, eo quod ſic complectatur ſub ſe Deum & Intelligentias; & quoniam hoc eſt extra quæſtionem ac dubium, redeo ad primam partem, &

Objicio mihi: ex omnibus gradibus præſtantiſſimum eſt ipſum eſſe, unde & ponitur eſſentiale Deo: Pergo; illud eſt melius cujus oppoſitum eſt pejus; ſed pejus eſt oppoſitum entis aut eſſendi quam ullius alterius, quia oppoſitum entis eſt nihil: oppoſitum aliorum non: v.g. oppoſitum ſpiritus eſt corpus: pejus eſt autem eſſe nihil quam eſſe corpus, ergo. Propter hoc & alia quæ in hanc ſententiam addi ac adferri poſſunt, equidem exiſtimo objecta aliarum facultatum quando dicuntur eſſe perfectiora objecto hujus, accipienda eſſe totaliter & ſpecificative, non vero reduplicative, id eſt, ſecundum illud quod ipſis proprium eſt, atque eo ſolum modo eſſe meliora objecto Metaphyſicæ non autem accipiendo id præciſe quod illa ſuperaddunt enti: v.g. ens ſpirituale ſine dubio melius eſt ente abſtracto: tamen ſi dividatur in duo hoc complexum, & accipiantur ſeorſim entitas ac ſpiritualitas, melius erit ens quam ſpirituale: per quod exiſtimo ſatisfactum & quæſtioni, & objectioni. Nunc

5. Cenſeo de certitudine ejus, quod quidem dici poſſit ſumma, at non poſitive ſive per exceſſum, ſed negative tantum, & per æqualitatem; quod ipſum accipiendum eſt reſpectu aliquorum tantum; nam reſpectu plurium habet etiam poſitivum exceſſum: Moveor ad cenſuram (quæ minus communis eſt,) à Mathematicis diſciplinis; hæ enim non cedunt Metaphyſicis ſed potius Metaphyſicæ ipſis; nam prima principia utriuſque ſunt ut minimum æqualia. Quod principium Metaphyſicum illuſtrius illo: *Totum eſt maius ſui dimidio?* aut iſto: *Quæ ſunt æqualia uni tertio ſunt æqualia inter ſe?* Præterea etiam principia non prima Mathematicis ſunt evidentia audienti, quia ſtatim apparent ſenſui, ac non tantum intellectui, in Metaphyſicis non item, quia faciunt tantum ad intellectum, qui non ſtatim penetrat ſed eget diſcurſu, adeoque quantum ad evidentiam præfero Mathematicas Metaphyſicis.

Dices ipſa Mathematica mutuare evidentiam à Metaphyſicis; nam diſcurſus Mathematicus ſicut & alii omnes innituntur illi principio primiſſimo, quod impoſſibile ſit idem eſſe & non eſſe, ergo. Sed, propter quod unumquodque tale, illud magis tale, ergo magis evidens eſt Metaphyſico. Reſpondeo primo aliud eſſe evidentiam & aliud certitudinem: certitudo diſcur-

ſus

Digitized by Google

ſus Mathematici fortaſſis innititur illi principio, evidentia non item, ſed hanc à ſe habet, non minus quam Metaphyſicus: compara utriuſque principia quæ ſupra enumeravi, & ita eſſe invenies. Deinde dico quod quamvis illud principium Metaphyſicum habeat ex ſe vim fundandi omnes diſcurſus, tamen Mathematicus non eget illo, quia ex ſe habet unde ſubſiſtat, & ſe perſuadeat audienti. Denique melius reſpondebo ſi dicam quoad hoc non dari excellentiam ullam in Metaphyſica ſupra Mathematicam, quia propria Matheſis non nititur illo principio, ſed tantum diſcurſus & illationes ejus; at vero diſcurſus etiam Metaphyſici innituntur ei: inde enim habent ſoliditatem, vel potius (immediatius adhuc) à principio Logico de quo ſupra; atque ita in hoc ſunt pares.

Aliæ tamen ſcientiæ cedunt quoad hoc Metaphyſicæ; quia nimirum ipſarum principia non ſunt primo prima, nec ad ſenſum patent ſicut Mathematica, ſed pendent à Metaphyſicis non ſolum principiis ſed concluſionibus: Tales ſunt Phyſicæ aliquæ, Logicæ etiam, & morales, quod quivis facile deprehendet: ut non ſit operæ pretium probari.

Addo tamen demonſtrationes Metaphyſicæ, non eſſe æque perfectas ac illas aliarum ſcientiarum; quia nimirum definitiones ejus tales non ſunt; non enim poteſt dari exacta definitio entis, quod eſt objectum Metaphyſicæ ſecundum ſe: item nec, pro hoc ſtatu, Dei, qui etiam eſt objectum principalitatis Metaphyſicæ.

Denique minor certitudo haberi poteſt pro nunc de rebus Metaphyſicis quam de aliis, v.g. de Deo, de Angelis, eo quod ſint ſpiritus, & proinde non cadunt ſub objecto, aut actione ſenſus, à quo incipit omnis noſtra cognitio pro hoc ſtatu.

Dices nec ſubſtantiam ullam etiam corpoream cadere ſub ſenſum atque ita ex hoc non recte deduci Metaphyſicam minus certam quam cæteræ ſcientiæ, quarum aliquæ habent ſubſtantiam pro objecto. Reſpondeo tamen eſſe diſcrimen, quod in ſubſtantiis corporeis, accidentia ſaltem ſub ſenſum cadunt, & hæc nobis poſſunt manifeſtare ſubſtantias: at vero in ſpiritualibus tam ſubſtantiæ quam accidentia fugiunt noſtros ſenſus, adeoque.

6. Vexant ſe aliqui hic, magno tumultu diſceptantes de unitate Metaphyſicæ, quæ? & quanta ſit? Et ex noſtris nonnullis rejectis aliis reſpondent eam eſſe genere unam, quia nimirum objectum ejus, ſcilicet ens reale eſt tale. Sed ſine causâ vexantur, & nihil minus probat ratio adducta quam hoc. Nec eſt quod jactent Scotum à ſe eſſe, eſt enim etiam ab oppoſito; cum ipſis 1.d. 3. q.2. contra ipſos 6. Met. q. 1. ut notat accurate Cavellus in Scolio ejus loci. Ne ergo hæreas, ſed dic Metaphyſicam eſſe unam ſpecie & ſimiliter aliam quamcunque ſcientiam, quia nimirum non poteſt dari qualitas, aut quidquam in rebus quod ſit ſola genericâ unitate unum. Deinde aſſignentur nobis ſpecies illæ in quas Metaphyſica deſcendit; non facient facilè. Tertiò denique nihil minus valet quam ratio ob quam Adv. opinantur oppoſitum hujus, ſcilicet communitas generica objecti, quaſi vero quando percipitur objectum genere unum, perceptio illa tam habitualis quam actualis debeat eſſe genus, vel genericum quid ſupra communem naturam ſpecificam, & contractionem ad ipſam, quo nihil falſius. Intelligimus ſubſtantiam ut ſic, quæ non eſt ſpecies atoma ſed genus generaliſſimum, intelligimus animal quod eſt genus ſubalternum, & tamen intellectiones noſtræ ſunt ſingulæ, unius ſpeciei atomæ. Objectum oculi eſt color, non aliquis in ſpecie, ſed generice, & abſtractè; non tamen oculus eſt genus, aut quid abſtractum.

Objiciunt. Metaphyſica involvit multos habitus ſpecie diſtinctos, ergo debet eſſe quid genericum ipſa. Egregiè, quaſi vero genus conſtituatur tale per partes integrantes, ac non potius per partes ſubjectivas, negatur ergo conſequentia, & conſequenter intentum, niſi forte fateantur ſe improprie loqui, & intelligere per unitatem genericam compoſitionem ex pluribus diverſis, ſic enim revera exiſtimari poteſt Metaphyſica genericum quid: ſed tum id non erit ſpeciale, quin omnibus ſcientiis commune, & impertinens erit latitudo objecti ad hanc communitatem ejus.

***

Plura apud:

ARiſt. 1. *Met. c.* 2. *& lib.* 4. *tex.* 1. Aver. *cum ipſo ibid.* Avicen. *ite l. & c.* 1. Alb. Mag. *l.* 4. *c.* 2. D. Th. *ib. lect.* 1. Ægid. *etiam q.* 2. Tartaret. *hic l.* 1. *quæſt. unic.* Joan. Buridan. *&* Paul. Venet. *in prolog. Metaph.* Anton. And. *hic l.* 1. *q.* 1. Tesb. *l.* 1. *q.* 12. Aquar. *Dilucid.* 1. Franc. Suar. *diſp.* 1. *Metaph.* Ant. Mirandul. *lib.* 13. *de everſ. ſing. certam.* Bonelt. 1. *Met. c.* 1. Viguer. *& Barg q.* 1. *prolog.* Fab. 1. Met. *diſp.* 13. Perer. *l.* 1. *c.* 14. Fland. *hic l.* 1. *q.* 7. Martin. Meuris. *in prolog. Metaph. qq.* 4. 5. *&* 7. Raph. Averſ. *q.* 2. *phil.* Fonſ. 4. Met. *c.* 1. Maſtr. *diſp.* 1. *proœm. Metaph.* Ponc *diſp.* 68. *curſ.* Saxon. *in cataſtr. d.* 2. *q* 5. Siren. *diſp. de ſubject. philoſ.* Paveſ. *diſp.* 1. *Met. c.* 9. *&c.* Paſqualig. *d.* 17. *&c.* Hurt. & Ariag. *hic in proœm.* Franc. Ovied. *ſimiliter hic, &c.*

APO-

Digitized by Google

APOLOGIA SECUNDA

De Ente ut ſic?

ACTIO I.
Utrum Ens ut ſic reale habeat unum conceptum ab inferioribus præciſum?

ACTIO II.
Quid Ens? ſive quis proprius conceptus ejus?

ACTIO III.
Utrum Ens ſit univocum D. Deo, & creaturis?

ACTIO IV.
Utrum univocatio entis ad Deum & creaturam ſit in aliquâ realitate? an tantum in formalitate aliquâ & conceptu?

ACTIO V.
De univocatione entis ad ſubſtantiam & Accidens.

ACTIO VI.
Comparat ens ut ſic ad reale ac Rationis.

ACTIO VII.
Utrum detur aliquid latius ente ut ſic: ſive an quodlibet poſitivum includat formaliter ens?

Scotus *quæſt.* 21. *de Anim. num.* 9.

QUod etiam conceptus entis ſit communis univocè ſubſtantiæ, & Accidenti, probo, quia ſi non eſſet univocus, nullum conceptum de ſubſtantia haberemus. Probatio; aut enim haberemus roprium & quidditativum, intuitivum, aut abſtractivum; non primum ut probatum eſt ſupra, ergo onceptum abſtrahibilem à ſubſtantia & accidente, & communem utriuſque; ſed nullus eſt communis utriuſque niſi entis, igitur.

Idem 1. *diſt.* 3. *quæſt.* 3. *num.* 6.

QUantum ad primum dico, quod ens non eſt univocum dictum in quid de omnibus per ſe intelligibilibus, quia non de differentiis ultimis, nec propriis paſſionibus entis: nam differentia ulma dicitur quia non habet differentiam, quia non reſolvitur in conceptum quidditativum & qualicativum, determinabilem & determinantem, ſed eſt tantum conceptus ejus qualitativus, ſicut ulmum genus habet tantum conceptum quidditativum.

ACTIO I.

Vtrum Ens reale ut ſic habeat unum conceptum ab Inferioribus præſciſum, necne?

Breviarium.

1. *Non eſſe diſputandum ſeorſim de conceptu formali, & objectivo.*
2. *Ens habet conceptum diſtinctum à conceptibus contrahentium quorumcumque, probatur pluries.*
3. *Expenditur vulgatum argumentum Scotiſtarum pro hac veritate.*
4. *Profero alias probationes eiuſdem.*
5. *Obiectiones aliquæ contra: Conceptus abſtractus entis impeditne primitatem Dei?*
6. *Alia adhuc obiectio ſolvitur: etiam retorquetur.*

HIc etiam ni fallor irritus eſt quorundam conatus in examinando ac reſolvendo ſeorſim conceptum formalem, & conceptum objectivum, quaſi in his eſſet nova difficultas, ac non potius formalis conceptus ſtatim ſequatur ad objectivum, vel ſaltem ſequi poſſit, quantum ex ipſo eſt, ſive, niſi ſit defectus in nobis propter tarditatem intellectus, quæ ſane non poterit corrigi per diſputationes has ſpeculativas. Itaque ſtat hic unum conceptum entis expendere, qui erit objectivus; aliqui enim volunt ens non habere talem, proprium aut determinatum,

minatum, ſed diſiunctum, ſcilicet, vel ſubſtantiam vel accidens; vel Deum, vel creaturam, quos abunde citatos leges apud Recentes, tam Subtiles quam externos. Noſtri è contra tenuerunt unitatem, & ſeparabilitatem hujus conceptus, poſt Doct. ſuum, & (ſi Thomiſtæ audire volunt) poſt D. etiam eorum, ut ex eo deducit, Pet: Hurtado hic. Reſolutive

2. Dicendum eſt ens habere objectivum & realem conceptum diverſum à conceptibus inferiorum ad quæ contrahitur; puta Dei, creaturæ, ſubſtantiæ, accidentis, abſoluti & relativi, &c. quæcunque alia aſſignare voles, quæ proximè contrahunt & dividunt ens. Ita ſubtiliſſimus pluries, nominatim in 1. d.3. primo themate à me ſupra productus; item d.8.q.3. ibid. quem alii catervatim ſequuntur, ut notavit neotericus citatus. Oppoſitum adſcribitur D.Thomæ 1.p.q.13. art.5. & proinde placuit ſequacibus ejus, Cajet. Fland. & veteribus aliquot: novi enim dudum dixerunt ei vale in hoc, & ad noſtros tranſierunt. Fran.Suar. Pet.Hurtad. Albertin. Ariag. Oviedo & alii: tanta eſt vis veritatis, pro qua:

Arguo in primis Logicè ſic: Hæc prædicatio eſt formalis; ſubſtantia eſt ens, ergo ens eſt aliquid aliud à ſubſtantia: patet hæc; quia alias prædicatio eſſet identica: hæc ſcilicet, ſubſtantia eſt ſubſtantia. Dicent utique ſequi certiſſime quod ſit aliud, & ita eſſe quia ens eſt ſubſtantia vel accidens, non vero ſubſtantia determinate, clarum eſt autem hoc prædicatum, ſubſtantia vel accidens, eſſe aliud ab hoc quod eſt, ſubſtantia.

Contra hanc inventionem cujuſcunque ſit, ſic arguo. Quando dico ſubſtantia eſt ens; facio prædicationem formalem & regularem Logicè loquendo, quod ſuprà aſſumpſi in antecedenti, & nemo negat, quum etiam legatur apud Ariſtotelem ſæpiſſime (ſi quid hoc juvat) ſubſumo; atqui non eſſet formalis, ſive alicujus ſuperioris de inferiori ſi intelligendum eſſet τὸ ens illo modò, ut eſſet idem ac ſubſtantia vel accidens. ergo non facit eum ſenſum. Probatur Minor quia ſubſtantia vel accidens non eſt ſuperius ad ſubſtantiam, quod quidē de ſe patet, & tamen probari adhuc dupliciter poteſt: primo quia ſubſtantia non eſt ſuperius ad ſe, atqui æque late patet ſubſtantia ac accidens, ergo neque ſubſtantia neque accidens eſt ſuperius. Poteſt tamen negari conſequentia hujus, non enim ſufficit contra Adverſarium probare quod nec ſubſtantia nec accidens ſit ſuperius, ſed probandum eſt quod hoc complexum ſubſtantia vel accidens non ſit ſuperius, quod nondum factum eſt; ſic tamen fieri poteſt. Omnis ſuperioritas quæ convenit huic complexo convenit ei ratione alicujus ex membris dividentibus aut conſtantibus, quum etiam omnis entitas competat ei ratione ipſorum: nam ſi deſtruatur ſubſtantia & accidens, certe nihil remanet huius complexi ſubſtantia vel accidens. Probatur jam ſecundò aſſumptum illud ſupra; quia diſiunctio illa poteſt eſſe inter res omnino non univerſales, adeoque non ſuperiores ad quidquam, ergo jam diſiunctio nullam ſuperioritatem continet, aut tribuere poteſt. Antecedens patet quum dico Petrus vel Paulus, hoc vel illud ſingulare, hæc aut illa perſona; in his enim eſt ſemper diſiunctio, nulla autem ſuperioritas, quum ſint eſſentialiter hæc, nec ſolum inferiora ſed infima. Probo principale intentum, aut proſequor potius præcedentem probationem Metaphyſicè in hunc modum: ſubſtantia vel accidens nullam entitatem dicit quam non dicit ſubſtantia ſola, vel accidens ſolum: atqui ens non poteſt eſſe ſubſtantia ſola aut accidens ſolum, ergo non poteſt eſſe ſubſtantia vel accidens. Majorem probo pluries: primo, quia ſubſtantia vel accidens manifeſte minus dicit quam ſubſtantia & accidens; ſed ſubſtantia & accidens dicit utrumque, ergo jam ſubſtantia vel accidens dicit ſolum alterum. Secundo ſic, quia qui habet ſubſtantiam aliquam tametſi nullum accidens habeat, v. g. qui habet Deitatem, is habet ſine dubio ſubſtantiam vel accidens: & exemplificando in materia magis vulgari, ad habendum nummum aureum vel argenteum non eſt neceſſe quidquam auri habere ſed ſufficit ſolum argentum habere, tametſi nihil cogitet vel audiverit unquam de auro: atque ita veritas diſiuncti reſolvitur in veritatē unius partis, nam idipſum eſt quod verificat affirmationem hujus: habeo nummum aureum vel argenteum, adeoque nihil aſſeritur per unam quod non per aliam objectivè. Quod totum confirmatur, quia poſitiones & interpoſitiones illæ ſive diſiunctivæ, ſivè copulativæ, *&*, *vel* &c. in re extra nihil ponunt: nam qui habet duos nummos, præciſo quocunque quod non eſt nummus, habet unum & alterum, primum & ſecundum nummum, & qui habet unum ſolum, habet unum vel duos, imo, vel mille, aut etiam, ſi voles, unum vel infinitos: ſicut etiam habet unum vel nullum: unde jam manifeſtum eſt quod iſta *&*: *vel* non habentur, neque ſunt aliquid ex parte objecti; nam etiam ego qui ſum pura creatura ſum certiſſime Deus vel creatura: quis neget? & tamen hæc diſiunctio nihil Deitatis ponit in me.

Urgeo amplius hoc argumentum ad hominem: ens ſivè ſit quid abſtractum ab inferioribus ſive non, ſed ipſamet inferiora taliter ſumpta, ſaltem eſt ſibi ſemper idem, atque ita idem ſemper ſignificat; atqui id non eſſet ita, ſi ens foret aut ſignificaret diſiunctum. Major (credo equidem) eſt ipſorum: nam etiam ſummè æquivoca idipſum ſemper important, quod non eſt aliud niſi ambiguitas & perplexitas audientis ſuſpenſi inter plura: Tum ſic; ſed non ſignificaret ſemper idem, ſi ſignificaret complexum: quæ fuit Minor, & probatur; quia hæc: habeo ſubſtantiam vel accidens; nummum aureum vel argenteum, &c. vera eſt in eo qui habet ſolum ſubſtantiam, vel ſolum accidens: nummum aureum ſolum vel argenteum ſolum: atqui in eo qui habet ſolum argenteum, ſignificat ipſum argenteum & nullatenus aureum, &c. ergo jam ſi ens ſignificat diſiunctum, non ſemper idem ſignificat, quod videtur etiam ipſis Adverſ. negandum.

Forte tamen expedire ſe poſſent ab iſto, dicendo, aliud eſſe quod ens ſignificet hoc: & aliud quod propoſitio verificetur per hoc: verificari quidem propoſitiones per diverſa; at vero *to ens* non ſignificare diverſa. Sed enim hoc fortaſſis locum aliquem haberet in Logicâ probatione; Metaphyſicè non poteſt ſubſiſtere propter illa quæ jam attuli. Unde juvaret fortaſſis aſſerentes quod ens non habeat alium conceptum formalem, non vero aſſerentes quod non habeat alium objectivum de quo in præſenti: Jam enim oſtenſum eſt, quod non ſit aliud objectum reſpondens ly *ens* tunc niſi illud extremum quod revera habetur,

r,& ita modo ſignificat ſubſtantiam, modo ficat accidens, non minus quam hæc nomi- ſubſtantia, accidens. Sed hæc hactenus de o plus ſatis, nunc proferemus alia in idip-

Profero alias probationes ejuſdem

Secunda enim ſit iſta ad hominem: Datur conceptus ſubſtantiæ objectivus & abſtra- ab inferioribus ſubſtantiæ etiam disjunctivè ptis, ergo etiam datur conceptus ipſius entis ctivus diſtinctus à conceptibus ſubſtantiæ, diſiunctive ſumptis: quæ paritas videtur ſa- pprobanda; & nihilominus probo aliter ſe- am,& totum incipiendo ab antecedenti, ſic: ndo ſubſtantia dividitur in animatum & in- atum, diviſum eſt aliud objective à dividen- s,ergo & ens: probo conſequentiam, quia m ens immediate poteſt dividi per hæc mem- dicendo: Ens aliud eſt animatum, aliud ina- atum: non enim putandum eſt ens neceſſà- dividi primo per ſubſtantiam & accidens; po- enim pluries aliter dividi, per creatum & in- tum, abſolutum & reſpectivum &c. inter æquo jure erit animatum & inanimatum.

Dicent forte ob hoc ſubſtantiam dicere di- ſum conceptum ab his; at vero ens non dice- ed in hoc intercipientur illi; nam aut ens ſe- dum ipſos dicit diverſum conceptum à con- u ſubſtantiæ, aut non dicit; ſi dicit, habetur ntum hujus loci, id enim eſt quod volumus: n dicit adhuc verum erit quod habeat diver- conceptum ab his membris contrahentibus; et, vivente & nonvivente, ſive animato, & imato, quod hoc diſcurſu oſtendo. Subſtan- icit diverſum conceptum ab his: Ens dicit dem conceptum cum ſubſtantiâ; ergo dicit dem conceptum cum iſtis, adeoque non di- m: præmiſſæ ambæ ſunt ipſorum: conſe- ntia autem ligat, ut vides, adeoque

Arguo etiam ſic ſecundò pro eadem veri- : ſi ens non habeat conceptum ſibi proprium num extendentem ſe ad omne Ens, tum Ens, on ens, ſive, quod idem eſt, nihil non erunt radictoria; hoc autem eſt falſum, & contra es, ergo. Sequelam probo, quia inter contra- oria negatio non plus tollit quam ponit affir- o contradictoriè oppoſita: at vero id non tur inter Ens & nihil ſeu non ens, ergo hæc erunt contradictoria: Vis eſt in Minori, n ſic probo, quia nihil & non ens, tollit omne at vero ens ſecundum Adverſ. non ponit tan- lem, ſivè totum ens, ſed partem ejus dunta- vel hanc ſcilicet, vel illam. Ita Camerarius ar argumentum, quod opto magis quam o valere, nempe mirum eſt, quod non vide- ontradictorium nihili non eſſe omne ens, ſed nod ens: *nihil* enim eſt quaſi univerſalis nega- cui ut contradicas non eſt opus aſſumere u- rſalem affirmativam, imò neque juvat acci- , quia hæc non faciet contradictionem ei, ontrarietatem; ſed ſufficit & opus eſt acci- particularem affirmativam, quod non ſit di- lo omne ens, ſed magis ſit alterum ſupra reje- n; ergò

Videor tamen poſſe redintegrare rationem hujus Scot-Albani in gratiam aliquam D.N. ſic: ſumatur τὸ *omne ens*, & contradicatur ei per ali- quem terminum, qui bene poterit eſſe ipſum il- lud *nihil*: Dico Nihil plus tollere quam ponit non ſolum τὸ *ens* vel *aliquod ens*, ſed etiam quam *omne Ens*: nam apud ipſos Adverſ. omne ens idem eſt, ac omnis ſubſtantia, vel omne accidens; atque ita deſtructo hoc poterunt remanere omnia acci- dentia: nam ad deſtruendum ipſum ſufficit de- ſtruere omnes ſubſtantias, adeoque omnia acci- dentia reſtabunt.

Arguo adhuc tertiò ſic: Conceptus entis objectivus eſt prior conceptibus ſubſtantiæ & accidentis, Dei & creaturæ: etiam disjunctivè ſumptis, ergo non eſt illis idem: valet illatio, quia nihil idem poteſt eſſe prius & poſterius eodem, & multo minus prius ſe ipſo, quod tamen tunc contingeret: probo ergo antecedens: illud eſt prius à quo non convertitur ſubſiſtendi conſe- quentia, (ſic enim Logici definiunt,) atqui non convertitur ab ente ad ſubſtantiam, neque ab en- te ad accidens: non enim valet dicere: eſt ens, ergo eſt ſubſtantia: vel; eſt ens, ergo eſt accidens, bene tamen valet: eſt ſubſtantia, ergo eſt ens: eſt accidens, ergo ens; adeoque

Hoc apparet aliquid eſſe: timeri tamen po- teſt ne non ſubſiſtat: ſtatim enim Adv. reſpon- debit bene concludere, quod ens ſit aliud à quo- libet horum ſeorſim, non tamen quod ſit aliud à diſiuncto: valet enim conſequentia ab ente ad diſiunctum, licet non valeat ab illo ad quodlibet membrum eius: ſtat enim hæc: eſt ens, ergo ſub- ſtantia vel accidens; licet non ſtet: eſt ens, ergo eſt ſubſtantia; & ſimiliter de accidente. Non re- ſutabo hanc ſolutionem uſque ad argumentum quintum infrà, contra quod recurret, & reſtinge- tur. Interim ſit hæc.

Quarta probatio: Quandocunque aliquid uni competit quod non competit alteri, neceſſa- rio primum illud habet alium conceptum à con- ceptu alterius: ſed enti aliquid convenit quod non convenit diſiuncto illi; ſubſtantia vel acci- dens: ergo alius eſt conceptus entis, & alius hu- jus diſiuncti, ſubſtantia vel accidens. Probo Mi- norem; Major enim eſt clara: Ens eſt conceptus ſimpliciter ſimplex, ſed neque ſubſtantia, neque accidens eſt conceptus ſimpliciter ſimplex, ergo jam aliquid enti convenit, quod non convenit il- lis, aut diſiuncto eorum. Conſequentia huius pa- tet; ſi enim Minor eſt vera, ſequitur evidentiſſi- mè, quia ipſa eſt contradictoria huius: ſubſtantia vel accidens eſt conceptus ſimpliciter ſimplex: probo autem Minorem, quia hæc eſt vera: ſub- ſtantia & accidens collectivè & ſimul ſumpta ſunt complexi, & non ſimplices conceptus, ergo neque ſubſtantia neque accidens: patent hæc omnia ex oppoſitionibus propoſitionum, quia collectiva negativa deſtruit diſiunctivam affir- mativam. Redeo nihilominus ad ipſum diſiun- ctum; hoc ſcilicet, vel ſubſtantia, vel accidens; & dico manifeſte ipſum non eſſe conceptum ſim- pliciter ſimplicem, quia conſtat partibus quarum una eſt ſubſtantia, & altera accidens. Dividendo etiam diſiunctum illud, procedit ratio, quia pro- cedit veritas aſſumpti, nam ſubſtantia non eſt conceptus ſimpliciter ſimplex; & iterum accidens non eſt; quid ergo quæritur? adeoque

Digitized by Google

Expenditur vulgatum argumentum Scotiſtarum pro hac veritate.

4. NEmpe hactenus omnes illud pro hac parte libere attulerunt, nemo impune, ut videas apud ipſos ſudantes & labantes ſub pondere. Eſt autem iſtud deſumptum ex Doct. infra citando, propter quod etiam reputatum eſt ſecurum: Quicunque conceptus, de quo quis eſt certus, neceſſario eſt alius ab illo conceptu de quo eſt incertus: ſed poteſt quis eſſe certus de aliquo quoad conceptum entis, & incertus de eo quoad conceptus ſubſtantiæ vel accidentis, Dei & creaturæ, ergo jam ens habet conceptum proprium alium à conceptibus Dei & creaturæ, ſubſtantiæ & accidentis, &c. probatio minoris, quia de facto quicunque Philoſophus certus eſt de lumine quod ſit ens; multi tamen incerti ſunt, & dubitant num ſit ſubſtantia an accidens? & hinc inde ſunt rationes: ſaltem de quantitate ſunt rationes dubitandi num ſit ſubſtantia ipſius materiæ, an accidens ſeparabile ab ipſa? Item Chriſtiani tam Catholici quam Ariani erant certi de verbo Dei quod eſſet ens, & reale quidem, fuit tamen inter eos acris controverſia, num eſſet Deus an creatura, ergo.

At enim decurſu temporis & ingeniorum, hic tam fidus Achates, cœpit in ſuſpicionem venire, nec temerè, ob rationes, vel inſtantias veriùs, quæ contra ipſum regeſtæ ſunt; ad homines, & ſunt iſtæ. Nempe ſi valet diſcurſus hic Scotiſtarum, ſequitur contra ipſos ens dicere conceptum proprium abſtractum à reali, & rationis, quod illi nunquam volunt concedere; patet tamen eos cogi hoc argumento; nã poteſt quis eſſe certus de aliquo quod ſit ens; & incertus num ſit reale an rationis tantum. Imò etiam recurrit, ut probet aliquid commune enti & nihilo, ſeu negationi ejus, poſitivo & privativo, &c. nam de chymæris ſum certus eſſe illas aliquid, diſputari tamen mecum poteſt nam ſint poſitiva an negativa? ſecundò principaliter, & ſecundo ad homines Scotiſtas ſic: Apud ipſos non datur ratio individui communis omnibus individuis, ne quidem in intellectu; & tamen hæc ratio vel nihil vel illam dati evincit: utique enim poſſum eſſe certus hic eſſe aliquod individuum hominis aut feræ, & incertus quodnam illud ſit; puta Petrus an Paulus; &, quod adhuc arctius premit, poſſum dubitare de duobus Petris, quis eorum ſit ille quem audio & video. At vero erga Petros certiſſime nulla eſt univocatio apud Scotiſtas, ergo. Simile huic eſt illud de duobus canibus, aquatico & terreſtri; ſi enim includantur ſacco, poſſum dubitare quis eorum ibi moveatur; nec proinde tamen apud hos aut illos datur aliqua ratio canis communis terreſtri & marino. Vides vim; nam tunc certiſſime ſcio aliquem canem moveri, & alium quieſcere, ergo.

Iſtæ inſtantiæ ſemper fuerunt moleſtæ Scotiſtis, qui etiam ſe in varias ſolutiones extenderunt. Cavellus q. 21. de an. propter eas concedit conceptum communem omnibus individuis: ſed hoc (ipſius veniâ) neque verum eſt, neque, ſi eſſet, ſufficit. Primum relinquo in ſuum locum; ſecundum patet ex aliis inſtantiis, nec enim illa eſt ſola. Poncius dicit non ſemper convenientiam
arguere univocationem: ſed tum tantum, quan
do illa quæ conveniunt non ſunt ſimpliciter ſim
plicia; unde ab ultimis differentiis, &c. non po
teſt abſtrahi aliquid commune, licet videantu
convenire. At enim hæc laborat eodem vitio qu
ſolutio Cavelli: & diminuta eſt; non enim ſo
illa faciunt inſtantiam contra rationem Scot
Deinde hic ſimiliter revocatur in dubiũ princ
pium illud doctrinæ Scotiſticæ de univocation
fundanda in convenientiâ, &c. quæ omitto,
tranſeam ad Maſtrium: Hic enim ſuam gloſſa
prætendit in Doctore fundari, vultque term
nem apud eum eſſe de conceptibus formalibu
non vero de objectivis. Sed ut demus hoc, qu
eum juvat? nonne ſtatim ex his conceptibu
unus alterum infert? propter quod nolui utrur
que ſeorſim tractare. Deinde nihil minus veru
eſt, ut conſtabit cuique conſulenti litteram.

Ergo ultimo reſpondeo, rationem Do
non probare neque ipſum plus voluiſſe per ipſa
oſtendere, quòd ens habeat diverſum concept
à quolibet membro dividente ſeorſim, adeoq
à conjuncto; de diſiuncto autem rationem n
procedere directe, neque ipſum de eo fuiſſe ſo
citum. Cedo verba Doctoris, quæ etiam co
vincent aſſumptum fuiſſe falſum à Maſtrio ſup
Omnis intellectus certus de uno conceptu, & dubiu
diverſis habet conceptum alium à conceptibus de qu
eſt dubius, & Intellectus viatoris poteſt eſſe certus de
quo quod ſit ens, dubitandò de ente finito vel infin
&c. ergò conceptus entis de aliquo eſt alius à conce
iſto, vel illo; & ita neuter ex ſe. Hic primò vi
profligari Maſtrium; nam intellectus non eſt c
tus de conceptibus formalibus, ſed per forma
eſt certus de objectivis: & evidentiſſimum
quod non ſit incertus de conceptibus form
bus, nam illos in ſe experitur. Deinde quod S
tus intendat arcere ſingula membra dividen
ac non tantum diſiunctum, patet ex illis: *&*
neuter ex ſe. Itaque hæc ratio non facit pro
concluſione; bene tamen accommodari ei
reit; nam ſi eſt diſtinctus conceptus à quolib
certè erit etiam à diſiuncto; quia diſiunctum
hil eſt præter quodlibet ex illis, nam quodl
ſeorſim ſufficit ad faciendam diſiunctionem,
ſupra notavi: qui enim habet ſubſtantiam, c
habet ſubſtantiam vel accidens.

Deinde ratio Doctoris probat concept
entis eſſe alium à conceptu non ſingulorum d
dentium, ſed etiam utriuſque, atque ita con
cti. Sed manifeſtè conjunctum plus eſt quam
ſiunctum, adeoque ſufficit hæc etiam contra
ſiunctum. Hæc faciunt pro refutatione ſolu
nis ſupra num. 3. aſſignatæ ad probationem.
præſenti autem facit quod hallucinentur tot
lo, qui putant Thomiſtas velle ſolum quod e
indiſtinctum à diſiuncto: ſubſtantia vel
dens, non verò à partibus ejus ſeorſim Et
illi contendunt ens non eſſe objective a
formaliter diſtinctum ab ipſa ſubſtan-
tia, v. g. ut videbis jam in eo-
rum argumentis.

(***)

Digitized by Google

Objectiones contrariæ proponuntur & ſolvuntur.

IN primis objici poteſt nobis D.N. ex prædicamentis q. ● ubi oppoſitum hujus tradit, ait enim. *Dicendum eſt hoc nomen Ens eſſe æquivocum* : ſcimus autem æquivocum non ſignificare unum aliquid, adeoque. Reſpondeo: teſtamentum Scoti ſunt libri ſententiarum, & quodlibeta utpote ſuprema voluntas ejus, quibus proinde ſtandum eſt: In iis autem ut vidimus, non ſolum tenet, ſed probat ex profeſſo abſtractionem conceptus entis à membris contrahentibus, adeoque.

Objicio jam rationes: & in primis de Deo ſic arguo, ut probem ens ab eo non abſtrahi. In Deo non diſtinguitur ex natura rei conceptus entis à conceptu talis entis, ergo ens non abſtrahit à Deo & creatura. Antecedens certum eſt, quia aliàs Deus non eſſet ſummè ſimplex; ſed compoſitus ex duobus, puta ex entitate, & ex taleitate ejus. Confirmari poteſt, quia Deus eſt primum ens: non eſſet autem tum, quia tale ens eſſet prius eo. Reſpondeo antecedens tam certum, non ſolum incertum eſſe, ſed falſum, neque ratio addita ſufficit probationi; non enim omnis dualitas aut pluralitas facit compoſitionem, ſed opus eſt determinatâ dualitate, illâ ſcilicet in quâ una pars ſeu unitas eſſet inſtar materiæ ac potentiæ, altera inſtar formæ & actus, quæ quia non reperiuntur in Deo, ſequitur, &c. Sed hoc ipſum quia negabitur facile ab arguentibus, ſic ſuadeo: & quidem ſtando in propoſitâ materiâ: Ipſum ens apprehenditur ab Adverſ. & deſcribitur in voce ſuo modo, quod ſit, aliquid capax exiſtentiæ, vel ſimile: & tamen illi nunquam concedent, ipſum ens ut ſic eſſe compoſitum, alias daretur aliquid eo ſuperius, imo iretur in infinitum, ergo jam manifeſtum eſt non omnem dualitatem aut pluralitatem, ſtatim inferre compoſitionem; atque ita Deus poterit eſſe ſummè ſimplex licet includat hoc ens, & aliud ſive dualitatem aliquam conceptuum. Ad confirmationem dic Deum eſſe primum ens ſubjectivè, non vero objectivè, ſivè primum in eſſe realis exiſtentiæ extra, licet Logicè aut Metaphyſicè non ſit, ſed intelligatur poſt aliud.

Poteſt tamen contra hoc ipſum inferri ſic: quod ſcilicet ſi detur aliquid verè prius Deo, etiam Logicè aut Metaphyſicè, tum poterimus intelligere Deum poſſibilem ad eſſe in aliquo inſtanti, quod patet pugnare cum neceſſitate Dei. Sequela oſtenditur, quia pro priori illo in quo intelligitur ens abſtractum à Deo, nondum intelligitur Deus, & ſine dubio poteſt eſſe, nam ſemel impoſſibile eſt ſemper tale. Reſpondeo negando ſequelam, de potentiâ ſeparatâ ab actu, ut contendit arguens ſine dubio; nam potentiam aliam quæ excludit impoſſibilitatem etiam hodie in eo fatemur. Res ergo eſt inverſo modo ac credit arguens; nam in eſſe reali primum eſt Deus, & ratione Dei eſt ille conceptus entis, ſi ergo nos intelligimus iſta pro inſtanti reali, decipimur: ſi pro ficto, aut imaginario, parum refert quod erremus.

Objicio ſecundò: ubi non poteſt dari medium, ibi neque poterit dari abſtractio; ſed inter contrahentia ens non poteſt dari medium manifeſte: ergo nec abſtractio. Major eſt liquida, quia abſtractum illud eſſet medium manifeſte: probo jam Minorem, quia contrahentia ens ſtatim abſorbent totum imaginabile; v.g. finitum & infinitum, creatum & increatum, &c. nam illud abſtractum debet neceſſariò eſſe aliquod horum, finitum vel infinitum, &c. Urgeo, quia ex alio capite deeſt his medium; quia nimirum unum excludit aliud, infinitum enim dicit negationem finiti, increatum creati, adeoque opponuntur contradictorie, in qua oppoſitione, notum eſt non dari medium. Reſpondeo primò, hoc argumentum non ſufficere probationi, quia nimirum poteſt inſtitui diviſio entis, in qua membra dividentia, non ſe excludant tam clarâ oppoſitione; ut ſi fiat per poſitiva membra hincindè, dicendo: ſubſtantiam & accidens; abſolutum & reſpectivum: ergo jam ens non debet abſtrahere ab omnibus dividentibus ipſum. Iterum dico, ut demus argumentum valere, nondum haberi quod ens ſit talis naturæ; non enim hoc provenit aut ſaltem non monſtratur provenire ex naturâ entis, ſed ex contradictione extremorum, & ne videar hoc gratis dicere, oſtendo id ipſum uſu venire in iis in quibus Adverſarii fatentur dari medium; nam rationale & irrationale tam contradictoriè opponuntur in terminis quam finitum & infinitum, &c. & tamen animal abſtrahit à rationali & irrationali. Et quæcunque evaſio hic interponitur, poterit etiam interponi in illis aliis: puta dicendo quod animal ſit permiſſive aut negative irrationale, non vero poſitive.

Objicitur tertiò, ſi ens habet proprium conceptum objectivum in quo abſtrahit à rationibus conſtitutivis inferiorum, tunc non deberet, nec poſſet includere in ſe illas; atqui id eſt falſum, quod ſic oſtenditur: Quando ens contrahitur ut faciat iſta inferiora, puta ſubſtantiam, aut additur ei aliquid, aut nihil additur: ſecundum non poteſt dici: vel ſi dicatur eſt intentum Adverſ. nam tunc ens in ſuo conceptu ſolo includet conceptum inferioris ſui, puta ſubſtantiæ: ſi autem aliquid additur, jam ens additur inevitabiliter: tum autem reſtat quærendum num ſolum ens addatur, an vero ens, & præterea aliquid? Primum eſt intentum Adv. De ſecundo autem redit quæſtio jam facta, utrum illud præterea additum ſit ens, an nihil? ens ſolum, an? &c. ut ſupra, adeoque reſtat dicendum quod omnia ſint ipſum ens, & ita non poſſit ens præſcindere ab ullo ſuo imediato inferiori. Hoc argumentum fere ſolum perſuaſit Adverſ. hanc ſuam opinionem de confuſione entis cum ſuis inferioribus, quum deberet illis perſuadere aliam doctrinam Subtilis de puritate ipſorum inferiorum pro ultimis differentiis, in quibus non includi ens probabo infra ex Doct. hoc ipſo argumento, quod eſt ipſius Subtilis, licet ab aliis applicetur huic peregrinæ concluſioni. Unde non ſolvendum, ſed admittendum eſt pro intento illius loci. Hic autem qui volet reſpondere, dicat inferiora entis, v.g. differentiam, aut quaſi differentiam conſtitutivam ſubſtantiæ addere aliquid quod non ſit formaliter ens, licet identice & realiter ſit. Vel, ſi volet, cum Meuriſſe & aliis, dicat quod addat ens qualitativum, non verò quidditativum, de quo expectentur ibi dicenda.

Ex his interim habes non fundari Adverſarios in eo quod conceptus entis ſit conceptus diſiuncti, puta vel ſubſtantiæ vel accidentis, & quod differat à ſingulis licet coincidat cum utroque diſiunctivè ſumpto; nam rationes

eorum

Digitized by Google

eorum procedunt de ſingulis ſeorſim: v.g. quod conceptus entis coincidat cum conceptu ſubſtantiæ determinato, & iterum cum conceptu accidentis. Quo loco addo aliam ſolutionem hujus poſtremi argumenti & ſimilium; eſtque decipi utentes eo; nam argumentum tendit ut probet inferiora non abſtrahere ab ente: an vero ens abſtrahat ab inferioribus, non decidit, iſta enim diverſa omnino ſunt, ut patet in aliis; nam teneri poteſt differentia inferior non abſtrahere à ſuperiori, v.g. rationalitas à ſenſivitate, aut vitalitate, ratiocinatio enim eſt quoddam vivere: & tamen certum eſt vitam abſtrahere à rationali, ita ſimiliter. Denique utor ipſe hoc diſcurſu contra arguentes: Inferius entis, v.g. ſubſtantia, eſt ipſum ens purum; idemque eſt de accidenti (utique enim ſunt ſimilia ambo,) ergo ſubſtantia eſt accidens; nam quæcunque ſunt eadem uni tertio, neceſſariò ſunt eadem inter ſe.

Tranſeo nunc ad alia,
& ſit

ACTIO II.

Quid Ens? ſive, quis proprius conceptus ejus?

Breviarium.

N. 1. *Ens nominaliter, & ens participialiter ſumi: & quid ſingula ſint?*
2. *Impugnatur illa entis diviſio, primò, quia debet aſſignari tertium.*
3. *Iterum impugnatur, & defenditur. Creatura quomodo ab æterno nihil? ubi tangitur locus* Exod. 3.
4. *Conceptus entis traditur: & impugnatur.*
5. *Conceptus realitatis quis ſit?*
6. *Objicitur, & Reſpondetur: eſſe dextrum in columna quale ens?*

SUpra niſi fallor plus ſemel dixi eſſe aliqua, quæ facillime intelligi, difficillime explicari poſſunt, eorum indicem aliquem ibi texui, cui nunc addo ipſum ens, propter ea quæ hic cogor diſputare.

Ad meam autem deciſionem præmitto commune notabile, de ente nominaliter & participiativè ſumpto; quæ duo reſolvuntur in eſſentiam, & exiſtentiam: nam ens participativè ſumptum idem eſt ac exiſtens; nominaliter ens eſt quaſi eſſens ſeu habens eſſentiam, quod omnino diſtinctum eſt à præcedenti; nam res præteritæ & futuræ habent ſuas eſſentias: dicitur enim S. Petrus: (& revera eſt,) reſurrecturus: ecce *eſſe* aliquod dictum de futuro: & de facto mille ſunt pauciores infinitis, quum tamen infinitæ non ſint, &c. unde etiam ab authoribus dicuntur aliquæ propoſitiones æternæ veritatis, illæ ſcilicet quæ contingunt eſſentias, ut, quod homo ſit animal rationale: quæ propoſitio veriſſima eſt, etiamſi nullus homo exiſtat.

2. Ex hoc tamen ipſo videtur id impugnari: ſi enim ſint duo iſti modi entis, ſive eſſendi ens, (ut ſic loquar,) erit adhuc tertius ſcilicet abſtractus ab his duobus, atque ita diminuta eſt enumeratio communis quam approbavi. Conſequentia hujus patet tam ex ſe, quàm ad hominem contra me; quæcunque enim plura conveniunt in aliquo habent communem rationem illius abſtractam, maximè ipſum ens ex jam proxime dictis, ſed acrius eſt hoc, quod

Objiciam ſecundò ex fide Catholicâ; hæc enim docet aliqua, imò omnia omninò à Deo facta eſſe ex nihilo, id enim eſt ea eſſe creata, adeoque ante factionem ſivè actionem illam Dei res erant nihilum; atqui non eſſent nihila, ſed entia ſecundum nos, quia nimirum ante actionem Dei habuerunt eſſentias ſuas modo explicato, ut diſtinguitur ab exiſtentiâ, ergo. Reſpondeo hoc non eſſe ſolvendum ſed admittendum, accommodanda eſt enim Philoſophia fidei, non è contra; & proinde fatendum eſt illum non eſſe proprium modum eſſendi ens, ſed æquivocum tantum, & authores huc deveniſſe ex penuriâ vocum, atque ita improprie loqui, explicant enim per verba de præſenti; & abſoluta quod præſens non eſt, neque abſolutè eſt, ſed eſſet; homo enim ab æterno non fuit animal, ſed eſſet ſi poneretur. Ex quo patet ad primam objectionem; non enim datur tertium quid quando ipſa duo participantia hinc inde ſunt æquivoca. Nihilominus quia invaluit uſus apud Chriſtianos Philoſophos appellandi eſſentias illas entia, & permittitur, ei quod non aliud intelligant, quam quod jam poſui; utar illo etiam ego, ſed in primis

Moveo hoc dubium contra priorem acceptionem entis, pro exiſtentiâ: videtur non enim rectè accommodari omnibus illa, quæ ſoli Deo convenit, ita enim ipſe ait, definiens, aut quaſi definiens ſemetipſum: *Ego ſum qui ſum*; ideſt, qui exiſto: *Exodi* 3. Reſpondet Recens quidam ſenſum eſſe quod Deus neceſſario exiſtat, idque ei proprium eſſe, neque alteri ulli convenire. At enim hoc eſt adjicere textui, neque illum, ſed additamentum ſuum explicare, & revera ſi ita foret accipienda res, tum diminuta eſſet definitio illa, quippe quæ omitteret non ſolum principalem partem quæſiti, ſed fere totum, nam totum quod diſcriminat ibi Deum à creaturâ eſt neceſſitas, non vero exiſtentia.

Cenſeo dicendum quod exiſtentia creaturæ competat, nec tamen ille locus ſit proinde falſus aut diminutus; quia nimirum penitus inſpectus facit ſenſum quod Deus exiſtat non quomodocunque ſed per eſſentiam, ita ut actualis exiſtentia ſit gradus eſſentialis ei; id enim ſignificat τὸ *ſum*: ac ſi diceret; ego ſum exiſtens; id eſt; mihi eſſe eſt exiſtere, eſſentia exiſtentia eſt: cujus contrarium contingit aliis omnibus, nam cætera illa non eſſentialiter ſed per accidens exiſtant; neque ipſorum eſſe præſtat illis exiſtere, ſed hoc aliunde debet illis provenire, ſcio hic ſurgere replicas & reſponſiones, ſed alio remittendæ

I 3 ſunt;

ſunt; hic obiter decidimus caſum, per ſe autem naturam aut conceptum entis realis ut ſic.

4. Ponam breviter communem ſententiam quæ fere eſt omnium omnino, nemine dempto; dicit autem conceptum entis eſſe conſtitutum in eo quod eſt, non repugnare alicui exiſtentiam; ſic enim, & non aliter viſi ſunt ſibi poſſe diſtinguere res poſſibiles ab impoſſibilibus, v. g. hominem ab hircocervo: quod uterque quidem ab æterno nihil fuerit, cum hoc tamen diſcrimine quod homo potuerit poni in eſſe reali, hircocervus non potuerit.

Habeo tamen contra hanc communem traditionem quod objiciam; eſtque eam relinquere locum quæſtioni adhuc; nam quia non videat exiſtentiam per quam diſtinguitur his ens verum à falſo poſſe etiam incidere in falſitatem, & dari exiſtentiam non realem ſicut datur eſſentia non realis; utique enim entia rationis exiſtunt ſuo modo exiſtit Rex, exiſtit Imperator, & tamen eſſe regem, & regalitas, ſive forma perquâ quis ſit Rex. Imperator, peccator &c. eſt forma rationis, adeoque datur exiſtentia rationis, non ergo ſufficit dicere quod ens aliquod exiſtat, adhoc ut ſit reale, ſi autem ad vitandum hoc abſurdum dicas hoc eſſe quod realiter exiſtit, petes principium, id enim eſt quod quæritur, quid ſit realiter exiſtere.

Poncius & alii ante ipſum explicant ens reale, & ſimiliter exiſtentiam realem per oppoſitum entis rationis, ut quoniam ens rationis eſt id, quod habet eſſe per fictionem intellectus, ex adverſo jam ens reale ſit quod habet eſſe ſine fictione. Sed non placet expoſitio, quia nec ſufficit, quod manifeſtè convincitur ipſis exemplis allatis. Utique enim qui eſt rex, ſine ulla fictione eſt Rex: & ſimiliter Imperator ac peccator, &c. non eſt fictè Imperator ſed vero titulo; poteſt cogere & caſtigare ſubditos, & hi tenentur ſubire imperium ac pœnas ab eo deſtinatas: & tamen eſſe Imperatorem non eſt quid reale, neque enim aliquid reale additur ei qui eligitur in Imperatorem aut regem, ſed merè morale, & rationis, idemque eſt de peccatore; de eo qui adquirit aut perdidit ius in rem aliquam; hæc enim omnia fiunt ſine ulla fictione, imo non poſſunt fieri per fictionem; nam quantumcunque ego meo intellectu laborem fingendo, nunquam reddam me dominum hujus libri, & multo minus, regem aut Imperatorem. Itaque error eſt putare, quod ens rationis fiat ſola fictione intellectus, niſi forte fiat quæſtio de nomine, aut ſingularis aliqua acceptio entium rationis: ego autem hic accipio ens rationis pro eo quod non eſt reale, quæ acceptio ſola eſt ad propoſitum; unde entia moralia, & ſcientialia, ut ajunt, ſive ſecundæ intentiones artium, ut eſſe Nomen, Verbum, Genus, ſpeciem, &c. quia non ſunt realia erunt hic entia rationis. Item denominationes extrinſecæ ſumptæ pro forma inhærente, ut eſſe viſum, eſſe intellectum, &c. quæ omnia clarum eſt non eſſe realia neque eſſe per ullam fictionem, adeoque.

Unde adhuc nodus eſt in ſcirpo: quomodo debeamus explicare exiſtentiam realem, vel etiam rationis; ſufficit enim unius explicationem habere, à quocunque incipias, ſtatim enim reſultabit alterum ex adverſo, & patebit per oppoſitionem hujus. Ad hoc autem, dum non inveneris meliorem viam,

5. Dicere poteris illud eſſe ens reale, & illam exiſtentiam eſſe realem quæ non habetur per intellectum aut ullam potentiam vitalem operativam, ut talis eſt. Probatio hujus erit explicatio ejus: ſciendum eſt igitur intellectum & alias potentias vitales habere veras actiones quibus verè producunt ſuos terminos; habet enim intellectus dictionem, quâ producit intellectionem ſeu verbum mentis; habet voluntas ſpirationem quâ producit amorem, & idem eſt in aliis potentiis vitalibus, cognoſcitivis & appetitivis, ſi nos haberemus nomina quibus earum actiones appellaremus. Præter has autem quæ proprie ſunt actiones, ſunt aliæ quæ vulgò dicuntur actiones, & non ſunt tales, ſed potius termini actionum, & ſunt ipſæ intellectiones, ipſi amores, ſenſationes, ut viſio, auditio, &c. quia quæ non ſunt (ut jam innui) veræ actiones, non habent realem & verum terminum; quia tamen habent ſpeciem quandam actionis, habent ſpeciem vel apparentiam termini, & videntur ponere aliquid in paſſo ſupra quod cadunt, & quod apparet quodammodo pati ab illis, ſic dicitur paries viſus paſſivè, me activè vidente; dicitur objectum amatum, intellectum, depoſitum, inſtitutum, &c. Unde ens & exiſtentia quæ habetur per potentias activas ſunt vere realia; & talia ſunt noſtra elementa, mixta, ſpiritus, corpora, accidentia tam ſenſibilia quam cætera: quæ autem fiunt per potentias operativas non ſunt realia, ſed metaphorica & rationis tam entia quam exiſtentiæ; ſic eſſe cognitum in me, eſſe viſum in pariete non ſunt realia, nec habent ſimpliciter exiſtentiam, ſed ſecundum quid & rationis.

Ubi adverto non poſſe aſſignari ſeorſim potentias operativas, & non operativas; nam eadem potentia, v. g. intellectus eſt operativa, & etiam activa ſeu factiva: ſunt tamen ex adverſo aliquæ factivæ & activæ quæ non ſunt operativæ; & tales ſunt omnes non vitales, imo non ſenſitivæ ſeu non cognoſcitivæ, puta ignis, &c.

6. Objici unum poteſt, ſcilicet dari aliquod ens quod non ſit reale nec tamen fiat per ullam potentiam operativam, eſtque dextrum, vel ſiniſtrum in columnâ, nam etiamſi nulla potentia cognoſcitiva verſetur circa columnas, quæ me circumſtant ab utroque latere, una erit mihi dextra, alia ſiniſtra; atque ita eſſe dextrum vel ſiniſtrum non habet eſſe à potentiâ operativâ, unde non erit ens rationis: nec tamen eſt ens reale: adeoque. Reſpondeo primo, ſufficit quod non ſit ens reale, eo quod non habeat eſſe à potentia activa, adeoque deſcriptio jam data de ente reali ſubſiſtit: id autem erat intentum. Secundò dico, nullam dexteritatem eſſe in columnâ; quia dexteritas eſt major participatio virium vitalium, quarum nihil eſt in columnis: unde loquutio illa eſt falſa, niſi ſit metaphorica quæ non facit ad rem. Eo autem modo, quo eſt vera, dico columnam eſſe realiter dexteram, quia revera, una columna ſtat ubi eſt dextera mea; hoc autem eſt eſſe dextrum.

ACTIO

ACTIO III.

Vtrùm Ens ſit univocum Deo, & Creaturis, necne?

Breviarium.

N. 1. *Affirmo & probo ex propriis.*
2. *Adſero etiam communes rationes aliorum.*
3. *Objicio ipſe, & Reſpondeo.*
4. *Objectiones vulgata ſolvuntur.*
5. *Ens non eſſe analogum ſed purè univocum, D. Deo & creatura.*
6. *Expenditur mens Scoti de eodem.*

1. Concluſio affirmativa jam dudum eſt definita in ſchola Subtilis; unde non attinet lente eam proſequi, quod ab infinitis ferè eſt factitatum, hec ſufficit ad ſequentium laudem? Adeò cum attulero leviter probationes aliquas ejus, tranſibo ad inventiones Recentiorum contra Doct. refellendas.

Pro Concluſione facit primò, quod paſſiones entis univocè conveniant utriſque, ergo & eſſentia; quæ conſequentia valde valida eſt, eo quod duo illa, ſubjectum ſcilicet & paſſio non ſeparentur. Antecedens autem patet non minùs, quia creatura quælibet, (ſaltem aliqua,) eſt una, & ſimiliter Deus ſine dubio. Epheſ. 4. *Vnus Deus, una fides, unum baptiſma*: nec eſt opus probatione hujus, aut iſtis inſtantiis, nam quamcunque aſſignaveris, illa aut eſt una, aut eſt multa, aut eſt nulla: v.g. homo, angelus, &c. Si ſit nulla, jam non eſt, adeoque nec eſt ens. Dices hoc eſſe illorum intentum: Dico non eſſe, neque intendere Adverſarios quod hæc non ſint entia, ſed æquivocè. Pergo in probatione: ſi una, habetur intentum; ſi multa, etiam habetur, nam multitudo componitur ex unitatibus, adeoque ſolutio nocet illis, tum enim non ſolum habebitur creatura aliqua una ſed habebuntur multæ quarum ſingulæ ſint una. Probari ſecundò poſſet, quia non eſſe eſt illis univocum; ſive idem ſpecie nihil eſt quod deſtruit ambo, ergo jam ipſa ſunt ejuſdem rationis ens: ratio conſequentiæ, quia quando ex contradictoriè oppoſitis unum extremũ coincidit cum aliquo, alterum extremum coincidit cum contradictorio illius; ac ſi dicam: quidquid deſtruitur per tenebras eſt Lux: ſed Deus deſtruitur per nihil ejuſdem rationis cum eo nihilo per quod deſtruitur creatura, ergo jam Deus eſt ejuſdem rationis ens cum creaturâ: ſubſumpta hujus inde patent, quia poſito nihilo entis realis, non relinquitur quidquam Deitatis. Si quis autem probationem hanc negaverit, cogetur admittere diverſa ſpecie nihila, & aliquod ens quod ſit nihil; dicet enim entitatem ipſam creaturæ eſſe nihil deitatis: hæc autem ambo ſunt abſurda; ſcilicet diverſitas ſpecifica nihilorum, & entitas poſitiva ipſius nihili; adeoque: valeat quantum poteſt, magis fido ſequenti.

Tertio non poſſunt aliqua convenire in inferiori niſi conveniant in ſuperiori, ſed Deus & creatura conveniunt in inferiori entis, ergo etiam in ipſo ente ſuperiori. Major hujus patet primò, quia oppoſito modo ſine dubio ſe habent ſuperiora & inferiora: poſſunt autem aliqua convenire in ſuperiori quin conveniant in ſuperiori. Secundò ſic, quia ipſum ſuperius eſſentialiter includitur in inferiori, v.g. vivens in animali: ergo non poteſt convenire univocè cum aliquo in animali quin conveniat cum eo in vivente; ſi enim diſconveniunt, certè jam erunt æquivocè animalia contra hypotheſin. Minor principalis argumenti contingit in iſtis & ſimilibus: cauſa, principium, efficiens, finis, &c. utique enim ratio cauſæ in utriſque univocè recurrit, ita ut definitio ejus ambabus conveniat: ſimiliter definitio finis, &c. adhæc ratio viventis, ratio ſpiritus, &c.

Hoc argumentum fortaſſis aliter urgeri poteſt ſic: Ens quod eſt in Deo & quod eſt in creaturis per eaſdem differentias aut quaſi differentias contrahitur, ergo utrobique erit ejuſdem ſpeciei ens. Antecedens probatur quia utrobique contrahitur per abſolutum & relativum, quæ duo inveniuntur ſimiliter in Deo & Creatura: ſcio ad hoc dici poſſe quod eædem differentiæ poſſint inveniri in diverſis generibus; id tamen non ſufficit in propoſito, quia genera in quibus ſunt eædem differentiæ neceſſario in aliquo conveniunt, nam ſaltem conveniunt in eo quod eſt eſſe contrahibile per eadem contrahentia: atqui omnis convenientia reſolvitur in convenientiam in ente: ergo. Hæc mihi viſa ſunt addenda communibus probationibus Scotiſtarum; quas ne quis deſideret, hic ex parte ponam.

Una enim eſt illa ſupra poſita: Act. 1. nu. 4. de conceptu objectivo entis: quod quando intellectus eſt certus de aliquo conceptu, & incertus de alio, conceptus, ille de quo certus, debet eſſe alius ab illo de quo eſt incertus: poteſt autem quis eſſe certus de ratione entis, & incertus de ratione Dei ac Creaturæ, ſic enim contingit Arianis & Orthodoxis circa Verbum Dei, de quo apud utramque partem certa erat ratio entis, incerto autem ratio Dei & Creaturæ, &c. ut ſupra fuſe.

Altera eſt iſta Doctoris: ſi enim ens non eſſet univocum illis, ſequeretur quod non poſſemus habere ullum conceptum quidditativum naturaliter de Deo; conſequens eſt falſum: ergo & antecedens: ſequela probatur quia nihil cauſatur naturaliter in noſtro intellectu niſi quod continetur vel formaliter vel virtualiter in objecto motivo naturaliter noſtri intellectus: atqui hoc modo non continetur ullus conceptus quidditativus Dei in eo, ergo. Minor probatur; non formaliter ex hypotheſi, quia per te nihil eſt formaliter univocum Deo & creaturæ: non virtualiter quia nihil perfectius contineri poteſt virtualiter in im-

in imperfectiori: ſed ſi gradus omnes in Deo ſunt diverſæ rationis à noſtris, certum eſt quod illi ſunt perfectiores, ergo. Hoc ferè coincidit cum ſequenti, quo

Probo adhuc tertiò idipſum ex eodem: omnis inquiſitio Metaphyſica de D. Deo procedit ſic; ſcilicet conſiderando aliquod attributum, & auferendo ei quod videtur in nobis eſſe imperfectionis ac relinquendo quod eſt perfectionis, idque attribuendo D. Deo: v.g. conſiderando rationem ſapientiæ, & auferendo ei rationem inhærentis, rationem finitæ, &c. ergo jam omnis inquiſitio de Deo, ſupponit intellectum invenire in creaturis aliquos conceptus univocos iis qui ſunt in Deo, aliter nihil deberet relinquere non abraſum, & nihil transferre ad Deum.

Dices non eſſe aliquid univocum utriſque, ſed aliam per omnia eſſe rationem eorum quæ ſunt in Deo ab iis, quæ ſunt in creaturis: contra (inquit D.) ex hoc ſequitur quod ex nullâ ratione propriâ quæ eſt in creaturis poteſt inferri aliquid in Deo, & ita non magis ſequitur quod Deus ſit ſapiens formaliter, quam quod ſit formaliter lapis.

Objiciam mea in primis: unum eſt iſtud, quod Deus & divina omnia ſint de ſe *hæc*, ideſt eſſentialiter ſingularia ac incommunicabilia, id autem non ſtat cum univocatione ullius divini cum creato, nam quod univocum eſt, eſt ejuſdem rationis in pluribus, adeoque jam communicatum, & ita nihil minus quam incommunicabile. Antecedens ſupponendum eſt ex ſuo loco de intrinſeca ſingularitate Dei, quam probavi in 1. part. huic tamen reſpondendum eſt in primis, ſi valet, nocere etiam Thomiſtis nam, univocationem inter Deum, & creaturas illi non volunt ubique extinguere, ſed ſolum, aut quam maximè in ente; at verò hæc ratio deſtruit non ſolum univocationem entis, ſed etiam aliorum graduum, puta ſubſtantiæ, viventis, &c. Secundò; dicendum videtur ad majorem quod quidem Deus ſit eſſentialiter ſingularis, attamen non omnia divina: ſed ſolum ipſum concretum Deus, quia nimirum hoc afficitur, & afficit alia omnia ipſius incommunicabilitate, atque ita ſequitur Deum aut Deitatem non univocari, non vero nihil divinum.

Contra hoc tamen inſtari poteſt, quod ſi ita ſit, tum Deus non eſt magis ſingularis quam homo, puta Petrus; nam etiam humanitas affecta ſingularitate non eſt amplius communicabilis; & non ſolum ipſum ſingulare Petrus eſt incommunicabile, ſed etiam natura ſingulariſata: atqui falſum eſt Deum non eſſe magis ſingularem quam cætera, ergo non poteſt iſto modo intelligi argumentum aut ſolvi. Reſpondeo negando ſequelam: diſparitas eſt quod ſingularitas ſeu incommunicabilitas in homine ſit extra eſſentiam ejus: in Deo autem non, ſed intra illam: ergo ſingularitas & immultiplicabilitas in creaturâ eſt accidens, & quid extraneum eſſentiæ; In Deo autem eſt pars, aut quaſi pars naturæ & gradus eſſentialis.

Videtur tamen adhuc inſtari poſſe, quod incommunicabilitas non ſit eſſentialis niſi individuo Deitatis: hoc autem modo eſt etiam in homine illa, nam individuo hominis ſua ſingularitas eſt eſſentialis. Dicendum tamen aliter, & aliter res eſſe hinc inde: nam individuum Dei invenitur intra ipſam eſſentiam Dei; hominis aut ullius creaturæ individuum non item invenitur intra ſuam: Adhuc.

Objicio ſecundò ſimile: non poteſt dari univocatio, quando unum ſolum eſt participans rationem illam: atqui ita eſt in propoſito, nam Creatura non facit numerum cum Deo, eo quod non ſit omnino extra ipſum ſed intra: nam *quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Si autem erat, certe adhuc eſt. Major eſt evidens ſi attendatur, nihil enim eſt univocum partibus integralibus, ſed tantum ſubjectivis: v.g. natura humana non eſt univoca Petro, & brachio, aut humeris ejus, quia hæc ſunt componentia ipſum Petrum, ergo. Reſpondeo ad majorem ſine dubio ita eſſe, ſed nego ſubſumptum: num enim creaturæ ſunt componentia Deum? ſunt partes integrales ejus? Itaque, *quod factum eſt, in ipſo vita erat* virtualiter, & eminenter, non autem in propria ſpecie ut hic loquimur, alioquin in Deo eſſent dolores, morbi & vulnera, &c.

Objiciam nihilominus adhuc tertio Theologice, & eſt quædam Confirmatio præcedentis: Infinitas exhaurit totum genus in quo eſt, propter quod non poſſunt dari plura infinita: v.g. duo Dii, aut duo omnipotentes, imò ſi exhaurit genus, ne quidem finitum eſſe poteſt extra ipſam, alioquin non exhauriret totum, quod tamen neceſſarium eſt ad infinitatem quancunque: non poteſt autem dari pluſquam infinitum, in ullo genere; daretur autem ſi poni poſſet quidpiam extra quantitatem infinitam, utique enim conflatum ex infinito & illo finito ſuperaddito eſſet majus, quùm omne totum ſit majus ſua parte: tum ſic: Deus eſt ens infinitum, & ipſe infinitus in genere entis, ergo jam non poterit dari aliquod ens extra ipſum. Et quoniam evidens eſt dari aliqua quæ non ſunt ipſe, neceſſariò tenendum eſt entitates horum, & entitatem illius eſſe omnino diverſas, & nullatenus univoca, aut ejuſdem rationis, quod eſt intentum; & applicari poteſt aliis prædicatis Dei, puta ſubſtantiæ, ſpiritui, vitæ, &c.

4. Hoc argumentum præ cæteris mihi videtur concutere hanc veritatem; & pro nunc nõ occurrit quod dicam, niſi negare quod infinitas exhauriat ſuum genus, & conſequenter affirmare, poſſe aliquid illius generis reperiri ultra infinitum. Poſito: v.g. numero infinito capillorum non credo quin Deus poſſit unam comam, ſaltem unum capillum producere. Dices hanc ſolutionem non quadrare principiis Subtilis: hic enim definit infinitum, eſſe quod continet in ſe omnem perfectionem eo modo quo apta eſt inveniri in aliquo uno, adeoque ſecundum ipſum non poterit quidpiam inveniri extra numerum infinitum; utique enim illa coma, v.g poterat inveniri in illo numero infinitarum comarum. Reſpondeo Subtilem tradidiſſe quidem hanc doctrinam de infinito, ſed de infinito ſimpliciter & intenſivo, ſive in perfectione, non vero de infinito ſecundum quid & extenſivo, qualis eſt numerus infinitus. Illi autem priori competit ex eminentia ſua identificare ſibi omnem perfectionem. Quia ergò infinitum numericum non eſt in perfectione infinitum, ſequitur, &c.

* * *

Obje-

Digitized by Google

Objectiones vulgatæ contra eandem.

4. NOſter Meuriſſe lib. 1. Metaph. quæſt. 8. refert à ſe lecta triginta circiter argumenta, quæ hanc concluſionem impugnant. Credo autem ex illis non pauca fuiſſe deſumpta ex Ariſtotelis authoritate, quæ proinde omitto, & objicio rationes.

Primò enim, ſi ens ſit univocum Deo & creaturæ, jam erit genus; id autem eſt abſurdum, quia tum Deus eſſet ſub genere, & ita compoſitus, unde etiam ſequeretur in eo imperfectio & potentialitas, quia nimirum totum id convenit generi. Super hac re diu decertàrunt & uſque hodie digladiantur Scotiſtæ, ut videre eſt præ cæteris in Poncio & Maſtrio. Res eſt non valde realis, quin multum habens de nomine, & acceptione generis ac potentialitatis annexæ ac requiſitæ ad compoſitionem; de quo jam dixi meum ſenſum ſuo loco in Logica; non videtur autem digna cui iterum bonæ horæ impendantur.

Secundò ergo objici ſolet, nihil eſſe univocum illis, quorum unum eſt per ſe tale, & alterum per participationem: Deus eſt per ſe ens, creatura per participationem, ergo nihil erit illis univocum: Reſpondet Scotiſta citatus, aſſumptum id eſſe verum de perfectè univocis: ſed quæſo cur? Sanè ſi hæc differentia per ſe & per aliud impediat perfectionem univocationis, poterit eſſe tanta ut omnino tollat eam: atqui non poteſt eſſe major quàm de facto inter Deum & creaturam, ergo. Deinde probo abſolutè aſſumptum, hinc enim eſſe diſgregativum viſus non cenſetur univocum albedini & muro, licet de utroque dicatur, quia nimirum diſgregatio per ſe competit albedini, per aliud muro. Reſpondeo majorem eſſe veram, ſed ideo, quia in illis pluribus non reperitur illa ratio multiplicata; eadem enim eſt diſgregativitas, in albedine & in muro: at verò hic eſt contrarium, nam diverſa numero entitas invenitur in creatura ab illa Dei, quod & ipſi adverſarii fatentur. Diceret fortè quis argumentum valere ſaltem reſpectu albedinis in uno concreto, & ſubjecti in alio concreto albo: nam iſta non ſunt diſgregativa per eandem numero formam, ſed per diverſam. At ne ſic quidem valet, quia diſgregativitas illa quæ dicitur de ſecundo concreto, puta de muro, eſt ipſa diſgregativitas albedinis quæ ei communicatur, nam aliam non habet murus.

Tertiò nihil poteſt univocè dici de exemplari & exemplato, ſic enim domus non dicitur univocè de domo ad intra, & de domo ad extra: Deus & creatura ſunt exemplar & exemplatum, ergo. Reſpondet aliquis non dici ens univocè de Deo & creaturis in mente divina, bene tamen de creaturis extra: Sed Aureolus hujus argumenti author, contendit per ipſum probare, quòd nec de creaturis extra dicatur univocè cum Deo, quia nimirum ipſæ creaturæ ad extra ſunt exemplatæ, ac non ſolùm creaturæ ad intra. Reſpondeo ergo negando majorem, cujus falſitatem ad hominem oſtendo; quia ſi quis velit fabricare domum adinſtar alterius quam habet præ oculis, aut deſcribere imaginem unam ad inſtar alterius, quam aſpicit, & vult per ſuam picturam exprimere, utique ibi erunt exemplar, & exemplatum, & tamen domus univoca eſt reſpectu utriuſque domus, & imago reſpectu utriuſque imaginis. Concedi poteſt major ut vera, quando exemplatum non producitur ad ſimpliciter eſſe, ſed tantùm ad diminutum illud eſſe concepti, quod hic non fit. Deinde retorqueri etiam poteſt argumentum, nam ex illis duobus debet eſſe ſimpliciter convenire exemplato; eſſe ſecundùm quid, & diminutum exemplari, tale enim eſt domus ad intra; at verò Deus, qui hic eſt exemplar habet ſimpliciter eſſe, creatura è contra.

ſtr.

Ultimò objicitur ſic: Illis quæ ſunt totaliter ſub extremis contradictionis nihil eſt commune univocum; Deus & creatura ſunt taliter ſub extremis contradictionis, ergo nihil illis eſt commune univocum. Ratio majoris, quia nulla duo poſſunt plus differre: Minoris autem, quia Deus eſt à ſe, creatura non; ille independens, iſta dependens, ergò. In hoc argumento cavenda eſt forma: Si enim dicatur, quòd nihil ſit univocum extremis contradictionis, eſt verùm, quum ſint affirmatio & negatio, ens & non ens. Si autem velit etiam iis, quæ ſubjacent contradictioni, nihil eſſe univocum, eſt falſum, nam multa alia præter iſta nobis controverſa ſunt ſub extremis contradictionis, & tamen habent plura communia, in quibus univocantur: nam ſimiliter in ſe, & non in ſe ſunt contradictoria, & tamen ſub his ſunt ſubſtantia & accidens; item materiale & immateriale, contradicunt; & nihilominus ſub ipſis ſunt ſpiritus & corpus, ergò.

De Analogia Entis.

MAgnam tempeſtatem ſuſcitàrunt in ſcholis recentes circa hoc negotium, quum tamen nullius nodi ſit. Qui meminerit deciſi à nobis ſuo loco de Analogia, ſtatim ſe expediet, imò jam eſt expeditus, quia nimirum reſolvimus Analoga non eſſe quid medium inter univoca & æquivoca, ſed alterum ex illis.

Scotiſtæ tamen aliqui, ſive victi importunitate recent. ut aliquid illis concedant, fatentur eſſe analogum, licet univocum; propter quod ſtatuunt multas ſpecies analogiæ, phyſicæ, metaphyſicæ & logicæ, ut videre eſt fuſiſſimè apud Maſtrium & Meuriſſe hic.

5. Cenſeo, quòd ens non ſit analogum reſpectu Dei & creaturæ, ſed purè univocum; neque analogiam ex duobus his membris propriè afficere niſi ſecundum, ſcilicet æquivoca; quam ſecundam partem reſervo per ſe infrà tractandam. Nunc probo priorem in primis ex quidditate analogiæ, quam habes apud Ariſtotelem in Antepr. quòd ſcilicet *Analoga ſint, quorum nomen commune eſt, & ratio ſubſtantiæ nomini accommodata, partim eadem, partim diverſa*: Quapropter cenſentur medium quid inter univoca & æquivoca: Atqui ens non poteſt hujuſmodi eſſe, adeoque nec analogum; probatio minoris, quia ens eſt quid ſimplex, imò ſimpliciter ſimplex & irreſolubile in plures conceptus, adeoque non habet unum & aliud, quod tamen neceſſarium foret ad hoc, ut ens eſſet analogum, ut exactè vides in hoc diſcurſu, Si enim eſt partim idem, partim diverſum, iam debet habere partem & partem: Si ſic convenit & differt, aut convenit in eo, in quo differt, aut non convenit: primum eſt impoſſibile, ut ſcilicet conveniat & diſconveniat

veniat in eodem: ſi autem non convenit in eo, quo differt, tum debet aliud eſſe id, in quo conveniunt, & aliud, in quo differt.

Ratio altera, quia analogia entis ponitur in eo, quòd ens perfectius participatur à Deo, quàm à creatura; quod ens creaturæ ſit dependens ab ente divino: At vero hæc neque vera ſunt, neque ſi eſſent, ſufficerent; quod ſecundum ſic oſtendo; nam ens, quod nos ponimus univocum, & illi volunt eſſe analogum, eſt ens abſtractum, & quaſi elevatum ac ſuſpenſum inter utrumque: Clarum eſt autem; quod ens abſtractum & ſuſpenſum inter utrumque non ſit perfectius in uno, quàm in alio, quia nec in uno, nec in alio eſt.

Tertio ſic arguo ad homines, ad noſtros Scotiſtas: hic enim diſcurſus eorum redit ipſis in caput; ecce quomodo. Ipſi ponunt plures modos univocationis, (ſcilicet ut inveniant aliquem, cum quo compatibilis ſit analogia:) primus & perfectiſſimus eſt ille phyſicus, quem vocant, & dicunt, inveniri in ſpecie atoma ſola, reſpectu individuorum, quia nimirum hæc cum eadem perfectione deſcendit ad ſua inferiora, quo poſito, ſic arguo; Ipſi dicunt non dari analogiam in univocatione phyſica; atqui daretur, ſi ullibi daretur, quia nimirum individua etiam habent exceſſum perfectionis inter ſe; quis enim dubitet, carnem Chriſti D. fuiſſe puriorem aliis, & complexionem ejus meliorem? certiſſimè etiam anima ejus cum potentiis ſuis fuerunt perfectiores multis, imo omnibus aliis. Datur ergo in his inæqualitas perfectionis, non datur analogia, ergo iam inæqualitas perfectionis non ſufficit ad analogiam.

Obiici mihi poteſt meus Subtilis, qui communiter à noſtris tenetur poſuiſſe analogiam in univocatione, ita ut hæc ſit compatibilis cum illa, & nominatim id docet de ente: pro quo citatur ex Metaph. q. 1. & ex 1. d. 3. q. 1. item 2. d. 12 §. *ad prim. ration.* Reſpondeo primo, hunc locum perperam eſſe citatum à Meuriſſe, ibi enim clarè D. habet oppoſitum, quod ſcilicet analoga non coincidant cum univocis: dicit enim expreſsè num. 12. quod illud, de quo ibi quærit, non dicatur de inferioribus univocè, ſed analogicè; ecce analogiam apud Scotum contra diſtinctam ab univocatione æquè ac ab æquivocatione. Idem ferè eſt de ſecundo loco. Tertius tamen habet ſpeciem quandam, quam neceſſe eſt explicare, producendo ipſum hunc: ait ergo D. *Ad aliud de analogia, quòd illud recipitur tantùm in uno realiter, & in aliis per attributionem, dico, quòd hoc ſit eſt falſum, quia ſi ita eſt in uno exemplo, in centum eſt contrarium: nulla major eſt analogia, quàm ſit creatura ad Deum in ratione eſſendi; & tamen ſic eſſe primò & principaliter convenit Deo, quod tamen realiter & univocè convenit creaturæ:* Qui locus multos decepit, quaſi Doct. velit aliquid idem eſſe univocum & analogum pluribus ſimul, quod non eſt ita; non enim id ait Doct. ſed dicit tantùm creaturam habere analogiam, id eſt, attributionem ad Deum, non vero ens eſſe analogum, ipſi Deo & creaturæ, quod Scotiſtæ illi credebant ſe ibi legiſſe. Itaque fatendum eſt, aliquod ens habere analogiam ad aliud, non tamen ens ut ſic eſſe omnibus inferioribus ſuis analogum, imo nec ullis. Ex quibus patet

Altera pars aſſerti, quod ſcilicet analogia non cadat ſuper univocationem, quia nimirum pugnat illi: nam analogia quæcunque, ſive ſit attributionis, ſive ſit proportionis, exigit diſparem participationem; at vero univocatum quodcunque non ſic, ſed pariter participatur, adeoque. Urgeo argumentum, quia analogum debet eſſe partim idem, partim diverſum; at vero nulla quidditas aut eſſentia talis eſt, quia hæc conſiſtit in indiviſibili: *Species enim ſunt ſicut numeri*, id eſt, in indiviſibili conſiſtunt, ut quantumlibet minimo addito vel ablato deſinant: planè ſicut unitas, quæ eſt indiviſibile in genere diſcreti variat ſpecie numerum cui additur aut aufertur.

Dices hic aſſumi falſum, nam datur varietas in ipſis eſſentialibus, ut enim iam diximus, ipſa poſſunt eſſe perfectiora in uno, quàm in alio individuo: unus enim eſt melioris ſeu acutioris intellectus, quam ſit alius, adeoque τὸ rationale, quæ eſt differentia eſſentialis, eſt in uno perfectior, quam in alio. Dico autem ego, vel quæro, utrùm hic exceſſus perfectionis in intellectu huius ſit eſſentialis naturæ, an non? Si ſic, tum uterque non ſunt eiuſdem eſſentiæ: ſi non, vicimus. In re autem certum eſt, quod non, quia nimirum eſſentia abſtrahit ab intenſione, & afficit tantùm ſubſtantiam, non vero accidentia, vel intenſiones aut modos. Ita denique verè analoga ſunt verè æquivoca, & ens, quia univocum non eſt, ita analogum. Unde pergo in eadem materia, & quæro.

* *
*

ACTIO IV.

Digitized by Google

ACTIO IV.

Vtrùm univocatio entis ad Deum & creaturam ſit in aliqua realitate, an tantùm in formalitate aliqua, & conceptu?

Breviarium.

N. 1. *Ens commune Deo, &c. eſt formalitas tantùm ſeu conceptus. Oſtenſum id eſſe Scoti.*
2. *Oſtenſum etiam ratione.*
3. *Cautela obſervanda in hac veritate tuenda.*
4. *Objectio ſolvitur. An ſic negetur diſtinctio formalis graduum?*

1. QUanquam hoc dubium primà facie peregrinum videatur in ſchola Subtilis, tamen rationem dubitandi prębent objectiones à me adductæ, ſi bene expendantur; & de facto aut illæ aut ſimiles occurrerunt nupero Scotiſtæ, qui reſolvit conceptum entis non eſſe ex natura rei actualiter præciſum à Deo & creatura, licèt bene à ſubſtantia & accidenti, propter quod acerbè exceptus ab alio eſt. Verum quidem eſt, priorem pro ſe citare ingentem numerum ſuorum; ſed an bona fide, viderit qui volet, ego breviter dicam meum ſenſum.

Dico autem non dari realitatem aliquam entis univocam Deo & creaturæ, ſed ut maximè formalitatem vel conceptum: Neque tamen hoc contingere ſolum inter Deum & creaturam, ſed etiam inter ipſas creaturas mutuò, adeoque quoad hoc alterum fruſtra Maſtrium receſſiſſe à caſtris Scotiſtarum; At verò in priori eum melius armatum eſſe, tum authoritate, tum ratione, quàm adverſarios Scotiſtas.

Loquor autem de authoritate Scoti, ex quo, ad propoſitum hoc validum eſt illud 1. d. 8. q. 3. n. ... *Patet, quòd Deus & creatura non ſint primò diverſa in conceptibus; ſunt tamen primò diverſa in realitate, quia in nulla realitate conveniunt.* Ecce palam intentum totius noſtræ aſſertionis apud Doct. qui etiam ibidem promittit explicationem ejus, in quo aliqua difficultas timeri poſſet, dicens: *Quomodo eſſe poſſit conceptus communis ſine convenientia in re, vel in realitate, in ſequenti dicetur.* Alius locus ejuſdem eſt in eodem 1. d. 23. quæſt. un. n. 5. *Dico, quòd ab ultimis differentiis & conſtitutivis perſonarum nihil poteſt abſtrahi commune dictum de iis in quid, quia illa ſunt primò diverſa, id eſt, nihil idem realiter includentia.* Ecce loquitur de incluſione reali, & quodl. 19. cum dixiſſet, quòd entitas æquivocè convenit entitati hypoſtaticæ & quidditativæ, expoſitor Lychetus addit, quòd *entitas realis ut entitas, accipiendo entitatem pro aliqua realitate non convenit univocè quidditativa & hypoſtatica,* adeoque Scotus ſic intellexit univocationem entis, quod etiam

2. Probo ratione; ſi enim aliter ſit, tum dabitur aliquid reale in creatura, quòd ſit independens à Deo, ſcilicet illa realitas entis ut ſic; illa enim ſi ſit univoca, eſt independens, eò quod ſit prior: At vero certiſſimè abſurdum eſt, aliquid reale eſſe extra Deum, quod non dependeat ab ipſo. Quod verò illud foret independens, conſtat; nam aut eſt dependens, aut independens, ſi dependens, ſequitur, quòd in Deo ſit dependentia, quum in eo ſine dubio ſit ille gradus entis. Eodem filo iterum idipſum probabis ex parte Dei: ſequitur enim in Deo eſſe aliquid non neceſſarium realiter, ſcilicet illam entitatem univocam, ſi ſit quid reale; ſimiliter aliquid non infinitum, imò non omnino perfectum ſimpliciter, ſive non perfectionem ſimpliciter ſimplicem, ut vocant, quia nimirum eſt indifferens ad hoc, & ad imperfectionem: Unde etiam inferri poteſt eſſe aliquid imperfectibile in Deo, ſeu capax imperfectionis, quod ſine dubio falſum eſt, quum etiam abſurdum ſit, eſſe ibi aliquid perfectibile, ſeu capax perfectionis.

Reſpondere ſolent Scotiſtæ, aliquid objectivum dari independens à Deo, non verò dari aliquod ſubiectivum independens ab eo: Item aliquid poſſe eſſe prius in prædicando, non verò prius in eſſendo, quàm ſit Deus. Sed, ut incipiam à priori illo, hoc non videtur eſſe ſolutio, ſed conceſſio argumenti, & intenti noſtri; id enim eſt, quod contendo ego non dari aliquod ſubjectivum reale prius Deo, aut independens ab ipſo: dari autem obiectivum, eſt dari aliquid, quod habeat eſſe illud obiectivum per intellectum, & in ipſo, quod nos concedimus, imò intendimus. Similiter laborat ſecunda ſolutio, & refutari poteſt, nam illa prædicatio prioritatis aut in re eſt vera, aut in re non eſt vera; ſi non eſt vera, ſolutio non eſt bona: ſi autem ſit vera, iam ſubeſt illi, quod affirmat, ſcilicet aliquid reale prius: At verò omne prius eſt independens à poſteriori: ut videas rationem noſtri Poncii in hac parte redire contra ipſum.

Arguo etiam aliter, quia ſic philoſophando oportebit dicere, quòd Deus non ſit ſummè perfectum, & ſummè magnum: ſive aliquid, quo non poſſit cogitari maius aut melius, contra quã olim definivit Anſelmus, & Theologi communiter recipiunt, neque dubium eſt eſſe verum: Probo ſequelam, quia ſi in Deo detur aliqua realitas, quæ de ſe non eſt neceſſaria, infinita, &c. utique cogitari poterit aliquid eo maius, puta id, quod ſecundùm ſe totum eſſet neceſſarium, infinitum, &c. non tantùm abſolutè & categorematicè ut ſupponit pro toto, ſed etiam ſyncategorematicè, quod verificetur in ſingulis partibus: Id autem conſequitur adverſarios, adeoque.

Video quid ſint reſponſuri: Negabunt conſequentiã, quia nimirum Deus hoc ipſorũ modo habet omnem poſſibilem perfectionem, eò quòd ali⁹ ille mod⁹ noſter non ſit poſſibilis. Sed enim, ut omittam hoc petere quodam̃odo principium, lubet planè ſic diſcurrere cum ipſis: ex duobus modis philoſophãdi, ille debet cęteri probabilior, iuxta quẽ Deus erit omnino liber ab imperfectione etiam negativa, & includens poſitivè omnem

Digitized by Google

perfectionem, quæ concipi poteſt in illo uno: noſter modus hoc præſtat ; non poteſt autem præſtari aut perſuaderi modo illo Adverſ. ergò.

Adhuc etiam aliter argui poteſt, nec malè, quòd quidquid eſt in Deo reale, eſt eſſentialiter ſingulare, ergo jam nihil reale eſt in eo commune: Valet ſequela, ſed obvia eſt ſolutio, qua deſcripſit Ponc. in Addit. ſcilicet Deum eſſe eſſentialiter ſingularem, ſecundùm proprias rationes, non verò ſecundùm communes. At enim hoc relinquit omnem immunitatem argumento, quod prætendit non dari rationem communem. Aliter ipſe ſupra reſpondi in alia occaſione, Deū cathegorematicè ſeu totaliter ſumptum, eſſe eſſentialiter ſingularem, eò quòd ſingularitas ſit de eſſentia illius totius; non verò ſyncathegorematicè, eò quòd non ſit de eſſentia ſingulorum graduum: Quæ ſolutio ſi ſubſiſtat, extinguit argumentum ſubitò. Sed enim timendum eſt, ne minus valeat, quàm putetur; videor enim ſic redintegrare argumentum. Perfectiones divinæ non ſolùm afficiunt totum complexum, ſeu Deitatem, ſed ſingulos gradus ejus: nam non ſolùm eſſentia divina eſt infinita, ſed intellectus etiam, Sed voluntas, &c. immediata & propria infinitate: idem eſt de neceſſario, de independenti, & à ſe. Quidni ergo idem ſit de ſingularitate, quum ſine dubio hæc ſit perfectionis in ipſo, ergo. Non pergo, quia applicari huc poſſunt aliæ rationes à me ſupra factæ.

3. Cavendum tamen eſt, nec hæc veritas leviter aut ineptè defendatur, nec enim quivis modus opportunus eſt, ut videas in illo Maſtrii hic diſp. 2. ubi vult conceptum entis non fundari in aliquo communi, ſed immediatè abſtrahi à particularibus rationibus Dei & creaturæ inadæquatè conceptis: hic enim per hæc non aliud fecit, quàm Scyllam Charybdi mutare, ut oſtendit egregiè Poncius, & facilè quidem, quæro enim quare tunc debeat natura Dei inadæquatè concipi, niſi quia aliquid includit ultra ens? Cùm intellectus abſtrahit à Deo ens, quæro nunquid aliquid ei relinquit, an nihil? Si nihil, tum certè non inadæquatè, ſed adæquatè & plenè eum concepit: ſi aliquid, ergò jam ens perfectè diſtinguitur ab aliis contentis in Deo. Denique in Maſtrio id ulterius noto, quod neſciam, quale, aut ubi diſcrimen invenerit, quoad hoc inter Deum & cætera; hoc eſt inter ens, reſpectu Dei ac creaturæ, & inter animal reſpectu rationalis & irrationalis?

4. Objicies: ergo jam non datur apud te diſtinctio formalis; neque gradus ſuperiores abſtrahunt ab inferioribus: non eſt univocatio ulla realiter, ſed tantùm per intellectum, &c. quæ non aliud præſtant, quàm inferre ſcholiis noſtris Thomiſticam doctrinam pro Scotiſtica. Reſpondeo nihil minus fit. Nego omnia: quòd quia pertinet ad proprium locum infra Apolog. 6. Action. 3. hic leviter tantùm perſtringo. Dico ergo primùm non ſequi, non enim negata eſt formalitas, ſed realitas communis, adeoque cum hoc bene ſtat adhuc diſtinctio formalis: Item gradus ſuperiores abſtrahunt ab inferioribus, ſed formaliter, non realiter, &c. quæ lentius eo loco. Interim

Obiiciamus etiam Scotum, ut ſolvamus; ipſe enim 1. d. 8. q. 3. ad num. 26. &c. non invenit ullam difficultatem aut diſparitatem in ente Dei, & reliquis, niſi quòd ens reſpectu Dei non ſit genus: *Concedo*, (inquit,) *quòd iſte conceptus dictus de Deo & creatura in quid, contrahitur per aliquos conceptus, dicentes quale; ſed iſte conceptus dictus in quid non eſt conceptus generis*, & alibi paſſim idipſum inculcat; ergò. Reſpondeo hæc & ſimilia ideò apparere contra hanc viam, quia obiicientes non attenderunt proprietatem loquendi Doctoris: Cæterum enim locus ille pro nobis facit; dicit enim conceptum, non verò rem aut realitatem; atque ita in aliis locis invenietur loqui de conceptu aut formalitate, non verò de realitate, quod ſufficit hic dixiſſe, ut ſit iam

ACTIO V.

De univocatione entis ad ſubſtantiam, & accidens.

Reſolvatur ut tertia præcedens; idem enim per omnia hic dicendum eſt, quod ibi dictum eſt de ipſo in ordine ad Deum & creaturas, ut ſit

ACTIO VI.

Comparatur ens ut ſic ad reale, & rationis.

Breviarium.

N. 1. *Ens reale & ens rationis quomodo diſtinguenda?*
2. *Ens ut ſic utrique eſt æquivocum: probationes vulgatæ hujus.*
3. *Addo proprias rationes.*
4. *Quomodo argumentum Scoti pro univocatione non militet contra hanc concluſionem.*
5. *Obÿciuntur alia Metaphyſica & moralia.*
6. *Adhuc alia duo objecta & ſoluta: Paſſiones entis an competant enti rationis?*

1. IN primis ſtatuendum foret, quid ſit ens rationis ut opponitur reali, vel etiam quid ſit ipſa realitas entis: utique enim ſufficit alterumhorum explicare, eo enim ipſo oppoſitum innoteſcet. Olim, quum dictarem hanc quæſtionem in ſcholis, dixi ens rationis eſſe illud, quod poteſt advenire enti ſimpliciter immutabili, quale eſt Deus Opt. Max. Unde ſtatim ex adverſo reſultabit ens reale eſſe illud, quod non poteſt ei advenire: At enim hoc etſi veriſſimum ſit, tamen non debet reputari ſufficiens reſolutio; adhuc enim, qui audit hoc, anceps eſt, quia neſcit, utrum

Digitized by Google

utrum hoc aut illud, puta relatio prædicamentalis, accedere poſſit Deo nec ne? Deinde, qui negant hoc aut illud poſſe accedere Deo, ideo ſic reſpondent, quia putant hoc non eſſe reale; atque ita priùs reſolvendum fuit de hoc aut illo, an ſit reale, quàm ſciri poſſit, utrum ſit in Deo, nec ne. Sto ergo explicationi à me poſitæ ſupra in hoc ipſo opere, & Apologia ſupra, ut ens reale, & exiſtentia realis ſit illa, quæ non dependet ab ulla potentia immanenter agente, aut operativa, ut ibi latè: in quo ſenſu reſpondeo ad titulum, &

2. Dico ens ut ſic, his duobus, puta reali & rationis eſſe æquivocum, ſi voles etiam, analogum proportionis. Eſt clara Doct. 4. Metaph. q. 1. ubi id docet de rebus primæ & ſecundæ intentionis, illæ enim ſunt reales, iſtæ rationis; & in 1. d. 29. q. un. docet principium ut ſic eſſe æquivocum reſpectu principii eſſentialis & notionalis in divinis, quia principium eſſentialiter in divinis dicit tantùm reſpectum rationis, reſpicit enim creaturas: & ita eum ſequuntur melioris notæ Scotiſtæ, Meuriſ. 1. Met. q. 2. Pon. diſp. 69. qui quidem refert pro oppoſito Maurit. noſtratem, & Joan. Canon, at non refert eorum loca.

Adferam primò rationes vulgatas aliorum, & tum ſubdam proprias: ex illis prima ſit illa Meuriſ. cit. nullus poteſt haberi conceptus objectivus communis enti reali & rationis, ergo nullum ens eſt ipſis commune. Probatio antecedentis, quia non poteſt aſſignari ullus conceptus, qui non ſit ens reale vel rationis formaliter: ſed conceptus entis communis reali & rationis, non eſt aut realis aut rationis formaliter: Hæc minor non indiget probatione, probatur ergo major, quia illi conceptui vel repugnaret exiſtere extra, vel non repugnaret: Si repugnet, eſt ens rationis: ſi non repugnat, eſt reale, ergo jam non datur ullus, qui non ſit aut ens rationis, aut reale. Reſpondit aliquis inepte, negando majorem probationis, quod erat dicere illi conceptui nec repugnare, nec non repugnare exiſtentiam, ſicut nec animali ſecundùm ſe rationale aut irrationale, quæ æquè opponuntur. Dixi hoc ineptè reſponſum, quia repugnare & non repugnare ſunt expreſsè contradictoria, inter quæ non eſt excogitabile medium: neque exemplum juvat reſpondentem, quia ſi ſimiliter ſumantur rationale & irrationale, ſcilicet contradictoriè, ſeu ut affirmatio & negatio, ſine dubio animal ſecundùm ſe habebit alterum ex illis, eſtque irrationale; id eſt, non habens rationalitatem.

Poſitivè etiam probari poteſt illud abſtractum fore reale, quia nimirum includit potentiam ſine dubio, ut contrahatur ad ens reale, hoc autem eſt includere potentiam ad exiſtendum, ut patet, ergò. Ratio majoris, quia ens reale eſt ſpecies & pars ſubjectiva eius; quodlibet autem ſuperius certiſſimè includit potentiam, ut contrahatur ad talem, ergo. Imo poſſet quis ludere hic, & uti argumento hoc, ut probaret contradictoria convenire eidem, ſcilicet illi abſtracto: hoc enim verti poteſt ad probandum, quòd etiam repugnet illi abſtracto exiſtere, quia ſcilicet illud conjungibile eſt cum ente rationis. Laborarunt aliqui Scotiſtæ evertere hanc rationem, ſed incaſſum: dicit aliquis abſtractum involvere potentiam extrinſecam tantùm ad exiſtendum, non verò intrinſecam: Alii reſpondent illud non dicere immediatam potentiam exiſtendi: adeoque non eſſe reale; & uterque hærent in illo exemplo Mauritii de animali, quod ex ſe non eſt rationale: ſed male, ut iam oſtendi; Illud verò Maſtrii de potentia extrinſeca ſtatim evertitur per virtutem contradictionis; aut enim habet potentiam intrinſecam, aut non habet; ſive, (ut utar terminis eius,) vel habet repugnantiam intrinſecam, vel non habet; nam extrema contradictionis afficiunt immediatè & intrinſecè quodlibet, &c. ut ſupra. Nunc adfero duas ex proprio.

3. Prima eſt ferè particularis ab aliqua inſtantia, nam ſi accipiamus duo aliqua eiuſmodi, ſive unum in utroque genere, v. g. domum realem, & domum rationis, ſive domum ad intra, & domum ad extra, certè nulla ratio domus illis convenit: Certum eſt etiam ſic eſſe de aliis, v. g. de igne ad intra in anima, & de igne vero ac elementari extra, & univerſaliter de vero ac picto, nam nulla ratio leonis una intelligi poteſt, quæ inveniatur in leone vivo & picto. Cur ergo non idem dicemus de ente reali, quòd eſt verè tale, & de ente rationis, quòd eſt quid pictum aut fictum per intellectum? Si quis velit probari ſibi aſſumptum, applicet tantùm definitionem domus, ſeu proprietates ejus, quæ eſt tegere corpora contenta, defendere à pluviis, &c. quis enim niſi ridiculus dicat ad hæc ſufficere domum ad intra? idem eſt de igne picto, qui nunquam calefaciet, &c. Secundò ſic arguo: quamvis aliquid poſſit eſſe commune enti reali, & rationis, tamen nihil includens negationem entis realis poterit eſſe ei commune: Atqui id includit ens illud abſtractum à reali, & rationis, ut iam oſtendam, cùm probavero maiorem ſic; Contradictorium entis realis non poteſt de ipſo ente reali dici: Atqui abſtractum illud hoc diceret, ergo abſtractum non poteſt de illo dici: Vis huius eſt in minori, quam ſic probo, quia ens rationis id includit, ergo ens ut ſic. Negabis fortè conſequentiam; non enim omne quod convenit ſpeciei, eo ipſo convenit generi. Valet nihilominus conſequentia, quæ hic trahitur à maiori ad minus; non enim poteſt ſpecies alicuius generis eſſe minoris perfectionis, quàm ipſum: Si ergò ens rationis eſt verum & merum nihil, ac contradictorium entis realis, quantò magis ens, ut ſic erit. Quòd autem ens rationis ſit merum nihil, oſtendo hac ratione; quia quidquid fit non coagente Deo, non fit, non eſt, ſive nihil eſt: atqui plurima entia rationis talia ſunt, v. g. eſſe viſum, eſſe intellectum, &c. nam poſitâ viſione huius muri in oculo, tametſi Deus nolit concurrere, ad quidquam aliud, adhuc murus erit viſus; ſed quod eſt Deo non volente, eſt nihil, non eſt, &c. ergo eſſe viſum nihil eſt.

Denique ſubdam hic aliam rationem, quæ videtur nonnihil præſtare: quia ſcilicet ſi daretur ratio illa abſtracta ab ente reali & rationis, tunc daretur aliquid minus entis rationis, & eſſet illud commune utrique; & tum ſequitur in ente reali reperiri aliquid minus ſolidum, & magis vanum, quàm ſit ipſum ens rationis, quod ſine dubio abſurdum eſt, eò magis quòd tenetur à nobis ens reale eſſe univocum, & reperiri in Deo, jam enim in Deo erit aliquid magis vanum & inane, quàm ſit ens rationis; & minus ſolidè exiſtet aliquid Dei, quàm ens fictum, & chymæra, quod ſine dubio eſt abſurdum & blaſphemum.

4. Objiciunt ſibi hic Scotiſtæ rationem illam Doct. de conceptibus certo & incerto, cùm enim nemo poſſit eſſe certus & incertus de eodem, ſequitur id, de quo quis eſt certus eſſe aliud ab eo, de quo eſt incertus: Atqui poteſt quis eſſe certus de aliquo, & incertus, num illud ſit reale, an rationis, quod contingit quotidie in ſcholis circa relationes & ſimilia: Si ergo rectè ſuprà intulimus, ens eſſe univocum Deo & creaturis ex hoc capite, quia nimirum diſputatur de aliquo, utrum ſit Deus an creatura, ſequitur eodem iure ens eſſe univocum reali & rationis. Negari non poteſt, quin hoc argumentum ſit æquè moleſtum ac utile Scotiſtis; in una materia eos juvat, in alia impugnat, & fortè magis, quàm juvet, non enim facilè ſe expediunt ab ipſo. Noſter Ponc. reſpondet in caſu propoſito, nos eſſe certos de indeterminato aut disjuncto, non verò de aliquo determinato & fixo; quaſi verò Thomiſtæ non poſſint ſimiliter dicere de illo reſpectu Dei & creaturæ, ſubſtantiæ & accidentis, & ita omnino eludere hoc argumentum. Supra egi de vi ejus, ubi etiam alterius Scotiſtæ inventionem reprobavi: Unde hic breviter exiſtimo dicendum, quòd in caſu propoſito intellectus non ſit certus de aliquo, id eſt, non ſciat certò id, de quo quæritur eſſe *quid*: Si enim id eſſet certum, etiam realitas eſſet certa, quum ſint ſynonima. Neque exemplum adductum aliud convincit, nam licèt controvertatur de relatione, tamen controverſia non eſt, utrùm ſit ens rationis an reale, ſed utrùm ſit diſtincta aliqua entitas, an verò entitas extremorum?

Objici etiam poteſt acervus argumentorum, quæ congeſſit Scotiſta citatus; primò ex diviſione entis, quæ fit in reale & rationis, nam dividentia debent participare diviſum: Deinde ex via definitionis, quia ens ut ſic ponitur in definitione utriuſque: Tertiò ex via diſtributionis, nullus enim terminus æquivocus convenienter diſtribuitur; nec enim rectè dicas: Omnis canis: Ens autem diſtribuitur pro reali & rationis per Tò *omne*, dicendo; omne ens, &c. apud ipſum ibi. Sed enim hæc procedunt ex ſuppoſitione aliquorum, quæ nos non concedemus arguentibus, qui proinde petunt quodammodo principium. Dico ergo ens dividi in ens reale, & rationis, ſed ſuppoſitâ univocatione, aliàs autem nonniſi pueris traditur hæc doctrina in ſummulis, ut res planiùs intelligant. In re autem, non ſolùm non datur diviſio, ſed nec membrum dividens, quod eſt ens reale, nam hoc idem eſt, quod ipſum ens; & licet in voce ſit complexum, in re eſt ſimplex: Alia duo per hoc ſunt ſoluta, nam diviſio aut diſtributio illa, aut facta eſt ab authoribus tenentibus oppoſitum, aut certè facta pro pueris ac tyronibus, quibus oportebat ſic proponi res extra controverſias.

Objicio ergo ipſe tertiò difficultatem ex Ethica tractam, ſed quæ innitatur Arithmetico principio iſti: quòd ſcilicet unitas, quamvis ſit quaſi indiviſibile, multiplicata reddit numerum: Nihil autem, quantumcunque multiplicatum, ſemper reddit nihilum: unde ſic argui poteſt: Nihil non poteſt trahere ſecum, aut exigere aliud, quàm nihil: Atqui ens rationis trahit & exigit ſecum vel circa ſe aliquid, & quidem phyſicum ac reale, ergo jam non eſt nihil, ſed ſimpliciter aliquid. Probatio minoris eſt peccatum, quod eſt aliquid rationis, & tamen exigit pœnam, quæ eſt quid phyſicum ac ſenſibile. Reſpondeo, quamvis non adferatur à me ſolutio hujus, tamen fatendum eſt arguenti, quòd ſit ſolubile, quia nimirum peccatum certiſſime eſt merum nihil, ac non tantùm aliquid rationis vel morale, propterea quòd à Deo non fiat, à quo omnia fiunt: ex quo ſequitur, quòd illud non ſit aliquid. At verò ad formam hujus dico non eſſe merum nihil, quod exigit reale aliquid, ſed dari hic res, à quibus provenit exigentia, & eſt voluntas divina, quæ ſtatuit legem, ut talis actus afficeretur tali pœna, intellige in ſuppoſito eliciente; ut omittam ipſum actum poſitivum elicientis, qui conjunctus eſt peccato, & entitati rationis. Idem eſt de dignitate regia, magiſtratu, &c. quæ ſunt tantùm entia rationis, & tamen exigunt honorem, obedientiam, &c. Contra hoc tamen dici poteſt, non ſufficere ſolutionem; nam actus, à quo eſt dignitas regia, eſt actus populi aut ſenatus eligentis; At verò hic non eſt, ſed fuit, unde jam non eſt aliquid, ſed merum nihil, aut ut maximè quid morale ac rationis. Audio & proinde etiam hoc conſultius puto referendum ad ipſius Dei actum, qui adhuc durat, & præcipit exhiberi talibus, quàm ad actus eligentium, qui deſierunt.

6. Obiicio adhuc paſſiones entis, quæ conveniunt enti rationis, adeoque competit ei quidditas, à qua emanant, quum iſta ſint inſeparabilia. Aſſumptum autem eſt certum, quum clarum ſit ens aliquod, imo quodlibet eſſe unum, nam nullum poteſt eſſe duo, quum hæc ſint plura. Deinde eſſe intelligibile, ſine dubio convenit enti rationis, quia conſtat illud intelligi, hæc autẽ eſt altera paſſio entis, ſcilicet veritas. De bonitate autem ſeu amabilitate eſt clariſſimum; nam magna ambitione procurantur & emuntur aliqua, ut conſtat in officiis publicis, magiſtratu & ſimilibus, imo in meris denominationibus, ergo. Hoc ultimum iam ſuperius expedivi in ſuperiori obiectione de dignitate regia, & ſimili. Ad primum & ſecundum, ſufficit dicere argumentum manifeſtè eſſe ſolubile, (licèt hic non ſolvatur, ſed alibi,) idque fatendum arguenti; nam etiam negationes & nihila numerantur; datur una negatio, dantur duæ: ecce unitatem, etiam in nihilo, quod eſt contradictorium entis: ſed (inquies,) quid revera putas dicendum? Puto ſanè, quòd propriè loquendo, negatio non eſt una, & multò minus erit duo, quia non eſt, & quia non ſunt: unde argumentum vergit in contrarium; nam quum dico: Negatio eſt una, falſum dico, ideo falſum dico, quia deficit veritas, in Tò *eſt* priùs, quàm in Tò *una*; Atque ita ideo deficit his veritas, quia deficit entitas. Huic affinis eſt alia ratio dubitandi, quam

Obiicio ultimò: Obiecta potentiæ realis, quando ipſa plura ſunt, & potentia eſt una, tunc inquam omnia conveniunt in aliqua ratione una: Sed tam ens reale, quam ens rationis ſunt obiecta partialia intellectus, ergo conveniunt in aliqua ratione una: At verò illis duobus nihil eſt commune, niſi ens ut ſic, ergo concedendum eſt neceſſariò tale ens, & taliter commune. Nec refert, ſi dicas, illa convenire in ente ut ſic æquivoco, quia æquivocum non eſt unum, ſed plura. Hoc etiam faceſſit negotium noſtris, ut videas, ex ipſorum variis inventis in reſpondendo. Totum autem

Digitized by Google

autem devolvitur ad hoc punctum: quomodo intellectus percipiat entia rationis; & quidem certum videtur, quòd illa non moveant intellectum, ſed duntaxat terminent: Unde poteſt eſſe prima ſolutio hujus, quòd objecta motiva habeant unum aliquod, in quo conveniant, terminativa non; ſed enim hujus aliqua ratio reddenda eſt; Aſſignarem hanc præ aliis, quòd ſcilicet cæteræ potentiæ, quæ dicuntur habere unum objectum, puta ſenſitivæ, ut viſus, auditus, &c. motivum habeant, hoc eſt, quòd objecta, quæ illis aſſignantur, ſunt motiva, non autem terminativa, ut patet in colore, ſono, &c. Tum autem relictâ hâc aliter reſpondeo, entia rationis non intelligi poſitivè ab intellectu, niſi per modum realium, & per ſpecies entis realis, adeoque meritò dici, quòd tantùm intelligatur ſimpliciter ens reale. Exemplum poteſt eſſe in noſtra imaginatione, quæ ſine dubio affixa eſt obiectis corporeis, & tamen imaginamur Angelos; quod ideo non derogat illi doctrinæ, quia illos imaginamur ad modum corporatorum, ut juvenum alatorum, &c. Dixi ſupra ens eſſe æquivocum analogum reſpectu horum, eò quòd ens rationis habet analogiam ad ens reale planè plenam, omnia enim & ſingula talia ſunt ad modum entium realium: Unde dantur tot prædicamenta entium rationis, quot realium: maximè autem dantur relationes, & ſecundæ intentiones, de quibus recoli poſſunt dicta ſuo loco in Logica.

Quæres, utrùm ens rationis univocetur cum negationibus & privationibus? Reſpondeo ex dictis ſequi quòd ſic, quandoquidem non univocetur cum ente reali: ex quo patet aliqua illuſtratio ſolutionis jam datæ ultimo argumento, quia ſcilicet negationes & privationes intelliguntur terminativè ſaltem, & tamen nemo dixerit ens ut ſic, vel aliud quidpiam eſſe univocum iſtis, cùm ſint expreſsè contradictoria, inter quæ non datur medium, daretur autem ſecundùm Adv. eſſet enim illud abſtractum.

ACTIO VII.

Vtrùm detur aliquid latius patens Ente;

ſive

An quodlibet poſitivum includat formaliter Ens?

Breviarium.

N. 1. *Apparatus ad reſolutionem: Vltima differentia, quæ?*
2. *Mens Scoti de quæſito.*
3. *Ens non includitur formaliter in ſuis modis.*
4. *Neque in paſſionibus.*
5. *Nec in ultimis differentiis ullius.*
6. *Ens reſpectu horum & aliorum completorum eſt abſolutè æquivocum.*
7. *Proponuntur de hoc dubia, & ſolvuntur.*
8. *An quodlibet genus poſſit dividi in quid, & quale?*

1. PRimus titulus videtur ſeipſum reſolvere, idque negativè, quòd nimirum non detur tale, eò quòd ens & aliquid ſint ſynonyma, ſaltem convertentia: propter quòd plerique nolentes concoquere hanc anatomiam, impugnârunt acriter iſtam unam, primùm cenſuris, tum etiam argumentis, ut videas apud Meuriſ. & Maſt. hic: Unam referam, quæ eſt Petri Fonſec. 4. Met. ubi palam ait, fundamentum ejus periculoſum eſſe, & lapſum proinde Scotum; ſed enim denique ipſi coacti ſunt cedere veritati, & ita paulatim ad noſtros tranſire.

Ad meam reſolutionem præmitto ea, de quibus controverſia eſſe poſſit: ſunt autem iſta; Paſſiones entis, modi intrinſeci ejus, & ultimæ differentiæ omnium omnino ſpecierum. Paſſiones entis ſunt illæ, unitas, veritas, bonitas. Modi ejus ſunt illa ipſa, quibus contrahitur ad ſua inferiora; puta finitum infinitum; à ſe, & ab alio, ſive dependens & independens, & ſimilia. Denique ultimæ differentiæ poſſunt intelligi ſecundùm quoſdam differentiæ individuales, quia hæ ultimò contrahunt. Et quidem doctrina Scoti de his verificatur, at non de iis ſolis, quin de omni omnino, per quam res ita differat ab alia, ut veniatur ad aliquod primò diverſum, ſive ſic, ut in nulla formalitate iſtius differentiæ conveniat cum ipſa, & ſic omnis ſpecifica differentia, tam infima, quàm ſubalterna, eſt ultima, v.g. ſenſitivitas, rationalitas, &c. & hæc eſt vera acceptio ultimæ differentiæ, imo nec fuit opus addere *Tò ultima*, quia omnis vera differentia eſt huiuſmodi: Non proinde tamen lapſus eſt Doctor ſic loquendo, dixit enim ultimam differentiam, cum illo additamento, eò quòd differentiæ, ut communiter ſonant, v.g. rationale, ſenſibile, &c. non ſunt puræ, propterea quod in illo concreto involvatur ſubiectum, adeoque ulterius purificanda fuit: & de ſic ultima procedit eius doctrina, ſcilicet de ipſis in abſtracto, & quidem ultimatè quantum poſſunt ultimari.

Mens Scoti de iſtis.

2. INprimis & ſolidè ſtatuenda eſt, tum ne ipſe pateat calumniis aliquorum, tum etiam, ne quando nos fruſtra premamur difficultatibus, quas nullo modo incurrimus, aut ſolvere tenemur; & ſanè doctrina Scoti, ut à quibuſdam ſuorum defenditur, non defenditur; nec ipſi tot diſtinctionibus & inventis aliud oſtendunt, quàm rei arduitatem, quæ illos ad tot diverticula compulit. Nempe illi paſſim Scoti ſententiam ex ſe mutuò, non ex ipſo deſcribentes, confidenter dicunt,

Digitized by Google

icunt, ens non includi formaliter in ejus modis, aſſionibus, aut ultimis differentiis. At enim, roferant locum, in quo hæc à Magiſtro didice- nt: aliquid tale docet ille, at non totum, quod imponitur communiter, non ſolùm ab exter- is, ſed à ſuis.

Cenſeo ergo ſententiam Scoti non eſſe, uòd ens non includatur in ſuis paſſionibus, &c. olum inhibeo, & quidem eo loci, ubi ab aliis tatur pro contrario, eſt autem 1. d. & quæſt. 3. uæ eſt de eo: *An Deus ſit objectum naturale ad- quatum, reſpectu intellectus viatoris?* Ad quam ille um. 6. reſpondet. *Quòd autem ens ponatur æqui- ocum creato & increa o, ſubſtantiæ & accidenti, cum omnia iſta ſint per ſe intelligibilia à nobis, nullum detur poſſe poni primum objectum intellectus noſtri: d ponendo illam poſitionem, quam poſui in prima uæſt. de univocatione entis, poteſt aliquo modo ſalvari iquod eſſe primum objectum intellectus noſtri: Ad uod intelligendum, primò declaro, qualis ſit uni- ocatio entis? & ad quæ eſt? & ſecundò ex hoc ad pro- ſitum.*

Quantum ad primum, dico, quòd ens non eſt nivocum dictum in quid, de omnibus per ſe intelligi- libus, quia non de differentiis ultimis, nec propriis aſſionibus entis. Hæc ille: Ex quibus vides claré, im'um oneris ei imponi ab aliis, atque ita non eneri eum ad totum: Primò enim hic expreſsè gnificat Doctor, ſe non ponere univocationem ntis ad omnia omnino, ſed aliqua eſſe æquivocè ntia: Ita vides in illis verbis: *Declaro, qualis ſit nivocatio entis, & ad quæ eſt.* Si enim eſt ad omnia mnino, ut quid illa exceptio & limitatio: *ad æ eſt.* Deinde non dicit Doctor ens non in- ludi formaliter in his, ut vides palam in ipſo; am in toto illo paſſu non habetur ſemel *forma- ter*, ſed ait quàm acutiſſimè, ens non eſſe nivocum dictum; ac ſi diceret, includi quidem illis, at non univocè, quomodo in ſubſtantia accidente, ſed aliter, utique oppoſito modo. Denique patet, eum non velle eſſe unam omni- o rationem entis ubique, ſic enim poſſet ille onere unum ſimpliciter objectum intellectus, uod tamen non vult abſolutè ponere, etiam oſitâ ſuâ illâ univocatione; ſed ait, quòd *poſt lam poſitionem poteſt aliquo modo ſalvari unum obje- um intellectus.* Præterea q. 21. de Anim. ubi totam anc doctrinam & argumenta pro ipſa reſumit, um 6. plane declarat, hanc fuiſſe ſuam inten- onem, ait enim poſt omnia: *Sed dices, quòd hoc t propter diverſitatem eſſentialem, ſcilicet, quòd npeditur prædicatio eſſentialis entis, vel è converſo. icendum quòd bene verum eſt, quòd rationes eorum nt diſparatæ:* Quid clarius pro æquivoca ſeu di- erſa ratione entis in hoc & in cæteris, puta entibus completis? Atque ita Doctorem ntellex runt claſſici Scotiſtæ. Faber Theor. 94. icit de mente Doct. ens prædicari de his in quid, non univocè in quid. Meurіſ dicit iſta eſſe ntia. & ens vera ratione dici de illis, non tamen quid, ſed in quale, adeoque non ſimiliter cut de aliis: Cavell. etiam in Scholio diſt. 3. t. retrahit ſe, & conatur Doct. retrahere ab ab- ſoluta negatione entis de his: quod etiam facit Annot. ad quæſt. citatam de Anim. & ſimili- r loquuntur Contaren. Merin. & alii ex no- ris, quod fatetur Maſtr. hic. Denique ipſe D. Metaph. quæſt. 1. palam hanc expoſitionem onfirmat ibi num 9. *Iſta ratio non probat, quin ens t univocum decem generibus, ſed tantùm, quòd non ſit univocum generi & differentiæ, & hoc poteſt concedi.* Ecce ens ſecundùm Doct. de differentiis dictum, non univocè, quomodo ergo niſi æquivocè, cùm ſecundùm ipſum non detur medium. Unde Mauritius noſtras in notis ad dictum locum ſub- dit: *Adverte, qualiter probabiliter oſtendit modum ſuſtinendi, & univocationem ſecundùm Avicennam, & analogiam ſecundùm Commentatorem, & alios ſeu æquivocationem.*

Reſolutio quoad modos.

3. Dicendum ens tranſcendens & diviſum in decem prædicamenta non includi, aut formaliter aut quidditativè in modis ſuis. Hanc credunt noſtri eſſe contra alios omnes: & ſanè Averſa contra eam refert D. Thomam, & cum eo ingentem numerum authorum: ſed neſcio, an cum fundamento & fide; qui enim ponunt æquivocationem entis ad inferiora, nullo negotio hanc defendunt, & quidem conſequen- ter, ut bene notavit Fonſeca citatus: probabo eam per partes.

Primò ſic: Si enim modus contractivus entis includit formaliter ens, jam ens contrahet ſeipſum: Atqui id ſine dubio eſt abſurdum, quia aliter ſe habere debent contrahens, & aliter contractum, hoc enim debet eſſe in potentia ad illud. Dices rectè argui, ſi diceretur modus eſſe ens ſolum aut purum; ſi enim non ſit tale, tunc cum illo addito poterit eſſe contractivum. Bene eſt, ſed mihi redit quæſtio de illo addito, quæro enim, an additum illud ſit ens, nec ne? ſi non, habemus intentum prope, ſcilicet aliquod poſitivum, quod tamen non ſit ens; ſi ſit, patitur totam difficultatem, quam ipſe modus: & ita in infinitum; quæram enim de illo addito, num ſit ſolum ens, an ens & aliquid præterea? quod- cunque dictum fuerit, patietur difficultatem à me poſitam pro aliqua parte, adeoque.

Secundò pro hac veritate eſt acervus ratio- num, quas ſupra congeſſi tom. 1. ubi probavi, differentias contrahentes non includere genus; iſti enim ſunt differentiæ aut quaſi differentiæ entis, & rationes æquè validè procedunt de u- triſque, neque enim illæ fundantur in ratione differentiæ, (de qua infra ſeorſim,) ſed in ratione contractivi, hæc autem æquè convenit modis reſpectu entis, ac differentiis reſpectu generum, ut vides ergo.

Tertiò ſic argumentor: Modus cujuslibet naturæ inferioris non eſt illa ipſa natura, ergo modus entis non erit ens. Conſequentia, niſi erro, eſt aperta, & nihilominus antecedens pro- batur diſcurrendo per omnes ipſas, nam modus ſubſtantiæ non eſt ſubſtantia; neque modus quantitatis quantitas, idemque de qualitate, re- latione, &c. ergo. Redeo ad probanda hæc ſeor- ſim; nam ſubſiſtentia, v. g. quæ eſt modus ſub- ſtantiæ, non eſt ſubſtantia, alioquin egeret alia ſubſiſtentia in infinitum: figura quæ eſt modus quantitatis, non eſt quantitas, v. g. rotunditas lineæ, alioquin linea rotunda eſſet bis impenetra- bilis, imo ſequeretur, quòd etiam eſſet penetrata, nam ſine dubio rotunditas eſt penetrata cum li- nea. Denique ob eandem rationem intenſio qualitatis non eſt qualitas: quod etiam inde con- vincitur, quoniam ſic non poſſet dari qualitas ſummè remiſſa, puta albedo ut unum, nam ipſa remiſſio eſſet quædam albedo, aut quidam gra- dus ejus, ergo.

Denique

Digitized by Google

Denique probo proceſſum infinitum ex oppoſita ſententia; nam ſi modus entis ſit ens, dabitur modi modus, ſed ſi detur unius modi modus, dabitur alterius & tertii, & infinitorum. Sit exemplum: Saltatio eſt modus aliquis motus progreſſivi: ſi ſaltatio ſit res & motus, iam ſaltatio poterit aliter & aliter fieri: hæc etiam altereitas ſi ſit motus & modus, iam poterit ipſa aliter, & aliter fieri, cur enim unus motus poterit modificari bene & male, non item alius? Si autem unus & alius, certe plures in infinitum, ergo. Notum eſt autem de proceſſu infinitæ multitudinis, quàm ſit infamis in ſcholis, adeoque. Antequam proponam obiectiones adverſas, libet addere quod notavit Scotiſta citatus in recentibus Metaphyſicis, ſcilicet eos deteſtari hic Scoti doctrinam, & tamen incurrere. Etenim ipſi ponunt aliquos modos etiam extrinſecos, neque afficientes ipſam rationem entis, ſed alias inferiores, quos tamen modos non concedunt eſſe entia; tales ſunt unio, ſeſſio, inhærentia, &c. quos admittunt apertè illi: Fonſeca vero, qui ſupra Scoto ignorantiam impegit, ob quam deveniſſet in hanc ſententiam, ipſe nihilominus 5. Metaph. c. & quæſt. 6. docet aliquos modos eſſe, qui non ſint entia, & Averſa oppoſitum contra ipſum nominatim defendit non minus, ſed paulò amplius quàm contra noſtros. Ita quibuſdam non doctrina diſplicet, ſed author; & illa veriſſima erit, ſi quando contingat eam ab ipſis adoptari. Obiectiones Thomiſtarum & recentium contra hanc veritatem non deſcribam hic, ſed infra poſt tertiam partem reſolutionis, eò quòd contra omnes ſint eædem ferè, ſaltem principalis ubique eſt una.

Reſolutio de Paſſionibus.

4. EST omnino ſimilis, quòd ſcilicet paſſiones entis tranſcendentis, quod deſcendit in prædicamenta, non ſint formaliter aut eſſentialiter illud ens. Indubie eſt Doctoris, propter quam & ſequentem hactenus multa paſſus eſt ab Adverſ. tam recentibus, quam priſcis, ut videas apud ipſos, atque etiam noſtros, qui eorum ictus referunt.

Probavit ipſe Doct. jam olim aſſertum ſuum, ut non ſit amplius laborandum nobis, niſi in referendis rationibus ejus, quas pro hoc habet diſt. & quæſt. 3. cit. pr. *Secundum* (ſcilicet propoſitum de paſſionibus entis,) *probo* dupliciter, primò ſic: Paſſio per ſe ſecundo modo prædicatur de ſubjecto. 1. Poſter. ergo ſubjectum ponitur in definitione paſſionis, ſicut additum ex 1. & ex 7. Metaph. Ens igitur in ratione ſuæ paſſionis cadit, ut additum, habet enim paſſiones proprias, ut patet per Philoſophum 4. Met. c. 3. ubi vult, quòd ſicut linea, inquantum linea habet proprias paſſiones, & numerus inquantum numerus, ita ſunt aliquæ paſſiones entis inquantum ens: ſed ſi ens cadit in ratione earum, ut additum, ergò non eſt per ſe primo modo de ratione quidditativa eorum. Hoc etiam confirmatur per Philoſophum 1. Poſt. cap. de ſtatu principiorum, ubi vult, quòd prædicationes per ſe non convertantur; ita, quòd ſi prædicatum dicatur de ſubiecto per ſe, non è converſo dicetur ſubiectum de prædicato, ſed per accidens: ergo ſi iſta eſt per ſe ſecundo modo, ens eſt unum; hæc, unum eſt ens non eſt per ſe ſecundo modo, ſed quaſi per accidens, ſicut iſta propoſitio eſt per accidens; riſibile eſt homo.

Secundò ſic: Ens ſufficienter dividitur tanquam in illa, quæ includunt quidditative ipſum, in ens increatum & in decem genera, & in partes eſſentiales decem generum: quidquid ſit de iſtis, ſaltem non videtur habere plura dividentia quidditative, quin ſint in iſtis. Igitur ſi unum vel verum includat quidditative ens, vel erit aliquod decem generum, vel continebitur ſub aliquo iſtorum: ſed non eſt aliquod decem generum, patet, nec eſt ex ſe ens increatum, quia convenit omnibus creatis, igitur eſſet ſpecies in aliquo genere, vel principium eſſentiale alicuius generis: ſed hoc eſt falſum, quia omnis pars eſſentialis in quocunque genere, & omnis ſpecies cuiuſcunque generis includit limitationem, & ita quodcunque tranſcendens eſſet de ſe finitum, & per conſequens repugnaret enti infinito, nec poſſet dici de ipſo formaliter quod eſt falſum, quia omnia tranſcendentia dicunt perfectiones ſimpliciter, & conveniunt Deo in ſummo.

Tertiò argui poteſt, & in hoc etiam confirmatur prima ratio ad concluſionem iſtam; quia ſi unum includit ens quidditative, non includit præciſe ens; nam idem tunc eſſet paſſio ſui ipſius, ergo includit ens & aliquid aliud: ſit illud aliud A, aut igitur illud A includit ens, aut non: ſi ſic, unum bis includet ens, & erit proceſſus in infinitum, vel ubicunque ſtabitur, illud ultimum quod eſt de ratione unius, & non includit ens vocetur A, unum ergo ratione entis incluſi non eſt paſſio; & per *conſequens* illud aliud incluſum quod eſt A, eſt primò paſſio, & eſt tale quod non includit ens quidditative, & ita quidquid eſt primò paſſio entis, ex hoc non includit ens quidditative: hactenus Subtilis; *Rapi.* cuius rationes tam validæ ſunt, ut modernus *Averſa* quiſpiam, cùm in principio quæſtionis concluſionem earum reſpuiſſet, in fine complexus ſit illam, & has ipſas ex parte deſcripſerit tacito nomine Doctoris, addens doctrinam illam à S. Thoma approbari, ſeu indicari, ut ille loquitur, qui etiam ibidem Caietanum, & Fonſecam pro eadem citat. Aliqui etiam non valentes emphaſim earum evadere, negaverunt enti poſitivas paſſiones. Sedenim, ut ſuppono, hæc tabula quam arripuerunt, non ſufficit evadendo naufragio, nam primæ & ſupremæ paſſiones entis ſunt, quæ etiam ad alia omnia tranſeunt.

Tentaverunt Thomiſtæ aliquid ad hæc adferre, quod quoniam non multum gravitat, & ab aliis iam exploſum eſt, omitto impugnare. Placet tamen referre, nam ſe ipſo ruit: Dicunt *Peſqua* ergo propoſitiones per ſe converti; Itaque hæc apud ipſos erit per ſe: animal eſt homo; vel etiam iſta: omne animal eſt homo. Deinde dicunt ens tranſcendere omnia, & tamen eſſe quibuſdam æquale, ſcilicet paſſionibus; prædicari per ſe primo modo, non tamen ut ſuperius, puta per modum generis & differentiæ, aut quaſi differentiæ, & ſimilia improbabilia nimis. Ipſorum arma contra nos infra exponam. Nunc ſit

TERTIA PARS.

De incluſione entis in differẽtiis.

5. HAnc ſimiliter nego, & aio, ens noſtrũ non includi in iſtis, ſicut nec in præcedentibus, quod intelligo non ſolùm de numericis, ſed etiam de

de ſpecificis quibuſcunque, dummodo ultimæ, id eſt, abſtractæ ſint, idque ultimatè. Hæc etiam ſemper odioſa fuit Adverſ. Thomiſtis, & honori Scoto, qui etiam luculenter probavit eam loco jam citato, *dicens*: Primum, (videlicet de differentiis ultimis,) dupliciter probo, primò ſic: Si differentiæ includant ens univocè dictum de eis, & non ſunt omninò idem, ergo ſunt diverſa aliquid idem entia; talia ſunt propriè differentia ex 5. & 10. Metaph. ergo differentiæ illæ ultimæ propriè erunt differentes, ergo aliis differentiis differunt. Quòd illæ aliæ includant ens, arguitur de eis, ſicut de prioribus, & ita erit proceſſus in infinitum in differentiis, vel ſtabitur ad aliquas omnino non includentes ens quidditativè, quod eſt propoſitum, quia illæ ſolæ erunt ultimæ.

Secundò ſic: Sicut ens compoſitum in re componitur ex actu & potentia in re, ita conceptus compoſitus per ſe unus, componitur ex conceptu potentiali & actuali, ſive ex conceptu determinabili & determinante; ſicut igitur reſolutio entium compoſitorum ſtat ultimò ad ſimpliciter ſimplicia, ſcilicet ad actum ultimum, & potentiam ultimam, quæ ſunt primò diverſa, ita quod nihil unius includit aliquid alterius, alioquin hoc non eſſet primò actus, nec illud primò eſſet potentia; quod enim includit aliquid potentialitatis, non primò eſt actus, ita oportet in conceptibus omnem conceptum non ſimpliciter ſimplicem, & tamen per ſe unum, reſolvi in conceptum determinabilem & determinativum, ita quod iſta reſolutio ſtet ad conceptus ſimpliciter ſimplices, ſcilicet ad conceptum determinabilem tantùm, ita quod nihil determinans includat, & ad conceptum determinantem, qui ſcilicet non includat aliquem conceptum determinabilem; ille conceptus tantùm determinabilis eſt conceptus entis, & determinans tantùm eſt conceptus ultimæ differentiæ, ergo iſti erunt primò diverſi, ita quod unum nihil includat alterius, &c.

Hæc ille, quæ mirè vexant Thomiſtas, ut patet ex eorum effugiis & inventis: quæ quoniam non nocent argumentis, & iam ante me ſoluta ſunt ab aliis ac refutata, non proſequor: ſolum expendam quantum profecerit contra ea, Hurtadus, qui glorioſè iactat, ſe primi argumenti lumbos enervaſſe in Logica: quando putes? quando [inquit] probavi ab ultima differentia individuali confuſè cognita poſſe abſtrahi rationem communem ultimæ & individualis differentiæ; non tamen abſtrahi conceptum communem ab ultima clarè, & in ſingulari cognita ut ultima. Benè, optimè, tales ego lumbos, talem inimicum opto, qui negando concedit: quid enim prætendimus nos, quod ille non dedit. Itaque nimis mobilis fuit Maſtr. qui huic evaſioni nonnullam apparentiam conceſſit: & magis credendum eſt Complutenſibus, cæteroqui Thomiſtis, qui apud eundem primam illam Doct. rationem prorſus inſolubilem dixerunt in ſententia admittente unitatem & præſciſionem conceptus entis; revera enim evadi aliter non poteſt, ſicut nec aliqua ipſorum argumenta contra noſtros niſi dividendo ens in plura, propter quæ exiſtimo.

ULTIMA RESOLUTIO.

De incluſione entis in præmiſſis, &c.

6. Dicendum denique, quòd ens non ſit ad omnia univocum, ſed æquivocum ad completa, de quibus ſupra, ſcilicet Deum, creaturas, ſubſtantiam, accidens, & ad incompleta hæc, ſcilicet modos & paſſiones entis, &c. Hæc, niſi deſipio, eſt hujus rei ſapientia, quæ facit utraque unum, conciliat rationes Doctoris cum difficultate aliàs inſuperabili de incidentia horum in nihil. Non eſt opus eam perſuadere Thomiſtis aut Recent. qui non aliud expectant.

Probo ergo eam Scotiſtæ cuivis ad hominem ex Sco. Ecce enim eam in terminis ferè apud ipſum, ut mirum valde ſit, quid noſtros tranſverſim egerit, ne Doct. apertè huc euntem ſequerentur. *Quantum ad ſecundum articulum principalem, dico, quòd ex iſtis quatuor rationibus ſequitur, quum nihil poſſit eſſe communius ente, & ens non poſſit eſſe commune univocum dictum in quid de omnibus per ſe intelligibilibus, quia non de differentiis ultimis, nec de paſſionibus ſuis.* Ita ille 1. d. & q. 3. citat. Vides apud Scotum ens dici de his, at non univocè; quomodo ergo niſi æquivocè? quod etiam

Probo adhuc ratione, quæ ſemper moleſta fuit noſtris: Iſti enim modi & paſſiones entis, iſtæ differentiæ conſtitutivæ aliorum, non ſunt nihil, erunt ergo ens, quia apud noſtros, & ipſa re, quod excidit enti, incidit in nihilum: atqui certum eſt ex ſupra hactenus dictis, iſta non eſſe ens tranſcendens, quod imminet omnibus prædicamentis, & prædicatur in quid de rebus, erunt ergo aliud ens, atque ita datur aliud & aliud ens, quod eſt ens dici æquivocè, ut hæc tam diſparata ac diverſa poſſint omnia eſſe ens, & neutra alterum. Vis hujus argumenti tota ſtat in oppoſitione immediata entis ad nihilum, ita ut non ſit medium, ne in cogitatione quidem inter ea, quod noſtri omnes autumabant, propter quod arctiſſimè ſtringebat hæc fibula illos, & ipſi varia diverticula excogitârũt, ut videas fuſiſſimè apud ipſos, noviores præſertim. Atque ut palam fiat nihil illos profeciſſe, ponam hic ſolitam ſolutionem eorũ. Igitur cùm arguitur contra eos, quòd hæc non ſint nihil, concedunt; cùm deinde infertur, ergo ſunt entia, diſtinguunt; realiter concedunt, formaliter negant. Cùm inſtatur, quòd formaliter ſint entia, aut formaliter ſint non entia, propter recurrentem ſemper contradictoriã oppoſitionem, in qua non eſt dari medium. Reſpondent negando antecedens, quia nimirum illæ propoſitiones non contradicunt, nec in una negatur, quod in altera affirmatur. Et verò juvari poſſent illi advertendo, quòd hæ ſint duæ affirmativæ propoſitiones, neutra autem negativa, quod opus foret ad hoc ut contradicerent ſibi. Pon. 69. edit.

Sed lubet eos hac latebra extrudere, ne his frondibus verborum operiant aut excuſent ſuam fugam: Et ad formam argumenti præmitto hoc, quod eſt: differentiam, v. g. rationalitatem eſſe realiter ens, ſignificare ſecundùm ipſos, & verificari per hoc, quòd illa ſit realitas illius, cujus eſt, puta ſubſtantiæ, &c. Accipio ergo differentiam, prout diſtinguitur à ſubjecto ſuo, puta ſubſtantia, & de hac quæro, an ſit ens? Hic non poteſt illis ſuffragari, diſtinctio de realiter

&

Digitized by Google

& formaliter, quia accipio illam extra realitatem, quam ſepoſui interim ad partem. Sic ergo habent, quòd ſit nihil, quia ſic non eſt ens, eò quòd non ſit ens, niſi realiter, ſeu quatenus coincidit cum ſubjecto: at verò nemo non videt eſſe abſurdum, quòd ſic ſit nihil, quia tum res aliqua, puta ſubſtantia, conſtitueretur formaliter per nihil. Urgeo hunc diſcurſum, & ſimul eruo in lucem quandam latentem fallaciam Adverſariorum. Dicunt illi modos, &c. non eſſe entia formaliter, per quam particulam ſalvant contradictionem: ſed ego poſui Τὸ *formaliter* ex parte modi, & de hoc quæro, an formaliter ſumptus ſit ens? ſi non, erit nihil, ſi ſic, eſt intentum.

Pugno etiam aliter contra hos, & arguo ſpecialiter de differentiis: ſi enim differentiæ non ſint entia niſi realiter, tum nihil erit in rebus niſi ipſe ſimpliciſſimus gradus entis: Tum res omnes, ſubſtantiæ, accidentia, &c. erunt ejuſdem eſſentiæ & ſpeciei; quæ conſequentia ſtatim ſequitur ex priori; Probo ergo illam ſic: Homo, v. g. eſt animal, vivens, corpus, ſubſtantia, ens, tamen hæc omnia nihil reale ſunt, niſi ipſum ens. Ecce quomodo rationale, v.g. vel, ſi mavis, rationalitas nihil eſt reale, niſi animal, nam rationalitas non addit quidpiam reale animali, alioquin fateantur hoc Scotiſtæ. Tum verò eodem ductu rationis, animal nihil eſt, niſi vivens, quia ſenſitivum, quod eſt differentia animalis, nihil reale dicit, niſi quòd dicit ipſum vivens, & ideo dicitur eſſe realiter ens, quia eſt realiter vivens, adeoque tota realitas ejus eſt illa viventis, cui ipſa nihil reale addit. Vides hinc filum duci, & perveniri ad ens, quod ſolùm relinquitur rebus.

Confirmo rationem, quia actiones reales debent habere principium reale, ac non tantùm formalitates aut conceptus: atqui animal ut animal, vivens ut vivens habet actiones reales, puta ſentire, moveri, &c. ergo debent habere reale principium: atqui non poſſunt habere ſolùm ens, alioquin omnia eſſent viventia, ergo eſt aliquid reale in rebus præter ens; atque ita differentiæ non ideo ſunt quid reale, quia ſunt ens, ſed quia ipſæ addunt aliquam realitatem ei, adeoque ſunt realiter entia non tantùm realitate ejus, quod afficiunt, ſed etiam ſua. Deinde dicatur mihi, cur ex his duobus, animal & rationale, rationale erit ens, eò quòd ſit animal, ſive erit realiter ens, eò quòd coincidat cum animali: & animal non erit ens realiter ratione rationalitatis, ſive, eò quòd ſit idem cum rationalitate?

Denique ſic arguo: Accipio unum ex his, puta differentiam, & de illa in ſe, (non autem ut eſt realitas ſubjecti,) quæro utrùm ſit ens? an nihil? Si ens, vicimus, ſi nihil, ſequitur, quòd non ſit vera diſtinctio, aut doctrina Adverſ. qui dicunt, differentiam eſſe realiter ſubjectum: nam *nihil* non poteſt fieri reale aliquid, aut realiter. Extendo argumentum, & accipio differentiam in ſtatu poſſibilitatis; tum quæro, utrùm hæc ſeorſim ac ſecundùm ſe ſumptæ repugnet exiſtere, an non, Si repugnet, nunquam poterit fieri realiter aliquid; ſic enim exiſteret: Si non, erit ens, quia hæc eſt entis entitas ſive eſſentia, poſſe poni extra cauſas, ut aliquid realiter agere aut pati poſſit, quomodo ſupra explicavi. Atque hæ rationes ſunt objectiones, quæ contra excluſionem entis ab his modis, &c. fieri poſſunt, & omnino convincunt hæc eſſe verè entia non tantùm ratione alterius, ut volunt Scotiſtæ aliqui, ſed ratione ſui. Et quoniam non poſſunt includere ens illud dictum in quid, & directè imminens prædicamentis, dari debet alia ratio entis, quæ imbibatur in eis, quæ ad latera circumſtant, ut ſunt modi entis, & differentiæ inferiorum generum. Per quod evaditur illa importuna objectio Thomiſtarum de nihilo horū omnium ac ſingulorum, ſunt tamen aliqua contra hanc ipſam viam, quæ etiam objiciam mihi breviter, & reſolvam.

Dubia aliquot contra hanc viā.

7. PRimò opponi poteſt, quòd ſecundum genus entis in quale, quum diſtinguatur ab ente in quid dicto, vel includat ens, vel non includat: ſi ſic, jam quidditativè & eſſentialiter erit ens, & ita modus erit illud ens in quid, ac non tantùm quale; ſi non, tum erit nihil, quia ens *quid* eſt illud, quod opponitur nihilo. Dicet quis fortè etiam ens quale opponi nihilo: ſed tum ſequitur abſurdum, quòd ens quid, & ens quale conveniunt in hoc, quòd eſt eſſe aliquid in rerum natura à nihilo contradiſtinctum: ex quo ſequitur ens illud ſummum, imminens omnibus non eſſe ſupra omnia, ſed infra aliquod, & infra ens illud commune utrique. Reſpondeo, illud non includere ens quid in ſuo conceptu, ſed excludere potius, nec proinde ſtatim incidit in nihilum, quia ens etiam quale abeſt nihilo, & abeſſe facit eo. Ad rationem contra dico illos in hoc convenire, ſed æquivocè: ſi enim dico, illa æquivocè convenit in ente, utique dicturus ſum, quòd æquivocè conveniant in non nihilo, ſeu excluſione nihili, utique enim ſeipſis excludunt nihil. Quomodo autem perſuaderi poſſit hæc æquivocatio & convenientia in diſparatis? Soleo mihi proponere exemplum hujus, quod eſt ſervitus, v.g. ut comparatur ad duo iſta, ſervire, & ſerviri, in utroque enim audis ſervitutem, ſed planè diſparatam, ut nihil unius ſit in altera, ſed oppoſitum potius; ita hæc accipe de ente quid, & quali: & ne ſtomachari poſſint ulli hoc exemplum, cedo aliud Scotiſtis, quod eſt illis familiare de pluribus individuis, quæ apud ipſos ſunt primò diverſa, & tamen tam conveniunt in ratione indiviſibilis, quàm duo hæc in ratione entis.

Inſtari poteſt; ſi ens *quid* deſcendit per corpus prædicamenti, & ens quale per latus, quidquid ſit, an ens quid conveniat cum ente quali, ſaltem duo qualia, ſcilicet quæ ſunt ab utroque latere prædicamenti, & faciunt differentias hinc inde, veluti ramos arboris, hæc inquam, convenient inter ſe ſaltem in ente quali: Reſpondeo id negando, & exemplum jam datum eſſe de individuis.

Objicitur ſecundò, iterum hanc viam impingere in principia Scoti; ſic enim diſponendo ens, modi & paſſiones, &c. non erunt conceptus ſimpliciter ſimplices contra Scotum. Patet ſequela; quia quod eſſentialiter includit conceptum multis communem, & ipſum eſt ab illis multis differens, poteſt reſolvi in plures conceptus, & per conſequens non habet conceptum ſimpliciter ſimplicem, qui eſt irreſolubilis. Reſpondeo, etiam hoc expeditum eſt in præcedentibus: quæro enim ex obiicientibus, utrùm conceptus individui, puta Petri, aut perſonæ, ſit ſimpliciter ſimplex, nec ne? negare id, eſt contra Scotum: affirmare autem incidit

Digitized by Google

n hanc difficultatem de incluſione communis & particularis in ſimpliciter ſimplici. Itaque vides nodum eſſe eundem utrobique, neque hanc viam pati aliquid, ad quod expediendum non teneatur alius quilibet Scotiſta.

Objicies tertiò, ſic philoſophando poſſit quis tueri, quòd quodlibet genus includatur n ſuis differentiis, diſtinguendo v. g. in genere ubſtantiæ de ſubſtantia ut *quid*, & ut *quale*: & dicendo, quòd ſubſtantia primo modo conſiderata, excludatur à differentiis, ſed ſecundo modo includatur in illis: quum tamen nemo neſciat id eſſe contra principia Subtilis. Hæc m hi & aliis viſa ſunt, quæ aliquid facerent contra hanc diſtinctionem & incluſionem entis: ſedenim cætera jam ſoluta ſunt, hoc autem mirum eſt, quòd urgeatur, nam etiamſi dicam, ſubſtantiam illam in quale includi in differentiis, non propterea concedam genus includi in differentiis, quia illa non eſt genus, quum genus ſit in *quid*, illa autem in quale.

Sed inquies, in re ipſa quid dicturus es? Reſpondeo id videri perplexum, quòd ut quiſque videat, dabo rationes dubitandi: Videntur enim differentiæ generis ſubſtantiæ, puta corporeitas ac ſpiritualitas, &c. debere æquè eſſe ſubſtantiæ, ac differentiæ entis entia; quidni enim? Deinde etiam certum eſt omne conſtituens ſubſtantiam, eſſe ſubſtantiale, adeoque differentiæ, quæ ſunt intimæ ei. Ex altera tamen parte, ſi dixero illas includere *quale* ſubſtantiæ, quum jam dixerim, illas includere ens, non erunt illæ ultimæ differentiæ, non erunt conceptus ſimpliciter ſimplices, &c. adeoque. Quod hic propius accedit ad communem Metaphyſicam Scotiſtarum, eſt, differentias illas ſubſtantiæ eſſe proximè ſubſtantiales; non tamen per contractionem entis, ſed immediato conceptu & ſimplici. Cujus exemplum illis eſt illud ſupra ſæpè repetitum de individuo determinato, puta Petro, hoc enim involvit rationem individui, & rationem Petri, non per duos conceptus aut formalitates, ſed per unum ſimplicem. Ita ſimiliter

***

Tractant hæc DD.

VLtra Subtil. citat. Angelicus D. 1. *p. q.* 13. *& q.* 7. *de Potent. & q* 1. *de verit.* Aureol. 1. *d.* 2. *p.* 1. Gerard. *quodlib.* 1. *q.* 1. Apud eundem Ock. & Gabr. 1. *d.* 2. Gregor. *d* 8. Ferrar. 1. *cont. gent.* Fonſ. 4. *Metap. cap. & q.* 2. Caiet. *opuſc. de con ent.* Maſi. *l.* 1. *de Tranſc.* Ant. Andr. 4. *Metaph. q.* 1. Tromb *ib. q.* 2. Joan. Canon. 1. *Phiſ. q.* 3. Franſciſ. Mayr. *opuſc. de...* Flandr. 4. *Met. q.* 2. Raph. Averſ. *Tom.* 1. *phil. q.* 3. Franc. Suar. *diſp.* 2. *Metaph. c.* 31. *&* 39. Zimar *in Tab. verbo Ens.* Bonett. 1. *Metaph c.* 6. Pendas. *ibid. c.* 1. Ioan. Rada. *Tom.* 1. *controv.* 21. Fab *Theor.* 95. Meuriſ. *lib* 1. *rer. Metaph. q.* 8. Ioan. de Colon. *in qq. Scotic.* Scribon. Panthal. *p.* 1. *d.* 11. *q.* 4. Raccon. *tract.* 2. *Logic. q. & art.* 2. Camer. *p.* 3. *q.* 2. Hurt. *diſp.* 2. *Metaph.* Ponc. *diſp* 69. Ariad. Ovied. &c. hic.

APOLOGIA

Digitized by Google

APOLOGIA TERTIA

De Paſſionibus Entis.

ACTIO I.

Utrùm ens habeat veras & poſitivas paſſiones à ſe diſtinctas?

ACTIO II.

Utrùm unitas conſiſtat in poſitivo, an verò in aliqua negatione?

ACTIO III.

Quid ſit verus conceptus unitatis? & quomodo ſit diſtinctum & ſuperadditum enti?

ACTIO IV.

Quid ſit veritas altera paſſio entis?

ACTIO V.

Quomodo nihilominus poſſit veritas aſſignari enti in paſſionem; idemque de bonitate proportionabiliter.

ACTIO VI.

De Bonitate.
Quomodo ſuſtineri poſſit eſſe Paſſio?

Scot. 2. *d.* 16. *q. un. n.* 17.

ALia ſunt contenta in aliquo unitivè, quaſi poſteriora, quia quaſi paſſiones continentis, nec ſunt res aliæ ab ipſo continente: Iſto modo ens continet multas paſſiones, quæ non ſunt res aliæ ab ipſo ente, ut probat Ariſtoteles in principio 4. Metaph. Diſtinguuntur tamen ab invicem formaliter & quidditativè, & etiam ab ente, &c.

Idem 4. *Metaph. q.* 2. *n.* 13.

NOtandum, quòd hæc quæſtio de ente & uno habet tot difficultates: Prima, an unum dicat aliquid poſitivum? *Si ſic*: Secunda, an convertatur cum ente, &c. Quantum ad primum, habes ſupra q. 2. &c. confirmatur: Privatio nullam perfectionem ponit, unitas ponit, quod probatur, quia in quolibet perfectius eſt ipſum, quàm non ipſum; diviſio enim ubique notat imperfectionem, &c.

ACTIO I.

Vtrùm ens habeat veras ac poſitivas paſſiones à ſe ipſo diſtinctas?

Breviarium.

N. 1. *Poſſe ex Scoto defendi, quòd nulla ſint paſſiones entis.*

2. *Reſolvitur tamen eſſe aliquas, & probatur.*

3. *Argumenta aliqua proponuntur, & ſolvuntur in oppoſitum.*

4. *Argumenta ipſorum Adverſariorum propoſita, & ſoluta.*

1. FAteor in hoc puncto, difficilem eſſe Metaphyſicam noſtri Subtilis, quòd ſcilicet ens habeat veras & poſitivas paſſiones à ſe formaliter diſtinctas, atque etiam à ſe ipſis invicem; haſque eſſe tres illas vulgatas. Unum, Verum, Bonum; ſive, (ut mavis,) Unitatem, Veritatem, Bonitatem, quod ille ſæpè tradit tam in Philoſophia, quàm in Theologia. Si tamen quis vellet ad oppoſitum declinare, poſſet ſe fundare in Scoti tum authoritate, tum ratione. Ipſe enim 4. Metaph. ſum. 2. in explicatione cap. 2. cum Ariſtotele tenet, quòd *idem eſt unus homo, & homo, & ens homo*, ſcilicet ſynonyma, quibus idem ſæpè dicitur, adeoque jam unum & ens erunt indiſtincta; talia enim ſunt ſynonyma. Dices, ipſe explicat hoc de identitate reali unius cum ente. Tranſeat, ſed enim non poteſt explicare de identitate hominis cum ente, quia *homo*, & *ens homo*, ſunt ſynonyma, etiam formaliter, non enim dico aliquam formalitatem, quum dico, *ens homo*, quam non dico, quum dico, *homo*. Verum eſt me explicatius dicere id-

 ipſum

Digitized by Google

ipſum una viâ quàm alia; ita ſimiliter hic. Deinde Doct. ut infrà videbimus, cenſet unitatem numericam eſſe poſitivum quid ſuperadditum, non vero negationem, quia incommunicabilitas ejus non poteſt immediatè à natura ipſa phyſica oriri: Dicatur autem, cur non poſſit indiviſibilitas entis, ab ipſo ente ſeu entitate ejus provenire? Nihilominus, quia tam apertè ille docuit poſitivas paſſiones entis

Dicendum erit reſolutivè, quòd ens tales habeat. In 2. d. 16. q. unic. *Iſto modo ens continet multas paſſiones, quæ non ſunt res alia ab ipſo ente: diſtinguuntur tamen ab invicem formaliter, & etiam ab ipſo ente;* idemque probat argumentis factis in primo citato, unde ejus verba protulimus, atque etiam q. 21. de Anim. ubi ſeipſum deſcribit ex primo; & denique in hoc loco 4 Metaph. illa cautela de alietate reali ſatis explicat, quomodo ille ſartam tectamque velit hanc diſtinctionem formalem paſſionum ab ente.

Potiſſima ratio pro his paſſionibus apud noſtros eſt, quòd aliàs Metaphyſica non eſſet ſcientia, quia non demonſtraret paſſiones de ſuo ſubjecto, puta de ente, quum ens nullas habeat. Optarem valere argumentum, ſed timeo ei; nam ſi cui placeret recolere, quæ de ipſa Metaphyſica & ejus objecto diximus, videret hoc eſſe ſpecioſum magis, quàm ſolidum; non enim ens eſt objectum conſiderationis Metaphyſicæ in ſe ipſo, ſed objectum prædicationis tantùm; conſiderantur enim à Metaphyſica, ſubſtantia, accidens, & aliæ partes ſubjectivæ entis, pro quibus ipſum ſupponit, quando dicitur eſſe objectum Metaphyſicæ. Quia tamen ipſum ens in ſe eſt objectum non minus quàm alia, intelligò ſuppoſitione ſimplici, ac non tantùm ſuppoſitione perſonali; quinimò paulò magis, quàm unum ex aliis, proinde facit aliquid hoc argumentum, quia cætera ſine ente non ſunt objectum, adeoque niſi demonſtret de ente, non demonſtrat nec tractat ſufficienter objectum.

Arguo ſecundò aliter, quia aliæ eſſentiæ habent ſingulæ ſuas paſſiones, ergo & prima eſſentia quæ eſt ens. Nec refert, ſi dicas, hoc eſſe quid ſimplex, reliqua autem complexa; nam in primis hoc facit ens non poſſe habere paſſionem complexam, ſed ſimplicem: Deinde D. Deus eſt ſummè ſimplex, & quidem magis quàm ens, & tamen habet ſuas paſſiones ſeu attributa, quod idem eſt; non enim admitto novitatem recentium, qui proprietates indiſtinctas realiter vocant attributa, diſtinctas autem vocant paſſiones, cur enim? qua Grammatica?

Tertiò arguo ſic: In qualibet ſubſtantia cognoſcitiva, facultas ipſa cognitiva diſtinguitur ab appetitiva, quod eſt dicere, intellectus à voluntate, loquendo de ſpiritualibus agentibus, & cum proportione, in aliis non ſpiritualibus, appetitus ſenſitivus diſtinguitur ab imaginativa, &c. unde infero, ergo in rebus diſtinguitur veritas à bonitate: probo conſequentiam, quia diſtinctio potentiarum reſpondet diſtinctioni objectorum, & proinde debent eſſe potentiæ diverſæ, quia objecta ſunt diverſa, adeoque prior eſt diſtinctio objectorum, quàm potentiarum; Si ergo potentia cognitiva ſcilicet intellectus in agentibus diſtinguitur formaliter à potentia appetitiva, ſcilicet voluntate, à fortiori quod reſpondet potentiæ cognitivæ ſcilicet veritas diſtinguitur ab eo, quod reſpondet volitivæ ſcilicet à bonitate. Hæc habui, quæ adferrem pro communi doctrina noſtratum de diſtinctione paſſionum entis ab ipſo: nunc adferam, quæ pro oppoſito ſuffragantur.

3. Primum ſit domeſticum illud de negatione indiviſibilitatis, in qua conſiſtit unitas, ut ſonat; hæc autem negatio, quoniam eſt per repugnantiam, debet ab aliquo poſitivo provenire, ut arguit Doctor ſuo loco in materia de principio individuationis. Dicatur autem mihi, cur ipſum ens non poſſit eſſe poſitivum illud, à quo oritur hæc negatio? unde formari aliter poteſt argumentum ſic: Fruſtrà multiplicantur entia, quum intentum haberi poteſt ſine multis: atqui negatio diviſibilitatis v.g. in qua conſiſtit unitas, poteſt ſine alio ullo præter ipſum poſitivum entis haberi, ergo. Hoc non ſolvo, tum quia eſt de particulari paſſione tantùm, non verò de omnibus in univerſum; tum quia ſpectat ad quæſtionem de unitate, quum etiam tactum ſit ſupra.

Objicio ergo ſecundò ſic: Abjiciamus omnia ſuperaddita etiam formaliter enti: quæro, num ens erit unum? erit verum? erit bonum? an non? ſi ſic, tam unitas, veritas, &c. non erunt ſuperaddita enti, ſed ipſum: ſi non, tum (incipiendo à prima) ens illud erit multa; inter hæc enim, ſcilicet inter unum & multa, non eſt medium, niſi nihil. Tum verò ſequitur adhuc intentum; nam ſi ens illud ſit multa, certè erit unum imo multoties unum, nam multitudo non eſt aliud, niſi plures unitates, ergo. Idem ſimiliter intonari poteſt de veritate & bonitate, ut cuicunque liquet, adeoque. In hac re, & ſimilibus, optarem à Scotiſtis noſtris teneri, quod Scotus de mente ſua tradidit, & quod ipſe per traditionem ab aliis accepit; iſtæc enim non tam aſſeruit, quàm ſuppoſuit; & ex iis videtur, hæc multiplicitas paſſionum ac formalitatum in ente. Sed denique eundum eſt qua itur, quando non itur qua eundum: unde ego cum turba dico unitatem diſtingui: Ad quod ſuadendum contra recentes facilè armor, nam ratio ipſis æquè ſolvenda eſt, quia ſi quid valet, (valet autem aliquid,) probat, nec ratione diſtingui ab ente unitatem, ut patet applicanti; nam ſumendo ens ut ratione diſtinctum à paſſionibus, vel eſt unum, vel multa, &c. ut ibi: Et tamen illi diſtinguunt ratione; poſſumus ergo nos diſtinguere ea formalitate, quod ſufficit hic dixiſſe, ut audias quid

4. Objiciunt ipſimet: Paſſio illa, quæcunque ſuperaddita enti, neceſſariò debet eſſe ens, ſi ſit formaliter diſtinctum, aliàs non erit formalitas, nam ſic erit aliquid, quòd autem eſt aliquid, utique eſt ens, quia quod eſt aliquid, non eſt nihil, quod autem non eſt nihil, eſt ens, quum hæc duo contradicant. At verò ponere ens pro paſſione ſui, videtur ridiculum, tum quia ſic aliquid idem erit pluries ens: tum quia non magis paſſio erit conſequens ad ſubjectum, quàm ſubjectum ad paſſionem, &c. quæ Adv. communiter murmurant, ſed fruſtra diſpoſitis principiis, ut à me hactenus factum: Dico enim paſſionem eſſe aliquid, & ita ens aliquo modo: at non ens illud in *quid*, quod eſt ſubjectum, ſed ens *quo*; & aliquid illius: quemadmodum differentiæ à lateribus poſitæ, non recipiunt prædicationem generis intermedii. Rectè dicas: homo eſt riſibilis, at non æquè: riſibile eſt homo: ita patet aliud eſſe ens illud quid directè

descendens

Digitized by Google

deſcendens in genera prædicamenti, & aliud illa annexa ac lateralia.

Contra tamen adhuc inſtari poteſt, quòd ens illud quale, eſt etiam unum; habebit ergo paſſionem, quæ eſt unitas: de hac jam quæram, utrùm ſit ens quale, an ens illud quid? Primum ſi reſpondeas, patieris totam difficultatem jam poſitam, quod idem ſit paſſio ſui, &c. ſecundum autem eſt adhuc abſurdius, quia ſic ſubjectum redibit paſſioni ſuæ paſſio, unde denique ſequetur proceſſus infinitus ſubjectorum, paſſionum, &c. ergo. Dicendum nihilominus, unitatem illam eſſe unam, ſed ſe ipſa, eò quòd ſit unitas, cujus effectus formalis incipit ab ipſa, quomodo aliarum omnium formarum ab ipſis. Deinde dicere poſſem illam eſſe unam, ut quo, non verò ut quod; neque opus eſſe quodlibet eſſe aliter unum, ſed ſolùm compoſitum, quod eſt abſolutè ens, & abſolutè proinde unum: v. g. homo eſt verè unus, ſed unitas hominis, riſibilitas, & aliæ formalitates ejus, ſicut non ſunt abſolutè entia ſed entis, ita nec ſunt una, ſed unius.

Objicio adhuc ipſe ſic: Paſſiones disjunctæ entis non ſuperaddunt ei novas formalitates, cur ergo ſuperaddent paſſiones ſimplices, quum illæ plus dicant, quia conſtant duobus, ut vides: v. g. Idem & diverſum, neceſſarium, vel contingens, &c. Antecedens hujus ſuadetur, quia ſic infinitæ ferè formalitates, & quidem impertinentes multiplicandæ erunt: v. g. ens ut ſic, eſt ſic ſimplex vel compoſitum, ſimplex vel nihil, vel lapis, ita enim poſſunt fieri infinitæ combinationes cum quolibet uno prædicato conveniente enti, ridiculum eſt autem ad ſingula hæc multiplicare formalitates in ente, ergo. Nego huic conſequentiam, & dico in antecedente erratum eſſe, nam disjuncta illa, quæ apparent, non ſunt propriè paſſiones entis, ſed enumeratio differentiarum aut modorum contrahentium ipſum: vides id apertè in illo disjuncto: neceſſarium & contingens: vides item in alio illo: finitum, & infinitum, &c. Poſſunt quidem eſſe paſſiones in disjunctis, ſed una tantùm in quolibet; ut ſi dicam unum & multa, ibi unitas eſt paſſio, & ita disjunctum continet paſſionem, ſed ratione ſimplicis annexi: patet ergo, quid dicendum ad formam argumenti: ut ſit

---

ACTIO II.

Vtrùm unitas conſiſtat in poſitivo, an verò in aliqua negatione?

Breviarium.

N. 1. *Expoſita controverſia.*
2. *Vnitatem in poſitivo conſiſtere reſolvitur & probatur.*
3. *Aliæ probationes adferuntur, & defenduntur: Vbi de ſimplici negatione, & alia, quæ eſt per repugnantiam.*
4. *Objectiones contrariæ ſolvuntur. Multitudo quomodo opponitur unitati?*

1. RESolutio hujus abſtrahit à controverſia Actionis præcedentis, nam quamvis dicatur conſiſtere in poſitivo, poteſt illud poſitivum eſſe ipſum ens quantum ad præſentem difficultatem. Orta eſt autem quæſtio ex eo, quòd unum deſcribatur, eſſe indiviſum à ſe; an hæc indiviſio aut indiviſibilitas, ut voles, ſit ipſa negatio quæ ſonat, an verò poſitivum aliquid, à quo ipſa emanat? Negationem defendit D. Thom. 1. p. q. 11. art. 1. ut referunt ſui, quos longiſſima ſerie deſcribunt Averſ. & Maſtr. hic: Poſitivum placuit Subtili ſæpè. & poſt ipſum ſuis, quos videas apud jam citatos: nec ſolùm ſententiam, ſed etiam rationes à Scoto ſumpſerunt ſequaces. Nobis animus eſt augere patrimonium ad nos tranſmiſſum: unde

Pono & probo concluſionem, quòd unitas conſiſtat in poſitivo. Certum eſt, multitudinem conſiſtere in poſitivo; atqui non poteſt multitudo conſiſtere in poſitivo, niſi etiam unitas conſiſtat, ergo. Majorem probo pluries, quia in ea eſt vis argumenti; Primo ſic, quia in oppoſita via ſequeretur, quòd qui diceret plures non diceret plus: id autem in terminis repugnare videtur. Sequelam probo, quia plures non addunt uni, niſi negationes ſeu nihila: at verò negatio pluries, imò ſæpiſſimè ſumpta, ſemper reddit nihil, non verò quidpiam amplius, ut fert regula Arithmeticorum; cujus contrarium eſt in omni poſitivo, quantumvis minimo, quia hoc multiplicatum auget præcedens, ergo.

Probo eandem ſecundò, quia numerus eſt aliquid poſitivum, idem autem eſt numerus & multitudo, ergo. Probatio hujus aſſumpti eſt, quòd numerus ſit objectum ſcientiæ, ſcilicet Arithmeticæ; & ſi quæ de hoc ſit controverſia, eſt perinde, quia controvertitur, an numerus ſit ens per ſe, non verò, an ſit ens reale. Dicet aliquis, doctrinam illam de realitate numeri currere de numero quantitativo, ſed malè: primò, quia non juvat cauſam ejus, nulla enim eſt ratio, cur numerus quantitativus ſit poſitivus & non alius, non enim differt quantitas ab aliis rebus per eſſe poſitivum, ſed per eſſe corporeum, adeoque ſequetur tantùm, quòd numerus quantitativus ſit materialis, alius non: Secundò, quia numerus ſonorus eſt poſitivus, eſt objectum ſcientiæ, & tamen non eſt quantitatis, ſed qualitatis; non fit ex diviſione continui, ut vult Ariſtoteles, ergo.

2. Probo ſecundò principaliter intentum; quia negatio illa, in qua volunt Adverſarii conſiſtere unitatem, vel ſe ipſa ſequitur ſubjectum, puta ens, vel ineſt mediante aliquo poſitivo priori: ſi ſe ipſa ſine alia cauſa inferente ineſt, jam poteſt abeſſe, ſicut negatio lucis in aëre,

&c

& albedinis in muro, ac ſimilium; quæ quia non habent radicem connaturalem in ſuo ſubiecto, poſſunt æquè bene abeſſe & deeſſe: atqui id falſum eſt de uno reſpectu entis; non enim poteſt quidpiam eſſe res, & non eſſe una: ergo iam alterum eſt arripiendum, ſcilicet, quòd unitas ſtet in poſitivo aliquo priori quod erat probandum.

Dices id non fuiſſe probandum, nec facere ſatis: probat enim unitatem exigere poſitivum, non autem conſiſtere in ipſo: Audio & dico plus probare; nam unitas eſt id, ratione cuius repugnat rei dividi; at verò id eſt poſitivum, nam ſola negatio non facit repugnantiam in ſubiecto; non enim repugnat aëri lux, licèt habeat carentiam lucis, nec parieti albedo, licèt iam non ſit albus, aut etiam ſit non albus.

Inſtabis fortè, repugnare per ipſam negationem, nam ſtante ea, non poteſt inſerri forma oppoſita ſubiecto. Reſpondeo, id non refert, nam adhuc verum eſt, quod forma illa abſolutè non repugnet ſubiecto, at verò abſolutè repugnat uni dividi, quamdiu ipſum eſt. ac non tantum quamdiu ineſt ei ulla forma ſeparabilis, adeoque.

Tertiò ſic: Nulla negatio poteſt intendi aut remitti; unitas poteſt, ergo hæc non eſt negatio. Probatio maioris in promptu eſt, quia nimirum aut tollitur forma aliqua, aut non tollitur: ſi tollitur tota, non poteſt plus eius auferri ſi non tollitur, iam non eſt poſita negatio: probatio minoris, quia genus eſt minus unum quàm ſpecies, & hæc quam individuum. Probant aliqui, quia ſimplex eſt magis unum quàm compoſitum, & indiviſibile quam diviſibile: ſed non auſim promittere huic probationi ſecuritatem, nam unitas non dicit indiviſibilitatem, ſed indiviſum eſſe; at verò compoſitus tam eſt indiviſus quàm ſimplex, licèt non ſit iam indiviſibilis: Et poſſumus ſic arguere, aut eſſe indiviſum ſufficit ad unum, aut non ſufficit; ſi ſufficit, certè ſimplex & compoſitum erunt æquè una, quia ſunt paria in hoc, quod eſt eſſe indiviſum: ſi non ſufficit, tum ſanè nullum compoſitum poterit eſſe unum, neque eſſentiale ut animal, neque integrale ut linea, quia nullum horum poteſt eſſe indiviſibile.

Subit etiam ſic arguere ad probationem principalis concluſionis: ſi unitas conſiſtit in negatione, tum oppoſitum unitatis debet conſiſtere in affirmatione ſeu in poſitivo: atqui ita non eſt, ergo neque etiam ita eſt, quod unitas conſiſtat in negativo. Sequela maioris patet, quia privatio non opponitur niſi poſitivo, neque datur negatio negationis. Probo ergo ſubſumptum, nam quod ſupponitur eſſe oppoſitum unius & eſſe poſitivum, non eſt oppoſitum eius, ſcilicet multitudo; hæc enim non ſufficit ſolutioni hic; quia licèt ſit poſitiva, tamen non eſt oppoſitum privativè unitati, eo quod in ipſa multitudine inveniatur unitas: at vero intra unum oppoſitorum privativè non invenitur alterum, quum alterum ſit extinctio prioris, ergo.

Diceret forte quis inveniri unitatem in multitudine, at non ſolam, & in illa ſolitudine negotium eſſe ſitum. Sed contra: quia negatio aliorum poteſt eſſe ſine unitate, ſi enim deſtruantur res omnes, tum erit negatio aliorum ſine dubio, & tamen non erit unitas, quia nec entitas. Deinde ſolitudo illa non negat eſſe aliorum, ſed ſimultatem, nam poteſt quis eſſe ſolus licèt ſint alii etiam, dummodo non ſint cum ipſo.

Unde etiam poteſt fortius formari argumentum in hunc modum: Multitudo eſt quid poſitivum, ergo unitas: valet conſequentia, quia multitudo componitur ex unitatibus: ſi ergo hæc eſt poſitivum, & illa erit, non enim poteſt totum eſſe poſitivum, cujus omnes & ſingulæ partes ſunt negativæ. Antecedens autem eſt ipſorum. Confirmo & urgeo: Multitudo & paucitas non differunt aliqua negatione, neque exponuntur contradictoriè, ergo nec multitudo & unitas: ratio conſequentiæ, quia multitudo fit paucitas detrahendo unitatem: v. g. tres cenſentur multi, unus vel duo pauci, atqui tres ſupra duos non addunt niſi unitatem, ergò. Explico ſic argumentum; multitudo non differt à paucis per nihil, aut per non habere, ſed per aliquid, & per habitum; demus enim oppoſitionem eorum eſſe contradictoriam, tamen poſitivum debet eſſe ex parte multitudinis; hinc autem ſequitur ut ſupra hac ratione, atque etiam prima ratione deductum eſt, ergo. Itaque hoc ſolidè ſtare debet, quòd unitas ſit quid poſitivum, ſive deinde ſit poſitivum ſuperadditum enti, ſive poſitivum, quod eſt ipſum ens, quod fateor non eſſe æquè certum: ſed audiamus Adverſ.

4. Objiciunt autem ipſi, & volunt unitatem eſſe negationem: cujus rei credas? multitudinis, inquiunt, ſeu pluralitatis? Pluralitas & multitudo realis non eſt carentia, imò eſt repetitio unitatum, unitas autem eſt carentia illarum unitatum, unde ad conſtituendam multitudinem non debet auferri, ſed poni potius entitas; ad conſtituendam unitatem debet auferri, & quò plus additur, eò major redditur pluralitas, & quò plus aufertur, eò redditur minor, ergo jam pluralitas eſt quid poſitivum, & conſequenter unitas, quæ eſt carentia ejus, erit negatio. Hoc eſt, quod decepit Adverſ. putaverunt enim unitatem & multitudinem opponi privativè aut contradictoriè, quod falſum eſt; & quamvis verum, non ſufficeret: Dem enim tibi oppoſitionem horum eſſe contradictoriam, quis definivit Adverſario, poſitivum eſſe ex parte multitudinis? ego enim prætendam illud eſſe ex parte unitatis, & adhuc æquali jure certo. Argumentum etiam adductum non probat, poſitivum non eſſe ex parte unitatis, ſed minus ex parte ejus, quàm ex parte multitudinis: ſcimus autem illa, quæ differunt ſicut magis & minus eſſe ejuſdem eſſentiæ. Nego ergo hæc privativè opponi, nego contradictoriè, ſed contrariè aut quaſi contrariè, ſicut qualitas remiſſa intenſæ, quarum utramque conſtat eſſe poſitivum.

Obiiciunt iterum: Diviſum & indiviſum opponuntur contradictoriè, adeoque unum ex illis erit poſitivum: quòd autem τὸ diviſum poſitivum ſit, & ita unitati, quæ eſt indiviſum relinquitur negatio, ſic probant: Ex duobus contradictoriis unum debet convenire cuilibet independenter ab intellectu, etiam chymeræ: atqui de chymera non eſt verum dicere quòd ſit realiter diviſa, ut patet, erit ergo verum quòd realiter non ſit diviſa: Tum ſic, certum eſt omne prædicatum conveniens chymeræ eſſe negativum, ergo iam

in-

Digitized by Google

indiviſio eſt quid negativum. Reſpondeo, mirum eſt quod quidam patiantur ſe abripi à ſolida veritate per ſummuliſticam commiſſuram terminorum : potuit autem Ariaga facile ſi vellet videre ſe non attuliſſe huc perfectam contradictionem ; non enim talia ſunt realiter eſſe diviſum, & realiter non eſſe diviſum ; quia nimirum ab utrâque parte eſt realitas , atque ita neutra pars eſt pura negatio aut nihil. Patebit autem argumentum nihil efficere ſi accipiamus vera contradictoria, quæ ſunt iſta : eſſe realiter diviſum : non eſſe realiter diviſum : ex quibus ſecundum hoc competit chymeræ ; illa enim non eſt realiter diviſa, quia nec realiter eſt.

Dices hinc ipſum haberi intentum , jam enim non diviſum eſt negativum atque ita uni Reſpondeo , nondum definivi unitatem cor ſtere in indiviſione : Reſpondeo negationi diviſionis realis utique eſſe negativum quid , nihilum , at vero an ipſa diviſio ſit reale quid, proinde proprie dicatur diviſio realis, adhuc judice litigari. Alias autem de chymærâ pot verificari diviſionem , nam chymæra ſuo mo eſt diviſa à rebus : v. g. ab homine & mont quum homo non ſit chymæra , neque mons ſ non ergo chymæra eſt indiviſa aut indiſtincta homine. Confirmo, quia argumentum hoc pr baret chymæram non eſſe diſtinctam ab homin ut vides ſtatim, quod tamen eſt falſum, ergo.

ACTIO III.

Quis ſit verus conceptus unitatis ? & quomodo ſit quid diſtinctum, ac ſuperadditum Enti ?

Breviarium.

N. 1. *Definitio unitatis per indiviſionem & diviſionem, reprobatur.*
2. *Expenditur alia per negationem multitudinis.*
3. *Verus conceptus unitatis eſt eſſe principium numeri.*
4. *Objiciuntur huic aliqua & ſolvuntur.*
5. *Unum de mente Scoti non eſt quid ſuperadditum enti.*
6. *Ratio etiam id ſuadet : ubi Reſpondetur ratio in oppoſitum.*

1. HActenus id actum eſt ut probaretur unitas non eſſe negatio, ſed poſitivum quid, atque ita actum eſt potius de entitate quam de formalitate , ac proinde eam hic reſolvere libet. Communiter tenetur illa conſiſtere in indiviſibilitate ; ita enim definitur paſſim unum, eſſe indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet alio.

Non placet definitio ; quia poſſum exhibere aliquid diviſum in ſe & tamen unum : manus enim hominis, eſt diviſa in quinque digitos, realiter diſtinctos ac ſeparatos, & tamen eſt una manus, & quia hoc fortè non ſatisfaciet, eo quod digiti illi uniantur quaſi in trunco in palmâ manus, adfero aliud , qui eſt numerus ternarius ; hujus enim partes plane ſunt ſeparatæ , & in nullo unitæ, & tamen ternarius eſt numerus unus, trinitas una, non vero plures.

Ab hoc poſſit quis ſtatim ſe expedire, dicendo quod definiatur unitas indiviſa à ſe, non vero indiviſa in ſe : ſed non evadit ; nam, ut omittam quod ſupponatur falſum, ſcilicet poſſe aliquid dividi à ſe, (unde unitas dicit actum indiviſionis, quaſi impediens contrarium actum qui alias contingeret :) præter hoc inquam , contra dictam viam facit hæc ratio : quod eſſe indiviſum à ſe provenit ab identitate, & per ipſam præſtatur: at vero non ſunt omnino idipſum unitas & identitas, nam idem opponitur diverſo ; unum autem opponitur pluribus. Urgeo, poteſt quid deſinere eſſe idem & tamen non deſinere eſſe unum, uxor Loth converſa in ſtatuam non fuit eadem ante & poſt converſionem , & tamen utrobique fuit una.

Alii ergo ponunt unitatem in negatione multitudinis ; & ſane quoad hoc, ni fallor, conſul tius : nam vix habeo contra eos aliud præter di cta, ſive ultra ea argumenta quæ perſuadent uni tatem non eſſe omnino negationem, deberet enin omnino poni in aliquo quod tollat multitudi nem, nam nihil debet definiri per poſterius, ſi cut nec poteſt conſtitui per ipſum ; ſed quodlibe conſtituendum, & definiendum eſt, ſicut etian demonſtrandum eſt per priora. Placeret hæc ratio niſi faceret contra meam viam quam ſtatim adferam ; ſed etiam differam examen ejus eò nunc aliter ſuadeo intentum ; quia nihil non eſ multitudo , nec tamen eſt unum , ergo non eſ idem eſſe unum , & non eſſe multa : major eſ evidens : minor ſuadetur quia non eſt ens ; unitas enim, ut ſupponitur inter nos hinc indè , eſ paſſio entis.

3. Dicendum ergo mihi videtur pro nunc quod unitas ſit principium numeri : hoc eſ propriiſſimum conceptum, quem nos poſſumus formare de unitate eſſe, quod illa ſit principium numeri. Hanc colligo fere abſolutè ex noſtro Subtil. 4. Metaph. q. 2. ubi : *notandum* (inquit) *quod eiuſdem non ſunt duæ unitates , ergo in quocunque eſt unitas , quæ eſt principium numeri, in illâ non differt realiter ab unitate convertibili cum ente, &c.* Quo loco, quum hoc tantum diſcrimen ponat quod unitas ut ſic non eſt limitata, quæ eſt principium numeri eſt limitata ; planè quomodo dicimus de ente ut ſic quod in creatis debet eſſe limitatum, & nihilominus ſecundum Scotum eſt univocum Deo & creaturis. Perſuaſi mihi hanc primò, quia hic conceptus eſt poſitivus. Deinde quia eſt maximè proprius ex omnibus qui occurrunt : Alias probationes non quæram , contentus refutationibus aliarum ſententiarum, & ſolutionibus objectionum quæ ſequuntur.

Digitized by Google

Prima eſt illa quam jam ſupra poſui contra aliam viam ſupra: quod ſcilicet ſic deſcribatur unitas per poſterius. Reſpondeo, hoc efficiet fortaſſis ne iſta ſit perfectiſſima deſcriptio abſolute; non efficiet ne ſit quod dixi perfectiſſima ex iis, quas nos ei poſſumus aſſignare. Deinde exhibeo ſic arguentibus aliquas definitiones tales quas ipſi approbant: nam Materiam primam definiunt per compoſitum, aut ſaltem per formam, quum tamen tam forma quam compoſitum ſint poſteriora ipſa. Principium & cauſam definiunt per effectus, & denique partem per totum.

Objicio etiam ſecundò: In ſententia componente continuum ex indiviſibilibus punctum eſt principium quanti; non tamen definitur per hoc ne ab ipſis quidem qui hanc compoſitionem tuentur, ergo nec licuit ſic definire unitatem, quod ſcilicet ſit principium numeri. Reſpondeo in illâ ſententia benè ſic deſcriberetur punctum: (unde etiam uſurus eram hac ratione pro meo intento:) quod autem ita non fiat, cauſa videtur eſſe, quod in tractatu de Continuo, & concurrentibus ad ipſum utendum fuit definitionibus, quas utraque pars admitteret, alioquin non in ſola concluſione diſſentirent, ſed etiam in principiis.

Objicio tertio: ſi unitas bene diceretur eſſe principium numeri, tum Deus non eſſet unus, quum tamen ille ſit ſummè unus ſuper cætera omnia; ſequela patet, quia non poteſt dari numerus. Deorum, adeoque nec dari unitas ſeu principium illius numeri: nam minimus numerus eſt binarius, & tamen non poſſunt eſſe Dii nec duo quidem, & ita jam non poteſt dari principium reale ejus, non enim poteſt dari realiter principium alicujus impoſſibilis, alias illud non eſſet abſolute impoſſibile, cum jam aliquid ejus ſit poſſibile. Reſpondeo negando ſequelam, & ad probationes omnes dico inprimis, quod ruant: quoniam etſi Deus non poſſit numerum facere cum alio Deo, eo quod alius non ſit, tamen poteſt facere cum creatura; ſic enim dicitur primum ens, utique reſpectu ſecundi & poſterioris: Et ſine dubio Deus non eſt idem cum creatura, adeoque erit aliud, & ita ambo, duæ res erunt. Sed quia hoc ipſum non eſt tam propriè dictum, & Doct. non videtur id approbare: ſecundò dico unitatem eſſe principium numeri adhuc, licet reliquum illius ſit impoſſibile, idque bene poſſe fieri, quia non eſt neceſſe ut omnes partes impoſſibilis ſint impoſſibiles: Impoſſibile eſt aliquid quod ſit homo & hircus, homo & chymera: & tamen homo qui eſt pars hujus impoſſibilis eſt poſſibilis: Imo in priori exemplo omnes partes totius impoſſibilis ſunt poſſibiles.

5. Jam ad alterum punctum: utrum unitas ſit formalitas propria, & ſuperaddita enti? equidem niſi viderem Doctorem ab affirmativa parte eſſe, non affirmarem, propter ea quæ ſupra tetigi, & alia. Adeo videndum eſt num ille hic hæreat in affirmativâ parte conſtanter ut putatur; non credo equidem, & adhuc ipſummet adduco, aut approbantem oppoſitum, aut certe dubitantem de iſtâ parte: nam quodlibet 2.n.7. dicit in ſuo diſcurſu, & in margine tanquam mens ejus annotatur, quod *nihil habeat ſuam unitatem ab aliquo ſe poſteriori*: Scotiſtæ dicunt hanc ſuam formalitatem eſſe poſteriorem ente, ergo jam ens ab illâ non poteſt habere unitatem. Sed luculentius 2. diſt.q.1. oſtendit ſe non adeo approbare hanc diſtinctionem unitatis, & entitatis: ipſum exſcribo. *Reſpondeo* (inquit) *in ente communi unitas vel idem eſt quod ens, vel eſt paſſio immediata conſequens ens, & ideo non poteſt demonſtrari de ente; quia ſi demonſtraretur, aut hoc eſſet ex definitione ſubjecti, ſcilicet entis vel unius: ſed iſta ſunt transcendentia, & non habent definitiones, &c.* Audiant Scotiſtæ qui tam animosè jactant oppoſitum tanquam mentem Scoti, quum hæc opera à me citata ab ipſis præ cæteris adorentur; ſcilicet ſententiæ & quodlibeta.

Attuli etiam rationem aliquam hujus ſupra: quod ſcilicet ens licet decorticatum & nudatum ab illâ paſſione ſuperadditâ adhuc eſſet unum; non enim multa, non enim nihil. Quam rationem quùm deſcripſiſſet Poncius noſter ſub aliis terminis, quod ſcilicet tunc deberet habere partes diviſas, aut partes indiviſas; non diviſas, adeoque indiviſas: atque ita unum: reſpondit, (ni fallor) male, quod ſcilicet haberet partes diviſas & indiviſas; iſta enim contradictio eſt indiſpenſabilis, quia una pars deſtruit aliam, neque eſt quod ille putet ſibi omnia licere poſito illo caſu; nam caſus non eſt tam impoſſibilis, ſed illimet etiam ſuo modo admittendus; nam licet non poſſit ſeparari unitas ab ente realiter, poteſt formaliter, & poteſt per intellectum. Tum autem quæro, utrum ens ſit unum, an multa formaliter? redit in anguſtias ille, nec evadet niſi admittendo emphaſin rationis in argumento poſitæ.

Addo hanc alteram probationem: Impoſſibile eſt aliquid reddi unum per id quo ſit multa, ſeu per id cum quo facit numerum: ſed ens facit numerum ſeu facit multa cum illa formalitate quam tu addis, ergo non poteſt per illam fieri unum. Minor oſtenditur, quia ens & illa unitas ſunt duæ formalitates apud te; aut certe nega mecum unitatem eſſe novam formalitatem, & evaſiſti.

(****)

ACTIO

ACTIO IV.

Quid ſit Veritas altera paſſio Entis.

Breviarium.

N. 1. *Apparatus ad reſolutionem: Mens Doct. noſtri Subtilis.*
2. *Veritas eſt integritas & ſoliditas eorum quibus quaque res debet conſtare?*
3. *Objicitur in contrarium, & reſpondetur Veritas propoſitionis an hinc excipienda?*
4. *Veritas non eſt verè paſſio entis.*

1. IN hoc puncto, & partim in ſequenti de bonitate videre & mirari eſt authores contra animi ſui ſenſum ſententiam ferre: quum enim viderent apertè ipſius naturæ lumine verum opponi falſo, aut ficto, eſſeque quod ſolidè tale eſt, adeoque intimum cuivis rei, ut nihil magis, nihilominus ne neſcire putarentur quod apud omnes ſonat, invenerunt vias qua hanc rei intimā veritatem compagibus ſuis avulſam extrà traherent & redderent proprietatem: In quo quid eos deceperit, infrà explicabo: quùm prius Subtilis mentem ac Methodum expoſuero.

Igitur ille, à me veſtigatus in opere ſentent. & quodlibetis quæ ſunt duo ubera ejus, & duæ tabulæ teſtamenti quibus ſtandum eſſe Scotiſtæ ubique cenſent, de his non aliud deprehenſus eſt ſtatuere, quam aut ſupponere eas prout circumferuntur, aut certè in dubium revocare: nam in prim. diſt. & quæſt. 3. docet *ens non eſſe univocum dictum in quid de propriis paſſionibus*: ubi (ut vides) ſupponit paſſiones entis; tamen in probatione deinde, arguit tantum de unitate, unde ex hoc loco non poſſunt deduci veritas, &c. imo præbet fundamentum, in oppoſitum declinandi, nam pro pluralitate paſſionum entis adfert Philoſophum ex 4. Metaph. c. 3. ubi vult quod *ſicut Linea in quantum linea habet proprias paſſiones, & numerus in quantum numerus, ita ſunt aliqua paſſiones entis in quantum ens*: at vero paſſiones lineæ, & paſſiones numeri ſunt diſiunctæ, puta rectum & curvum; par, & impar, atque ita retinendo paritatem videretur ens non habere abſolutas aut ſimplices paſſiones ſed diſiunctas, & in 4. diſt. 49. quæſt. 4. propendet in negativam horum: *ſed fortè nec verum, nec bonum ultra ens dicunt rationes abſolutas.* Tamen quia alibi paſſim non modo aſſerit ſed ſupponit eas: 2. diſt. 7. quæſt. un. *dico quod ultra bonitatem naturalem volitionis qua competit ſibi in quantum eſt ens poſitivum, quæ etiam competit cuicunque enti poſitivo ſecundum gradum ſuæ entitatis.* Ecce expreſſe numerat & nominat bonitatem tanquam proprium entitatis: quod etiam facit de vero, aut veritate in 4. diſt. 49. quæſt. 4. unde abſolute incumbit nobis explicanda ipſa in hoc tractatu de paſſionibus entis, & quia veritas eſt id quod toto hoc opere indagamus, paulo anterius ipſam prehendendo.

2. Dico veritatem rerum conſiſtere in naturali perfectione eorum, ſive in ſoliditate atque integritate eorum quæ talem eſſentiam conſtituunt & integrant. Hanc ſimplicem & proinde certam regulam veritatis mirum eſt quot ambagibus alii circumveniunt: ut legere eſt apud D. Thom. 1. p. q. 16. & ante apud Alenſ. noſtrum ib. q. 15. Aureol. item noſtrum, 1. d. 19. Quidam eam conſtituunt in negatione apparentis aut ficti, vel falſi, ſic enim intelligitur aurum verum: v. g. quod non eſt fictitium aut falſum: & Deus verus dicitur ad diſcrimen eorum, qui falsò dii dicuntur quùm tales non ſint.

Odi hanc explicationem, quamvis ex pluribus aliorum ſit optima: moveor autem; quia præpoſterè res diſponit conſtituens veritatem in negatione aut nihilo, falſitatem autem in aliquo, & in vera re, quod videtur contra venire rationi ac naturis rerum, quum veritas ſolida ſit, & dici debeat, falſitas autem inanis: Et nihilominus ſic Philoſophantes (quæ ſit ſecunda ratio contra ipſos) veritatem in poſitivo conſtituunt: nempe ſtatuunt eam in negatione falſitatis: negatio autem falſitatis eſt poſitivum, eò quod falſitas ipſa ſit negatio, nec detur negatio negationis, ſed negatio illius ſit affirmatio, ſive poſitivum quid & vera res. Quod falſitas ſit negatio videtur evidens, quia eſt defectus, ſive abſentia alicujus: nam falſum aurum, v. g. ideo tale eſt, quia deeſt ei ſolida eſſentia auri & ſic de cæteris. Alias explicationes, vel verius implicationes vide apud citatos, & præterea Paſchaligium hic diſp. 65. Averſam Tom. 1. Philoſ. ſect. 2.

Meam reſolutionem ſuadeo primo ex phraſi authorum ſic loquentium: in primis ſacrorum. Ezech. 18. operibus aut actionibus tribuitur veritas haud dubie in eſſendo, non enim in dicendo aut ſignificando. *Vir ſi in præceptis meis ambulaverit, & judicia mea cuſtodierit ut faciat veritatem*, id eſt quæ debet, unde jam debita conſtitutio rei eſt veritas: Huc alluſit Salvator. Joan. 3. de Nathaniele dicens *ecce verus Iſraëlita in quo non eſt dolus*: ubi ſubſiſtentiam oppoſitam apparentiæ vocat veritatem: & ibidem è contra dicit *diabolum in veritatem non ſtetiſſe*, ideſt in debito ſui muneris, in quem locum ad noſtrum propoſitum egregie commentatur Anſel. in Dialog. *ſed & in voluntate dicit ipſa veritas veritatem eſſe quum dicit Diabolum non ſtetiſſe in Veritate: non enim erat in veritate, neque deſeruit veritatem niſi voluntate, ſi enim ſemper voluiſſet quod debuit nunquam peccaſſet.*

Ariſtoteles 3. Metaph. tex. 4. *Vt ſecundum eſſe unumquodque ſe habet, ita etiam ſecundum veritatem.* Ubi vides menſuram veritatis eſſe ipſum eſſe. quod non minus ſolide quam ſuccinctè expreſſit Auguſtinus 2. Soliloq. 5. *Verum eſt id quod eſt.* Et lib. de ver. Relig. *Vera in tantum vera ſunt, in quantum ſunt.*

Ratio hujus cuique occurrit; nam quùm
it quodam modo prima veritas, conceptus ipſius
eritatis ſtatim ſe prodit, & apud omnes eſt idem,
am verum aurum eſt, quod habet debitam con-
itutionem & conſtituentia auri, non vero adul-
erina: Deus verus opponitur factitiis; homo
erus homini picto, & ſic de cæteris, ergo jam
eritas ſita eſt in ſoliditate requiſitorum ad talem
aturam quæ fuit reſolutio data. Et ulterius ex-
licatur ac confirmatur quaſi per rationem à
riori totius, nam verum eſt quod opponitur fal-
o vel potius cui opponitur falſum: at vero
alſum eſt, cui deſunt eſſentialia & conſtituti-
a rei, quamvis ea præſeferat; ergo verum erit
ui illa adſunt; nec ulterius hærendum eſt in re
uique notâ.

3. Objiciam nihilominus aliqua, ut magis
nnoteſcat: quidquid de aliis ſit, ſaltem propoſi
io vera non poteſt ſic intelligi aut explicari: &
nulto minus veritas ejus: hæc enim conſiſtit in
onformitate dicti ad objectum extra: non verò
n iis quæ nos ponimus. Quod amplius oſtendi-
ur quia propoſitio falſa habet omnia quæ nos re-
quirimus ad veritatem; & tamen clarum eſt
quod falſa non ſit vera: patet antecedens quia
lla etiam conſtat ſuis extremis & copula: quod
niſi ita eſſet, fieret ut neque vera propoſitio iiſ-
dem conſtaret; eadem enim ex verâ poteſt fieri
alſa, ſecundum pleroſque, adeoque. Reſpon-
leo, huic inventioni occurri attendendo & di-
ſtinguendo materiam in eſſe propoſitionis, &
n eſſe rei: probat bene arguens veritatem illius
quâ propoſitio eſt conſiſtere in conformitate ad
objectum, nos autem agimus de veritate ejus
n eſſe rei, quo in genere omnis propoſitio eſt
vera: ſivè conformis, ſive difformis objecto:
neque vero id eſt ſingulare in propoſitionibus,
ed commune omnibus ſi attendatur, nam etiam
urichalcum, licet ſit falſum aurum eſt verum
ns: & idolum licet nihil minus ſit quam verus
Deus, tamen eſt veriſſimum metallum, puta æs
ut ſtannum, &c. ſed adhuc contra

Objici poteſt, non ſufficere regulam aut
lefinitionem datam: ut ſcilicet verum ſit quod
abet omnia requiſita, & conſtituentia talem
peciem: hoc enim videtur improbari per ipſam
robationem concluſionis: verum enim oppo-
itur falſo, ut ibi aſſumptum eſt, at verò falſum
on eſt cui illa deſunt: ſed cui deſunt quum ap-
areant adeſſe: ergo ſimiliter illi definitioni veri
ddendum erat quod requiſita & conſtituentia
ppareant adeſſe. Nego tamen conſequentiam
uic; imò nego etiam conſequens: nam verum
ale eſt licet eſſe non appareat: quod unico ver-
o aut exemplo conficio; ſine dubio eum Deus
ſt, fuitque ſemper verus, & verè talis, & ta-
nen non apparet nec apparuit ullis hactenus:
taque ex duobus illis quæ ſunt in falſo, ſcilicet
pparere quùm non ſit, alterum hoc eſt quod
ompetit proprie ratione falſitatis, ſcilicet, non
ſſe ponimus, ſcilicet apparere, non; nam
tiam vera apparent ſubinde eſſe quod ſunt, un-
le patet hoc quod eſt apparere; eſſe commune
ero & falſo: ex quibus patet in formâ ad argu-
nentum, ne moretur.

4. Addo huic dicto, & dico veritatem non
ſſe paſſionem entis. Hæc jam probata eſt in præ-
edentibus quia nimirum veritas eſt eſſentia ipſa,
(& ipſa conſtituentia) rei, aut rectius, eſt ſoliditas
conſtituentium; unde patet eam non poſſe eſſe
paſſionem. Urgeo & explico: Ens & verum ens
ſunt Synonyma, ergo unum non poteſt eſſe paſ-
ſio alterius, patet conſequentia de ſe; Antece-
ſes autè, quia quod non eſt vere tale non eſt tale,
nam quod non eſt vere tale debet eſſe falſo tale:
at verò eſſe falſo tale eſt non eſſe tale, in hoc enim
conſiſtit falſitas, ergo.

Arguo etiam ſic: quod competit pluribus
non poteſt eſſe paſſio unius, etenim hæc eſt pro-
pria ut ſupponimus; atqui veritas competit aliis
ab ente ut ſic, competit enim aliis generibus in-
fra ipſum, & ſpeciebus quoque, imo omnibus
omnino rebus, omnes enim & ſingulæ in ſuo ge-
nere veræ ſunt. Dices argumentum eſſe in oppo-
ſitum, nam paſſio entis eo ipſo debet rebus om-
nibus convenire, quùm ipſum ens eis conveniat,
adeoque. Sed ratio ſtat hoc non obſtante, nam
licet paſſio ſuperioris competat inferioribus, non
tamen competit eis propter proprias rationes,
ſed propter communem: eſſe ſenſitivum debet
convenire homini, at non qua homo, vel rationa-
lis eſt, ſed quâ animal. At verò in propoſito veri-
tas competit particularibus naturis non tantum
qua entia ſunt ſed qua talia & particularia: nam
aurum, v. g. non tantum eſt verum ens, ſed eſt
verum aurum.

Proſequor priorem rationem: ſi enim ens
& verum ens non ſint ſynonyma, tum τὸ verum
aliquid dicet quod non dicit ens, eritque quid ſu-
peradditum ei tanquam differentia quædam: at-
qui hoc eſt falſum, ergo aſſumptum illud in argu-
mento erit verum. Minorem probo, quia diffe-
rentia illa deberet diſtinguere ſuum contractum
& conſtitutum ab alio oppoſito membro, hoc
autem non facit, quia non datur aliud: nam mem-
brum contrapoſitum enti vero eſt falſum: at vero
falſum ens non eſt ens, ergo.

Ultimo arguo ſic pro intento: ſi veritas re-
rum ſit paſſio & poſterius ipſis accipio rem ipſam
cujus eſt, in illo priori, v. g. aurum, & quæro num
ſit verum aurum? num habeat eſſentialia auri, &c.
Non poteſt dici quod ſit, quia tum eſſet verum
ſine veritate quod implicat in terminis, ſed tamen
hypotheſis eſt quod ſit verum aurum, de tali agi-
mus, vel ſi non agimus, agamus.

Proſequor hoc argumentum: nam ſi veri-
tas ſit paſſio conſequens, ſequitur veritatem à
falſitate provenire, & verum à falſo: quod certe
difficile eſt, quum effectus non poſſit ſuperare
perfectionem ſuæ cauſæ: Et quia ludere poſſent
hic Dialectici cum ſuis regulis dicendo etiam ex
falſo ſequi verum, moneo me non loqui de ſignis,
ſed de rebus, adeoque non de veritate in ſignifi-
cando qualis eſt Dialectica illa propoſitionum,
ſed de veritate & ſoliditate rei in eſſendo; & dico
ſic non poſſe ſolidum aliquid ab inani provenire:
aut verum à picto vel ficto, quod videtur ex ter-
minis evidens, & tamen eſſet evidenter falſum
niſi fallerentur Adverſarii, nam paſſio illa prove-
nit à re, & eſt vera ac ſolida, imo ipſa veritas, &
tamen id à quo provenit nec verum nec ſolidum
eſt, eo quod ſit ſine veritate, adhuc enim conſide-
ratur ut antecedens & ita ſeparatum à ſuâ verita-
te, ſed contra omnia inſtabis adhuc, &

Objicies ſic. Veritas dicit conformitatem u-
nius ad aliud: at vero conformitas non poteſt in-
telligi in re ſimplici, quùm ſit relativum quid,
adeoque requirens plura, ergo falſum eſt veritatē
ſtare intra ipſam eſſentiam cujuſque. Reſpon-
deo hoc eſt quod volunt animo Adverſarii,
ſcilicet veritatem in ſignificando, quum quæſtio
ſit

ſit de veritate in eſſendo, eſt enim de illâ entis ut ſic; quod ſine dubio non eſt ſignum: ſed

Dices denique; ſic negas paſſionem hanc enti: Nego me negare in re: ut deinceps patebit. Adverſarii autem concedunt veritatem ſed negant paſſionem, nam veritas ab ipſis hactenus admiſſa non eſt paſſio nec eſſe poteſt, ut jam deductum eſt.

ACTIO V.

Quomodo nihilominus poſſit Veritas aſſignari Enti in paſſionem? Idemque de Bonitate, proportionaliter?

Breviarium.

N. 1. *Improbabilis doctrina D. Tho. & ſuorum.*
2. *Reprobatur pluries: & ſtatuitur Veritas eſſe cognoſcibilitas ſive intelligibilitas rerum.*
3. *Objicitur in Contrarium, & reſpondetur: Negationes, an? & quomodo intelligibiles.*
4. *Objicitur adhuc Bonitas entis num ſit vera?*

1. DE vero conceptu Veritatis dixi & obfirmavi meum ſenſum, retuli & refutavi alienum; nunc de eo quod in præſenti negotio dicitur Veritas, & aſſignatur Enti in paſſionem id ipſum faciam: & primum quidem eò facilius, quod nec ipſis Adverſariis placet per omnia, quod coguntur dicere. Gabr. Vaſquez palam hic taxat explicationem S. Thomæ, dicitque ejus doctrinam ſibi non conſtare; eſt tamen communis ſequentium: Unde eam verbis ipſius S. Doctoris referam: ait ergo ille 1p. q. 17. *Unaquæque res dicitur vera abſolutè ſecundum ordinem ad intellectum à quo dependet: artificiales per ordinem ad intellectum noſtrum: dicitur enim domus vera quæ aſſequitur formã, quæ eſt in mente artificis &c.* in quibus dicit res naturales eſſe veras, quia aſſequuntur ſimilitudinem ſpecierum ſeu idearum, quæ ſunt in mente divina. Hæc ille, quæ ipſius diſcipuli in diverſum trahentes quilque ad ſe rapit: nam cum in intellectu ſint plura, puta ſpecies intelligibiles, actus cognitionis, & conceptus objectivus, qui eſt ipſa res cognita, aliqui Thomiſtæ *a* volunt veritatem eſſe conformitatem ad conceptum objectivum, *b* alii ad conceptum formalem, *c* alii denique ad ſpeciem.

Omnes autem decepit vox illa Veritas, quæ huc ex penuriâ linguæ, non ex philoſophicâ proprietate irrepſit: nam quum hæc paſſio explicanda ſit cum quadam connexione ad intellectum, & veritas quam maximè ad ipſum pertineat, authores indiderunt huic paſſioni nomen veritatis: ſicut alibi viderunt ſine errore factum; nam etiam in Divinis Verbum Dei dicitur veritas, & ſapientia Dei veritas &c. Quæ omnia accipienda ſunt ſano modo; nec philoſopho liberum eſt, aut licitum obſcuritatem ſcripturæ ſequi, ut nec ſcriptura attendit rigores philoſophorum in loquendo.

2. Ut ergo truncemus filum prolixitati: Dico hâc quæ eſt ſecunda Entis paſſio, & dicitur potius quam eſt Veritas, conſiſtere in Intelligibilitate. Hanc expreſsè non lego in Subtilis ſive ſententiis, ſive Quodlibetis. Licet 4 d. 49. q. 4. præbeat ei fundamentum comparans veritatem & bonitatem ad Intellectum & Voluntatem & juxta hoc expendens eorum nobilitatem. In Metaphyſica tamen clarè dicit ipſum, quod concluſio poſita: *Per comparationem ad intellectum dicitur res vera, quia ſui manifeſtativa, quantum eſt, eſt de ſe, &c.* & ita intellectus eſt à veteribus Scotiſtis, nam Petr. Tartar. exponens eum in 4: cit. docet de eius mente ejuſmodi affectiones præ ſe ferre ſupra ens quaſdam aptitudines, ſcilicet verum aptitudinem ad manifeſtandum ſe cuilibet intellectui. Bonum vero aptitudinem ad communicandum ſe alteri. Recentes etiam diſcipuli eius, hoc aut aſſerunt aut ſupponunt. Unde Ang. Vulpeſ. permittens teneri, quod Veritas conſiſtat in conformitate ad Deum producentem, *Tom. 1. 1. part.* aperte Thomiſat. declinat enim ad explicationem eius per conformitatem ad artificem & ideas: quanquam aliàs ille inſigniter textualis nihil magis quam Scotum crepet.

Ante hanc autem dicendum fuit nequaquam eam conſiſtere in conformitatibus, aut affinitatibus Thomiſticis, ſive ad cognitiones, ſive ad ſpecies: quod ſanè quiſque facile credet, qui negotium liberâ acie, & non præoccupatâ domeſticis principiis attenderit. In primis enim quum nihil minus dignum philoſopho ſit, quam circuite in ratione aliquorum reddenda; tamen hic illi rotundum circulum deſcribunt. Quum enim quæritur cur aliqua cognitio ſit vera? reſpondent cum Ariſtotele: eo quod eſt conformis objecto; ex eo enim quod res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera vel falſa: Hic etiam quum quæritur cur? aut quomodo res aliqua ſit vera? reſpondent, quia eſt conformis cognitioni? *ex hoc in hoc*: *Pſal. 74. verſ. 9.* nam quis non videt circuitum? Gabr. Vaſq. non nimis addictus Thomiſticæ vetuſtati declinavit paululum impetum argumenti, aſſerens res eſſent veras, non quia ſint conformes cognitionibus, ſed quia cauſant, aut cauſativæ ſunt cognitionis veræ. At enim, fugit ille non vitavit difficultatem, etſi parum moratus ſit eam: Si ſtetiſſet ille in primâ parte reſponſionis ſuæ, jam fœliciter impoſuiſſet finem negotio, quia concluſionem noſtram profiteretur utcunque, revera enim ideo vera eſt res, quia cognoſcibilis, ſed quum addit hoc, quod eſt cognitio *vera*, circumfertur ferè non minus quam alii quos deſerit, quia denique illa veritas explicanda eſt per conformitatem ad objectum, & tamen objectum explicat per conformitatem ad cognitionem.

Adhuc etiam non valenter minus quam frequenter impugnari poteſt hæc Thomiſtica traditio, quam impoſſibile eſt extendere ad omne omninò Ens, quum tamen Veritas ſic debeat extendi, ſi enim, ut vult D. Thom. domus v.g. ideo vera eſt, quia æquat ideam artificis, ipſa idea, quæ

Digitized by Google

icunt, ens non includi formaliter in ejus modis, aſſionibus, aut ultimis differentiis. At enim, roferant locum, in quo hæc à Magiſtro didicent: aliquid tale docet ille, at non totum, quod imponitur communiter, non ſolùm ab exteris, ſed à ſuis.

Cenſeo ergo ſententiam Scoti non eſſe, uòd ens non includatur in ſuis paſſionibus, &c. olum inhibeo. & quidem eo loci, ubi ab aliis tatur pro contrario, eſt autem 1. d. & quæſt. 3. uæ eſt de eo: *An Deus ſit objectum naturale adquatum, reſpectu intellectus viatoris?* Ad quam ille um. 6. reſpondet. *Quòd autem ens ponatur æquiocum creato & increato, ſubſtantiæ & accidenti, uum omnia iſta ſint per ſe intelligibilia à nobis, nullum idetur poſſe poni primum objectum intellectus noſtri: ed ponendo illam poſitionem, quam poſui in prima uæſt. de univocatione entis, poteſt aliquo modo ſalvari liquod eſſe primum objectum intellectus noſtri: Ad uod intelligendum, primò declaro, qualis ſit univocatio entis? & ad quæ eſt? & ſecundò ex hoc ad propoſitum.*

Quantum ad primum, dico, quòd ens non eſt univocum dictum in quid, de omnibus per ſe intelligibilibus, quia non de differentiis ultimis, nec propriis paſſionibus entis. Hæc ille: Ex quibus vides clarè, imium onus ei imponi ab aliis, atque ita non eneri eum ad totum: Primò enim hic expreſsè gnificat Doctor, ſe non ponere univocationem ntis ad omnia omnino, ſed aliqua eſſe æquivocè ntia: Ita vides in illis verbis: *Declaro, qualis ſit nivocatio entis, & ad quæ eſt.* Si enim eſt ad omnia mnino, ut quid illa exceptio & limitatio: *ad uæ eſt.* Deinde non dicit Doctor ens non inludi formaliter in his, ut vides palam in ipſo; am in toto illo paſſu non habetur ſemel *formaiter*, ſed ait quàm acutiſſimè, ens non eſſe nivocum dictum; ac ſi diceret, includi quidem illis, at non univocè, quomodo in ſubſtantia accidente, ſed aliter, utique oppoſito modo. enique patet, eum non velle eſſe unam omnio rationem entis ubique, ſic enim poſſet ille onere unum ſimpliciter objectum intellectus, uod tamen non vult abſolutè ponere, etiam oſitâ ſuâ illâ univocatione; ſed ait, quòd *poſt lam poſitionem poteſt aliquo modo ſalvari unum objeum intellectus.* Præterea q. 21. de Anim. ubi totam anc doctrinam & argumenta pro ipſa reſumit, um 6. planè declarat, hanc fuiſſe ſuam intenonem, ait enim poſt omnia: *Sed dices, quòd hoc t propter diverſitatem eſſentialem, ſcilicet, quòd npeditur prædicatio eſſentialis entis, vel è converſo. icendum quòd bene verum eſt, quòd rationes eorum nt diſparatæ:* Quid clarius pro æquivoca ſeu dierſa ratione entis in hoc & in cæteris, puta entibus completis? Atque ita Doctorem ntellexerunt claſſici Scotiſtæ. Faber Theor. 94. icit de mente Doct. ens prædicari de his in quid, t non univocè in quid. Meurif dicit iſta eſſe ntia. & ens vera ratione dici de illis, non tamen quid, ſed in quale, adeoque non ſimiliter cut de aliis: Cavell. etiam in Scholio diſt. 3. t. retrahit ſe, & conatur Doct. retrahere ab abſoluta negatione entis de his: quod etiam facit Annot. ad quæſt. citatam de Anim. & ſimiliter loquuntur Contaren. Merin. & alii ex noris, quod fatetur Maſtr. hic. Denique ipſe D. Metaph. quæſt. 1. palam hanc expoſitionem onfirmat ibi num 9. *Iſta ratio non probat, quin ens t univocum decem generibus, ſed tantùm, quòd non ſit univocum generi & differentiæ, & hoc poteſt concedi.* Ecce ens ſecundùm Doct. de differentiis dictum, non univocè, quomodo ergo niſi æquivocè, cùm ſecundùm ipſum non detur medium. Unde Mauritius noſtras in notis ad dictum locum ſubdit: *Adverte, qualiter probabiliter oſtendit modum ſuſtinendi, & univocationem ſecundùm Avicennam, & analogiam ſecundùm Commentatorem, & alios ſeu æquivocationem.*

Reſolutio quoad modos.

3. Dicendum ens tranſcendens & diviſum in decem prædicamenta non includi, aut formaliter aut quidditativè in modis ſuis. Hanc credunt noſtri eſſe contra alios omnes: & ſanè Averſa contra eam refert D. Thomam, & cum eo ingentem numerum authorum: ſed neſcio, an cum fundamento & fide; qui enim ponunt æquivocationem entis ad inferiora, nullo negotio hanc defendunt, & quidem conſequenter, ut benè notavit Fonſeca citatus: probabo eam per partes.

Primò ſic: Si enim modus contractivus entis includit formaliter ens, jam ens contrahet ſeipſum: Atqui id ſine dubio eſt abſurdum, quia aliter ſe habere debent contrahens, & aliter contractum, hoc enim debet eſſe in potentia ad illud. Dices rectè argui, ſi diceretur modus eſſe ens ſolum aut purum; ſi enim non ſit tale, tunc cum illo addito poterit eſſe contractivum. Bene eſt, ſed mihi redit quæſtio de illo addito; quæro enim, an additum illud ſit ens, nec ne? ſi non, habemus intentum prope, ſcilicet aliquod poſitivum, quod tamen non ſit ens; ſi ſit, patitur totam difficultatem, quam ipſe modus: & ita in infinitum; quæram enim de illo addito, num ſit ſolum ens, an ens & aliquid præterea? quodcunque dictum fuerit, patietur difficultatem à me poſitam pro aliqua parte, adeoque.

Secundò pro hac veritate eſt acervus rationum, quas ſupra congeſſi tom. 1. ubi probavi, differentias contrahentes non includere genus; iſti enim ſunt differentiæ aut quaſi differentiæ entis, & rationes æquè validè procedunt de utriſque, neque enim illæ fundantur in ratione differentiæ, (de qua infra ſeorſim,) ſed in ratione contractivi, hæc autem æquè convenit modis reſpectu entis, ac differentiis reſpectu generum, ut vides ergo.

Tertiò ſic argumentor: Modus cujuslibet naturæ inferioris non eſt illa ipſa natura, ergo modus entis non erit ens. Conſequentia, niſi erro, eſt aperta, & nihilominus antecedens probatur diſcurrendo per omnes ipſas, nam modus ſubſtantiæ non eſt ſubſtantia, neque modus quantitatis quantitas, idemque de qualitate, relatione, &c. ergo. Redeo ad probanda hæc ſeorſim; nam ſubſiſtentia, v. g. quæ eſt modus ſubſtantiæ, non eſt ſubſtantia, alioquin egeret alia ſubſiſtentia in infinitum: figura quæ eſt modus quantitatis, non eſt quantitas, v. g. rotunditas lineæ, alioquin linea rotunda eſſet bis impenetrabilis, imo ſequeretur, quòd etiam eſſet penetrata, nam ſine dubio rotunditas eſt penetrata cum linea. Denique ob eandem rationem intenſio qualitatis non eſt qualitas: quod etiam inde convincitur, quoniam ſic non poſſet dari qualitas ſummè remiſſa, puta albedo ut unum, nam ipſa remiſſio eſſet quædam albedo, aut quidam gradus ejus, ergo.

Denique

Digitized by Google

Denique probo proceſſum infinitum ex oppoſita ſententia; nam ſi modus entis ſit ens, dabitur modi modus, ſed ſi detur unius modi modus, dabitur alterius & tertii, & infinitorum. Sit exemplum: Saltatio eſt modus aliquis motus progreſſivi: ſi ſaltatio ſit res & motus, jam ſaltatio poterit aliter & aliter fieri: hæc etiam altereitas ſi ſit motus & modus, jam poterit ipſa aliter, & aliter fieri, cur enim unus motus poterit modificari bene & male, non item alius? Si autem unus & alius, certe plures in infinitum, ergo. Notum eſt autem de proceſſu infinitæ multitudinis, quàm ſit infamis in ſcholis, adeoque. Antequam proponam obiectiones adverſas, libet addere quod notavit Scotiſta citatus in recentibus Metaphyſicis, ſcilicet eos deteſtari hic Scoti doctrinam, & tamen incurrere. Etenim ipſi ponunt aliquos modos etiam extrinſecos, neque afficientes ipſam rationem entis, ſed alias inferiores, quos tamen modos non concedunt eſſe entia; tales ſunt unio, ſeſſio, inhærentia, &c. quos admittunt apertè illi: Fonſeca vero, qui ſupra Scoto ignorantiam impegit, ob quam devenisſet in hanc ſententiam, ipſe nihilominus 5. Metaph. c. & quæſt. 6. docet aliquos modos eſſe, qui non ſint entia, & Averſa oppoſitum contra ipſum nominatim defendit non minus, ſed paulò amplius quàm contra noſtros. Ita quibuſdam non doctrina diſplicet, ſed author; & illa veriſſima erit, ſi quando contingat eam ab ipſis adoptari. Obiectiones Thomiſtarum & recentium contra hanc veritatem non deſcribam hic, ſed infra poſt tertiam partem reſolutionis, eò quòd contra omnes ſint eadem ferè, ſaltem principalis ubique eſt una.

Reſolutio de Paſsionibus.

4. Eſt omnino ſimilis, quòd ſcilicet paſſiones entis tranſcendentis, quod deſcendit in prædicamenta, non ſint formaliter aut eſſentialiter illud ens. Indubie eſt Doctoris, propter quam & ſequentem hactenus multa paſſus eſt ab Adverſ. tam recentibus, quam priſcis, ut videas apud ipſos, atque etiam noſtros, qui eorum ictus referunt.

Probavit ipſe Doct. jam olim aſſertum ſuum, ut non ſit amplius laborandum nobis, niſi in referendis rationibus ejus, quas pro hoc habet diſt. & quæſt. 3. cit. pr. *Secundum* (ſcilicet propoſitum de paſſionibus entis,) *probo* dupliciter, primò ſic: Paſſio per ſe ſecundo modo prædicatur de ſubjecto. 1. Poſter. ergo ſubjectum ponitur in definitione paſſionis, ſicut additum ex 1. & ex 7. Metaph. Ens igitur in ratione ſuæ paſſionis cadit, ut additum, habet enim paſſiones proprias, ut patet per Philoſophum 4. Met. c. 3. ubi vult, quòd ſicut linea, inquantum linea habet proprias paſſiones, & numerus inquantum numerus, ita ſunt aliquæ paſſiones entis inquantum ens: ſed ſi ens cadit in ratione earum, ut additum, ergò non eſt per ſe primo modo de ratione quidditativa eorum. Hoc etiam confirmatur per Philoſophum 1. Poſt. cap. de ſtatu principiorum, ubi vult, quòd prædicationes per ſe non convertantur; ita, quòd ſi prædicatum dicatur de ſubiecto per ſe, non è converſo dicetur ſubiectum de prædicato, ſed per accidens: ergo ſi iſta eſt per ſe ſecundo modo, ens eſt unum; hæc, unum eſt ens non eſt per ſe ſecundo modo, ſed quaſi per accidens, ſicut iſta propoſitio eſt per accidens; riſibile eſt homo.

Secundò ſic: Ens ſufficienter dividitur tanquam in illa, quæ includunt quidditative ipſum, in ens increatum & in decem genera, & in partes eſſentiales decem generum: quidquid ſit de iſtis, ſaltem non videtur habere plura dividentia quidditative, quin ſint in iſtis. Igitur ſi unum vel verum includat quidditative ens, vel erit aliquod decem generum, vel continebitur ſub aliquo iſtorum: ſed non eſt aliquod decem generum, patet, nec eſt ex ſe ens increatum, quia convenit omnibus creatis, igitur eſſet ſpecies in aliquo genere, vel principium eſſentiale alicuius generis: ſed hoc eſt falſum, quia omnis pars eſſentialis in quocunque genere, & omnis ſpecies cuiuſcunque generis includit limitationem, & ita quodcunque tranſcendens eſſet de ſe finitum, & per conſequens repugnaret enti infinito, nec poſſet dici de ipſo formaliter quod eſt falſum, quia omnia tranſcendentia dicunt perfectiones ſimpliciter, & conveniunt Deo in ſummo.

Tertiò argui poteſt, & in hoc etiam confirmatur prima ratio ad concluſionem iſtam; quia ſi unum includit ens quidditative, non includit præciſe ens; nam idem tunc eſſet paſſio ſui ipſius, ergo includit ens & aliquid aliud: ſit illud aliud A, aut igitur illud A includit ens, aut non: ſi ſic, unum bis includet ens, & erit proceſſus in infinitum, vel ubicunque ſtabitur, illud ultimum quod eſt de ratione unius, & non includit ens vocetur A, unum ergo ratione entis incluſi non eſt paſſio; & per conſequens illud aliud incluſum quod eſt A; eſt primò paſſio, & eſt tale quod non includit ens quidditative, & ita quidquid eſt primò paſſio entis, ex hoc non includit ens quidditative: hactenus Subtilis; cuius rationes tam validæ ſunt, ut modernus quiſpiam, cùm in principio quæſtionis concluſionem earum reſpuiſſet, in fine complexus ſit illam, & has ipſas ex parte deſcripſerit tacito nomine Doctoris, addens doctrinam illam à S. Thoma approbari, ſeu indicari, ut ille loquitur, qui etiam ibidem Caietanum, & Fonſecam pro eadem citat. Aliqui etiam non valentes emphaſim earum evadere, negaverunt enti poſitivas paſſiones. Sedenim, ut ſuppono, hæc tabula quam arripuerunt, non ſufficit evadendo naufragio, nam primæ & ſupremæ paſſiones entis ſunt, quæ etiam ad alia omnia tranſeunt. *Rap. Averſ.*

Tentaverunt Thomiſtæ aliquid ad hæc adferre, quod quoniam non multum gravitat; & ab aliis tam exploſum eſt, omitto impugnare. Placet tamen referre, nam ſe ipſo ruit: Dicunt ergo propoſitiones per ſe converti; Itaque hæc apud ipſos erit per ſe: animal eſt homo; vel etiam iſta: omne animal eſt homo. Deinde dicunt ens tranſcendere omnia, & tamen eſſe quibuſdam æquale, ſcilicet paſſionibus; prædicari per ſe primo modo, non tamen ut ſuperius, puta per modum generis & differentiæ, aut quaſi differentiæ, & ſimilia improbabilia nimis. Ipſorum arma contra nos infra exponam. Nunc ſit *Paſqu.*

TERTIA PARS.

De incluſione entis in differẽtiis.

5. Hanc ſimiliter nego, & aio, ens noſtrũ non includi in iſtis, ſicut nec in præcedentibus, quod intelligo non ſolùm de numericis, ſed etiam de

Digitized by Google

de ſpecificis quibuſcunque, dummodo ultimæ, id eſt, abſtractæ ſint, idque ultimatè. Hæc etiam ſemper odioſa fuit Adverſ. Thomiſtis, & honori Scoto, qui etiam luculenter probavit eam loco jam citato, dicens: Primum, (videlicet de differentiis ultimis,) dupliciter probo, primò ſic: Si differentiæ includant ens univocè dictum de eis, & non ſunt omnino idem, ergo ſunt diverſa aliquid idem entia; talia ſunt propriè differentia ex 5. & 10. Metaph. ergo differentiæ illæ ultimæ propriè erunt differentes, ergo aliis differentiis differunt. Quòd illæ aliæ includant ens, arguitur de eis, ſicut de prioribus, & ita erit proceſſus in infinitum in differentiis, vel ſtabitur ad aliquas omnino non includentes ens quidditativè, quod eſt propoſitum, quia illæ ſolæ erunt ultimæ.

Secundò ſic: Sicut ens compoſitum in re componitur ex actu & potentia in re, ita conceptus compoſitus per ſe unus, componitur ex conceptu potentiali & actuali, ſive ex conceptu determinabili & determinante; ſicut igitur reſolutio entium compoſitorum ſtat ultimò ad ſimpliciter ſimplicia, ſcilicet ad actum ultimum, & potentiam ultimam, quæ ſunt primò diverſa, ita quod nihil unius includit aliquid alterius, alioquin hoc non eſſet primò actus, nec illud primò eſſet potentia; quod enim includit aliquid potentialitatis, non primò eſt actus, ita oportet in conceptibus omnem conceptum non ſimpliciter ſimplicem, & tamen per ſe unum, reſolvi in conceptum determinabilem & determinativum, ita quod iſta reſolutio ſtet ad conceptus ſimpliciter ſimplices, ſcilicet ad conceptum determinabilem tantùm, ita quod nihil determinans includat, & ad conceptum determinantem, qui ſcilicet non includat aliquem conceptum determinabilem; ille conceptus tantùm determinabilis eſt conceptus entis, & determinans tantùm eſt conceptus ultimæ differentiæ, ergo iſti erunt primò diverſi, ita quod unum nihil includat alterius, &c.

Hæc ille, quæ mirè vexant Thomiſtas, ut patet ex eorum effugiis & inventis: quæ quoniam non nocent argumentis, & iam ante me ſoluta ſunt ab aliis ac refutata, non proſequor: ſolum expendam quantum profecerit contra ea, Hurtadus, qui glorioſè iactat, ſe primi argumenti lumbos enervaſſe in Logica: quando putes? quando [inquit] probavi ab ultima differentia individuali confuſè cognita poſſe abſtrahi rationem communem ultimæ & individualis differentiæ; non tamen abſtrahi conceptum communem ab ultima clarè, & in ſingulari cognita ut ultima. Benè, optimè, tales ego lumbos, talem inimicum opto, qui negando concedit: quid enim prætendimus nos, quod ille non dedit. Itaque nimis mobilis fuit Maſtr. qui huic evaſioni nonnullam apparentiam conceſſit: & magis credendum eſt Complutenſibus, cæteroqui Thomiſtis, qui apud eundem primam illam Doct. rationem prorſus inſolubilem dixerunt in ſententia admittente unitatem & præſciſionem conceptus entis; revera enim evadi aliter non poteſt, ſicut nec aliqua ipſorum argumenta contra noſtros niſi dividendo ens in plura, propter quæ exiſtimo.

ULTIMA RESOLUTIO.

De incluſione entis in præmiſſis, &c.

6. Dicendum denique, quòd ens non ſit ad omnia univocum, ſed æquivocum ad completa, de quibus ſupra, ſcilicet Deum, creaturas, ſubſtantiam, accidens, & ad incompleta hæc, ſcilicet modos & paſſiones entis, &c. Hæc, niſi deſipio, eſt hujus rei ſapientia, quæ facit utraque unum, conciliat rationes Doctoris cum difficultate aliàs inſuperabili de incidentia horum in nihil. Non eſt opus eam perſuadere Thomiſtis aut Recent. qui non aliud expectant.

Probo ergo eam Scotiſtæ cuivis ad hominem ex Sco. Ecce enim eam in terminis ferè apud ipſum, ut mirum valde ſit, quid noſtros tranſverſim egerit, ne Doct. apertè huc euntem ſequerentur. *Quantum ad ſecundum articulum principalem, dico, quòd ex iſtis quatuor rationibus ſequitur, quum nihil poſſit eſſe communius ente, & ens non poſſit eſſe commune univocum dictum in quid de omnibus per ſe intelligibilibus, quia non de differentiis ultimis, nec de paſſionibus ſuis.* Ita ille 1. d. & q. 3. citat. Vides apud Scotum ens dici de his, at non univocè; quomodo ergo niſi æquivocè? quod etiam

Probo adhuc ratione, quæ ſemper moleſta fuit noſtris: Iſti enim modi & paſſiones entis, iſtæ differentiæ conſtitutivæ aliorum, non ſunt nihil, erunt ergo ens, quia apud noſtros, & ipſa re, quod excidit enti, incidit in nihilum: atqui certum eſt ex ſupra hactenus dictis, iſta non eſſe ens tranſcendens, quod imminet omnibus prædicamentis, & prædicatur in quid de rebus, erunt ergo aliud ens, atque ita datur aliud & aliud ens, quod eſt ens dici æquivocè, ut hæc tam diſparata ac diverſa poſſint omnia eſſe ens, & neutra alterum. Vis hujus argumenti tota ſtat in oppoſitione immediata entis ad nihilum, ita ut non ſit medium, ne in cogitatione quidem inter ea, quod noſtri omnes autumabant, propter quod arctiſſimè ſtringebat hæc fibula illos, & ipſi varia diverticula excogitârũt, ut videas fuſiſſimè apud ipſos, noviores præſertim. Atque ut palam fiat nihil illos profeciſſe, ponam hic ſolitam ſolutionem eorũ. Igitur cùm arguitur contra eos, quòd hæc non ſint nihil, concedunt; cùm deinde infertur, ergo ſunt entia, diſtinguunt; realiter concedunt, formaliter negant. Cùm inſtatur, quòd formaliter ſint entia, aut formaliter ſint non entia, propter recurrentem ſemper contradictoriã oppoſitionem, in qua non eſt dari medium. Reſpondent negando antecedens, quia nimirum illæ propoſitiones non contradicunt, nec in una negatur, quod in altera affirmatur. Et verò juvari poſſent illi advertendo, quòd hæ ſint duæ affirmativæ propoſitiones, neutra autem negativa, quod opus foret ad hoc ut contradicerent ſibi.

Poi 69 edi

Sed lubet eos hac latebra extrudere, ne his frondibus verborum operiant aut excuſent ſuam fugam: Et ad formam argumenti præmitto hoc, quod eſt: differentiam, v. g. rationalitatem eſſe realiter ens, ſignificare ſecundùm ipſos, & verificari per hoc, quòd illa ſit realitas illius, cujus eſt, puta ſubſtantiæ, &c. Accipio ergo differentiam, prout diſtinguitur à ſubjecto ſuo, puta ſubſtantia, & de hac quæro, an ſit ens? Hic non poteſt illis ſuffragari, diſtinctio de realiter

&

Digitized by Google

& formaliter, quia accipio illam extra realitatem, quam ſepoſui interim ad partem. Sic ergo habent, quòd ſit nihil, quia ſic non eſt ens, eò quòd non ſit ens, niſi realiter, ſeu quatenus coincidit cum ſubjecto: at verò nemo non videt eſſe abſurdum, quòd ſic ſit nihil, quia tum res aliqua, puta ſubſtantia, conſtitueretur formaliter per nihil. Urgeo hunc diſcurſum, & ſimul eruo in lucem quandam latentem fallaciam Adverſariorum. Dicunt illi modos, &c. non eſſe entia formaliter, per quam particulam ſalvant contradictionem: ſed ego poſui Tò *formaliter* ex parte modi, & de hoc quæro, an formaliter ſumptus ſit ens? ſi non, erit nihil, ſi ſic, eſt intentum.

Pugno etiam aliter contra hos, & arguo ſpecialiter de differentiis: ſi enim differentiæ non ſint entia niſi realiter, tum nihil erit in rebus niſi ipſe ſimpliciſſimus gradus entis: Tum res omnes, ſubſtantiæ, accidentia, &c. erunt ejuſdem eſſentiæ & ſpeciei: quæ conſequentia ſtatim ſequitur ex priori; Probo ergo illam ſic: Homo, v. g. eſt animal, vivens, corpus, ſubſtantia, ens, tamen hæc omnia nihil reale ſunt, niſi ipſum ens. Ecce quomodo rationale, v.g. vel, ſi mavis, rationalitas nihil eſt reale, niſi animal, nam rationalitas non addit quidpiam reale animali, alioquin fateantur hoc Scotiſtæ. Tum verò eodem ductu rationis, animal nihil eſt, niſi vivens, quia ſenſitivum, quod eſt differentia animalis, nihil reale dicit, niſi quòd dicit ipſum vivens, & ideo dicitur eſſe realiter ens, quia eſt realiter vivens, adeoque tota realitas ejus eſt illa viventis, cui ipſa nihil reale addit. Vides hinc filum duci, & perveniri ad ens, quod ſolùm relinquitur rebus.

Confirmo rationem, quia actiones reales debent habere principium reale, ac non tantùm formalitates aut conceptus: atqui animal ut animal, vivens ut vivens habet actiones reales, puta ſentire, moveri, &c. ergo debent habere reale principium: atqui non poſſunt habere ſolùm ens, alioquin omnia eſſent viventia, ergo eſt aliquid reale in rebus præter ens: atque ita differentiæ non ideo ſunt quid reale, quia ſunt ens, ſed quia ipſæ addunt aliquam realitatem ei, adeoque ſunt realiter entia non tantùm realitate ejus, quod afficiunt, ſed etiam ſua. Deinde dicatur mihi, cur ex his duobus, animal & rationale, rationale erit ens, eò quòd ſit animal, ſive erit realiter ens, eò quòd coincidat cum animali: & animal non erit ens realiter ratione rationalitatis, ſive, eò quòd ſit idem cum rationalitate?

Denique ſic arguo: Accipio unum ex his, puta differentiam, & de illa in ſe, (non autem ut eſt realitas ſubjecti,) quæro utrùm ſit ens? an nihil? Si ens, vicimus, ſi nihil, ſequitur, quòd non ſit vera diſtinctio, aut doctrina Adverſ. qui dicunt, differentiam eſſe realiter ſubjectum: nam *nihil* non poteſt fieri reale aliquid, aut realiter. Extendo argumentum, & accipio differentiam in ſtatu poſſibilitatis; tum quæro, utrùm huic ſeorſim ac ſecundùm ſe ſumptæ repugnet exiſtere, an non, Si repugnet, nunquam poterit fieri realiter aliquid; ſic enim exiſteret: Si non, erit ens, quia hæc eſt entis entitas ſive eſſentia, poſſe poni extra cauſas, ut aliquid realiter agere aut pati poſſit, quomodo ſupra explicavi. Atque hæ rationes ſunt objectiones, quæ contra excluſionem entis ab his modis, &c. fieri poſſunt, & omnino convincunt hæc eſſe verè entia non tantùm ratione alterius, ut volunt Scotiſtæ aliqui, ſed ratione ſui. Et quoniam non poſſunt includere ens illud dictum in quid, & directè imminens prædicamentis, dari debet alia ratio entis, quæ imbibatur in eis, quæ ad latera circumſtant, ut ſunt modi entis, & differentiæ inferiorum generum. Per quod evaditur illa importuna objectio Thomiſtarum de nihilo horũ omnium ac ſingulorum: ſunt tamen aliqua contra hanc ipſam viam, quæ etiam objiciam mihi breviter, & reſolvam.

Dubia aliquot contra hanc viã.

7. PRimò opponi poteſt, quòd ſecundum genus entis in quale, quum diſtinguatur ab ente in quid dicto, vel includat ens, vel non includat: ſi ſic, jam quidditativè & eſſentialiter erit ens, & ita modus erit illud ens in quid, ac non tantùm quale: ſi non, tum erit nihil, quia ens *quid* eſt illud, quod opponitur nihilo. Dicet quis fortè etiam ens quale opponi nihilo: ſed tum ſequitur abſurdum, quòd ens quid, & ens quale conveniunt in hoc, quòd eſt eſſe aliquid in rerum natura à nihilo contradiſtinctum: ex quo ſequitur ens illud ſummum, imminens omnibus non eſſe ſupra omnia, ſed infra aliquod, & infra ens illud commune utrique. Reſpondeo, illud non includere ens quid in ſuo conceptu, ſed excludere potius, nec proinde ſtatim incidit in nihilum, quia ens etiam quale abeſt nihilo, & abeſſe facit eo. Ad rationem contra dico illos in hoc convenire, ſed æquivocè: ſi enim dico, illa æquivocè convenire in ente, utique dicturus ſum, quòd æquivocè conveniant in non nihilo, ſeu excluſione nihili, utique enim ſe ipſis excludunt nihil. Quomodo autem perſuaderi poſſit hæc æquivocatio & convenientia in diſparatis? Soleo mihi proponere exemplum hujus, quod eſt ſervitus, v. g. ut comparatur ad duo iſta, ſervire, & ſerviri, in utroque enim audis ſervitutem, ſed planè diſparatam, ut nihil unius ſit in altera, ſed oppoſitum potius; ita hæc accipe de ente quid, & quali: & ne ſtomachari poſſint ulli hoc exemplum, cedo aliud Scotiſtis, quod eſt ipſis familiare de pluribus individuis, quæ apud ipſos ſunt primò diverſa, & tamen tam conveniunt in ratione indiviſibilis, quàm duo hæc in ratione entis.

Inſtari poteſt; ſi ens *quid* deſcendit per corpus prædicamenti, & ens quale per latus, quidquid ſit, an ens quid conveniat cum ente quali, ſaltem duo qualia, ſcilicet quæ ſunt ab utroque latere prædicamenti, & faciunt differentias hinc inde, veluti ramos arboris, hæc inquam, convenient inter ſe ſaltem in ente quali: Reſpondeo id negando, & exemplum jam datum eſſe de individuis.

Objicitur ſecundò, iterum hanc viam impingere in principia Scoti; ſic enim diſponendo ens, modi & paſſiones, &c. non erunt conceptus ſimpliciter ſimplices contra Scotum. Patet ſequela; quia quod eſſentialiter includit conceptum multis communem, & ipſum eſt ab illis multis differens, poteſt reſolvi in plures conceptus, & per conſequens non habet conceptum ſimpliciter ſimplicem, qui eſt irreſolubilis. Reſpondeo, etiam hoc expediendum eſt in præcedentibus: quæro enim ex objicientibus, utrùm conceptus individui, puta Petri, aut perſonæ, ſit ſimpliciter ſimplex, nec ne? negare id, eſt contra Scotum: affirmare autem incidit

Digitized by Google

in hanc difficultatem de incluſione communis & particularis in ſimpliciter ſimplici. Itaque vides nodum eſſe eundem utrobique, neque hanc viam pati aliquid, ad quod expediendum non teneatur alius quilibet Scotiſta.

Objicies tertiò, ſic philoſophando poſſit quis tueri, quòd quodlibet genus includatur in ſuis differentiis, diſtinguendo v. g. in genere ſubſtantiæ de ſubſtantia ut *quid*, & ut *quale*: & dicendo, quòd ſubſtantia primo modo conſiderata, excludatur à differentiis, ſed ſecundo modo includatur in illis; quum tamen nemo neſciat id eſſe contra principia Subtilis. Hæc m hi & aliis viſa ſunt, quæ aliquid facerent contra hanc diſtinctionem & incluſionem entis; ſed enim cætera jam ſoluta ſunt, hoc autem mirum eſt, quòd urgeatur, nam etiamſi dicam, ſubſtantiam illam in quale includi in differentiis, non propterea concedam genus includi in differentiis, quia illa non eſt genus, quum genus ſit in *quid*, illa autem in quale.

Sed inquies, in re ipſa quid dicturus es? Reſpondeo id videri perplexum, quòd ut quiſque videat, dabo rationes dubitandi: Videntur enim differentiæ generis ſubſtantiæ, puta corporeitas ac ſpiritualitas, &c. debere æquè eſſe ſubſtantiæ, ac differentiæ entis entia; quidni enim? Deinde etiam certum eſt omne conſtituens ſubſtantiam, eſſe ſubſtantiale, adeoque differentiæ, quæ ſunt intimæ ei. Ex altera tamen parte, ſi dixero illas includere *quale* ſubſtantiæ, quum jam dixerim, illas includere ens, non erunt illæ ultimæ differentiæ, non erunt conceptus ſimpliciter ſimplices, &c. adeoque. Quod hic propius accedit ad communem Metaphyſicam Scotiſtarum, eſt, differentias illas ſubſtantiæ eſſe proximè ſubſtantiales; non tamen per contractionem entis, ſed immediato conceptu & ſimplici. Cujus exemplum illis eſt illud ſupra ſæpè repetitum de individuo determinato, puta Petro, hoc enim involvit rationem individui, & rationem Petri, non per duos conceptus aut formalitates, ſed per unum ſimplicem. Ita ſimiliter

* * *

Tractant hæc DD.

VLtra Subtil. citat. Angelicus D. 1. *p. q.* 13. *& q.* 7. *de Potent. & q.* 1. *de verit.* Aureol. 1. *d.* 2. *p.* 1. Gerard. *quodlib.* 1. *q.* 1. Apud eundem Ock. & Gabr. 1. *d.* 2. Gregor. *d* 8. Ferrar. 1. *cont. gent.* Fonſ. 4. *Metap. cap. & q.* 2. Caiet. *opuſc. de con ent.* Maſi. l. 1. *de Tranſc.* Ant. Andr. 4. *Metaph. q.* 1. Tromb *ib. q.* 2. Joan. Canon. 1. *Phiſ. q.* 3. Franſciſ. Mayr. *opuſc. de...* Flandr. 4. *Met. q.* 2. Raph. Averſ. *Tom.* 1. *phil. q.* 3. Franc. Suar. *diſp.* 2. *Metaph. c.* 31. *&* 39. Zimar *in Tab. verbo Ens.* Bonett. 1. *Metaph c.* 6. Pendas. *ibid. c.* 1. Ioan. Rada. *Tom.* 1. *controv.* 21. Fab *Theor.* 95. Meuriſ. *lib* 1. *rer. Metaph. q.* 8. Ioan. de Colon. *in qq. Scotic.* Scribon. Panthal. *p.* 1. *d.* 11. *q.* 4. Raccon. *tract.* 2. *Logic. q. & art.* 2. Camer. *p.* 3. *q.* 2. Hurt. *diſp.* 2. *Metaph.* Ponc. *diſp* 69. Arriad. Ovied. &c. hic.

APOLOGIA

Digitized by Google

APOLOGIA TERTIA
De Paſſionibus Entis.

ACTIO I.
Utrùm ens habeat veras & poſitivas paſſiones à ſe diſtinctas?

ACTIO II.
Utrùm unitas conſiſtat in poſitivo, an verò in aliqua negatione.

ACTIO III.
Quid ſit verus conceptus unitatis? & quomodo ſit diſtinctum & ſuperadditum enti?

ACTIO IV.
Quid ſit veritas altera paſſio entis?

ACTIO V.
Quomodo nihilominus poſſit veritas aſſignari enti in paſſionem; idemque de bonitate proportionabiliter.

ACTIO VI.
De Bonitate.
Quomodo ſuſtineri poſſit eſſe Paſſio?

Scot. 2. *d.* 16. *q. un. n.* 17.

ALia ſunt contenta in aliquo unitivè, quaſi poſteriora, quia quaſi paſſiones continentis, nec ſunt res aliæ ab ipſo continente: Iſto modo ens continet multas paſſiones, quæ non ſunt res aliæ ab ipſo ente, ut probat Ariſtoteles in principio 4. Metaph. Diſtinguuntur tamen ab invicem formaliter & quidditativè, & etiam ab ente, &c.

Idem 4. *Metaph. q.* 2. *n.* 13.

NOtandum, quòd hæc quæſtio de ente & uno habet tot difficultates: Prima, an unum dicat aliquid poſitivum? *Si ſic*: Secunda, an convertatur cum ente, &c. Quantum ad primum, habes ſupra q. 2. &c. confirmatur; Privatio nullam perfectionem ponit, unitas ponit, quod probatur, quia in quolibet perfectius eſt ipſum, quàm non ipſum; diviſio enim ubique notat imperfectionem, &c.

ACTIO I.
Vtrùm ens habeat veras ac poſitivas paſſiones à ſe ipſo diſtinctas?

Breviarium.

N. 1. *Poſſe ex Scoto defendi, quòd nulla ſint paſſiones entis.*

2. *Reſolvitur tamen eſſe aliquas, & probatur.*

3. *Argumenta aliqua proponuntur, & ſolvuntur in oppoſitum.*

4. *Argumenta ipſorum Adverſariorum propoſita, & ſoluta.*

1. FAteor in hoc puncto, difficilem eſſe Metaphyſicam noſtri Subtilis, quòd ſcilicet ens habeat veras & poſitivas paſſiones à ſe formaliter diſtinctas, atque etiam à ſe ipſis invicem; haſque eſſe tres illas vulgatas. Unum, Verum, Bonum; ſive, (ut mavis,) Unitatem, Veritatem, Bonitatem, quod ille ſæpè tradit tam in Philoſophia, quàm in Theologia. Si tamen quis vellet ad oppoſitum declinare, poſſet ſe fundare in Scoti tum authoritate, tum ratione. Ipſe enim 4. Metaph. ſum. 2. in explicatione cap. 2. cum Ariſtotele tenet, quòd *idem eſt unus homo, & homo, & ens homo*, ſcilicet ſynonyma, quibus idem ſæpè dicitur, adeoque jam unum & ens erunt indiſtincta; talia enim ſunt ſynonyma. Dices, ipſe explicat hoc de identitate reali unius cum ente. Tranſeat, ſed enim non poteſt explicare de identitate hominis cum ente, quia *homo*, & *ens homo*, ſunt ſynonyma, etiam formaliter, non enim dico aliquam formalitatem, quum dico, *ens homo*, quam non dico, quum dico, *homo*, Verum eſt me explicatius dicere id-

 ipſum

deſcendens in genera prædicamenti, & aliud illa annexa ac lateralia.

Contra tamen adhuc inſtari poteſt, quòd ens illud quale, eſt etiam unum; habebit ergo paſſionem, quæ eſt unitas: de hac jam quæram, utrùm ſit ens quale, an ens illud quid? Primum ſi reſpondeas, patieris totam difficultatem jam poſitam, quod idem ſit paſſio ſui, &c. ſecundum autem eſt adhuc abſurdius, quia ſic ſubjectum redibit paſſioni ſuæ paſſio, unde denique ſequetur proceſſus infinitus ſubjectorum, paſſionum, &c. ergo. Dicendum nihilominus, unitatem illam eſſe unam, ſed ſe ipſa, eò quòd ſit unitas, cujus effectus formalis incipit ab ipſa, quomodo aliarum omnium formarum ab ipſis. Deinde dicere poſſem illam eſſe unam, ut quo, non verò ut quod; neque opus eſſe quodlibet eſſe aliter unum, ſed ſolùm compoſitum, quod eſt abſolutè ens, & abſolutè proinde unum: v. g. homo eſt verè unus, ſed unitas hominis, riſibilitas, & aliæ formalitates ejus, ſicut non ſunt abſolutè entia ſed entis, ita nec ſunt una, ſed unius.

Objicio adhuc ipſe ſic: Paſſiones disjunctæ entis non ſuperaddunt ei novas formalitates, cur ergo ſuperaddent paſſiones ſimplices, quum illæ plus dicant, quia conſtant duobus, ut vides: v.g. Idem & diverſum, neceſſarium, vel contingens, &c. Antecedens hujus ſuadetur, quia ſic infinitæ ferè formalitates, & quidem impertinentes multiplicandæ erunt: v.g. ens ut ſic, eſt ſic ſimplex vel compoſitum, ſimplex vel nihil, vel lapis, ita enim poſſunt fieri infinitæ combinationes cum quolibet uno prædicato conveniente enti, ridiculum eſt autem ad ſingula hæc multiplicare formalitates in ente, ergo. Nego huic conſequentiam, & dico in antecedente erratum eſſe, nam disjuncta illa, quæ apparent, non ſunt propriè paſſiones entis, ſed enumeratio differentiarum aut modorum contrahentium ipſum: vides id apertè in illo disjuncto: neceſſarium & contingens: vides item in alio illo: finitum, & infinitum, &c. Poſſunt quidem eſſe paſſiones in disjunctis, ſed una tantùm in quolibet; ut ſi dicam unum & multa, ibi unitas eſt paſſio, & ita disjunctum continet paſſionem, ſed ratione ſimplicis annexi: patet ergo, quid dicendum ad formam argumenti: ut ſit

ACTIO II.

Vtrùm unitas conſiſtat in poſitivo, an verò in aliqua negatione?

Breviarium.

N. 1. *Expoſita controverſia.*
2. *Vnitatem in poſitivo conſiſtere reſolvitur & probatur.*
3. *Alia probationes adferuntur, & defenduntur: Vbi de ſimplici negatione, & alia, quæ eſt per repugnantiam.*
4. *Objectiones contrariæ ſolvuntur. Multitudo quomodo opponitur unitati?*

1. RESolutio hujus abſtrahit à controverſia Actionis præcedentis, nam quamvis dicatur conſiſtere in poſitivo, poteſt illud poſitivum eſſe ipſum ens quantum ad præſentem difficultatem. Orta eſt autem quæſtio ex eo, quòd unum deſcribatur, eſſe indiviſum à ſe; an hæc indiviſio aut indiviſibilitas, ut voles, ſit ipſa negatio quæ ſonat, an verò poſitivum aliquid, à quo ipſa emanat? Negationem defendit D. Thom. 1. p. q. 11. art. 1. ut referunt ſui, quos longiſſima ſerie deſcribunt Averſ. & Maſtr. hic: Poſitivum placuit Subtili ſæpè. & poſt ipſum ſuis, quos videas apud jam citatos: nec ſolùm ſententiam, ſed etiam rationes à Scoto ſumpſerunt ſequaces. Nobis animus eſt augere patrimonium ad nos tranſmiſſum: unde

Pono & probo concluſionem, quòd unitas conſiſtat in poſitivo. Certum eſt, multitudinem conſiſtere in poſitivo; atqui non poteſt multitudo conſiſtere in poſitivo, niſi etiam unitas conſiſtat, ergo. Majorem probo pluries, quia in ea eſt vis argumenti; Primo ſic, quia in oppoſita via ſequeretur, quòd qui diceret plures non diceret plus: id autem in terminis repugnare videtur. Sequelam probo, quia plures non addunt uni, niſi negationes ſeu nihila: at verò negatio pluries, imò ſæpiſſimè ſumpta, ſemper reddit nihil, non verò quidpiam amplius, ut fert regula Arithmeticorum; cujus contrarium eſt in omni poſitivo, quantumvis minimo, quia hoc multiplicatum auget præcedens, ergo.

Probo eandem ſecundò, quia numerus eſt aliquid poſitivum, idem autem eſt numerus & multitudo, ergo. Probatio hujus aſſumpti eſt, quòd numerus ſit objectum ſcientiæ, ſcilicet Arithmeticæ; & ſi quæ de hoc ſit controverſia, eſt perinde, quia controvertitur, an numerus ſit ens per ſe, non verò, an ſit ens reale. Dicet aliquis, doctrinam illam de realitate numeri currere de numero quantitativo, ſed malè: primò, quia non juvat cauſam ejus, nulla enim eſt ratio, cur numerus quantitativus ſit poſitivus & non alius, non enim differt quantitas ab aliis rebus per eſſe poſitivum, ſed per eſſe corporeum, adeoque ſequetur tantùm, quòd numerus quantitativus ſit materialis, alius non: Secundò, quia numerus ſonorus eſt poſitivus, eſt objectum ſcientiæ, & tamen non eſt quantitatis, ſed qualitatis; non fit ex diviſione continui, ut vult Ariſtoteles, ergo.

2. Probo ſecundò principaliter intentum; quia negatio illa, in qua volunt Adverſarii conſiſtere unitatem, vel ſe ipſa ſequitur ſubjectum, puta ens, vel ineſt mediante aliquo poſitivo priori: ſi ſe ipſa ſine alia cauſa inferente ineſt, jam poteſt abeſſe, ſicut negatio lucis in aëre,

Digitized by Google

& albedinis in muro; ac ſimilium: quæ quia non habent radicem connaturalem in ſuo ſubiecto, poſſunt æquè bene abeſſe & deeſſe: atqui id falſum eſt de uno reſpectu entis; non enim poteſt quidpiam eſſe res, & non eſſe una: ergo iam alterum eſt arripiendum, ſcilicet, quòd unitas ſtet in poſitivo aliquo priori quod erat probandum.

Dices id non fuiſſe probandum, nec facere ſatis: probat enim unitatem exigere poſitivum, non autem conſiſtere in ipſo: Audio & dico plus probare; nam unitas eſt id, ratione cuius repugnat rei dividi; at verò id eſt poſitivum, nam ſola negatio non facit repugnantiam in ſubiecto; non enim repugnat aëri lux, licèt habeat carentiam lucis, nec parieti albedo, licèt iam non ſit albus, aut etiam ſit non albus.

Inſtabis fortè, repugnare per ipſam negationem, nam ſtante ea, non poteſt inferri forma oppoſita ſubiecto. Reſpondeo, id non refert, nam adhuc verum eſt, quod forma illa abſolutè non repugnet ſubiecto, at verò abſolutè repugnat uni dividi, quamdiu ipſum eſt, ac non tantum quamdiu ineſt ei ulla forma ſeparabilis, adeoque.

Tertiò ſic: Nulla negatio poteſt intendi aut remitti; unitas poteſt, ergo hæc non eſt negatio. Probatio maioris in promptu eſt, quia nimirum aut tollitur forma aliqua, aut non tollitur: ſi tollitur tota, non poteſt plus eius auferri; ſi non tollitur, iam non eſt poſita negatio: probatio minoris, quia genus eſt minus unum quàm ſpecies, & hæc quam individuum. Probant aliqui, quia ſimplex eſt magis unum quàm compoſitum, & indiviſibile quam diviſibile: ſed non auſim promittere huic probationi ſecuritatem, nam unitas non dicit indiviſibilitatem, ſed indiviſum eſſe; at verò compoſitus tam eſt indiviſus quàm ſimplex, licèt non ſit tam indiviſibilis: Et poſſumus ſic arguere, aut eſſe indiviſum ſufficit ad unum, aut non ſufficit; ſi ſufficit, certè ſimplex & compoſitum erunt æquè una, quia ſunt paria in hoc, quod eſt eſſe indiviſum: ſi non ſufficit, tum ſanè nullum compoſitum poterit eſſe unum, neque eſſentiale ut animal, neque integrale ut linea, quia nullum horum poteſt eſſe indiviſibile.

Subit etiam ſic arguere ad probationem principalis concluſionis: ſi unitas conſiſtit in negatione, tum oppoſitum unitatis debet conſiſtere in affirmatione ſeu in poſitivo: atqui ita non eſt, ergo neque etiam ita eſt, quod unitas conſiſtat in negativo. Sequela maioris patet, quia privatio non opponitur niſi poſitivo, neque datur negatio negationis. Probo ergo ſubſumptum, nam quod ſupponitur eſſe oppoſitum unius & eſſe poſitivum, non eſt oppoſitum eius, ſcilicet multitudo; hæc enim non ſufficit ſolutioni hic; quia licèt ſit poſitiva, tamen non eſt oppoſitum privativè unitati, eo quod in ipſa multitudine inveniatur unitas: at vero intra unum oppoſitorum privativè non invenitur alterum, quum alterum ſit extinctio prioris, ergo.

Diceret forte quis inveniri unitatem in multitudine, at non ſolam, & in illa ſolitudine negotium eſſe ſitum. Sed contra: quia negatio aliorum poteſt eſſe ſine unitate, ſi enim deſtruantur res omnes, tum erit negatio aliorum ſine dubio, & tamen non erit unitas, quia nec entitas. Deinde ſolitudo illa non negat eſſe aliorum, ſed ſimultatem, nam poteſt quis eſſe ſolus licèt ſint alii etiam, dummodo non ſint cum ipſo.

Unde etiam poteſt fortius formari argumentum in hunc modum: Multitudo eſt quid poſitivum, ergo unitas: valet conſequentia, quia multitudo componitur ex unitatibus: ſi ergo hæc eſt poſitivum, & illa erit, non enim poteſt totum eſſe poſitivum, cujus omnes & ſingulæ partes ſunt negativæ. Antecedens autem eſt ipſorum. Confirmo & urgeo: Multitudo & paucitas non differunt aliqua negatione, neque exponuntur contradictoriè, ergo nec multitudo & unitas: ratio conſequentiæ, quia multitudo fit paucitas detrahendo unitatem: v. g. tres cenſentur multi, unus vel duo pauci; atqui tres ſupra duos non addunt niſi unitatem, ergò. Explico ſic argumentum; multitudo non differt à paucis per nihil, aut per non habere, ſed per aliquid, & per habitum; demus enim oppoſitionem eorum eſſe contradictoriam, tamen poſitivum debet eſſe ex parte multitudinis; hinc autem ſequitur ut ſupra hac ratione, atque etiam prima ratione deductum eſt, ergo. Itaque hoc ſolidè ſtare debet, quòd unitas ſit quid poſitivum, ſive deinde ſit poſitivum ſuperadditum enti, ſive poſitivum, quod eſt ipſum ens, quod fateor non eſſe æquè certum: ſed audiamus Adverſ.

4. Obiiciunt autem ipſi, & volunt unitatem eſſe negationem: cujus rei credas? multitudinis, inquiunt, ſeu pluralitatis? Pluralitas & multitudo realis non eſt carentia, imò eſt repetitio unitatum, unitas autem eſt carentia illarum unitatum, unde ad conſtituendam multitudinem non debet auferri, ſed poni potius entitas; ad conſtituendam unitatem debet auferri, & quò plus additur, eò major redditur pluralitas, & quò plus aufertur, eò redditur minor, ergo jam pluralitas eſt quid poſitivum, & conſequenter unitas, quæ eſt carentia ejus, erit negatio. Hoc eſt, quod decepit Adverſ. putaverunt enim unitatem & multitudinem opponi privativè aut contradictoriè, quod falſum eſt; & quamvis verum, non ſufficeret: Dem enim tibi oppoſitionem horum eſſe contradictoriam, quis definivit Adverſario, poſitivum eſſe ex parte multitudinis? ego enim prætendam illud eſſe ex parte unitatis, & adhuc æquali jure certo. Argumentum etiam adductum non probat, poſitivum non eſſe ex parte unitatis, ſed minus ex parte ejus, quàm ex parte multitudinis: ſcimus autem illa, quæ differunt ſicut magis & minus eſſe ejuſdem eſſentiæ. Nego ergo hæc privativè opponi, nego contradictoriè, ſed contrariè aut quaſi contrariè, ſicut qualitas remiſſa intenſæ, quarum utramque conſtat eſſe poſitivum.

Obiiciunt iterum: Diviſum & indiviſum opponuntur contradictoriè, adeoque unum ex illis erit poſitivum: quòd autem τὸ diviſum poſitivum ſit, & ita unitati, quæ eſt indiviſum relinquitur negatio, ſic probant: Ex duobus contradictoriis unum debet convenire cuilibet independenter ab intellectu, etiam chymeræ: atqui de chymera non eſt verum dicere quòd ſit realiter diviſa, ut patet, erit ergo verum quòd realiter non ſit diviſa: Tum ſic, certum eſt omne prædicatum conveniens chymeræ eſſe negativum, ergo iam

in-

indiviſio eſt quid negativum. Reſpondeo, mirum eſt quod quidam patiantur ſe abripi à ſolida veritate per ſummuliſticam commiſſuram terminorum: potuit autem Ariaga facile ſi vellet videre ſe non attuliſſe hoc perfectam contradictionem; non enim talia ſunt realiter eſſe diviſum, & realiter non eſſe diviſum; quia nimirum ab utrâque parte eſt realitas, atque ita neutra pars eſt pura negatio aut nihil. Patebit autem argumentum nihil efficere ſi accipiamus vera contradictoria, quæ ſunt iſta: eſſe realiter diviſum: non eſſe realiter diviſum: ex quibus ſecundum hoc competit chymeræ; illa enim non eſt realiter diviſa, quia nec realiter eſt.

Dices hinc ipſum haberi intentum, jam enim non diviſum eſt negativum atque ita unitas. Reſpondeo, nondum definivi unitatem conſiſtere in indiviſione: Reſpondeo negationem diviſionis realis utique eſſe negativum quid, aut nihilum, at vero an ipſa diviſio ſit reale quid, ut proinde proprie dicatur diviſio realis, adhuc ſub judice litigari. Alias autem de chymærâ potius verificari diviſionem, nam chymæra ſuo modo eſt diviſa à rebus: v.g. ab homine & monte, quum homo non ſit chymæra, neque mons ſit; non ergo chymæra eſt indiviſa aut indiſtincta ab homine. Confirmo, quia argumentum hoc probaret chymæram non eſſe diſtinctam ab homine, ut vides ſtatim, quod tamen eſt falſum, ergo.

ACTIO III.

Quis ſit verus conceptus unitatis? & quomodo ſit quid diſtinctum, ac ſuperadditum Enti?

Breviarium.

N. 1. *Definitio unitatis per indiviſionem & diviſionem, reprobatur.*
2. *Expenditur alia per negationem multitudinis.*
3. *Verus conceptus unitatis eſt eſſe principium numeri.*
4. *Objiciuntur huic aliqua & ſolvuntur.*
5. *Unum de mente Scoti non eſt quid ſuperadditum enti.*
6. *Ratio etiam id ſuadet: ubi Reſpondetur rationi in oppoſitum.*

1. Hactenus id actum eſt ut probaretur unitas non eſſe negatio, ſed poſitivum quid, atque ita actum eſt potius de entitate quam de formalitate, ac proinde eam hic reſolvere libet. Communiter tenetur illa conſiſtere in indiviſibilitate; ita enim definitur paſſim unum, eſſe indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet alio.

Non placet definitio; quia poſſum exhibere aliquid diviſum in ſe & tamen unum: manus enim hominis, eſt diviſa in quinque digitos, realiter diſtinctos ac ſeparatos, & tamen eſt una manus, & quia hoc fortè non ſatisfaciet, eo quod digiti illi uniantur quaſi in trunco in palmâ manus, adfero aliud, qui eſt numerus ternarius; hujus enim partes plane ſunt ſeparatæ, & in nullo unitæ, & tamen ternarius eſt numerus unus, trinitas una, non vero plures.

Ab hoc poſſit quis ſtatim ſe expedire, dicendo quod definiatur unitas indiviſa à ſe, non vero indiviſa in ſe: ſed non evadit; nam, ut omittam quod ſupponatur falſum, ſcilicet poſſe aliquid dividi à ſe, (unde unitas dicit actum indiviſionis, quaſi impediens contrarium actum qui alias contingeret:) præter hoc inquam, contra dictam viam facit hæc ratio: quod eſſe indiviſum à ſe provenit ab identitate, & per ipſam præſtatur: at vero non ſunt omnino idipſum unitas & identitas, nam idem opponitur diverſo; unum autem opponitur pluribus. Urgeo, poteſt quid deſinere eſſe idem & tamen non deſinere eſſe unum, uxor Loth converſa in ſtatuam non fuit eadem ante & poſt converſionem, & tamen utrobique fuit una.

Alii ergo ponunt unitatem in negatione multitudinis; & ſane quoad hoc, ni fallor, conſultius: nam vix habeo contra eos aliud præter dicta, ſive ultra ea argumenta quæ perſuadent unitatem non eſſe omnino negationem, debet enim omnino poni in aliquo quod tollat multitudinem, nam nihil debet definiri per poſterius, ſicut nec poteſt conſtitui per ipſum; ſed quodlibet conſtituendum, & definiendum eſt, ſicut etiam demonſtrandum eſt per priora. Placeret hæc ratio niſi faceret contra meam viam quam ſtatim adferam; ſed etiam differam examen ejus eò, nunc aliter ſuadeo intentum; quia nihil non eſt multitudo, nec tamen eſt unum, ergo non eſt idem eſſe unum, & non eſſe multa: major eſt evidens: minor ſuadetur quia non eſt ens; unitas enim, ut ſupponitur inter nos hinc indè, eſt paſſio entis.

3. Dicendum ergo mihi videtur pro nunc quod unitas ſit principium numeri: hoc eſt propriiſſimum conceptum, quem nos poſſumus formare de unitate eſſe, quod illa ſit principium numeri. Hanc colligo fere abſolutè ex noſtro Subtil. 4. Metaph. q. 2. ubi: *notandum* (inquit) *quod ejuſdem non ſunt duæ unitates, ergo in quocunque eſt unitas, quæ eſt principium numeri, in illâ non differt realiter ab unitate convertibili cum ente, &c.* Quo loco, quum hoc tantum diſcrimen ponat quod unitas ut ſic non eſt limitata, quæ eſt principium numeri eſt limitata; planè quomodo dicimus de ente ut ſic quod in creatis debet eſſe limitatum, & nihilominus ſecundum Scotum eſt univocum Deo & creaturis. Perſuaſi mihi hanc primò, quia hic conceptus eſt poſitivus. Deinde quia eſt maximè proprius ex omnibus qui occurrunt: Alias probationes non quæram, contentus refutationibus aliarum ſententiarum, & ſolutionibus objectionum quæ ſequuntur.

Digitized by Google

Prima eſt illa quam jam ſupra poſui contra aliam viam ſupra: quod ſcilicet ſic deſcribatur unitas per poſterius. Reſpondeo, hoc efficiet fortaſſis ne iſta ſit perfectiſſima deſcriptio abſolute, non efficiet ne ſit quod dixi perfectiſſima ex iis, quas nos ei poſſumus aſſignare. Deinde exhibeo ſic arguentibus aliquas definitiones tales quas ipſi approbant: nam Materiam primam definiunt per compoſitum, aut ſaltem per formam, quum tamen tam forma quam compoſitum ſint poſteriora ipſa. Principium & cauſam definiunt per effectus, & denique partem per totum.

Objicio etiam ſecundò: In ſententia componente continuum ex indiviſibilibus punctum eſt principium quanti; non tamen definitur per hoc ne ab ipſis quidem qui hanc compoſitionem tuentur, ergo nec licuit ſic definire unitatem, quod ſcilicet ſit principium numeri. Reſpondeo in illâ ſententia benè ſic deſcriberetur punctum: (unde etiam uſurus eram hac ratione pro meo intento:) quod autem ita non fiat, cauſa videtur eſſe, quod in tractatu de Continuo, & concurrentibus ad ipſum utendum fuit definitionibus, quas utraque pars admitteret, alioquin non in ſola concluſione diſſentirent, ſed etiam in principiis.

Objicio tertio: ſi unitas bene diceretur eſſe principium numeri, tum Deus non eſſet unus, quum tamen ille ſit ſummè unus ſuper cætera omnia; ſequela patet, quia non poteſt dari numerus Deorum, adeoque nec dari unitas ſeu principium illius numeri: nam minimus numerus eſt binarius, & tamen non poſſunt eſſe Dii ne duo quidem, & ita jam non poteſt dari principium reale ejus, non enim poteſt dari realiter principium alicujus impoſſibilis, alias illud non eſſet abſolute impoſſibile, cum jam aliquid ejus ſit poſſibile. Reſpondeo negando ſequelam, & ad probationes omnes dico inprimis, quod ruant: quoniam etſi Deus non poſſit numerum facere cum alio Deo, eo quod alius non ſit, tamen poteſt facere cum creatura; ſic enim dicitur primum ens, utique reſpectu ſecundi & poſterioris: Et ſine dubio Deus non eſt idem cum creatura, adeoque erit aliud, & ita ambo, duæ res erunt. Sed quia hoc ipſum non eſt tam propriè dictum, & Doct. non videtur id approbare: ſecundò dico unitatem eſſe principium numeri adhuc, licet reliquum illius ſit impoſſibile, idque bene poſſe fieri, quia non eſt neceſſe ut omnes partes impoſſibilis ſint impoſſibiles: Impoſſibile eſt aliquid quod ſit homo & hircus, homo & chymera: & tamen homo qui eſt pars hujus impoſſibilis eſt poſſibilis: Imo in priori exemplo omnes partes totius impoſſibilis ſunt poſſibiles.

5. Jam ad alterum punctum: utrum unitas ſit formalitas propria, & ſuperaddita enti? equidem niſi viderem Doctorem ab affirmativa parte eſſe, non affirmarem, propter ea quæ ſupra tetigi, & alia. Adeo videndum eſt num ille hic hæreat in affirmativâ parte conſtanter ut putatur; non credo equidem, & adhuc ipſummet adduco, aut approbantem oppoſitum, aut certe dubitantem de iſtâ parte: nam quodlibet 2.n.7. dicit in ſuo diſcuſſu, & in margine tanquam mens ejus annotatur, quod *nihil habeat ſuam unitatem ab aliquo ſe poſteriori*: Scotiſtæ dicunt hanc ſuam formalitatem eſſe poſteriorem ente, ergo jam ens ab illâ non poteſt habere unitatem. Sed luculentius 2. diſt.q.1. oſtendit ſe non adeo approbare hanc diſtinctionem unitatis, & entitatis: ipſum exſcribo. *Reſpondeo* (inquit) *in ente communi unitas vel idem eſt quod ens, vel eſt paſſio immediata conſequens ens, & ideo non poteſt demonſtrari de ente; quia ſi demonſtraretur, aut hoc eſſet ex definitione ſubjecti, ſcilicet entis vel unius: ſed iſta ſunt transſcendentia, & non habent definitiones, &c.* Audiant Scotiſtæ qui tam animosè jactant oppoſitum tanquam mentem Scoti, quum hæc opera à me citata ab ipſis præ cæteris adorentur; ſcilicet ſententiæ & quodlibeta.

Attuli etiam rationem aliquam hujus ſupra: quod ſcilicet ens licet decorticatum & nudatum ab illâ paſſione ſuperadditâ adhuc eſſet unum; non enim multa, non enim nihil. Quam rationem quùm deſcripſiſſet Poncius noſter ſub aliis terminis, quod ſcilicet tunc deberet habere partes diviſas, aut partes indiviſas; non diviſas, adeoque indiviſas: atque ita unum: reſpondit, (ni fallor) male, quod ſcilicet haberet partes diviſas & indiviſas; iſta enim contradictio eſt indiſpenſabilis, quia una pars deſtruit aliam, neque eſt quod ille putet ſibi omnia licere poſito illo caſu: nam caſus non eſt tam impoſſibilis, ſed illimet etiam ſuo modo admittendus; nam licet non poſſit ſeparari unitas ab ente realiter, poteſt formaliter, & poteſt per intellectum. Tum autem quæro, utrum ens ſit unum, an multa formaliter? redit in anguſtias ille, nec evadet niſi admittendo emphaſin rationis in argumento poſitæ.

Addo hanc alteram probationem: Impoſſibile eſt aliquid reddi unum per id quo ſit multa, ſeu per id cum quo facit numerum: ſed ens facit numerum ſeu facit multa cum illa formalitate quam tu addis, ergo non poteſt per illam fieri unum. Minor oſtenditur, quia ens & illa unitas ſunt duæ formalitates apud te; aut certe nega mecum unitatem eſſe novam formalitatem, & evaſiſti.

(*,*)

ACTIO

Digitized by Google

ACTIO IV.

Quid ſit Veritas altera paſſio Entis.

Breviarium.

N. 1. *Apparatus ad reſolutionem: Mens Doct. noſtri Subtilis.*

2. *Veritas eſt integritas & ſoliditas eorum quibus quaque res aebet conſtare?*

3. *Objicitur in contrarium, & reſpondetur Veritas propoſitionis an hinc excipienda?*

4. *Veritas non eſt verè paſſio entis.*

1. IN hoc puncto, & partim in ſequenti de bonitate videre & mirari eſt authores contra animi ſui ſenſum ſententiam ferret quum enim viderent apertè ipſius naturæ lumine verum opponi falſo, aut ficto, eſſeque quod ſolidè tale eſt, adeoque intimum cuivis rei, ut nihil magis, nihilominus ne neſcire putarentur quod apud omnes ſonat, invenerunt vias qua hanc rei intimá veritatem compagibus ſuis avulſam extrâ traherent & redderent proprietatem: In quo quid eos deceperit, infrà explicabo: quùm prius Subtilis mentem ac Methodum expoſuero.

Igitur ille, à me veſtigatus in opere ſentent. & quodlibetis quæ ſunt duo ubera ejus, & duæ tabulæ teſtamenti quibus ſtandum eſſe Scotiſtæ ubique cenſent, de his non aliud deprehenſus eſt ſtatuere, quam aut ſupponere eas prout circumferuntur, aut certè in dubium revocare: nam in prim. diſt. & quæſt. 3. docet *ens non eſſe univocum dictum in quid de propriis paſſionibus*: ubi (ut vides) ſupponit paſſiones entis; tamen in probatione deinde, arguit tantum de unitate, unde ex hoc loco non poſſunt deduci veritas, &c. imo præbet fundamentum, in oppoſitum declinandi, nam pro pluralitate paſſionum entis adfert Philoſophum ex 4. Metaph. c. 3. ubi vult quod *ſicut Linea in quantum linea habet proprias paſſiones, & numerus in quantum numerus, ita ſunt aliquæ paſſiones entis in quantum ens:* at vero paſſiones lineæ, & paſſiones numeri ſunt diſiunctæ, puta rectum & curvum; par, & impar, atque ita retinendo paritatem videretur ens non habere abſolutas aut ſimplices paſſiones ſed diſiunctas, & in 4. diſt. 49. quæſt. 4. propendet in negativam horum: *ſed fortè nec verum, nec bonum ultra ens dicunt rationes abſolutas.* Tamen quia alibi paſſim non modo aſſerit ſed ſupponit eas: 2. diſt. 7. quæſt. un. *dico quod ultra bonitatem naturalem volitionis quæ competit ſibi in quantum eſt ens poſitivum, quæ etiam competit cuicunque enti poſitivo ſecundum gradum ſuæ entitatis.* Ecce expreſſe numerat & nominat bonitatem tanquam proprium entitatis: quod etiam facit de vero, aut veritate in 4. diſt. 49. quæſt. 4. unde abſolute incumbit nobis explicanda ipſa in hoc tractatu de paſſionibus entis; & quia veritas eſt id quod toto hoc opere indagamus, paulo anterius ipſam prehendendo.

2. Dico veritatem rerum conſiſtere in naturali perfectione eorum, ſive in ſoliditate atque integritate eorum quæ talem eſſentiam conſtituunt & integrant. Hanc ſimplicem & proinde certam regulam veritatis mirum eſt quot ambagibus alii circumveniunt: ut legere eſt apud D. Thom. 1. p. q. 16. & ante apud Alenſ. noſtrum ib. q. 15. Aureol. item noſtrum, 1. d. 19. Quidam eam conſtituunt in negatione apparentis aut ficti, vel falſi, ſic enim intelligitur aurum verum: v. g. quod non eſt fictitium aut falſum: & Deus verus dicitur ad diſcrimen eorum, qui falsò dii dicuntur quùm tales non ſint.

Odi hanc explicationem, quamvis ex pluribus aliorum ſit optima: moveor autem; quia præpoſterè res diſponit conſtituens veritatem in negatione aut nihilo, falſitatem autem in aliquo, & in vera re, quod videtur contra venire rationi ac naturis rerum, quum veritas ſolida ſit, & dici debeat, falſitas autem inanis: Et nihilominus ſic Philoſophantes (quæ ſit ſecunda ratio contra ipſos) veritatem in poſitivo conſtituunt: nempe ſtatuunt eam in negatione falſitatis: negatio autem falſitatis eſt poſitivum, eò quod falſitas ipſa ſit negatio, nec detur negatio negationis, ſed negatio illius ſit affirmatio, ſive poſitivum quid & vera res. Quod falſitas ſit negatio videtur evidens, quia eſt defectus, ſive abſentia alicujus: nam falſum aurum, v. g. ideo tale eſt, quia deeſt ei ſolida eſſentia auri & ſic de cæteris. Alias explicationes, vel verius implicationes vide apud citatos, & præterea Paſchaligium hic diſp. 65. Averſam Tom. 1. Philoſ. ſect. 2.

Meam reſolutionem ſuadeo primo ex phraſi authorum ſic loquentium: in primis ſacrorum. Ezech. 18. operibus aut actionibus tribuitur veritas haud dubie in eſſendo, non enim in dicendo aut ſignificando. *Vir ſi in præceptis meis ambulaverit, & judicia mea cuſtodierit ut faciat veritatem,* id eſt quæ debet, unde jam debita conſtitutio rei eſt veritas: Huc alluſit Salvator. Joan. 3. de Nathaniele dicens *ecce verus Iſraëlita in quo non eſt dolus*: ubi ſubſiſtentiam oppoſitam apparentiæ vocat veritatem: & ibidem è contra dicit *diabolum in veritatem non ſtetiſſe*, id eſt in debito ſui muneris, in quem locum ad noſtrum propoſium egregie commentatur Anſel. in Dialog. *ſed & in voluntate dicit ipſa veritas veritatem eſſe quum dicit Diabolum non ſtetiſſe in Veritate: non enim erat in veritate, neque deſeruit veritatem niſi voluntate, ſi enim ſemper voluiſſet quod debuit nunquam peccaſſet.*

Ariſtoteles 3. Metaph. tex. 4. *Vt ſecundum eſſe unumquodque ſe habet, ita etiam ſecundum veritatem.* Ubi vides menſuram veritatis eſſe ipſum *eſſe.* quod non minus ſolide quam ſuccinctè expreſſit Auguſtinus 2. Soliloq. 5. *Verum eſt id quod eſt.* Et lib. de ver. Relig. *Vera in tantum vera ſunt, in quantum ſunt.*

Digitized by Google

Ratio hujus cuique occurrit; nam quùm ſit quodam modo prima veritas, conceptus ipſius veritatis ſtatim ſe prodit, & apud omnes eſt idem, nam verum aurum eſt, quod habet debitam conſtitutionem & conſtituentia auri, non vero adulterina: Deus verus opponitur factitiis; homo verus homini picto, & ſic de cæteris, ergo jam veritas ſita eſt in ſoliditate requiſitorum ad talem naturam quæ fuit reſolutio data. Et ulterius explicatur ac confirmatur quaſi per rationem à priori totius, nam verum eſt quod opponitur falſo vel potius cui opponitur falſum: at vero falſum eſt, cui deſunt eſſentialia & conſtitutiva rei, quamvis ea præſeferat; ergo verum erit cui illa adſunt; nec ulterius hærendum eſt in re cuique notâ.

3. Objiciam nihilominus aliqua, ut magis innoteſcat: quidquid de aliis ſit, ſaltem propoſitio vera non poteſt ſic intelligi aut explicari: & multo minus veritas ejus: hæc enim conſiſtit in conformitate dicti ad objectum extra: non vero in iis quæ nos ponimus. Quod amplius oſtenditur quia propoſitio falſa habet omnia quæ nos requirimus ad veritatem; & tamen clarum eſt quod falſa non ſit vera: patet antecedens quia illa etiam conſtat ſuis extremis & copula: quod niſi ita eſſet, fieret ut neque vera propoſitio iiſdem conſtaret; eadem enim ex verâ poteſt fieri falſa, ſecundum pleroſque, adeoque. Reſpondeo, huic inventioni occurri attendendo & diſtinguendo materiam in eſſe propoſitionis, & in eſſe rei: probat bene arguens veritatem illius quà propoſitio eſt conſiſtere in conformitate ad objectum, nos autem agimus de veritate ejus in eſſe rei, quo in genere omnis propoſitio eſt vera: ſivè conformis, ſive difformis objecto: neque vero id eſt ſingulare in propoſitionibus, ſed commune omnibus ſi attendatur, nam etiam aurichalcum, licet ſit falſum aurum eſt verum ens: & idolum licet nihil minus ſit quam verus Deus, tamen eſt veriſſimum metallum, puta æs aut ſtannum, &c. ſed adhuc contra

Objici poteſt, non ſufficere regulam aut definitionem datam: ut ſcilicet verum ſit quod habet omnia requiſita, & conſtituentia talem ſpeciem: hoc enim videtur improbari per ipſam probationem concluſionis: verum enim opponitur falſo, ut ibi aſſumptum eſt, at verò falſum non eſt cui illa deſunt: ſed cui deſunt quum appareant adeſſe: ergo ſimiliter illi definitioni veri addendum erat quod requiſita & conſtituentia appareant adeſſe. Nego tamen conſequentiam huic; imò nego etiam conſequens: nam verum tale eſt licet eſſe non appareat: quod unico verbo aut exemplo conficio; ſine dubio eum Deus eſt, fuitque ſemper verus, & verè talis, & tamen non apparet nec apparuit ullis hactenus: Itaque ex duobus illis quæ ſunt in falſo, ſcilicet apparere quùm non ſit, alterum hoc eſt quod competit proprie ratione falſitatis, ſcilicet, non eſſe ponimus, ſcilicet apparere, non; nam etiam vera apparent ſubinde eſſe quod ſunt, unde patet hoc quod eſt apparere; eſſe commune vero & falſo: ex quibus patet in formâ ad argumentum, ne moremur.

4. Addo huic dicto, & dico veritatem non eſſe paſſionem entis. Hæc jam probata eſt in præcedentibus quia nimirum veritas eſt eſſentia ipſa, (& ipſa conſtituentia) rei, aut rectius, eſt ſoliditas conſtituentium; unde patet eam non poſſe eſſe paſſionem. Urgeo & explico: Ens & verum ens ſunt Synonyma, ergo unum non poteſt eſſe paſſio alterius, patet conſequentia de ſe; Antecedens autẽ, quia quod non eſt vere tale non eſt tale, nam quod non eſt vere tale debet eſſe falſo tale: at verò eſſe falſo tale eſt non eſſe tale, in hoc enim conſiſtit falſitas, ergo.

Arguo etiam ſic: quod competit pluribus non poteſt eſſe paſſio unius, etenim hæc eſt propria ut ſupponimus; atqui veritas competit aliis ab ente ut ſic, competit enim aliis generibus infra ipſum, & ſpeciebus quoque, imo omnibus omnino rebus, omnes enim & ſingulæ in ſuo genere veræ ſunt. Dices argumentum eſſe in oppoſitum, nam paſſio entis eo ipſo debet rebus omnibus convenire, quùm ipſum ens eis conveniat, adeoque. Sed ratio ſtat hoc non obſtante, nam licet paſſio ſuperioris competat inferioribus, non tamen competit eis propter proprias rationes, ſed propter communem: eſſe ſenſitivum debet convenire homini, at non qua homo, vel rationalis eſt, ſed quâ animal. At verò in propoſito veritas competit particularibus naturis non tantum qua entia ſunt ſed qua talia & particularia: nam aurum, v. g. non tantum eſt verum ens, ſed eſt verum aurum.

Proſequor priorem rationem: ſi enim ens & verum ens non ſint ſynonyma, tum τὸ verum aliquid dicer quod non dicit ens, eritque quid ſuperadditum ei tanquam differentia quædam: atqui hoc eſt falſum, ergo aſſumptum illud in argumento erit verum. Minorem probo, quia differentia illa deberet diſtinguere ſuum contractum & conſtitutum ab alio oppoſito membro, hoc autem non facit, quia non datur aliud: nam membrum contrapoſitum enti vero eſt falſum: at vero falſum ens non eſt ens, ergo.

Ultimo arguo ſic pro intento: ſi veritas rerum ſit paſſio & poſterius ipſis accipio rem ipſam cujus eſt, in illo priori, v. g. aurum, & quæro num ſit verum aurum? num habeat eſſentialia auri, &c. Non poteſt dici quod ſit, quia tum eſſet verum ſine veritate quod implicat in terminis, ſed tamen hypotheſis eſt quod ſit verum aurum, de tali agimus, vel ſi non agimus, agamus.

Proſequor hoc argumentum: nam ſi veritas ſit paſſio conſequens, ſequitur veritatem à falſitate provenire, & verum à falſo: quod certe difficile eſt, quum effectus non poſſit ſuperare perfectionem ſuæ cauſæ: Et quia ludere poſſent hic Dialectici cum ſuis regulis dicendo etiam ex falſo ſequi verum, moneo me non loqui de ſignis, ſed de rebus, adeoque non de veritate in ſignificando qualis eſt Dialectica illa propoſitionum, ſed de veritate & ſoliditate rei in eſſendo, & dico ſic non poſſe ſolidum aliquid ab inani provenire: aut verum à picto vel ficto, quod videtur ex terminis evidens, & tamen eſſet evidenter falſum niſi fallerentur Adverſarii, nam paſſio illa provenit à re, & eſt vera ac ſolida, imo ipſa veritas, & tamen id à quo provenit nec verum nec ſolidum eſt, eo quod ſit ſine veritate, adhuc enim conſideratur ut antecedens & ita ſeparatum à ſuâ veritate, ſed contra omnia inſtabis adhuc, &

Objicies ſic. Veritas dicit conformitatem unius ad aliud: at vero conformitas non poteſt intelligi in re ſimplici, quùm ſit relativum quid, adeoque requirens plura, ergo falſum eſt veritatẽ ſtare intra ipſam eſſentiam cujuſque. Reſpondeo hoc eſt quod volunt animo Adverſarii, ſcilicet veritatem in ſignificando, quum quæſtio ſit

ſit de veritate in eſſendo, eſt enim de illâ entis ut ſic; quod ſine dubio non eſt ſignum:ſed

Dices denique; ſic negas paſſionem hanc enti: Nego me negare in re: ut deinceps patebit.

Adverſarii autem concedunt veritatem ſed negant paſſionem, nam veritas ab ipſis hactenus admiſſa non eſt paſſio nec eſſe poteſt, ut jam deductum eſt.

ACTIO V.

Quomodo nihilominus poſſit Veritas aſſignari Enti in paſſionem? Idemque de Bonitate, proportionaliter?

Breviarium.

N. 1. *Improbabilis doctrina* D. *Tho. & ſuorum.*

2. *Reprobatur pluries: & ſtatuitur Veritas eſſe cognoſcibilitas ſive intelligibilitas rerum.*

3. *Objicitur in Contrarium, & reſpondetur: Negationes, an? & quomodo intelligibiles.*

4. *Objicitur adhuc Bonitas entis num ſit veræ*

1. DE vero conceptu Veritatis dixi & obfirmavi meum ſenſum, retuli & refutavi alienum; nunc de eo quod in præſenti negotio dicitur Veritas, & aſſignatur Enti in paſſionem id ipſum faciam: & primum quidem eò facilius, quod nec ipſis Adverſariis placet per omnia, quod coguntur dicere. Gabr. Vaſquez palam hic taxat explicationem S. Thomæ, dicitque ejus doctrinam ſibi non conſtare; eſt tamen communis ſequentium: Unde eam verbis ipſius S. Doctoris referam: ait ergo ille 1p. q.17. *Vnaquæque res dicitur vera abſolutè ſecundum ordinem ad intellectum à quo dependet: artificiales per ordinem ad intellectum noſtrum: dicitur enim domus vera quæ aſſequitur formã, quæ eſt in mente artificis &c.* in quibus dicit res naturales eſſe veras, quia aſſequuntur ſimilitudinem ſpecierum ſeu idearum, quæ ſunt in mente divina. Hæc ille, quæ ipſius diſcipuli in diverſum trahentes quilque ad ſe rapit: nam cum in intellectu ſint plura, puta ſpecies intelligibiles, actus cognitionis, & conceptus objectivus, qui eſt ipſa res cognita, aliqui Thomiſtæ *a* volunt veritatem eſſe conformitatem ad conceptum objectivum, *b* alii ad conceptum formalem, *c* alii denique ad ſpeciem.

Omnes autem decepit vox illa Veritas, quæ huc ex penuriâ linguæ, non ex philoſophicâ proprietate irrepſit: nam quum hæc paſſio explicanda ſit cum quadam connexione ad intellectum, & veritas quam maximè ad ipſum pertineat, authores indiderunt huic paſſioni nomen veritatis: ſicut alibi viderunt ſine errore factum; nam etiam in Divinis Verbum Dei dicitur veritas, & ſapientia Dei veritas &c. Quæ omnia accipienda ſunt ſano modo; nec philoſopho liberum eſt, aut licitum obſcuritatem ſcripturæ ſequi, ut nec ſcriptura attendit rigores philoſophorum in loquendo.

2. Ut ergo truncemus filum prolixitati: Dico hãc quæ eſt ſecunda Entis paſſio, & dicitur potius quam eſt Veritas, conſiſtere in Intelligibilitate. Hanc expreſsè non lego in Subtilis ſive ſententiis, ſive Quodlibetis. Licet 4 d. 49.q.4. præbeat ei fundamentum comparans veritatem & bonitatem ad Intellectum & Voluntatem & juxta hoc expendens eorum nobilitatem. In Metaphyſica tamen clarè dicit ipſum, quod concluſio poſita: *Per comparationem ad intellectum dicitur res vera, quia ſui manifeſtativa, quantum eſt, eſt de ſe, &c.* & ita intellectus eſt à veteribus Scotiſtis, nam Petr. Tartar. exponens eum in 4. cit. docet de eius mente ejuſmodi affectiones præ ſe ferre ſupra ens quaſdam aptitudines, ſcilicet verum aptitudinem ad manifeſtandum ſe cuilibet intellectui. Bonum vero aptitudinem ad communicandum ſe alteri. Recentes etiam diſcipuli eius, hoc aut aſſerunt aut ſupponunt. Unde Ang. Vulpeſ. permittens teneri, quod Veritas conſiſtat in conformitate ad Deum producentem, *Tom. 1. 1. part.* aperte Thomiſat. declinat enim ad explicationem eius per conformitatem ad artificem & ideas; quanquam aliàs ille inſignite textualis nihil magis quam Scotum crepet.

Ante hanc autem dicendum fuit nequaquam eam conſiſtere in conformitatibus, aut affinitatibus Thomiſticis, ſive ad cognitiones, ſive ad ſpecies: quod ſanè quiſque facile credet, qui negotium liberâ acie, & non præoccupatâ domeſticis principiis attenderit. In primis enim quum nihil minus dignum philoſopho ſit, quam circuite in ratione aliquorum reddenda; tamen hic illi rotundum circulum deſcribunt. Quum enim quæritur cur aliqua cognitio ſit vera? reſpondent cum Ariſtotele: eo quod eſt conformis objecto; ex eo enim quod res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera vel falſa: Hic etiam quum quæritur cur? aut quomodo res aliqua ſit vera? reſpondent, quia eſt conformis cognitioni? *ex hoc in hoc!* *Pſal. 74. verſ. 9.* nam quis non videt circuitum? Gabr. Vaſq. non nimis addictus Thomiſticæ vetuſtati declinavit paululum impetum argumenti, aſſerens res eſſent veras, non quia ſint conformes cognitionibus, ſed quia cauſant, aut cauſativæ ſunt cognitionis veræ. At enim, fugit ille non vitavit difficultatem, etſi parum moratus ſit eam: Si ſteriſſet ille in primâ parte reſponſionis ſuæ, jam fœliciter impoſuiſſet finem negotio, quia concluſionem noſtram profiteretur utcunque, revera enim ideo vera eſt res, quia cognoſcibilis, ſed quum addit hoc, quod eſt cognitio *vera*, circumfertur ferè non minus quam alii quos deſerit, quia denique illa veritas explicanda eſt per conformitatem ad objectum, & tamen objectum explicat per conformitatem ad cognitionem.

Adhuc etiam non valenter minus quam frequenter impugnari poteſt hæc Thomiſtica traditio, quam impoſſibile eſt extendere ad omne omninò Ens, quum tamen Veritas ſic debeat extendi, ſi enim, ut vult D. Thom. domus v.g. ideo vera eſt, quia æquat ideam artificis, ipſa idea, quæ

Digitized by Google

ſcripturæ phraſi, quæ ſpecialiter attribuit unitatem primo, quamvis in quolibet ordine ſingula ſint unum ſine dubio, tam ſecundum, tertium ac quartum &c. quam primum. Gen. 1. de primâ die Mundi. *Factum eſt veſpere dies unus*, id eſt primus. At enim etſi hæc deſint, tamen non impedient probationem præſentem: ſumus enim in Veritate, & ſecunda paſſione Entis, (primam enim expedivimus jam ſupra) quæ certiſſimè modo noſtro ad intellectum pertinet, aliorum modo non: adeoque, dices hanc probationem officere veritati ſaltem alibi: habemus enim traditum & creditum hominem eſſe ad imaginem Dei præ cæteris: at vero hæc ratio videtur velle perſuadere, quod omnia omnino ſint imago Dei, etiam oves & boves, inſuper & pecora campi, imò ipſe campus & ligna, ac gramina ejus. Reſpondeo me contentum eſſe paucis; ſufficit mihi & rationi, in homine imaginem Dei eſſe, in aliis veſtigium, quæ quomodo diſtinguantur, non eſt hujus loci proſequi; non poteſt deficere ratio, eo quod abundet, ſi plus probet quam quæritur, copiâ laboramus cuius facillimum eſt remedium. Videatur Magiſter 2. d. 17. ubi quærit: *Quomodo in creaturis appareat veſtigium Trinitatis?* qui enim modum quærit, ſubſtantiam ſupponit, ſufficiat audire Au-
10 guſtin. *Oportet ut creatorem per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpicientes, Trinitatem intelligamus, huius enim Trinitatis veſtigium in creaturis apparet.* Jam ad pleniorem rei intellectum opponam mihi aliqua, quæ faciunt difficultatem.

Primò: quia hoc quod nos vocamus Veritatem, alteri ab ente competit: at verò paſſio rei nulli alii poteſt competere, ergo illa non eſt paſſio. Major in quâ eſt vis, patet in negationibus ac privationibus, quæ non ſunt entia, ſed ſunt potiùs non-entia, & tamen intelliguntur: ergò jam, aut hoc quod eſt intelligi non eſt illa vera paſſio entis, aut certe paſſio eius alteri ab ipſo competit. Hæc ratio contra nos ſpecialiter urgeri poſſet; clarum eſt enim etiam præſcindendo à negationibus aliqua intelligi, quæ non ſunt entia apud nos, ut conſtat ex dictis de univocatione Entis ſupra, ſed ad hoc ſtatim infra redibitur. Interim ad principale argumentum: dico facilè me expediendum ab illius difficultate, ut ibi jacet: Dicam enim non intelligi à me tunc nō-entia, aut negationes, vel nihila, ſed res; intelliguntur enim abeſſe entia, non vero adeſſe non-entia, atque ita intellectio terminatur ad ens: negando ſcilicet ipſum, non vero ad nihil affirmando ipſum ut imaginatur & ſupponit arguens. Quod vero negotium fiat meo modo, nō ipſius, perſuadere poſſem, quantum ad præſens, quia nimirum modo illius nunquam cognoſceretur negatio ſine errore: (vides quæ Veritas;) dicere enim quod non eſſe *ſit*, eſt aperte falſum cum ſit apertè contradictio.

Expedivi me per hæc ab argumenti principalis difficultate; non item à ſubjuncto ibi ad hominem contra Scotiſtas: Apud nos enim entia rationis non ſunt entia, niſi æquivocè aut pictè, vix magis quam negationes. & tamen clarum eſt ea intelligi; quum etiam ſint plurium ſcientiarum objecta, Logicæ, Ethicæ &c. His autem non poteſt applicari ſolutio jam aſſignata, eo quod hæc non ſint negationes vel non eſſe, ſed poſitiva, adeoque. Hoc non parum premit; ſed expectetur ſolvendum infra nunc, urgeo dicta &c.

Oppono ſecundò: ſi explicanda eſſet Veritas hoc noſtro modo, non daretur omninò falſitas, hoc autem eſt falſum, quia deſtruit ipſam veritatem; ſi enim non ſit falſitas, nec veritas erit, quum oppoſita ſe inferant & deſtruant ut patet per omnia; ne Ariſtotelem producam hoc idem dicentem: patet tamen ſequela, quia non poſſumus concipere aliquid inintelligibile; nam cum conceptus ille ab intellectu & in ipſo ſit, inintelligibile jam eſſet intellectum. Reſpondeo hoc argumentum oriri ab imaginatione illa Adverſariorum, quâ putant veritatem Entis eſſe illam intellectus in affirmando aut apprehendendo, vel certè denominationem reſultantem ab illa in objectum &c. ut ſupra. quorum nihil ſubſiſtit ut vidimus. Itaque dandus eſt commeatus ampliſſimus conſequenti & conſequentiæ: non enim hæc Veritas eſt correlativa, aut oppoſitum falſitatis, ſed eſt abſolutum quid, non habens contrarium, niſi nihil, (ſicut ipſum ens) imò forte nec ipſum nihil, quùm videatur etiam ſub illo contineri.

Obiicio ultimo: Veritas hoc modo explicata competit bonitati, ſed certum eſt quod Veritas, quæ eſt paſſio Entis non convenit bonitati alias non ſoli Enti conveniret, atque adeo nec eſſet ejus paſſio, ergo denique à nobis non eſt explicata adhuc Veritas quæ eſt Entis paſſio. Probatio majoris non eſt quærenda: patet enim bonitatē eſſe intelligibilem, & à nobis intellectam: quomodo enim alias poſſemus aſſignare eam Enti in paſſionem? Minoris autem ratio eſt iſta, quia veritas non eſt ens, ſed paſſio ejus. Idem argumentum formari poteſt de unitate, ut cuique patet. Et ego proinde, nec minus ob difficultatem in objectione prima, ſupra motam & ſubjunctam. (Salva ſemper authoritate eorum, quibus deferendū eſt,) cenſeo Veritatem, ac bonitatem eſſe quidem Entis paſſiones, at non omni modo, non quarto præſertim, hoc eſt non ſoli competere, etſi omni & ſemper. Quid enim nos ad hoc cogit? Quo Concilio? ubi Ariſtotelis hoc definitum legitur? Imò ſi de intelligibilitate motiva accipienda & intelligenda ſit iſta Veritas, nec omni, nedum ſoli, conveniet, nam relationes ſunt ſplendidè entia, & tamen non movent ad ſui cognitionem.

Poſſet tamen quis ſubterfugere vim argumenti dicendo eſſe veram ſeu intelligibilem, ſed veritate, & intelligibilitate Entis; nam quum ſit realiter identificata enti, ſicut quælibet paſſio ſuo ſubjecto, ſicut facit unam rem cum illo, ita & unum intelligibile: optarem ſufficere evaſionem; ſed non credo: nam quùm dicitur eſſe unam intelligibilitatem utriuſque aut ſermo eſt de motiva, aut de terminativâ: ſi de motivâ, non juvat, quia illa non eſt paſſio entis, ut jam vidimus in relationibus: ſi de terminativâ, eſt falſum, alias non poſſemus concipere ens niſi concipiendo veritatem, & è contra: & quando haberemus conceptum entis, haberemus conceptum veritatis, nec poſſemus ſeorſim illa intelligere, ſed de veritate formaremus conceptum entis, & de Ente conceptum veritatis, quod cenſemus & experimur omnes eſſe falſum, ut patet ex dictis & dicendis in tota hac materia, adeoque. Sit jam

ACTIO

Digitized by Google

ACTIO VI.

De Bonitate.
An & quomodo ſuſtineri poſſit eſſe paſſio?

Breviarium.

N. 1. *Thomiſtarum aliquot doctrina cum ſuo Doctore improbatæ, quia improbabiles.*
2. *Oſtenditur ad hominem, & abſolute, quod bonitas non ſit idem ac perfectio.*
3. *Doctrina Scoti opportuna reſolutioni hujus dubii; à quibuſdam male intellecta.*
4. *Bonitas eſt idem quod volibilitas rei: &c.*

1. HIc etiam inſigniter impoſuit authoribus vox *bonitas*: quam quum acciperent in Grammatica proprietate coacti ſunt dicere, quæ vix poſſent ſuſtinere. Meum ſenſum de ipſa jam ferè expoſui in Actionib. de Veritate: ſunt enim collateralia & correlativa; adeoque hanc Actionem, vel maximè inſumam in oſtendendo, quam improbabiliter veteres inierint alias vias, & quam immeritò Recentes, eos ſint ſequuti. quum debuerint priorum errorem corrigere potius, quam ſequi

Itaque olim & nunc in ſcholis paſſim ſuſtinetur: Omne ens eſſe bonũ, quod Catholici probant ex ſcripturis, Gen. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*: quaſi verò ſcriptura loquatur de hac metaphyſica & tranſcendentali bonitate: Nec liber, nec vacat mihi hic ſcripturas interpretari; id tamen ajo, locum iſtum facere contra Adverſarios, qui tamen in eo ſummè ſibi placent, etenim aut ibi eſt ſermo de bonitate propriè dictâ ut hic; aut non: ſi non, fruſtra adfertur, quia eſt importunus, ſi ſic, convincuntur illi. quod non modo, non dentur mala, ſed nec aliqua quæ non ſint excellenter bona: id enim arguit illud *valde bona*: quæ eſt nota ſuperlativi apud Hebræos, & tamen certum eſt dari exceſſum ac defectum in bonitate, & aliqua eſſe tenuiter bona. Itaque ſenſus illius loci eſt, quod primæ rerum ſpecies & individua erant præſtantia in ſuo genere, utpotè immediatè à Deo producta.

Ponam jam Lectori ob oculos aliorum modos dicendi, priùs magis, tum minus improbabiles: Itaque aliqui tenent, quod bonitas hæc ſit accidens quoddam realiter diſtinctum ab ente, de genere qualitatis; quem modum philoſophandi, licet Thomiſtæ rideant, tamen debent agnoſcere pro ſuo, & apud ipſos illi invenerunt, nempe quum agitur de paſſionibus, ſeu proprietatibus ſubjectorum, docent ipſi eas eſſe accidentia realiter à ſubjectis diſtincta, licet naturaliter vix aut ne vix ſeparabilia. Alii docent eam eſſe negationem; præclarè profectò, tum enim melius erit eſſe nihil, quam eſſe aliquid; quandoquidem ipſa in abſtracto bonitas eſt negatio

ul.
ok.

Sed relictis his, quæ non merenter pugnam, D. Thom. 1. p. q. 5. & 6. & 1. 2. & 1. cont. Gent. & alibi docet bonitatem, idem eſſe ac perfectionem, & bonum perfectum, intelligit autem de perfecto in ſe ipſo, nam quod alteri adfert perfectionem, ſive alteri bonum eſt, non vult dici abſolutè bonum, ſed ſecundùm quid. Nihilo minus diſcipuli aliquot eius volunt bonitatem ſumendam hoc altero modo, ſcilicet de eo, quod alteri bonum eſt: & denique cæteri, ut plurimum circa duos hos modos explicandi bonitatem, ludunt, & diviſi ſunt: quibuſdam unum, aliis alterum profeſſis ac ſuſtinere conatis. Ferrar. Zavel. Harv.

2. Tenendum tamen omnibus eſt, & inter illos, his ipſis bonitatem, quæ eſt entis paſſio, non rectè ſic explicari. Moveor, ad hos homines, (ut ajunt) quia nimirum ſecundum plures eorum, ſi non omnes omninò, hæc eſt veritas, quomodo ergò erit bonitas? nempe hi ſunt qui ſupra explicarunt Veritatem entis per integritatem omnium conſtituentium ipſum, v.g. verum aurum: cui adſunt omnia connaturalia & conſtitutiva auri, verum Deum ſimiliter &c. hæc autem eſt perfectio rei in ſe: unde iterum interrogo, quomodo erit bonitas, niſi forte apud ipſos bonitas & veritas ſint ſynonyma?

Contra ſecundum ſenſum aut modum, moveor ex me hac ratione, ſi enim ſic intelligenda & explicanda ſit bonitas, ſequitur contra ipſos, dari malitiam in rebus, & aliqua entia eſſe mala; conſequens nolunt illi ullatenus audire, aut admittere, ſed patet ſequi eos; ſine dubio enim aliqua entia ſunt aliis diſconvenientia & nociva; calor eſt noxius aquæ, frigus igni, febris homini, quies aquæ, &c. Si ergo bonitas eſt convenientia unius ad alterum, & aliqua ſint etiam diſconvenientia aliis, quid ſequitur, niſi dari etiam aliqua mala, & poſitivam malitiam in rebus. Hæc contra dictas vias determinatè.

Univerſaliter autem contrà omnes alias à noſtrâ, hoc mihi acriter militare videtur; quià nimirum illorum doctrina ſuper duobus his punctis, tanquam totidem polis verti videtur, quod ſcilicet omne Ens ſit bonum: & nihil prætereà, ſive nihil quod non ſit Ens: quibus affine eſt, quod proximè ex illis poſuimus, ſcilicet non dari in rebus malum, aut malitiam entitativam: & quidem primum ac tertium ex his videor jam refutaſſe utcunque, ad hominem ſaltem, ſecundum ſic impugno, ſive impugnatum oſtendo, (nec enim rationes ſunt meæ, ſed vetuſtiſſimæ,) tantum oſtendo, nunquam illis ſatisfactum eſſe ab Adverſ. Quum enim profertur contra ipſos illa Chriſti Domini ſententia, plane categorica, & abſoluta, de non eſſe Judæ præferendo ejus exiſtentiæ. *Bonum erat ei, ſi*

natus

natus non fuiſſet; adeoque jam oraculo definitum videtur, quod non ens & non-eſſe ſit bonum. Verſant ſe in mille vias, & reſpondent dura non minus quam varia, ut videas apud ipſos: Communior evaſio eorum videtur eſſe, quod tum apprehenditur non eſſe tanquam bonum, aut
ſualig. etiam majus bonum à Juda, vel alio damnato, ideoque rectè dici, quod melius & magis optandum ſit ei non-eſſe, ſed non evaditur per iſta certè: nempe à reſpondente hoc quæro, utrum rectè & verè apprehendat hoc damnatus, an falſò & oblique: ſi rectè & verè; jam falſa eſt doctrina Adverſ. quia ex diametro huic apprehenſioni opponitur: ſi autem falſo, tum non ſolum Judas aut alius damnatus errat in apprehendendo, ſed etiam Chriſtus in judicando, hic enim apertè pronunciavit *non naſci* eſſe melius: neque ait videri hoc Judæ, vel alteri, ſed abſolute eſſe. Ex quo videas, quàm indigne ſe vixent aliqui cudendo hic novos terminos & differen-
ij. tias de fine aut bono, *vero*, præſtituto, & apparente, ex quibus hunc ultimum aut ut maximè, præcedentem concedunt Chriſto ſic loquenti, quod non eſt aliud dicere, quam ſententiam ejus *verè* falſam, apparenter veram.

Idem plane contingit illis circa Ariſtotelem: cujus locum quendam ex 3. Met. 3. quum ſibi objecerunt, in eoſdem gyros ſe verſant, ut evadant. Dicunt illi omne ens eſſe bonum, Ariſtoteles autem citatus negat; *quo namque modo poſſibile eſt* (inquit) *motus principium in immobilibus eſſe, aut boni naturam.* Hic illi eundem equuleum patiuntur, ut ſuſtineant Mathematica, (hæc enim volunt ibi ſignificari per immobilia) habere naturam boni Zimara unâ via vadit. D. Thom aliâ. Fonſeca à D. Thoma recedit. Vaſquez à Fonſeca, Averſa Vaſquez corrigit. Paſqualigius Averſam: ut videas apud ipſos & alios: labor eſt evolvere partem, ſed denique quidquid conentur non poſſunt Ariſtotelem flectere, nam hic apertam repugnantiam vidit in propoſito, quod etiam ſuis illis verbis expreſſit: nam duo de Mathematicis illis dixit; unum eſt ea eſſe immobilia, alterum non eſſe in illis bonitatem: & utrumque eadem phraſi, aut certe ſimili expreſſit, ibi uſus voce *immobile*, hic voce *impoſſibile*: atqui Adverſar. non expectant, ut unquam concedatur illis Mathematica eſſe mobilia, neque volunt ullam gloſſam huic adhiberi, ergo nec debent hic velle id, aut expectare.

Poſt has vias tam devias, una, quæ propius ſcopum accedit. dicit Bonitatem conſiſtere in appetibilitate. Hæc apud multos obtinuit plauſum, eam ſibi adoptavit etiam D. Thom. non obſtante, quod præcedentem tenuerit, nam
q. 5. qui dixit: *Dicendum quod unumquodque dicitur bonum in quantum perfectum*: Idem ibidem ait, *Ra-*
1. *tio boni in hoc conſiſtit, quod aliquid ſit appetibile*, quod & alii cum ipſo tenent, & omnes ex Ariſtotele deſumpſerunt, 1. Ethic. docente: *Bonum eſſe quod omnia appetunt.*

Puto Ariſtotelem hic verum ſcripſiſſe, S. Thomam non item, quamvis uterque eadem verba & litteras deſcripſerint. Cauſa, quia Ariſtoteles abſolutè tantum hoc dixit, D. Thom. definitivè; quo modo non concedam ei bonum eſſe appetibile. Moveor. quia poteſt reddi ratio. cur aliquid ſit appetibile, eaque eſt bonitas, ideo enim volumus aliqua, quia videmus aut experimur ea eſſe nobis bona, unde jam bonitas prior eſt appetibilitate, quippe cauſa ejus: nihil autem eſt ſe ipſo prius, ergò jam bonitas non eſt appetibilitas.

Viderunt aliqui ex Adverſ. hanc rationem ſibi ſupereſſe ſolvendam; & proinde diſtinxerunt de appetibilitate fundamenti, & formali, dicentes argumentum procedere de ſecunda hac appetibilitate, ſive de formali, non vero de prima & fundamentali. Bene eſt; illi definiunt Bonum per appetibilitatem fundamentalem (nam ſi per formalem, fatentur ſe convictos:) at verò qualis eſt iſta methodus definiendi res per radices, aut fundamenta: Quis enim ferat me definientem hominem per fundamentum riſibilitatis; aut aquam per radicem frigoris, adhuc enim neſciet audiens, quid homo, quid aqua ſit eſſentialiter: adhuc explicanda eſt eſſentia illius fundamenti, ut cuique patet, ergò.

3. Ad ultimam ergò reſolutionem hujus puncti: attendenda eſt doctrina Subtilis 1. d. 8. q. 3. & multò directius illa ejuſdem. Quodlib. 5. ubi docet relationes divinas perſonales non dicere perfectionem ullam, aut bonitatem: quod ibi validiſſimè tribus mediis demonſtrat. Ad hoc autem ſuſtinendum neceſſe erat ei affirmare, quod ens ut ſic non dicat perfectionem, quod & fecit ibidem; unde Scotiſtice loquendo evidens eſt, paſſionem Entis, ut ſic non poſſe eſſe bonitatem, aut perfectionem. Verba Doct. ſunt. *Dico ergo breviter, quod paternitas nec formaliter eſt finita, nec formaliter infinita, & cum arguis ex diviſione immediata entis in iſta, antequam deſcendat ad decem genera, concedo, &c. finitum tamen & infinitum non dividunt ens, niſi ens quantum, quià ſecundum Philoſophum 1. Phyſic. finitum & infinitum quantitati congruunt, &c.* Itaque apud Scotum Ens ut ſic, non eſt quantum: (loquitur autem ipſe ſine dubio de quantitate non molis, ſed virtutis, ſeu perfectionis) non bonum aut perfectum, antequam deſcendat ad decem genera; certum eſt autem, quod paſſiones ſuæ competunt enti antecedenter, ergò jam paſſio ejus non eſt bonitas, quæ ſit perfectio aut virtus &c. quod facit ad propoſitum hujus loci

Scotiſtæ qui veteri traditione de bonitate, ſeu perfectionis paſſione ducuntur, hic inſigniter ſudant, dividunt & diſtinguunt de bonitate tranſcendentali, & non tranſcendentali, ac neſcias quâ; aſſerentes, alteram hanc à Doctore negari relationibus divinis, non verò primam; At enim hoc eſt divinare ex propriis: Agitur hic interim non de re ipſa, ſed de mente illius. Debent ergò illi ipſius Scoti teſtimonium aliquod pro hac hac gloſſa allegare, & non raptim diſcerpere ipſum ſuo Marte, quod faciunt plane contra evidentem ſcientiam ipſius: poteratne ille clarius omnem perfectionem profligare, omnem hujuſmodi diſtinctionem prævenire, quam adſerendo Ens ut ſic, aut entitatem, & quantum, aut quantitatem perfectionis, aut bonitatis, ſimiliter ut ſic? annon hæc complectuntur omnem omninò perfectionem? omnem omninò bonitatem?

Ad hæc, explicatio illa deſtruit textum, quem afficit apertè, poteſtque per ipſum deponi; nam rationes Scoti procedunt etiam de hac tranſcendentali, & quacunque perfectione, ut patet applicanti ipſas: infert enim ille ex eo, ſi relationes divinæ dicerent perfectionem, quod perſonæ divinæ non eſſent æquales, quia

nimirum illa, quæ habet plures relationes, qualis eſt illa Patris, plus perfectionis habebit, quam illa quæ unam tantum relationem habet, cujuſmodi eſt illa Spiritus Sancti, quam rationem manifeſtum eſt procedere, ſive perfectio vocetur, aut ſit tranſcedentalis, ſive non, ſed alia; ergò

Per hæc jam ſtrata eſt via ad puram & ſinceram explicationem hujus paſſionis, quæ præ manibus eſt, & vocatur paſſim bonitas: quæ quidem explicatio ferè jam patet, qualis futura ſit ex jam dictis de præcedenti paſſione, quæ ſimiliter vocata eſt, nec erat Veritas, nam ut dixi connexæ & conſanguineæ ſunt.

4. Dicendum eſt enim Bonitatem hic non ſignificare quod ſonat, puta perfectionem, ſed volibilitatem, ſeu proſequibilitatem à Voluntate: ſicut ſupra dixi Veritatem, quæ eſt altera paſſio Entis dicere intelligibilitatem, ſeu proſequibilitatem ab intellectu. Rationes & ſuaſiones hujus ibi poſitæ ſunt in ſimili, ita ut non ſit neceſſe, aut operæ precium eas hic repetere. Tantum monendus eſt Lector, ſubeſſe etiam hic foveam, aut fraudem, ni caveatur, quod faciam ſolvendo ſequentem objectionem:

Opponi enim poteſt, ſi ita ſit, & ita nos intelligamus bonitatem, tum cogi nos ad confitendum, quod dentur etiam in rebus mala, & malitia poſitiva: hoc autem eſt proſcriptum & damnatum à ſcholis, ut ſuppono; patet autem ſequi, quia ſi bonitas ſit volibilitas, tum nolibilitas erit malitia: clarum eſt autem aliqua eſſe nolibilia, & nolenda; imò & nolita actu, ergò & eſſe mala, non quomodocunque, ſed poſitivè, & realiter, taliter enim ſunt nolita & nolenda. Dixi hoc argumentum, fore nobis ad cautelam, quia nimirum ſolvendum eſt explicatione concluſionis poſitæ: quæ eſt volibilitatem hic non derivari à volitione, ſed à voluntate, quæ univerſalior eſt, & complectitur volitionem ac nolitionem, aut rectius volitivitatem, & nolitivitatem, ſive eſſe volitivum, & eſſe nolitivum. Ut hoc autem ipſum ſufficiat, debemus apud nos apprehendere principium volendi, & principium nolendi ſeorſim, ſic ut illud ſit, & dicatur Voluntas, hoc autem Noluntas, & tum abſtrahere ab utroque aliquod tertium commune; cui, (quia opportunius nomen non invenimus.) detur ipſum nomen Voluntatis, quamvis in re vix ſufficiat, quia expreſsè importat tantum principium volitionum: tum autem paſſio entis erit volibilitas ab hujuſmodi principio derivata: tale quid de facto fit in altera paſſione Intelligibilitatis, nam vox Intellectus complectitur omnes operationes ejuſdem, quia ſimplex apprehenſio, Judicium & Diſcurſus ſunt intellectiones: Itaque, (ut ſupra aliquoties monui,) hic laboramus penuriâ vocum, & intellectus hominis eſt facundior ſaltem fœcundior illius linguâ

Contra hunc modum meum duo mihi viſa ſunt opponi poſſe; unum eſt ipſe Scotus, alterum eſt ratio. Nempe Scot. quodlib. 18. n. 3. palam definit, quod *bonitas primaria entis, quæ dicitur bonitas eſſentialis, quæ eſt integritas, vel perfectio entis, in ſe importat poſitive negationem imperfectionis, per quod excluditur imperfectio, & diminutio*: per quæ videtur approbaſſe duas ſententias à nobis reprobatas: una eſt de bonitate conſiſtente intra eſſentiam cujuſlibet rei; altera de conſiſtentiâ ejus in negatione.

Reſpondeo tamen neutrum eſſe factum per hæc: non ſecundum hoc, quia non dicit Scotus bonitatem conſiſtere in negatione, ſed quod illa trahat, aut ut loquitur ipſe *portat* negationem ſecum, hoc eſt, quod talis negatio ſequatur bonitatem, quod verum eſt, ſed diverſum ab illato in objectione. Nec primum niſi minus: quia expreſsè Scotus loquitur ibi de bonitate intra eſſentiam conſiſtente, audis enim illud *bonitas eſſentialis*, agit ergò ibi de fundamentali, non de formali bonitate, quæ eſt paſſio de qua hic. Actum ergò ex hac ipſa ſolutione, & contra eam

Objici ſecundo poteſt ratio ſic. Ipſum Ens, & eſſentia cujuſlibet rei, prout etiam antecedit illam paſſionem eſt volibilis, proinde enim emânat ab eâ hæc volibilitas: atqui in illo priori non habet ullam paſſionem, ergò volibilitas non eſt paſſio, nec paſſio volibilitas. Verti etiam poteſt argumentum, & aliter vibrari ſic: Ipſa paſſio quæ dicitur bonitas, eſt volibilis, ergò volibilitas non eſt paſſio entis, quia jam competit alteri ab ente, nec enim paſſio entis eſt ens, maximè in noſtrâ ſcholâ. Propter hæc fortaſſis Doct. dubitavit, an Verum & Bonum ſint quidpiam ſuperadditum Enti, tanquam veræ paſſiones ut ſupra num. 2. retuli ex ipſo 4. diſt. 49. Unde ſit prima ſolutio, per hanc probari directè quod iſta non ſint quid ſuperadditum Enti, non verò quod non conſiſtant in conceptibus jam aſſignatis. Secundò reſpondeo etiam aliis reſpondendum eſſe huic rationi, nec mihi ſoli ſolutionem incumbere: nam ſi conſiſtat hæc aut illa paſſio in integritate conſtituentium rem, jam evidens eſt intra eſſentiam debere illas inveniri, ſi item in appetibilitate, (qui erant duo modi explicandi bonitatem à D. Thoma aſſignati,) adhuc promptius ratio procedet, cum hæc ferè ſit ſynonyma noſtræ volibilitati. Ultimò ergo dici utcunque poteſt ad utrumque, incipiendo ab ultimo, quod bonitas non ſit propriè volibilis, ſed ipſa volibilitas, ſicut nec riſibilitas poteſt ridere, ſed eſt quod præſtat alteri poſſe ridere, ſed quia dici poteſt, appetibile eſſe principium appetibilitatis paſſivæ, nam ſi haberem illud, eſſem appetibilis; licet hoc evadi poſſet, negando me fore tunc appetibilem, niſi haberem ſubſtratum, ut nec intellectio reddit, quodlibet ſubjectum intelligens. Reſpondeo repetens dicta ſupra Act. 5. num. 4. hanc non eſſe propriam quarto modo Enti, ſed tantum ſecundo id eſt competere omni, ſed nõ ſoli, quod ſupra loco citato dixi de veritate.

Ipſum argumentum principale difficilius eſt, ſed ego oſtendam Scotiſtis, ſaltem illud eſſe ſolubile, nam redit ad divina: ſi enim ſapientia, v. g. ſit formaliter diſtincta ab eſſentiâ Divina, quæri poteſt, utrum. Deus ante ſapientiam emanantem à ſe ſit ſapiens necne? ſi non, non erit infinitè, & in omni genere perfectus per eſſentiam; ſi ſic, fruſtra additur ei ſapientia, adeoque nec additur, ſive non datur, quod eſt falſum, & tamē ſequitur etiam Theologos Thomiſtas, nam & ipſi diſtinguunt ratione (neſcias quomodo) ratiocinatâ ſapientiam ab eſſentiâ, quo facto ſtatim ſubintrat ratio. Itaque ad hoc & ſimilia videtur

Digitized by Google

detur dici poſſe Ens in illo priori non eſſe volibile: quomodo enim erit volibile ante volibilitatem, ſive, quod idem eſt, ſine ipſâ? Dic ergo ipſam eſſentiam entis eſſe volibilem, & quidem puram, at non in quocunque inſtanti; quia non in primo, ſicut nec Deus habet omnia ſua in primo inſtanti originis & naturæ, licet divina omnia ſint æterna. Et tum quantumcunque urgeatur forma argumenti, quod v. g. ipſa eſſentia alicujus, puta virtutis ſit digna amari; verum eſt, ſed non ſine ipſa dignitate, hæc eſt volibilitas, hæc appetibilitas &c. quæ ſufficit dixiſſe, quia acumina Metaphyſica hic facilè ſuccreſcunt.

De ipſa autem in ſe bonitate & propriè accepta, qui aliquid voluerit, conſulere poterit Ethicam noſtram, ubi ſecundæ partis prima Apologia de hac procedit; præterea etiam

***

Augebunt & Tractatum hunc ſi conſulantur.

ARiſt. *lib.* 4. *Metaph. initio, cum Averr. &c. Commentatoribus ibid.* S. Thom. 1. *p. q.* 15. & 17. & *qq. de Verit.* Subtilis *loc. in Themat. cit. & præterea* 4. *Metaph. cùm* Ariſt. *ſupra.* Aureol. 1. *d.* 2. Petr. Niger. 1. *par. Clip. q.* 7. Fonſec. 4. *Metaph. q.* 2. *&l.* Joan. Canon. 1. *Phyſic.* Ant. Andr. 4. *Metap. q.* 3. Tromb. *ib.* & Zerb. Vaſq. 1. *p. d.* 118. Rap. Aver. *q.* 4. *philoſ. ſect.* 1. 2. & 3. Paſqualig. *Tom.* 2. *Metaph. diſp* 1. & 2. Blaſ. à Concep. *diſp.* 20. *Metaph. art.* 1. *&c.* Franc. Suar. *diſp* 3. *ſua ſect.* 1. *&c.* Joan. Rada. 3. *p. Cont.* 21. Jauel. *lib* 4 *Met. q.* 2. *&c.* Hurtad. *diſp.* 3. *ſua ſect.* 1. *&c.* Martin. Meuriſſe. 2. *Met. c.* & *q.* 2. Tartar. *ib. lib.* 1. *q. un.* Maſtrius *diſp.* 4. *Metaph. &c.* Fab. *lib.* 4. *diſp.* 12. Ariag. *diſp.* 1. Ponc. Ovid. & Rec. *ſequuti iiſdem ferè locis.*

APOLOGIA QVARTA

De Vnitate naturarum inferiorum.

ACTIO I.

Referuntur Doctorum ſententiæ, nominatim N. Subtilis.

ACTIO II.

Quæ Unitas competat naturis creatis ſecundum ſe?

ACTIO III.

Utrum in naturis creatis extra exiſtentibus, detur Unitas formalis, nec ne?

Scoti Themata do Actione ſequenti quæ ſit.

ACTIO I.

Referuntur Doct. ſententiæ, nominatim N. Subtilis.

Breviatium.

N. 1. *Doctrina Cratilli &c.*
2. *Doctrina Platonis de hoc*
3. *Sententia Nominalium*
4. *Scotus in hoc puncto variè intellectus, & citatus ab authoribus*
5. *Exponitur ultimatè mens ejus hic*

1. NOn libenter tero tempus aut chartas in citationibus, nec enim referre puto, cujus ſit ſententia, ſed qualis. Quia tamen non poteſt ſententia D. N. ſuſtineri, niſi ſciatur quomodo ab aliis differat, recenſebo nonnullas.

Primò Cratillus & Heraclitus ei ſocius ante omnes de hac re ſententiam tulerunt, quam refert Ariſt. 1. Meteor. c. 6. negantem in rebus univerſale; unde & ſcientiam ſuſtulerunt, quia videbant omnia eſſe in perpetuo motu. Cui imaginationi ita adhæſit Cratillus, ut putaverit nihil poſſe verè pronunciari, quia nimirum interim dum pronuntiatur ſententia, res abit, & in aliam mutatur, unde Heraclitum increpabat, qui paululum ab hac linea declinabat, aſſerens eundem fluvium bis ſubiri poſſe; ipſe enim dicebat non poſſe, ne ſemel quidem

2. Proximè hos cenſuit Plato, (intellige quoad antiquitatem temporis, non quoad convenientiam ſententiarum,) credens dari naturas ſeparatas in omni ſpecie, (eſſeque principia indivi-

duorum) quas vocavit Ideas: Hæceſt (ait Mauritius noſtras,)phantaſma Platonis,in quo aliqui authorem, alii opinionem ipſam excuſant: ubique de eo leges, omnes enim libenter hic extenduntur, in quo putant ſe faciletriumphare: fortaſſis alibi aliquid de eo dicam. Nunc

Tertius modus dicendi ſit ille Ockami noſtri & ſuorum,qui proinde nominales dicuntur, & cenſent ſola ſigna eſſe univerſalia,ideſt voces & conceptus,non vero res: atque ita objecta omnia eſſe ſumme & intime ſingularia. Quæ ſententia ab omnibus vapulat, ſed interim incurritur à quibuſdam & re ipsâ defenditur noſtro ſeculo,ut videre eſt in ipſis, & in me infra. Imo Recent. videntur quodammodo plus dicere quam nominales; iſti enim ponebant ſigna ſaltem eſſe univerſalia: illi nihil: at enim in hoc non credo eſſe inter eos diſcrimen: nam neque Nominales ponebant voces aut conceptus eſſe univerſales niſi in repræſentando, non vero in eſſendo, & hoc modo ponebant eas eſſe ſingulares ſicut cætera: viderit tamen qui volet an non Poncius inciderit denique in hunc nominaliſmũ,ait enim reſolutive. Natura humana quæ reperitur in Paulo non habet aliam unitatem à parte rei cum natura quæ eſt in Petro, & aliis individuis ejuſdem naturæ quam unitatem ſimilitudinis & conformitatis aut repræſentabilitatis per eundem conceptum formalem. Ecce omnis univerſalitas apud ipſum eſt ſolius conceptus, adeoque ſolummodo in repræſentando aut ſignificando: quid autem dicit Ockamus aut ullus rigidè nominalis niſi hoc?

4. Supereſt ſententia D. N. Subtilis qui in hac materiâ notabiliter agmen agit, & ducit ſequentes. Duo autem ſunt quæ expedire de ejus mente, & rei veritate debemus: unum an naturis realibus creatis competat ſecundum ſe aliqua unitas alia ab unitate numerali? Alterum an de facto hæc unitas inſit naturis à parte rei, etiam jam quum ſint ſingulares,ita ut naturæ ſimul cum ſingularitate retineant illam communitatem, ſive, ut loquitur D. illam unitatem minorem numerali? quibus ambobus addi tertium poteſt, an ſecundum ipſum,hæc unitas aut communitas, ut mavis ſit una in inferioribus,an vero multa ſeu multiplicata?

Et revera mirum eſt quam variè Doct. in hac materia intelligatur, ac citetur ab authoribus,tanquam omnes illi non eoſdem codices,aut exemplaria Scoti haberent. Quæ differentia non ſolum eſt inter nõ Scotiſtas & externos authores, ſed inter ipſos etiam Scotiſtas.Omnes quidẽ exiſtimant de mente ipſius eſſe in naturis unitatem formalem, ſed differenter: aliqui eum ita intelligunt ut velit quidem dari in naturis realibus unitatem formalem, ſed privativam tantum, ideſt ut natura illa ex ſe nulli individuo præ altero affixa ſit: atque ita illa quæ jam eſt in Petro potuerit eſſe in Paulo quantum eſt de ſe, at non niſi deſinendo eſſe in Petro, quia non poteſt in utroque ſimul eſſe. Itaque illa natura in ſe eſt indifferens non propriè ad plures, ſed ad quodlibet ex pluribus, quod eſt habere unitatem, aut communitatem formalem privativam ſeu negativam.

Alii adhuc animoſius intelligunt Scotum, & ipſam unitatem naturarum poſitive, ita ut una ſit formaliter realiter natura quæ eſt in pluribus individuis, eo quod non ſint diviſæ per principia ulla formalia ſive eſſentialia, ſed per differentias materiales & numerales, atque ita adhuc manent formaliter una, ſed materialiter & numericè plures: quod illi ſic intelligunt, ut ſi per impoſſibile auferrentur differentiæ numericæ à Petro & Paulo, v. g. ipſorum humanitates ſtatim coirent in unam; atque ita ſecundum hos reſpondendum eſſet ad tertium punctum ſupra, quod unitas formalis naturæ non ſit multiplicata in illis revera, aut certe non niſi materialiter, & realiter.

Ut hic arbitrum agam, & liberem Doct. Noſtrum ab invidiâ odioſæ opinionis, atque etiam à difficultatibus non nimis levibus quæ conſequuntur eam; cenſeo cogi nos à Scoto ad aſſerendam unitatem formalem naturæ cuiuſque creatæ, puta humanæ, angelicæ, equinæ, non tamen in ſtatu reali ſeu exiſtentiæ, ſed tantum in ſtatu objectivo, propter quod ille propriè vocavit hanc ſuam unitatem,non realem ſed formalem, tanquam quæ formalitati potius quam ulli rei competat.

Ut probem hoc, provoco ad ipſum Scotum, qui ſanè in hac materia tam caute ſe geſſit ut defendi non gravatè poſſit; nam in 2. d. 3. q. 1. ubi cauſa reſolvenda occurrit, dicit tantum, *quod ſubſtantia materialis ex natura ſua*, (nota) *non eſt hæc, quia tunc non poſſet intellectus intelligere ipſam ſub oppoſito niſi intelligeret objectum ſuum ſub ratione repugnante rationi talis objecti.*

Dices, habet ibidem quod *aliqua eſt unitas in re realis, abſque omni operatione intellectus minor unitate numerali, ſive unitate propria ſingularis quæ unitas eſt naturæ ſecundum ſe.* Reſpondeo quod unitas ſive communitas quam naturæ concedo eſt in re, quia non ab intellectu, aut per ſolam fictionem, & hoc vult Scotus; ſubdit enim: *Et ſecundum iſtam unitatem propriam natura ut natura eſt, natura eſt indifferens ad unitatem ſingularem, &c.* ubi adfert exemplum Avicennæ, quod *equinitas eſt tantum equinitas:* certum eſt enim quod à parte rei exiſtens non datur equinitas quæ ſit tantum equinitas, ſed eſt equus, & quidem hic determinatus, &c. adeoque loquitur Scotus de rebus ſecundum ſtatum eſſentiæ puræ, non vero ſecundum ſtatum exiſtentiæ.

Confirmo expoſitionem ex eod. 7. Met. q. 18. ubi idipſum tractans, iiſdem fere verbis reſpondet: *Primo modo* (inquiens) *dicitur natura abſolute ſumpta univerſale quia non eſt de ſe hæc, & ita non repugnat ſibi ex ſe dici de multis.* Vides ubique negotium revocari ad ſtatum eſſentiæ; id enim arguunt illa, *de ſe*, & *ex ſe*, item *abſolute ſumpta.*

Præterea illa unitas quam concipiunt ſic Scotiſantes, ſi ſit in re extra erit utique poſitiva, nã in ſingulis plurium reperitur:atqui Scotus omnino abhorret,& anathematizat hujuſmodi unitatem poſitivam,ut leges apud ipſum in 2. citat. expreſſe: *Nihil enim ſecundum quamlibet unitatem in re eſt tale quod ſecundum unitatem præciſum ſit in potentia proxima ad quodlibet ſuppoſitum ut dicatur de quolibet prædicatione dicente; hoc eſt hoc:* per quæ exploſa eſt illa ſecunda interpretatio Scoti ſupra,quæ ſcilicet intelligit eum de unitate poſitivâ.

Confirmo & concludo totum de mente Scoti in hoc negotio per locum ejuſdem quodl. 6. n. 12. ubi revocat in dubium hoc punctum de univerſalitate, ſeu communitate naturarum; ait enim de Deo loquens: *ſciendum quod unitas magnitudinis alicubi ſit realis, & realiter hic veriſſime eſt realis,*

realis, quia hæc unitas eſt numeralis ſive ſingularis magnitudinis in duobus; in aliis non eſt unitas numeralis, licet ſecundum aliquos fortè ſit unitas aliqua univerſalis, Ecce non niſi *forte* & dubitanter aſſerit aliquid reale idem in pluribus extra Deum. Ubi etiam notandum de mente ejus quod veram realitatem tribuit ſolum ſingularibus & exiſtentibus præ aliis ſcilicet in ſtatu poſſibilitatis conſideratis, quæ etiam apud ipſum ſunt realia ſed non in illo rigore.

6. Stet ergo de mente Scoti primo, non dari unitatem aut communitatem poſitivam ullius naturæ in pluribus de facto. Secundò, naturis creatis ſecundum ſe objectivè, & in eſſe eſſentiæ ſumptis competere unitatem quandam formalem minorem numerali, ut infra: tertiò denique probabiliſſimè ſecundum ipſum de facto, & in eſſe exiſtentiæ naturas creatas eſſe ſolum ſingulares, neque habere extra cauſas, aliam unitatem, ita ut non ſint in ſingulis duæ unitates quæ ſint totidem formalitates; una, unitas ſingularis, altera formalis: quæ tria etiam ratione probanda ſunt. Unde erit

ACTIO II.

Quæ unitas competat naturis creatis ſecundum ſe?

Breviarium.

N. 1. *Natura creata ex ſe habent unitatem aliam à numerali. Probatio.*

2. *Impugnatur validè ratio adducta.*

3. *Alia probatio principalis: collatio creatæ eſſentiæ cum divina.*

4. *Objectio, ex reſolutione Action. ſequentis, hic ſolvitur.*

1. Dico reſolutivè, naturas creatas ſecundum ſe, & in eſſe objectivo non eſſe de ſe *has*, ſed habere aliud genus unitatis, ſcilicet formale quæ eſt etiam genus quoddam communitatis. Hæc eſt mera mens Scoti, & ita eum omnes intelligunt. Cenſetur etiam D. Thomæ; & (ut referunt Complutens. hic,) unanimiter admittitur ab utriuſq; diſcipulis; quod etiam teſtatur apud ipſos Suarez; ſed hoc teſtimonium in ipſo Suarez non video: quidquid ſit, certum videtur Thomiſtas aliquos hoc profiteri, & Cajetanum pro eodem fuiſſe acerrimum, neſcias cur?

Probatio; ſi natura ex ſe eſſet hæc, non poſſet fieri illa; puta ſi natura humana eſſet Petrus non poſſet fieri Paulus, neque dari ullus homo præter Petrum, quia alias ſepararetur aliquid inſeparabile, ſcilicet eſſentiale, vel paſſionale ab humanitate, ſcilicet hæcceitas.

Jam vero ſi natura non ſit de ſe hæc, ſive hac unitate una, debet eſſe aliâ unitate una; & quùm nulla detur unitas major vel æqualis unitati numericæ, ſequitur quod natura ſit una aliâ unitate minori, & communitate majori, quod eſt planum ac plenum intentum concluſionis & Scotiſtarum in præſenti, ſic ſtatim confectum.

Timeo tamen ne res non ſit confecta, & potius deſit aliquid probationi: nempe reſponderi poteſt naturam non eſſe de ſe hanc, id eſt hac determinatâ ſingularitate affectam, puta Petreitate; eſſe tamen de ſe hanc, id eſt ſingularem, non determinando ullam certò ſingularitatem, puta Petreitatem præ Pauleitate: & eſt dicere, naturam eſſe ex ſe ſingularem aliquâ ſingularitate indeterminatè, nullâ vero determinatè. Hoc autem quamdiu defenditur, non habet locum unitas formalis, quia jam aſſignata eſt naturæ alia. Itaque videndum eſt quomodo hoc expugnemus.

In primis hoc ipſo poſito habemus naturam aliquam, humanam, v. g. eſſe unam aliqua unitate minori quam ſit individuum, puta Petrus quod erat intentum à Scoto, non tamen totum: intendebat enim, quod etiam eſſet una unitate aliquâ minori quam ſit nnmerica ſeu ſingularis, quod per hoc non convincitur.

Arguo jam amplius in ipſam ſolutionem ſic: ſi ſingularitas illa eſſet de ſe annexa naturæ, ſive quod idem eſt, ſi natura eſſet de ſe ſingularis ullâ ſingularitate etiam indeterminatâ, non poſſet concipi natura non conceptâ ſingularitate; id autem certiſſime eſt falſum, & contra quotidianum experimentum: ſequela tamen valet, quia quod aliquid eſt de ſe, non poteſt ei auferri, ne cogitatione quidem.

Valet ratio, fateor, at non domi noſtræ: poſſet enim reſponderi juxta communem Metaphyſicam Scotiſtarum, naturam eſſe de ſe *hanc* ſed in ſecundo modo dicendi, non in primo; ponunt enim illi unitates eſſe paſſiones rerum; at vero ſine paſſionibus poteſt res concipi: & ſola illa quæ competunt rei in primo modo dicendi ſunt inſeparabilia ab illa. Unde mirum eſt cur noſtri non caveant, ſed utantur argumentis, quorum ipſi alibi lumbos fregerunt. Apud me valet illa utcunque, &, niſi fallor apud ipſum Scotum, ut videas in ſupra jam dictis ex ipſo.

3. Probo nihilominus aliter principaliter intentum: natura creata, v. g. humana aliter una eſt ac divina: hæc eſt una numero, ergo humana non eſt una numero ſecundum ſe, ſed aliâ unitate: video redire huc ſolutionem illam de unitate numerica determinata, & unitate indeterminatâ, ſed oſtendo non habere locum: unde ſic arguo: habere unitatem numericam indeterminatam, non vero determinatam eſt, (ut ſupra diximus) naturam eſſe de ſe quidem ſingularem, at non hac numero ſingularitate, ſed vel hac vel illâ, &c. atqui natura humana non ſic eſt una, ergo. Minor ſola eſt munienda, quia in ea ſtat omnis vis argumenti: ſic eam aſtruo: natura humana, non ſolum poteſt eſſe hoc numero ſingulare, vel illud, ſed poteſt eſſe hoc & illud: nam non ſolum poteſt dari Petrus vel Paulus, ſed poſ-

Digitized by Google

poſſunt dari Petrus & Paulus, ergo jam natura humana non eſt contenta unitate ſingularitatis, neque determinatè, neque indeterminatè ſumpta, adeoque alia unitas ei quærenda eſt ſine dubio minor omni ſingulari: hæc eſt formalis Scoti; adeoque à primo ad ultimum natura creata non eſt de ſe hæc, aut ſingularis, ſed exigit, & habet aliam unitatem minorem; & communitatem majorem, quam ſit ulla ſingularitatis: utique enim magis commune eſt quod poteſt eſſe hoc & illud, quam quod tantum poteſt eſſe hoc vel illud.

Dices non eſſe eandem naturam quæ eſt Petrus & Paulus, ſed aliam aliamque, & in hoc eſſe deceptionem noſtram. Audio, ſed in primis certum eſt non dari plures naturas, (v. g. humanitates,) ut ſic, ſed unam. Deinde, ſive ſit una, ſive plures, certum eſt deeſſe huic naturæ incommunicabilitatem illam quæ in Divinâ reperitur, & facit ne dari poſſit alius Deus, puta ſecundus Deus præter iſtum unum qui jam eſt; nam præter Petrum dari poteſt alius homo qui ſit Paulus, ita ut iſti ambo ſint plures non quomodocunque, ſed in ratione hominis, ſunt enim verè duo homines ergo jam datur alia communicabilitas, & alia unitas in natura humanâ, quam ſingularitas etiam indeterminata; quia nõ ſolum poteſt fieri ex natura humana hic vel ille homo, hoc vel illud individuum, ſed hic & ille homo; hoc & illud individuum: adeoque jam datur alia unitas connaturalis ei quæ non ſit ſingularitas, ſive determinatè, ſive indeterminatè ſumpta, ſed alia formalis & minor unitate numericâ ac ſingulari: quæ eſt ipſiſſima concluſio Doctoris & mea in terminis. Alia argumenta pro hoc infra tangam objiciendo contra concluſionem Action. ſequent. Interim contra hanc ipſam.

4. *Objicio non levem difficultatem*, eſtque concluſio ſequentis Action. ibi enim dicturi ſumus non dari hanc unitatem formalem in naturis exiſtentibus: at verò ſi ſit realis; ſi ſequatur naturam de ſe, ita ut hæc ſit unitas ejus connaturalis, neceſſariò debet inveniri in natura exiſtente: aut ergo dicendum eſt quod hujuſmodi unitas formalis, vel, (ut mavis) communitas non competat naturæ ſecundum ſe, aut certe confitendum denique eſt, quod ſequatur naturam quocunque, & ita quod inveniatur in ipſa realiter exiſtente: Reſpondeo, ſupra diſtinxi de realitate, quod etiam omnes faciunt: vera realitas eſt illa exiſtentiæ, unde Deus ponens res in eſſe exiſtentiæ dicitur ex nihilo producere eas; & verè dicitur. Philoſophi nihilominus admittunt realitatem quandam etiam in non exiſtẽtibus, dummodo poſſint exiſtere, & per hoc diſtinguunt entia realia, à rationis entibus & chymæris, quod illa poſſint accipere exiſtentiam, hæc non poſſint. Hæc ergo unitas formalis ſic eſt realis & hanc realitatem naturæ conſequitur, non vero priorem.

Inſtabis, etiam realitates illæ objectivæ ſequuntur naturam in eſſe ſubjectivo, & accipiunt cum ea exiſtentiam; ſic enim riſibilitas hominis, rationalitas ejus, & alii omnes conceptus qui ſecundum ſe ei competunt ponuntur in re extrà quando creatur aut generatur homo, ergo etiam unitas formalis ſi ſit prædicatum vere competens naturæ, ex conceptu ſuo. Reſpondi olim huic quùm quæſtionem in Scholis dictarem, negando conſequentiam propter diſparitatem quæ eſt inter hujuſmodi prædicata, ſcilicet illa quæ competunt naturæ ut natura eſt, & quæ competunt ei ut ſuperius eſt; priora illa ſequuntur naturam quocunque, poſteriora non: ſed ut fatear quod eſt; hoc ipſum non extinguit difficultatem; etenim ſupereſt decidendum utrum ipſa ſuperioritas ſequatur naturam ex ſe, necne? nam ſi ſic, redit argumentum totâ vi, ut vides: ſi non, ſed tantum per intellectum, jam hæc unitas ſeu communitas formalis Scoti non eſt realis, ſed rationis.

Itaque omiſſis aliis inventionibus, quas ibi aggregavi, dicendum puto quod hæc unitas formalis ſequatur naturam in eſſe exiſtentiæ & reali. Dices, ita Petrus erit unus formaliter & communicabilis; quia natura deſcendit ad Petrum. Hoc eſt totum abſurdum quod videtur ſequi hanc ſolutionem; ſed non ſequitur; nego ergo ſequelam nam ſequitur tantum, quod Petrus, Paulus, *Joannes* & cæteri habeant hanc unitatem non ſinguli ſed omnes; quia nimirum ſinguli non participant, non æquant totam naturam ſecundum ſe ſumptam, ſed omnes tantum. Itaque humanitas in omnibus ſuis individuis exiſtens habet hanc unitatem, communitatem, vel communicabilitatem ut voles (quia nimirum actu illis communicatur) ſed ſemel, non autem pluries ita ut ſinguli unam habeant; & cauſa omnium eſt quia ſic *habent*, ipſam naturam ut nemo unus totam. Apud me etiam, ut ſupra vidiſti, unitas non eſt quid ſuperadditum uni. Tranſeamus ad alia, & videamus.

ACTIO III.

An in naturis creatis extra, ſive exiſtentibus, detur hujuſmodi unitas formalis; necne?

Breviarium.

N. 1. *Non dari unitatem formalem negativam in natura creata exiſtente.*

2. *Neque dari in eadem unitatem formalem poſitivam, niſi, multo minus.*

3. *Relata & reprobata ratio cujuſdam Recentis Scotiſtæ.*

4. *Probationes ejuſdem veritatis à poſteriori ſive ab inconvenientibus.*

5. *Impugnata ſimul unitas formalis poſitiva & privativa.*

6. *Adferuntur, & ſolvuntur objectiones contraria.*

Intel-

Digitized by Google

1. INtellige, an in individuis detur? v. g. an unitas formalis, ſive minor ſingulari quæ reſpondet humanitati ſit in Petro? de quo jam vidimus Doctoris mentem ſupra.

Dicendum probabiliter quod in naturis actu exiſtentibus non detur unitas formalis, hoc eſt in individuis earum; puta Petro, Bucephalo, &c. Hæc jam extra Scholam Subtilium habet infinitam ſequelam authorum, qui quotidie creſcunt: nam omnes fere Rec; contra unitatem formalem conſpirarunt, ſed & Poncius noſtras, cæteroqui Scotiſta re ipſa hanc unitatem negat, ut patet ex ipſo ſupra relato. Merinerus etiam noſter hanc veritatem pulchrâ confeſſione expreſſit diſp. 1. q. 3. univerſ. dicens, ſi tam unitas formalis, qua naturæ reales quibus competit, non ſecundum ſe, ſed ut de facto ſunt contractæ ad eſſe ſingularis ſpectentur, dicendum exiſtimo neque unitatem formalem, neque naturas reales ad quas conſequitur, dici poſſe communes negative, & quidni? quum etiam Scotus ipſe non adeo approbaverit eam ut vidimus: ut veritatem undique tueamur dividam negotium in duas partes, ſicut etiam diviſerunt aſſertores unitatis formalis: una erit de unitate formali privativâ, altera de unitate illâ poſitivâ: Et incipiendo à priori

Probo non dari unitatem formalem privativam, aut negativam ut voles. Hæc enim conſiſtit in eo quod eſt naturam non eſſe de *ſe hanc*, ſive ſic affixam huic ſingularitati ut non poſſit uniri alteri: atqui in re ſic eſt quod ita ſit affixa, ergo non eſt ſic una ut tu vis. Vis eſt in Minori quam ſic probo: ipſa ſingularitas eſt affixa naturæ, ergo natura eſt affixa ſingularitati. Conſequentia videtur invalida, eo quod conſtet aliquid poſſe eſſe determinatum ad alterum abſque eo quod alterum ſit determinatum ad ipſum: Modi & relationes non poſſunt eſſe ſine ſubjectis, ſub ecta tamen poſſunt eſſe ſine modis. Valet tamen conſequentia & eſt ſolida, quia nimirum ſingularitas eſt identificata realiter naturæ, quod autem eſt realiter identificatum alicui, illud alterum non poteſt poni realiter in ullo ſtatu, in quo poſſit eſſe ſine iſto, alioquin poneretur, & non poneretur eadem res ſimul quod implicat: & quod eſt ſemel identificatum realiter alicui, neceſſario eſt ſemper identificatum, nec poteſt ſeparari ab eo ſicut etiam quod ſemel eſt ſeparatum aut diſtinctum realiter ab aliquo, nunquam poteſt identificari ei: adeoque à primo ad ultimum, veriſſimum eſt quod aſſumpſi in hac probatione: ſcilicet loquendo de rebus in realitate exiſtentiæ & ſubjectiva, nullam eſſe unitatem ſeu communitatem realem naturæ ultra aut ſupra ſingularia, quia ſic accipiendo res non ſolum ſingularitas eſt inſeparabilis à natura, ſed natura eſt inſeparabilis à ſingularitate, accipiendo ut dixi naturam in ſtatu exiſtentiæ, & ſubjectivo, de quo eſt ſermo.

Probatio altera ſimilis, ſivè ex eodem fonte petita: Aſſeris tu naturam non eſſe neceſſariò affixam huic ſingularitati, puta Petreitati: ſed poſſe conjungi alteri. Bene eſt; quæro ergo cui? Reſpondebis: cuilibet; puta Pauleitati: Andreitati, &c. & ego dico id non eſſe rectè reſponſum: ſed plane contra veritatem Metaphyſicam hujus negotii, quod ex jam præmiſſis oſtendo in hunc modum: Pauleitas eſt eſſentialiter affixa & determinata ad naturam quæ jam eſt Pauli, ſecundum te hactenus: dixiſti enim quod quamvis ſingularitas ſit affixa naturæ, non tamen natura ſingularitati; adeoque ſecundum te ſaltem ſingularitas eſt alligata huic naturæ præſenti: ut illa Pauli non poſſit aliam afficere, ergò jam impoſſibile eſt, & contra te ipſum, quod prætendis, ſcilicet hanc naturam Petri poſſe eſſe ſub ſingularitate Pauli, aut aliâ ab eâ quam de facto habet.

Tertio ſuadeo idipſum ratione, quam indicavit Merinerus ſupra citatus; quia unitas formalis, & communitas negativa, ut patuit etiam ex Doctor. ſupra, conſiſtit in negatione ſingularitatis: eſt enim *non eſſe hanc*. Unde infero; ergo de facto natura non eſt una formaliter, ſive, quod idem eſt, communis negativè. Cauſa patet, quia nimirum jam eſt *hæc*, ſive eſt ſingularizata; nec enim poteſt eſſe ſimul *hæc* & *non hæc*, habere ſingularitatem & negationem ejus ſimul.

Video quid opponi poſſit, eſtque, hic non adferri plane pugnantia, aut contradictoria: quod enim natura habet de ſe, eſt, *non eſſe hanc*: huic autem non contradicit *eſſe hanc* quod præſtatur per ſingularitatem, ſed eſſe de ſe hanc quod non fit per ſingularitatem, nam per accidens tantum eſt ſingularis, ſed enim, ſi excutiamus hoc, invenietur minus habens: aliud eſt enim eſſe de ſe non *hanc*; aliud non eſſe de ſe hanc, ſenſus prioris eſt quod exigat eſſentialiter non eſſe hanc; & vero certum eſt quod hoc non competat naturæ, alias nunquam poſſet fieri *hæc*; erit ergo ſenſus ille alius, quod natura non ſit de ſe hæc; ſive quod ſit indifferens ad habere aut non habere hanc ſingularitatem: at vero clarum eſt per ipſam ſingularitatem tolli indifferentiam ſeu indeterminationem ad ſingularitatem, jam enim eſt determinata ad eam per acceſſum & unionem ſingularitatis ad ipſam. Declaro rem exemplo; Aër non eſt de ſe non lucidus, ſive excludens connaturaliter lucem; alioquin nunquam poſſet illuminari; eſt ergo de ſe non lucidus, id eſt, non trahit ſecum connaturaliter ipſam lucem: alioquin impoſſibile, aut ſaltem violentum ei foret eſſe tenebroſum, quod eſt falſum: quia perinde eſt aëri lux ac tenebræ: & ita ſenſus illius dicti de aëre eſt, quod aër ſit cum carentiâ lucis, & cum indifferentia ad ipſam: At vero ſi demus poſtea in re ipſum aërem illuminari, jam in aëre non eſt carentia lucis, neque indeterminatio ad ipſam & tenebras, ſed determinatio manifeſta ad lucem, ergo ſimiliter natura habens actu ſingularitatem nullo modo poteſt dici indifferens ad ipſam, neque communis alteri æqualiter, atque ita non una formaliter, aut communis negative.

Deciditur & probatur non dari in rebus unitatem formalem poſitivam.

1. SUpra hoc de mente Scoti probavi; jam approbo rationibus; quarum quia aliquæ obviæ & tritæ ſunt, proinde ſufficit immorari in refellendis evaſionibus Adverſ. tamen etiam addam ipſe paulo magis recentes.

Sit ergo probatio prima hujus: quia impoſſibile eſt quod quidpiam unum ſit idem realiter pluri-

pluribus realiter diſtinctis; hæc eſt oppoſita ſententia, ergo illa impoſſibilis, nedum improbabilis eſt, Major hujus eſt principium Metaphyſicum & quidem primum: quæcunque ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe. Minor eſt oppoſita ſententia, quod ipſi Adverſarii non negāt, nec poſſunt negare, nam ponunt quod Petreitas & Pauleitas, v. g. identificentur realiter eſſentiæ humanitatis, & nihilominus diſtinguantur realiter inter ſe: ſed reſpondent diſtinguendo principium illud, ſeu probationem majoris: quæcunque ſunt eadem uni tertio ſingulari ſunt eadem inter ſe concedunt: uni tertio formali negant, id eſt uni tertio ſpecifico aut univerſali. Hoc eſt præſidium horum, quo ſe tuentur ab omnibus incurſibus: unde nitendum eſt ut oſtendatur non ſufficere eis, nec habere locum in præſenti: quod etſi omnino veriſſimum ſit, tamen non facile reducetur ad formam argumenti vocalis, quæ convincat ſic reſpondentes.

3. Poncius tentavit impugnare eam ſic: Impoſſibile eſt intelligi quod aliquid dividatur aut multiplicetur per adventum alterius, ſi maneat eodem modo unum quo ante: ſed natura humana eſt una poſitive & formaliter poſt adventum quarumcunque ſingularitatum, ſicut fuiſſet ſi nullo modo advenniſſent illæ ſingularitates, ergo per ſingularitates non multiplicatur nec dividitur. Optarem valere argumentum; non credo tamen quod adhuc expugnaverit ſic reſpondentes: non enim omnis diviſio eſt incompoſſibilis omni unitati, ſed illa quæ ex diametro opponitur, & dividit in æquè latè patentia, nam quæ dividit in minus, poteſt bene ſtare cum unitate ſuperiori: ſic diviſio in ſpecies ſtat cum unitate genericâ, diviſio in individua ſtat cum ſpecificâ, adhuc enim non fiunt plura genera in primo caſu, nec plures ſpecies in ſecundo. Imo in Phyſicis hoc ipſum contingit. Totum enim v.g. palmus diviſibilis eſt in duos ſemipalmos; non in integros palmos, & ſic de cæteris. Ita diviſio quæ repugnat unitati eſt illa quæ facit aliquid redundare in plura æqualia: ut ſi palmus dividatur in plures palmos: & ita Scotiſtæ illi adhuc tuti ſunt, dummodo non admittant dari plura formaliter, ſed materialiter, & ſingulariter tantum.

Diceret fortaſſis Poncius diviſionem ſpeciei in individua non fieri realiter, ſed tantum per intellectum, & ſimiliter de diviſione generis in ſpecies, ſed enim hoc ipſum contra illum ſufficit, nam ſaltem intelligi poteſt aliquid dividi in plura, & adhuc remanere unum, quia hæc diviſio generum & ſpecierum fit per intellectum: & ſine dubio nulla contradictio interim ab intellectu admittitur, alioquin tota Logica imo tota Metaphyſica, & cæteræ ferè omnes ſcientiæ eſſent mera figmenta. Deinde illud de diviſione totius continui, v.g. palmi in medietates aut ſemipalmos non eſt tantum per intellectum: totum etiam diſcretum de facto eſt diviſum in minora ac inferiora, & adhuc retinet ſuam unitatem, v.g. numerus ſenarius diviſus eſt in tres dualitates, nec proinde eſt tres ſenarii, ſed unus.

Aliter ergo invadendi ſunt Adv. ſic fortaſſis: Si humanitas Petri ſit humanitas Pauli realiter, quamvis ſingularitas unius non ſit ſingularitas alterius, tum omnes actiones Petri elicerentur realiter à Paulo, & omnes paſſiones Petri reciperentur realiter in Paulo, quod nimis falſum eſt, alioquin quiſque deberet reddere rationem de operibus alterius. Sequela probatur quia in illo eſt principium reale horum quod non poteſt ſimul agere & non agere, ſimul pati & non pati; adeoque quando Petrus agit, etiam Paulus agit; ſaltem potentia, v.g. voluntas Pauli agit quia eadem eſt. Dices, illam in Paulo eſſe principium reale, non tamen ſingulare harum actionum: ſed quid id refert? ſtat conſequentia à me illata, quod Paulus realiter agat, & realiter patiatur ad ſingulas paſſiones Petri, quod eſt maniſeſte falſum, & tamen patet ſequi; hinc enim, quidquid agit una perſona Divina ad extra, & altera agit, quia eadem eſt vis activa in omnibus.

4. Ex hac refutatione habentur aliæ probationes, quæ ſunt abſurda ſequentia ex hoc primo: In primis enim ſequitur nihil de novo creari à Deo, ſed neque poſſe ſaltem in ſpeciebus, quarum aliqua individua præexiſtunt. Conſequens eſt abſurdiſſimum, ſed ſequela probatur; quia nimirum id non creatur de novo cujus aliqua entitas poſitiva præceſſit novam actionem: ſed ex oppoſitâ ſententia omnem Dei actionem de facto præcedit tale quid: in ſpecie humanâ, v.g. dum producit Paulum aliquid Pauli præfuit, ſcilicet natura Petri, ſimiliter ſequitur nihil annihilari niſi tota ſpecies annihiletur applicando eandem rationem, nam etiam annihilatio eſt deſtructio alicujus nihilo ejus remanente: id autem non fieret ut jam deduxi, &c. Imo non ſolum in ſpeciebus productis non poſſet contingere creatio aut annihilatio, ſed neque in ulla, quia gradus generici ſupremi, & tranſcendentales præhaberentur in aliis, puta gradus entis ſubſtantiæ, ſpiritus, corporis, &c.

Tertio ſpecialiter arguo, & oſtendo non prodeſſe hic evaſionem illam de aliquo ſingulari, & aliquo formali, ſive habente hanc unitatem formalem quaſi illud latius pateat quam hoc de facto: quod eſt revera ſingulare eſt revera impartibile, & implicat ipſum non eſſe tale: (quod ſi verum ſit, tum nihil poteſt eſſe magis impoſſibile ipſo:) atqui de facto etiam ex confeſſione Adverſ. natura quælibet creata eſt revera & realiter ſingularis ergo eſt revera impartibilis, ut nihil magis: ergo falſum eſt eam actu dividi in plura, & eſſe magis diviſibilem quam ſingulare, aut ipſam etiam ſingularitatem. Vis argumenti eſt in majori, quam proinde probo dupliciter, & ratione, & exemplo; primo ſic: omnis forma dat effectum ſuum formalem ſubjecto, in quo recipitur, ita ut excludat ab eo incompatibiliter omne ſic oppoſitum ſibi, unde lux, v g. non ſolum non poteſt eſſe tenebroſa, ſed nec permittit aërem eſſe tenebroſum quamdiu habet ipſam; & ſic de aliis ſine dubio, ergo natura aliqua quamvis alias communicabilis, tamen ſi afficiatur ſingularitate, durante hac in ipſa, abſolute & ſimpliciter eſt incommunicabilis, ut repugnet eam inveniri in pluribus interim, non minus quam ipſam ſingularitatem.

Hic non video latebram, niſi forte velint referre ſuam diſtinctionem de aliquo formaliter uno, & aliquo ſingulariter uno, ut ſupra: ſed enim illa diſtinctio, (ſi velint audire) huc non recurrit, ſicut fortaſſis ibi; nam quodcunque quomodocunque unum eſt, quandò afficitur formâ, accipit effectum formalem ejus; unde illi eo tantum

Digitized by Google

tem fugere poſſunt ut dicant totam humanitatem: v. g. non eſſe ſingulariſatam in Petro: At vero ſi ita eſt, tum ruit ipſorum aſſertio, non datur aliquid poſitive unum, ſed poſitive multa in multis; ut omittam alia abſurda quæ ipſos, & ipſorum reſponſionem ſequuntur: quibus omiſſis.

5. Probo denique hoc argumento intentum hujus loci, atque etiam primæ partis hujus Actionis de unitate formali privativâ quam negavi: quia nimirum ſi verum ſit, quod autumant Adverſarii Scotiſtæ, ſcilicet naturæ ſecundum ſe convenire tanquam paſſionem propriam & connaturalem, hujuſmodi unitatem aut communitatem ſive poſitivam ſive privativam, tum nunquam poſſe ei convenire ſingularitas: id autem eſt falſiſſimum contra omnium experientiam; ſed probatur ſequi facile: quia quod competit alicui per ſe, ejus oppoſitum, neque per ſe, neque per accidens ei convenire poteſt: hinc enim homo non poteſt eſſe irrationalis aut inanimatus ne per accidens quidem; & ſimiliter non poteſt eſſe irriſibilis aut hinnibilis, rugibilis, &c. etiam per accidens ſecundum omnes, quia illa eſt propria paſſio ejus, & illud oppoſitum propriæ paſſionis illius: ergo jam ſi verum ſit quod illi ajunt, unitatem, ſed communitatem formalem eſſe paſſionem connaturalem naturæ, impoſſibile erit hanc poſtea conjungi oppoſito ejus, ſive incommunicabilitati quæ habetur per ſingularitatem: atqui hoc eſt falſum, quia oppoſitum fit, de facto enim dantur naturæ ſingulariſatæ, imo non dantur niſi quæ tales ſint; ergo denique meum aſſumptum eſt verum, ſcilicet non dari in naturis hujuſmodi unitates aut communitates ſive negativas ſive poſitivas, quia utrique opponitur ſingularitas.

Ex his habes quam ineptum ſit illud quod quidā Adverſariorum imaginantur, ſcilicet naturas Petri & Pauli avelli à ſe invicem ſola ſingularitate utriuſque; ut ſi forte auferrentur illis ſingularitates, tum ſtatim coirent in unam; non enim ita eſt; quin nihil minus, nam ſingularitas non dat illis realitatem, ſed hæcceitatem tantum, ut hæc ſit Petrus, illa Paulus, nequaquam vero ut abſolutè ſit alia, ſed duntaxat hac aleitate, ut infra latius explicabo. Interim audiamus quid pro Adverſ. adferri poſſit.

Adferuntur objectiones contrariæ & ſolvuntur.

6. IN primis objiciunt: Duo individua alicujus ſpeciei creatæ, puta Petrus & Paulus ſunt realiter ſimilia, utique enim magis ſibi aſſimilantur Petrus & Paulus quam Petrus & Bucephalus, vel Petrus & Leo; ergo jam conveniunt in aliquo; illud non eſt principium aliquod materiale aut individuale, quia in his differunt, erit ergo principium aliquod formale & eſſentiale, atque ita jam datur aliquod reale eſſentiale unum in utroque, quod eſt ipſorum intentum: & patet ſequi, quia omnis ſimilitudo reducitur ad aliquod unum, quùm ſit convenientia quæ ſemper eſt
15. plurium in uno. Et confirmatur quia relatio ſimilitudinis ſecundum Philoſophum fundatur in unitate, ſicut etiam illa diſſimilitudinis in multitudine, ut docet idem ibidem, ergo. Hoc argumentum ſapit bene ſubtilitatem D. N. à quo ſumptum eſt; neque ſatisfiet ei dicendo, quod proinde verum ſit illa individua convenire in aliquo objectivo, ſeu in aliquo conceptu, contra hoc enim facit ipſa forma argumenti, quod ſcilicet illi duo ſint realiter ſimiles, & ſecundum ea quæ uterque habet in ſuâ exiſtentiâ, adeoque aliquod reale admittendum eſt eſſe in illis unum: ut ſupra.

Æſtimo argumentum, & quamvis forte non ſolvam ipſum plenè, tamen auſim retorquere in authores: ſcilicet Scotiſtæ noſtri non poterunt etiam ipſi negare, quin duæ differentiæ illorum duorum, puta duæ rationalitates, una Petri, alia Pauli ſint ſimiles; utique enim magis aſſimilantur ſibi quam rationalitas, & equinitas vel leonitas, ut aſſumebant ipſi in objectione; & tamen non audebunt illi dicere quod iſtæ differentiæ ultimæ habeant quidquam commune, cum ſint ut dixi, ultimæ, adeoque ab omnibus primò diverſæ, ita ut nec ipſum ens includant; ergo jam non ſufficit ipſis ſimilitudo, ut convincant aliquod commune poſitivum. Deinde iterum retundo vim argumenti, quia ſi procederet ut ipſi volunt, non ſolum convinceret ſimilitudinem, ſed identitatem: clarum eſt autem aliud eſſe ſimilitudinem, & aliud identitatem, nec ſufficere illam ad hanc inferendam.

Cæterum ad ipſum in ſe argumentum non ſubit quod melius reſpondeam quam quod jam ſignificavi, ſcilicet Petrum & fratrem ejus eſſe ſimiles, ſed in aliquo objectivo, ſcilicet in ratione naturæ quæ illis communis eſt, & ita in utroque unum; quamvis ſubjectivè loquendo quiſque ſuam habeat. Sed contra hoc duo faciunt: unum quod jam attuli, ſcilicet illos realiter & exiſtenter eſſe ſimiles, adeoque aliquid præter objectivum illud concedendum eſſe in ipſis: Alterum quod in illo eſſe objectivo non ſunt ſimiles, ſed unum: adeoque erit identitas eorum non ſimilitudo, niſi aliquid præterea adſeratur. Dicam quod mihi videtur ad iſta: Ad primum quidem illos eſſe realiter ſimiles quia etiam illud objectivum eſt reale ut ſupra explicavi, & ſi protervi at arguens illos eſſe, ut ipſe loquitur, exiſtenter ſimiles, hoc ei denique negabo, ſic enim ſunt revera plura non autem unum; poſſunt tamen dici exiſtenter ſimiles & ſubjectivè, propterea quod ea quæ ſunt ſimilia ſint exiſtentia & ſubjectiva, licet ratio formalis ſimilitudinis non ſit quid in rigore exiſtens aut ſubjectivum, ſic perſonæ Divinæ ſunt plura ſimilia & æqualia, licet id in quo aſſimilantur & æquantur non ſit plura ſed unum.

Objicitur ſecundò: Petrus & Paulus: ſive natura humana in illis eſt indiviſa per principia formalia & eſſentialia, nam differentiæ numerales quæ ſolæ ſuperadduntur naturæ in individuis ſunt materiales tantum, non vero formales; non enim faciunt aliam eſſentiam in conſtituto ſicut faciunt eſſentiales, v. g. rationale, & irrationale quæ conſtituunt hominem & brutum intrinſece & eſſentialiter diverſa, ergo natura humana in illis eſt formaliter una; hoc enim eſt eſſe indiviſam: eſt autem illa poſitive indiviſa, ergo poſitive una. Reſpondeo negando aſſumpta: eſt enim natura in illis diviſa realiter, quia nimirum aliud realiter eſt principium in Petro, & aliud in Paulo, & in illis non ſolum eſt aleitas aut multiplicatio principii ſeu differentiæ numeralis, ſed etiam ſpecificæ, & formalis, realiter intelligo.

Digitized by Google

Dices, ergo erit alia ſpecies Petrus, & alia Paulus: nego ſequelam, quia ratio ſpecifica eſt ratio objectiva, & dicit totam ipſam naturam; at vero natura non eſt tota in Petro, ſed tota in Petro & Paulo, &c. collectivè, ita ut omnia individua ſimul æquent & conſtituant ſpeciem, non vero ſingula ſeorſim, ſed contra omnia.

Objicio ipſe adhuc: Natura quælibet objectivè ſumpta eſt ipſa eadem, quæ ſubjectivè & realiter exiſtit: ſi ergo, ut ſupradiximus, natura objectivè ſumpta habet hanc unitatem formalem ſive poſitivam ſive privativam etiam natura ſubjectivè & exiſtenter ſumpta eandem habebit, alioquin id quod ponitur in exiſtentiâ non erit ipſum quod fuit poſſibile, ſed aliud erit quod eſt, aliud quod potuit eſſe, unde ulterius ſequitur illud poſſe eſſe impoſſibile, quia quando venitur ad actum non ponitur illud poſſibile ac objectivum, ſed aliud. Huic tamen habetur ſolutio ex jam dictis, quia natura objectivè ſumpta non eſt illa alicujus individui, ut imaginantur ſic arguentes, ſed omnium: Illa quidem eſt poſitivè una, at non in multis multiplicata, ſed in omnibus ſemel.

Poteſt etiam adferri ratio illa Doct. de diſtinctione eſſentiali, ſic: Si enim omnis unitas realis eſt ſolum numeralis, & nulla formalis ſit, tum etiam omnis diſtinctio realis erit numeralis, & nulla dabitur formalis; hoc autem videtur manifeſte falſum, ſic enim omnia æqualiter differrent, & ita non magis differet Petrus à Leone aut Bucephalo quam à Paulo, ſed enim hæc ratio non continet aliam difficultatem ab illa primæ objectionis ſuprà, propter quod remitto eam ad ſolutionem ibi datam. Utiliter de hoc videbitur Poncius hic: ne actum agamus.

Supereſt adhuc una, & quidem Metaphyſica difficultas; ſi enim natura Petri & illa Pauli ſe ipſis plures eſſent, tum fruſtrà adderentur eis ſingularitates; certum eſt autem has non fruſtra addi: ergo. Hoc habet ſpeciem aliquam veritatis, & ut credo pleroſque decepit; ſed nonniſi defectu advertentiæ, quam hic adjiciam. Sciendum enim eſt duo individua ejuſdem ſpeciei non ſolum eſſe diſtincta realiter, ſed etiam eſſe primò diverſa, ut conceptus habendus de Petro ſit plane alius ab eo qui de Paulo habetur, loquendo de illis totaliter, ac non tantum eſſentialiter ſumptis. Ergo ſingularitas ponitur non ad reddendos illos plura, ſed ad faciendos primò diverſa. Unde in formâ nego ſequelam argumenti: non enim proinde ponuntur ut viſum eſt, & amplius infra videndum Apologia ſequenti, Interim

De his videndi:

GAlen. *lib. 2. de Meth. Medendi. c. 7.* Scot. *Locis: citat. 2. d. 3. q. 1. & 7. Metaph. q.* 10. Ant. Andr. *ib.* Ock. 1. *p. Log. à cap.* 14. *& in* 1. *ſent. d. 2. q.* 4 *& quodl.* 12. *ar.* 13. Adam. 1. *d.* 33. *q.* 8. Gabr. 1. *d.* 2. *q.* 8. Rubion. *ib. q.* 7. Cajet. *de Ent. & Eſſent. c.* 4. *q.* 6. Soncin. 7. *Metaph. q.* 4. Javel. 8. *Metaph. q.* 13. Carpentar. *in Alcin. de Doctr. Platon. digres. poſt. c.* 8. Scalig. *exercit.* 307. *n.* 22. Georg. Ragus. *tom.* 1. *diſput. peripat. diſp.* 24. Ludovic. Buccafar. 1. *de Anim. tex.* 8. Smiglet. *tom.* 1. Log. *Meuriſſ.* 2. *Metaph. c.* 3. *q.* 4. Joan. Monlor. *diſp. propria de hu c.* 5. *&* 6. Fonſec. 5. Metaph. *c.* 28. *q.* 3. Franc. Suar. *tom.* 1. *Met. diſp.* 6. Aquar. 6. *Metaph. dilucid.* 6. Maſtr. *tom.* 2. *Metaph. diſp.* 9. Petron. *tom.* 1. *Log. q.* 1. *l.* 4. Rapinæ *in nucle. diſp. Logic. d.* 2. *q.* 4. Balfor. *q.* 2. *Univerſ.* Cheynæ *in analyſi lib.* 7. *Metaph. Scholio in cap.* 12. Valleſ. 1. *Controv. q.* 11. Poncius *diſput. Log.* Hurtad. *diſp.* 5. *Metaph.* Ariag. *d.* 4. *Logic.* Ovied. *Controv.* Meriner. Camerar. 1. *p. qq. &c.*

APOLOGIA QVINTA

De unitate numerali ſeu ſingulari.

ACTIO I.

Utrum ſingularia omnia conveniant in aliqua ratione communi ſingularis?

ACTIO II.

Utrum Natura individuetur per aliquod ipſi realiter aut formaliter ſuperadditum?

ACTIO III.

Quodnam ſit principium individuationis in ſingulis quibuſque.

ACTIO IV.

Utrum omnia individua cujuslibet ſpeciei ſint æqualia, & eſſe debeant? An vero poſſint & debeant eſſe inæqualia entitativè, ac non tantum intenſive?

Scoti Themata pono Actione ſequenti quæ eſt:

ACTIO

Digitized by Google

ACTIO I.

Vtrum omnia ſingularia conveniant in ratione communi ſingularis?

Breviarium.

N. 1. *Mens Scoti de iſtis.*
2. *Reſolvo non dari aliquod abſtractum à ſingularibus, quod ſit commune illis.*
3. *Adhuc tamen individua habent communem conceptum, in quo omnia, aut potius ſingula conveniunt.*
4. *Rationes cujuſdam Recentis ad hoc expenſæ.*
5. *Alia probationes ejuſdem aſſerti.*
6. *Rationes dubitandi ſolvuntur.*

Mens Scoti noſtri.

1. DE induſtriâ diſtuli hanc difficultatem & ſequentes hic ex Logica, ubi in ſecundo prædicabili quod eſt ſpecies, nunc ſeculi tractari ſolent, ſed, niſi erro, intempeſtive, cum ibi nec locus nec tempus ſit horum quæ realia & phyſica, ſaltem Metaphyſica ſunt, non vero intentionalia tantùm, de quibus Logica.

Ad rem: cenſetur communiter opinio D. N. eſſe, quod ſingularibus ſeu individuis non detur ulla ratio communis, & ita non poſſit ab illis abſtrahi ratio communis individui. Sic eum citat ex ſuis Joan. Rada Tom. 2. Controv. 3. Ponc. diſp. 9. de Individuo, q. 2. Merin. d. 2. de ſpec. q. 1. ex aliis Averſa. q. 9. Logic. ſect. 11.

Revera autem mens ejus in hoc negotio non eſt nimis aperta; ut propterea excuſandi ſint Scotiſtæ ſi ſecus eum intellexerint. Nempe 2. d. 3. q. 6. videtur omnem omnino convenientiam individuorum, qua talium negare. *Omnis differentia differentium* (inquit) *reducitur ad aliqua primò diverſa, alioquin non eſſet ſtatus in differentibus: ſed individua propriè differunt, quia ſunt diverſa aliquid idem entia, ergo eorum differentia reducitur ad aliqua primò diverſa, &c. igitur præter creaturam in hoc & illo ſunt aliqua primò diverſa quibus hoc & illud differunt*: ſcilicet principia individuantia, atque ita intelligit Scotus ea eſſe primo diverſa, & nihil commune habere. Alibi tamen recedit ipſe ab hoc rigore, & non vult omne commune eis negari, ſed commune tale, puta in quid ſeu, ut loquitur ipſe, quidditativum; ita in 1. d. 23. q. un. n. 6. *Dico quod ab ultimis diſtinctivis, & conſtitutivis perſonarum nihil poteſt abſtrahi commune dictum de iis in quid*: (nota:) *& ideo commune abſtractum ab eis vel eſt conceptus omnino negativus, vel ſaltem non quidditativus* (nota) *conceptus*: Et in eodem 1. d. 2. q. 3. admittit & exponit has: *ſingulare eſt univerſale*: item: *Plurale eſt ſingulare*: Et denique 1. d. 23. q. un. ait: *Poteſt dici quod ab individuis non tantum poteſt abſtrahi ſpecies quæ dicit quidditatem individuorum, ſed etiam aliquid proprium*, adeoque juxta ipſum hic, ut plane

3. reſoluas, debes de utroque extremo participare, & denique *medio tutiſſimus ibis.* Unde

Prima Pars Reſolutionis

2. DIco primo: non datur aliquid abſtractum à ſingularibus quod ſit commune eis. Hæc eſt prima pars reſolutionis Scotiſticæ in hac materiâ: in quâ eum ſequuti ſunt præter ſuos alumnos etiam extranei, & alias adverſi, Cajetan. Soto, Tolet. Moriſan. noſtras, &c. intelligo autem de ſingulari ſeu individuo primò intentionaliter ſumpto, & ſic probo aſſertum demonſtratione illa infallibili de proceſſu in infinitum, qui certiſſime hic incurritur niſi id dicatur: formo argumentum ſic: quando abſtrahitur aliquid ab alio, aliquid aufertur, & aliquid remanet; ſi ergo abſtrahitur ratio communis individui ut ſic ab hoc & illo individuo, tum in illo erit ratio communis, & ratio particularis individuis, dico in illa differentia individuali: ſed hinc ſequitur illam differentiam non fuiſſe differentiam, quia illa tota non faciebat differre, ſiquidem in ratione illâ communi conveniebant individua, unde dicendum erat ſolum id quod relictum eſt, eſſe differentiam. Tum autem de ipſo quæram, utrum abſtrahi poſſit ab ipſo ratio communis individui, necne? ſi ſic, redit argumentum, & redibit in æternum ut vides, adeoque ad fugiendam hanc fugam æternam, ſive proceſſum infinitum, concedendum denique eſt differentiam numericam aut ſingularem, adeoque individuum qua tale reduplicative non habere rationem aliquam communem abſtrahibilem quod erat probandum. In hac ratione includitur alia adferri huc ſolita: principium differendi non eſt principium conveniendi. Differentiæ numericæ ſunt principia differendi: ergo non conveniendi, adeoque jam illa non conveniunt in ratione unius numero aut individui. Libet tamen hanc expendere, ſi fortè tam pulchra facies nos fallat: Dico autem dubitari poſſe de majori, quamvis videatur ex ſuis terminis probata, ut etiam prædicatum includatur in ſubjecto: Moveo tamen hoc dubium contra ipſam; ſint duo aliqua extrema, & extremè diverſa ab omnibus omninò rebus: vides hæc eſſe ſummè diſſimilia, & tamen ſunt ſimilia adhuc in hoc ipſo, etenim conveniunt in eo quod eſt ab omnibus differre; ecce principium convenientiæ ipſum principium diſconvenientiæ; ſunt enim ſimilia in eo quod eſt eſſe omnibus diſſimilia. Æſtimo dubitationem, neque novi aliter ſolvere

quam interponendo hanc quæſtionem: utrum ſcilicet ponantur illa non ſolum ab aliis omnibus, ſed à ſe mutuo differre? ſi primum, jam involvitur quædam implicantia in hypotheſi, quod ſcilicet illa differant ab omnibus, & tamen non differant ab aliquibus, quia non à ſe ipſis; ſi ſecundum dixeris, dicam ego illa non convenire in ullo; &, ſi tu dixeris contrarium, dices contra hypotheſin, quia hypotheſis noſtra fuit quod in nullo convenirent. Video tamen adhuc locum eſſe replicæ, nam etiamſi ponantur illa à ſe ipſis etiam differre, adhuc convenient in aliquo, ſcilicet in eo quod eſt eſſe primò diverſa ab omnibus. Hæc, (fateor,) ſunt acumina potius quam res: ſed ſubinde moleſta; hinc enim videtur ſequi oppoſitum illius principii, & evidenter inferri quod idem poſſit eſſe principium convenientiæ, & diſconvenientiæ aliquorum; Ad quod denique dicendum exiſtimo convenientiam & differentiam hic eſſe diverſa; nam convenientia eſt in aliquo accidentali, ſcilicet in habendo relationem diſſimilitudinis: differentia autem eſt in aliquo eſſentiali; ponimus enim hæc eſſe eſſentialiter diverſa à quolibet.

Alius aliter probare intendit idipſum, ſic: quia (inquit) eo ipſo quo illa ratio abſtracta eſſet communis omnibus illis, non eſſet ſingulare ſed univerſale, non minus quam natura humana eſt univerſalis ex eo, quod ſit ratio ſic abſtracta & communis, ergo eſſet & non eſſet ſingularis quod implicat. Miror tamen P. Poncium crediſſe huic rationi, tanquam aliquid efficeret; nec advertiſſe quod conſequens ab ipſo illatum pro abſurdo ſit Doctoris, qui approbat hanc: *ſingulare eſt univerſale*, ut ſupra ex ipſo viſum. Cæterum non eſt abſurdum ſingulare eſſentialiter eſſe denominativè univerſale; ſic enim genus eſt ſpecies, & è contra, etiam Individuum ſecundò intentionaliter eſt ſpecies.

Poterit ergo aliter ſuaderi ſic: quia ſi individua continerent rationem communem qua talia, tum individua eſſent contrahibilia; id autem eſt contra omnium ſenſum, tenent enim omnes individua pro ultimis & indiviſibilibus, unde etiam dicta ſunt individua, quia nimirum non poſſunt dividi in inferiora ſicut ſpecies dividitur in ipſa, & genus in ſpecies, patet hæc ſequela: quia omne commune eſt contrahibile ad inferiora, & omne indeterminatum eſt determinabile: certum eſt autem individuum non poſſe habere inferiora, quàm ſit infimum, ſicut necunitas in diſcretis eſt diviſibilis, ſed quid ſimplex, & primo primum, &

Altera Pars Reſolutionis.

3. His tamen non obſtantibus dicendum exiſtimo, quod Individua habeant communem conceptum in quo omnia, aut potius ſingula conveniant. Hæc non minus quam præcedens habet fundamentum in Doct. N. ut jam viſum eſt productis locis ejus, maximè illo ex pr. d. 23. q. un. num. 6. ubi patenter ait, quod non ſolum ſpecies, quæ eſt quidditas individuorum puta humanitas reſpectu Petri & Pauli, ſed etiam aliquid proprium individuis ſit, & intelligi poſſit ut unum, &c. Eſt manifeſtiſſima Recentium qui putant ſe eam demonſtrare: ex Scotiſtis mordicus eam tenent Maſtrius & Bellut. diſp. 5. Univerſ. q. 2. & dudum ante Bargius Braſſevol. & noviſſime tuentes.

Probo primò: quia Individuum ut ſic eſt definibile, definiunt enim ipſum Porphirius, ſaltem id tentavit, etſi forte non eſt aſſequutus quod intendit, tamen ſignificavit ſine dubio quod id poſſit fieri, & communiter reprehenditur in facto potius, quam in intentione. Dices non poſſe me uti hoc argumento, quia D. 2. d. 3. quæſt. 6. num. 17. expreſſe ait individuum non eſſe definibile. Concedo hoc dicere ibi Doctorem, at non contra me; loquitur enim de individuo determinato; v. g. hac albedine, hoc homine, puta Petro; ego autem ago de individuo ut ſic, quod involuitur in illis determinatis. Confirmo etiam hoc argumentum notabili paſſu Ariſtotelis lib. 1. de part. animal. cap. 4 *magna pars animalium eadem affecta eſt proportione; ſed cum ultimæ ſpecies ſubſtantiæ ſint, quæ quidem ſpecies nullo ſpeciei diſcrimine differunt ut Socrates*, Coriſcus. Ecce Ariſtoteles uſque adeo cenſet individua eſſe definibilia, ut ea vocet ſpecies.

Arguo etiam iterum, & confirmo hoc argumentum; etenim quæro utrum differentia ſit definibilis? & utrum ſit aliquid commune pluribus, necne? ſi non, jam non erit univerſale, quùm tamen ſit tertium ordine, & pæne efficiat duo, æquando genus ac ſpeciem: ſi ſit, individuum etiam poterit eſſe, quia nimirum quod obſtat individuo eſt eſſe differentiam, ſive id in quo aliqua ultimo diſtinguntur ut patuit ſupra in primâ parte reſolutionis, & omnes fatentur: Dices forte differentiam eſſe univerſale & definibile, &c. ſed in concreto & quatenus importat ſubjectum, non vero abſtractivè ſumptam pro ultimo gradu: ſed malè, aut certe nihil dicis niſi pro me: ecce quomodo, aut enim concretum illud, puta, rationale facit differre, aut non facit ipſum, ſed aliquid ipſius tantummodo facit differre, puta ultimus gradus: ſi totum illud non facit differre, jam totum non eſt differentia contra hypotheſin: ſi autem totum illud facit differre, & adhuc patitur convenientiam aliquam cum aliis facientibus differre, jam Individuum, ſingulare, &c. habebunt aliquid commune licet ſint rationes faciendi differre.

Urgeo & explico magis argumentum: accipiantur enim duæ ultimæ differentiæ, & quidem ſpecificæ, v. g. rationalitas pro ultimo gradu, & brutalitas pro ultimo ſui. His aliquid eſt commune, aut non, ſecundum hoc dici non poſſe jam probavi, & adhuc amplius probo ex terminis ipſis, quia nimirum utrumque convenit in eo quod eſt eſſe ultimam differentiam, in eo quod eſt eſſe incontrahibile & indeterminabile, &c. erit ergo aliquid, ſi non plura, eis commune: Atqui eadem eſt ratio de ipſis ac de differentiis individualibus; ratio enim horum eſt quod ſint ultimò diſtinctiva, & ultimò diſtinctiva, non poſſint eſſe aſſimilativa: Patet autem differentias etiam ſpecificas eſſe ultimo diſtinctivas, ut ſupra, ergo. Adhuc in idem

Arguo tertio. Unitas eſt quid unius conceptus

ceptus in multis; quid enim erit unum, ſi unitas non ſit? & tamen patitur difficultatem hanc eandem cum individuo, adeoque jam difficultas hæc denique eſt ſuperabilis re ipſâ, licet nos non ſciamus perfectè retexere eam. Oſtendo Minorem; quia quod facit moleſtiam in individuo eſt ipſum eſſe ultimum quid, quod ſub ſe non habeat ulteriora, aut inferiora; & item eſſe quid ſimplex, atque indiviſibile in plura: atqui utrumque horum invenitur in uno, nam ad unum ab omni numero deſcendi poteſt, infrà iri non poteſt; unum eſt indiviſibile, &c.

4. Videam jam, quam feliciter tentaverint hanc rem Recentes, qui præ nobis adhærent ei: Arguit eorum aliquis, ſic: Hæc eſt formalis propoſitio: Petrus eſt aliquod individuum; Paulus eſt aliquod individuum, ex quo ſequitur dari rationem individui vagi, ergò etiam datur ratio individui univerſaliter ſumpti: Cauſa; quia illa ſincategoremata *aliquod*, & ſimilia ſemper afficiunt aliquem terminum univerſalem; ut, aliquod animal, aliquod lignum; eſt enim terminus reſtrictivus.

Pergit idem & arguit: Hæc ipſa eſt formalis propoſitio: *Petrus eſt individuum*, Paulus eſt individuum; & non eſt propoſitio ſingularis, quia differt ab hac: *Petrus eſt hoc individuum*; ergo ſunt propoſitiones univerſales, adeoque ratio individui erit univerſalis. Optarem hæc valere, ſed timeo illis: Inprimis prima videtur palam deficere, nam individuum vagum non cenſetur habere aliquem per ſe conceptum, de quo conſulendi, & credendi ſunt Summiſtæ; hæc enim eſt perpetua eorum doctrina; unde illud non poteſt eſſe mediũ ſyllogiſmo; & ſyllogiſmus ex puris particularibus eſt omninò vitioſus, ſi ergo τὸ *aliquis homo* nõ ſufficit pro medio ſylogiſmi, quantũvis τὸ homo ſit, quid per ſe & ſufficiat, quanto minus τὸ *aliquod individuum*, quum τὸ individuum ſaltem ſit dubiæ fidei, & hic controvertatur inter nos, an ſit terminus communicabilis, adeoque. Hinc gradum faciendo ad ſecundum, magis placet quidem, ſed fortaſſe patitur ſimilem, aut prope ſimilem difficultatem, quam hic etiam contra me movebo in hunc modum: Non licet dicere: *Omnis Petrus*; ſed neque; aliquis Petrus: quia τὸ Petrus eſt quid determinatum ad unum ac fixum & cui non poſſit inveniri aliud ſynonymum; ergo nec licebit dicere; omne individuum; aut etiam, aliquod individuum; quia Petrus eſt exemplum individui, & quodlibet eſt ejuſmodi. Unde qui contenderet aliquod abſtractum individui, ut ſic, alius ei reſponderet, velle ſibi concedi aliquod abſtractum ab omnibus Petris; adeoque

5. Habet tamen vim aliquam argumentum; & nihilominus nitendum, potius eſt aliis probationibus ſuprà, atque etiam his paucis, quas ſubdo: Una eſt à priori, quia quandocunque aliquod prædicatum convenit cuique ex pluribus, illud eſt omnibus commune; Eſſe incommunicabile, convenit cuique individuo, erit ergò omnibus commune: quæ ratio eſt à priori; ſed patitur reſponſionem, quod ſcilicet eſſe incommunicabile, non ſit idem in omnibus, ſed diverſæ rationis in ſingulis individuis: At contra facit primò, quod ſic etiam negari poſſet communicabile eſſe unum prædicatum, & quodcunque aliud, puta eſſe animal, eſſe Ens: Deinde directè ſic; quia habitus, qui negatur per hanc privationem eſt ejuſdem ſpeciei: ergò & ipſa privatio. Antecedens conſtat, quia eſt communicabilitas pluribus, hæc eſt, quæ negatur per eam, hæc eſt unius rationis, quid ergo exſpectes?

Denique huc adferri poteſt vulgata illa probatio ex Doct. de duobus conceptibus, quorum unus eſt certus intellectui, alter incertus; (hi enim non poſſunt eſſe unus, quùm nemo poſſit eſſe certus, & incertus de eodem) poteſt enim quis eſſe certus, quod hic ſit individuum talis ſpeciei, puta hominis, aut panni, & neſcire utrum ſit hoc, an illud, num ſit ille homo, an ille pannus, quem alibi vidit. Qua ratione alio loco, & quidem libenter utitur Doctor ad inferendam aliquorum univocationem. Scotiſtæ autem, qui ægrè ferunt hanc partem per argumenta Doct. promoveri, dicunt non eſſe ſimile, eo quod hic intellectus ſit certus, tantum de aliquo diſiuncto, non autem de aliquo determinato. Egregiè; quaſi vero non idem poſſem ego, poſſet alius quiſpiam Thomiſta prætendere, quando Scotus hoc medio vult inferre univocationem entis, quod ſcilicet tunc intellectus non habeat certitudinem de aliquo determinato, ſed tantum de diſiuncto. Dicunt id colligi ex rationibus ſuæ concluſionis, quibus ſcilicet probant non dari conceptum individui, & alibi dari conceptum entis, animalis &c. Audio, ſed tum iſti boni viri non debent numerare hanc rationem inter probationes, quia reſolvitur denique in alias, neque habet novam vim; & tamen eſt palmaris ratio, & primæ claſſis apud Doct.

Ipſe tamen dum hæc ſcriberem, concepi dubium aliquod contra eam: eſtque hoc: quia nimirum illa ratio poteſt verti, ut probet dari conceptum individui vagi, & tamen non datur: Poſſum eſſe certus, quod hic ſit aliquis homo, & incertus quis ſit? num Petrus? ecce certitudinem de individuo vago. Reſpondeo, ne moremur, (quia hæc acumina ſoboleſcunt,) primò prætendi poſſe, non eſſe illam certitudinem de individuo vago, ſed de diſiuncto; puta; vel hoc, vel illud, quod aliud eſt, non tamen quid altius, aut communius ipſis ſingularibus Petro, Paulo. Secundò, ſi voles, dic illam certitudinem eſſe de ſpecie, incertitudinem de individuo, ſi inſtetur non ſolum eſſe certitudinem de ſpecie, ſed de individuo, dic ut ſupra in primâ ſolutione.

Rationes dubitandi ſolvuntur.

6. NEmpe una pars hujus reſolutionis videtur alteram impugnare, ut conferenti eas patet, & ſemper ſupereſt ſolvendus ille ſcrupulus de proceſſu infinito in ſingularitatibus, ſi detur aliquà ratio communis ipſis: Itemque illa ultimitas duarum differentiarum numericarum; ſi enim detur aliquid commune ipſis, non erunt ultimæ illæ, ſed habebunt ulteriores, ut ſupra deductum eſt, ergò.

Hic eſt primarius obex negotii, quod tamen expediam præmiſſo duplici modo, quo intelligi poſſit, quod aliquibus pluribus detur quidpiam commune: Unus eſt, ſi intelligatur illud eſſe tertium quid, abſtractum à pluribus inferioribus & contrahentibus ipſum; quomodo de facto ſe habent ſpecies reſpectu generum, & individua reſpectu ſpecierum; & hoc modo non eſſe individuum, ut ſic commune, aut abſtractum, neceſ-

Digitized by Google

neceſſario concedendum eſt rationibus illis & authoritati Doct. Alio modo ut intelligantur omnia individua, ſeu hæcceitates eſſe una, ſeu in unum coire, eo modo, quo intelligerentur humanitates omnes præciſis ſingularitatibus eſſe una; tum enim non abſtraheretur ratio humanitatis ab illis, quia ablatis ſingularitatibus non eſſet à quo abſtraherentur; omnes tamen facerent unam, ita hic ut bene notavit Poncius citatus. Datur ergo ratio Individui ut ſic, non quidem abſtracta ab hoc, & illo individuo, ut probatum eſt in primâ parte, ſed quaſi conflatum quoddam ex omnibus, quæ unum reddunt, ut jam exemplavi. Aliter etiam explicari poſſet idipſum, quia nimirum totum eſſentiale eſt revera ſua inferiora cupulatim ſumpta: quid enim eſt, omnis homo, v.g. niſi hic, & ille, & ille homo, & ſic de cœteris? propterea enim valet consequentia ab omni homine ad hunc hominem, non ècontra, quia valet à parte ad totum eſſentiale; ergo dari individuum ut ſic, aut intelligi ipſum non eſt, niſi intelligi omnia individua ſimul: Certum eſt autem poſſe omnia ſic intelligi, adeoque. Confirmo, & explico ulterius totum, quia juxta hoc, valet probatio concluſionis, quæ ſic formatur: Omne individuum eſt incommunicabile, Petrus eſt individuum, ergo incommunicabilis. Etenim ſi accipiatur Major juxta primum ſenſum, eſt inepta, & de ſuppoſito non ſupponente; non enim datur individuum univerſale in rigore cui apponi poſſit ſyncategorema *omne:* Valet tamen juxta hunc ſecundum modum, quia nimirum idem erit dicere, omne individuum eſt, &c. ac dicere, quodlibet individuum eſt incommunicabile, Petrus eſt individuum, ergo incommunicabilis; qui ſyllogiſmus legitimus eſt, nec ſubeſt vitio primi. Hic ergo non ſolum non datur proceſſus in infinitum, ſed neque in finitum aliquod ultra ipſas differentias individuantes, hæ enim ſeipſis conveniunt ad faciendum illud totum; & diſtinguendas partes ejus, id eſt ſeipſas ab invicem; plane ſicut in toto diſcreto unitates omnes ſunt unus numerus, ſed ſingulæ ſunt unitates, & partes in hoc genere indiviſibiles

Unum contra hæc adferri poteſt, eſtque quod diſpar ſit ratio de ſingularitatibus, ac de humanitatibus; nam humanitates omnes ſunt unius rationis præciſis ſingularitatibus, ſingularitates autem non, ſed ſunt diverſiſſimæ, imò primo diverſæ, atque ita non ſimiliter poſſunt coaleſcere in unum: ſed enim huic replicæ obviatum eſt jam per inſtantiam numeri; ibi enim ſingulæ partes ſunt incommunicabiles invicem, & tamen faciunt totum, & in toto conveniunt licet in ſe ipſis ſint diſcreta; & per idem ſatisfactum eſt rationibus in prima parte adductis. Superſunt aliæ aliquot adhuc, quas hic addam, tum in probationem primæ partis, tum in impugnationem hujus.

Objici enim adhuc poteſt, quod ſi detur hujuſmodi ratio individui ut ſic, tum hæc prædicatio; Petrus eſt homo; non erit immediata, quod eſt contra omnes, & contra ſtructuram arboris prædicamentalis, in qua immediate ſubduntur Homini, illa individua Socrates, Petrus, Paulus: Sequela tamen patet, quia mediat hæc, Petrus eſt individuum. Reſpondeo illam eſſe immediatam eſſentialem & in quid, non tamen abſolutè omninò immediatam: & ad hoc capiendum cogo Adverſarios ſic: Quæro enim utrum hæc ſit immediata; homo eſt animal? dicent quod ſic: & tamen mediat iſta: homo eſt ſpecies, ſicut hic mediat iſta, Petrus eſt individuum: nam quemadmodum Petrus & Paulus conveniunt in eſſe individui, ita homo, & leo, &c. in eſſe ſpeciei. Fateor eſſe locum inſtantiæ Adverſario, ac diſparitatem; nam plane accidentale eſt *homini* eſſe ſpeciem, eſſentiale autem Petro eſt, eſſe ſpeciem. Sed neque hoc obſtat, nam neque individualitas eſt omnino eſſentialis Petro, neque ratio ſpeciei Metaphyſicæ eſt plane accidentalis homini (quidquid ſit de ſpecie Logica) maximè ſecundum Scotiſtas, qui ponunt unitatem formalem, per quam ſit talis eſſe propriam paſſionem ejus.

Objicitur ultimò: ſi detur ratio individui, ut ſic, & ratio talis individui, jam individuum, ut ſic erit ſpecies, quod videtur in terminis repugnare, & præterea habet hic ſpecialem abſurditatem, quia tum ratio ſingulorum individuorum non erit conceptus ſimpliciter ſimplex, cum contineat duos ſcilicet communem & particularem. Maſtr. Cœpit huic reſpondere unus ex noſtris, non ſequi illud eſſe ſpeciem, quia eſt commune aut contrahibile, non ut quid, ſed ut modus. Sed adverterit ille quid reſpondet; difficultas eum quocunque ſequitur; licet enim ratio illa non ſit, quid reſpectu naturæ univerſalis, puta humanæ, tamen eſt quid reſpectu inferiorum ſuorum, ſcilicet hujus & illius individui, ſic evenit Scotiſtis, quibus aliena principia præ ſuis placent; iſte enim mutuavit à Recentibus doctrinam illam de diſtincte cognito & confuſe cognito, non advertens illos, propterea excogitaſſe hanc diſtinctionem, ut evadere poſſent præciſiones objectivas, quas nos defendere profitemur. Ad confirmationem ergò, relicta hac confuſione cognitionis, reſpondeo ex ſupradictis adhuc differentiam individualem eſſe ſimpliciter ſimplicem, quia commune illud non eſt tertium quid abſtractum ab illis, neque illæ ſunt differentiæ contrahentes iſtud, ſed commune eſt ipſæmet differentiæ in unum coeuntes; unde, idem erit; omnis differentia, ac omnes differentiæ ut ſupra

***

Digitized by Google

ACTIO II.

Vtrum natura creata individuetur per aliquid ipſi realiter, aut formaliter ſuperadditum?

Breviarium.

N. 1. *Præmiſſa quadam Reſolutioni*
2. *Singulare qua tale nihil addit entitati naturæ, realiter poſitæ extra cauſas.*
3. *Objecta ab Adverſ. diſſolvuntur: in primis ipſe Scotus*
4. *Deinde ratio ejus.*
5. *Alia obiectio ex ipſo ſoluta.*
6. *Oſtendo nihilominus, requiri aliquid ultra naturam ad ſingula individua conſtituenda.*
7. *Objicitur contra reſolutionem hanc; & Reſpondetur.*

1. IN hoc negotio multam lucem ſcholæ Scoto debent; etenim Ariſtoteles ſatis perplexum ipſum reliquit, in quibuſdam admittens ſuperadditum, in aliis non, puta in ſubſtantiis ſeparatis, in
Lib. 7. Metaph. cap de par. defin. quibus dicebat *Quod quid eſt coincidere cum eo cuius eſt.* Ipſum enim tam obſcurè gradientem ſequutus eſt S. Thomas, hunc alii, Doctoris ſententiam infra videbimus.

Interim ſupponamus omnem naturam exiſtentem realiter, revera eſſe ſingularem, & incommunicabilem; & quærimus unde habeatur, hoc eſſe incommunicabile? ſitne poſitivum, an privativum? ſi primum, num ſit ipſa natura, an aliquid ſuperadditum ei? quæ quæſtio redit etiam de privatione, aut negatione illâ, an ſcilicet ſequatur immediate ad ſubſtantiam naturæ, an vero ad aliquid ſuperadditum? In quo clariſſima eſt ſententia Nominalium ſupra allata, quod ſcilicet natura ſit individua per ſe ipſam, eo quod non habeat unitatem formalem, aut communitatem ullam à ſe. In aliis vero ſcholis, quæ admittunt, ut vidimus, hujuſmodi unitatem, non eſt tam facilè definire: ſententias & authores infrà numerabimus ſequentibus Actionibus, ubi illæ ſeorſim examinabuntur: Articulus cauſæ pro nunc, eſt an pro habendo ſingulari ſuperaddendũ ſit aliquid poſitivum naturæ ſpecificæ, necne? Ad quod vulgata apud omnes eſt ſententia D. N. quod nimirum omninò addendum ſit novum reale quid, quod quid eſt indiſtinctum ab ipſa naturâ realiter, cenſetur formalitas potius, quam res: ita à ſuis ac cæteris citatur ex 2. d. 2. q. 2. itemque ex 3. d. q. 1. num. 14. nihilo tamen minus

2. Dico reſolutivè in primis ad habendum ſingulare ullius naturæ creatæ, non eſſe opus aliquod ſuperadditum reale, aut etiam formale contra diſtinctum ab ipsâ exiſtente, ſive poſitâ extrà cauſas. Nemo miretur, aut murmuret tanquam deſertum interim Doctorem, infra enim ſuo loco oſtendam, quid & quantum ille velit, atque exigat ſibi concedi. Interim hæc fuit Henrici doctrina Quodlib. 5. qu. 8. quem D. N. magni ubique facit; fuit Ockami noſtri, 1. d. 2. q. 4. & 6. Gabr. q. 6. 7. & 8. eſtque certiſſima Ariſtotelis, quoad ſubſtantias ſeparatas, & quoad omnes omninò eſt doctorum Recentium hujus ævi, fuit olim Rogerii de Bacconis, item Bonnetti l. 8. Metaph. &c.

Probatur brevi efficaciâ rationis: non poteſt dari res aliqua ſubjectivè exiſtens, niſi ſingularis, ergo ſingularitas non eſt aliquid ſuperadditum rei realiter. & ſubjective exiſtenti, quia nimirum illud ſuperadditum eſt ſuperfluum. Confirmo argumentum ad hominem, contra noſtros Scotiſtas, ideo enim illi ſuperaddunt poſitivum hoc ſingularitatis, quia ſecundum ipſos, natura ex ſe non eſt ſingularis, ſed aliter una, ſcilicet unitate minori, & communitate majori; ſi ergo non ſit id verum de naturâ ullâ exiſtente (quod puto ſuprà à me oſtenſum) jam non erit opus ullo alio præter ipſam naturam exiſtentem.

Reſpondere (credo) vellent argumentum probare, quod ſingularitas non ſit aliquid reale ſuperadditum, non vero quod non ſit quid formale ſuperadditum, & in exemplum adducerent hominem, ſeu animal rationale, hoc enim non poteſt exiſtere, quin ſit riſibile, & tamen riſibilitas neceſſariò eſt aliquid formaliter diſtinctum, & ſuperadditum rationali, ſed non invenerunt paritatem, quia univerſali, quâ tale intrinſecè repugnat exiſtentia, adeoque hæc intimè conjuncta eſt ſingularitati.

Proſequor argumentum: Ipſa entitas naturæ ſpecificæ immediatè, & ſe ipsâ eſt potens exiſtere, ſed nihil poteſt exiſtere, niſi ſingulare, ergo ipſa ſeipsâ eſt ſingularis. Major eſt aperta ex terminis, quia ſeipſa immediate eſt ens reale, hoc autem eſt, quod poteſt exiſtere ſecundum omnes, ergo. Adhuc amplius ſic, quia quum de facto ſeorſim concipiuntur natura & ſingularitas, non ſolum ſingularitas, ſed ipſa natura concipitur indiviſibilis in plures naturas, nam præciſo quocunque illa non eſt duæ; & multò minus plures, aut etiam merum nihil: Unde quæro ex Adverſariis, utrum natura, ut formaliter diſtincta à differentiâ individuali ſit una numero, an plures, aut ſaltem apta eſſe plures? Primum eſt intentum; ſecundum autem eſt impoſſibile, quia nihil prius ſingularitate, aut magis intimum objecto auferetur per ſingularitatem. Unde

Arguo quarto ſic: natura ſingularis, & ſingularitas ſunt duæ formalitates, (licet ſint una res,) ita enim loquuntur Adverſarii Scotiſtæ: ergo quodlibet eorum erit unum: quæro jam, qua unitate natura ſit una? ſi numerica, jam ſine ſuperadditâ formalitate, erit una numero; ſi aliâ minori, ergo ne quidem per ſingularitatem fit ſingularis, quia nimirum adhuc retinet communicabilitatẽ, ſeu unitatem minorem, quæ eſt incõpoſſibilis cum ſingularitate, quia ſingularitas plane extinguit

Digitized by Google

guit eam, atque ita certiſſimè, non niſi unam è duabus habet, ergo.

Quintò, Individuum proximè fit ſine dubio per negationem, aut quaſi negationem illam diviſibilitatis, ſed quæſtio eſt, num ſit ſola illa, an vero ſimul cum poſitivo, à quo oritur ſuperaddito naturæ? aſſerunt illi & ego impugno ſic, quia natura ipſa poteſt eſſe principium illius negationis: nam quidni? Dicunt non poſſe illam eſſe, ſed opus eſſe alio intercedente; Contra quod arguo ſic: natura poteſt eſſe principium mediatum hujus negationis, ſive principium principii à quo procedit, ergo poterit eſſe immediatum: ſi enim ſit aliqua oppoſitio inter naturam & ſingularitatem illam, erit certè inter ipſam & ſingularitatem poſitivam: &, ſi hæc non poteſt ab ipſâ oriri, cur illa poterit quæ magis ſolida eſt, & habet neceſſariam connexionem cum iſta.

Ultimo ſic: non enim ſatis providum videtur addere aliquid alteri, ut alterum illud fiat unum, quum nunc minus ſit unum quam antea: quia quo pauciora habet, aut eſt aliquid, eo magis eſt unum: adeoque imprudenter exiſtimatur natura fieri una addendo, quum foret magis una antecedenter, jam enim natura cum novo illo ſunt plura, certe autem non pauciora. Urgeo & explico argumentum, quia illa differentia ſuperaddita, aut facit naturam individuam, quatenus formalitas quædam eſt, aut quatenus realitas quædam: Ut formalitas non poteſt, quia ſic eſt aliud à natura, & ambo ſunt duo, ſunt enim duæ formalitates ſine dubio, ſi ut realitas, ſequitur quod differentia illa non magis reddat naturam ſingularem, quam natura reddat ipſam: nam ſicut illa eſt realiter eadem naturæ, ita natura eſt realiter eadem illi, planè pleneque ſimiliter: ergò.

Addo hoc unicum: Eſſe unum numero, ſeu eſſe individuum eſt non identificari alteri, neque permittere aliud identificari ſibi, nam ſi quid identificaretur, jã fieret unum cũ illo & non eſſet illud unum quod fuit: atqui ſuperfluum videtur addere aliquid huic, ne quidpiam aliud ei identificetur, nam ex ſeipſo res eſt identificabilis, aut non identificabilis alteri. Deinde arguo contra ipſos: ſequitur enim principium individuationis rei non eſſe intrinſecum, ſed ex æquo extrinſecum, quod tamen ſine dubio falſum eſt, & abſurdum; ſed probatur ſequi, quia principium individuans hoc puta Petrum, eſt id per quod fit ne commiſceatur alteri, ideſt, ne quidquam identificetur cum illo; atqui hoc non ſolum præſtatur per ea, quæ ſunt in Petro, ſed etiam per illa Pauli: nam differentia numerica Pauli facit, ne Paulus identificetur Petro, aut faciat unum cum illo, ſed ſemper aliud, & ſemper illi ſunt duo: Unde ſequitur quodlibet unum individuari per omnia: ita ex quo Adverſarii receſſerunt à primo addendo aliquid iverunt ad infinita. Placeret ratio niſi retorqueri poſſet in me ipſum: ſimiliter enim diceret mihi alius, quod individuetur natura per alias naturas. Credo tamen non æquè valere eam contra me, ac contra illos, quia nimirum ego pono unitatem eſſe entitatem ipſam rei: at vero hæc res non eſt ens per aliud, aut aliam entitatem, ſed per ſeipſam, ne partialiter quidem, ergò. Audiamus ipſos.

Objecta ab Adverſariis.

3. IN primis objiciunt magno imperfecto impetu Scotum qui clariſſimè, & ſæpe docet principium individuationis eſſe poſitivum ſuperadditum naturæ: ita ille 2. d. 3. q. 6. & quodlib. 2. & alibi. Reſpondeo, Scoti textum adhuc extare, at in eo non extare oppoſitum hujus: Ecce ipſum. *Ergo intellectus quæſtionis, quid ſit in lapide, per quod ſicut per fundamentum proximum ſimpliciter ſibi repugnat dividi in plura &c.* & ſubdit. *Hoc modo intelligendo probo, quod nõ ſit aliquid individuum ſimpliciter per negationem.* Ecce Scotus non dicit, niſi id fieri per poſitivum: an autem ſit poſitivum ſuperadditum, non dicit ille, ſed inferunt Scotiſtæ, quod etſi bene fieret, tamen argumentum non eſt ex authoritate amplius, ſed à ratione. Jam verò audiant me Scotiſtæ, do enim palmariam authoritatem illius pro meo aſſerto, eſtque ex quodlib. 2. num. 6. *Quo aliquid eſt in actu extra cauſam & intellectum eo eſt* hoc *primò, quia ſic eſſe non competit niſi* huic. *Imo univerſalitas, ſive* non-hoc, *non poteſt alicui competere, niſi ex intellectu: Nunc autem quæcunque entitas præcipuè abſoluta ſe ipſâ primò eſt in ſuo eſſe quia ſe ipſa primò recedit à non eſſe ad eſſe, &c.* Quæ verba continent luculentam probationem, ac non tantum aſſertionem meæ concluſionis.

4. Affertur contra me ſecundò, ratio illa famoſa Scoti: quod nihil primò repugnat alicui per ſolam negationem; ſindividuo repugnat dividi, ergo non per ſolam negationem. Ita illi; quaſi vero ego aſſererem id fieri, & non aſſignarem poſitivum, propter quod repugnat diviſio, & competit ſingularitas. Deinde fac me hoc velle: quomodo convincar per iſtud? nondum enim demonſtratum eſt ad individuum requiri indiviſibilitatem: poteſt enim prætendi, quod ſufficit indiviſio, ſeu non eſſe actu diviſum: reverà enim quamdiu tale eſt, tamdiu eſt individuum, nam ſi per impoſſibile aliquid cras, mihi identificaretur, puta Paulus, adhuc nihilominus hodie eſſem diverſum individuum ab eo: & duæ amphoræ aquæ ſunt, duo individua licet poſſint continuari in unâ: Omitto quod contra hanc rationem adferri poteſt, ex domeſticis noſtris principiis, nam perſonalitas eſt negatio aptitudinalis, & etiam actualis dependentiæ, nec tamen Scotus certò ponit poſitivum quid ad perſonalitatem: itaque cenſeo omninò, quod pro habendo individuo naturæ creatæ, id eſt re aliquâ, quæ verè ſit una & ab alia ſimili diſtincta, faciatque cum ea numerum, non requiritur poſitivũ ullum præter entitatem naturæ realem, ſive præter exiſtentiam ejus: & quamlibet rem exiſtentem quâ talem, neceſſariò eſſe ſingularem, quia nimirum exiſtentia repugnat univerſalitati, quaſi ex diametro: non ergò opus eſt ullo poſitivo, præter naturas reales, (intellige ſubjectivè ſumptas) ad habendas ſingulares.

Dices Doctorem in 2. citat. q. 3. quam de hoc directè inſtituit, negare exiſtentiam eſſe principium individuationis rerum. Reſpondeo, nego eum negare: arguit quidem contra aſſerentes: at ipſe non ita contrarium aſſerit. Unde Cavellus in ſcholio ejus loci, notanter inquit: *Rejicit aſſerentes exiſtentiam eſſe id, quo natura ſit individua:* non verò ait: *Reſolvit exiſtentiam non eſſe id, quo natura ſit individua,* ſed contra:

5. Ob-

Digitized by Google

5. Objicitur etiam ratio Doct. cit: In coordinatione prædicamentali ponuntur omnia quæ pertinent ad illam circumſcripto quocunque, quod non eſt illius coordinationis &c. quorum vis eſt in hoc quod Individua ponantur in prædicamento, exiſtentia non ponantur, quia prædicamentum abſtrahit ab exiſtentiâ actuali, ergò jam individua non conſtituuntur per exiſtentiam. Hoc argumentum tam charum Adverſariis facile eripiam ipſis per illud Apoſtoli: *Capite nos*: non enim intelligo quod exiſtentia propriè ſit principium individuationis, quæ fuit quæſtio Doctori N. cum antiquis quibuſdam, quos in margine ejus videas, ſed quod ipſa natura realiter exiſtens, ſive in re poſita ſit individua per ſe; ſcilicet ſi exiſtentia ponatur aliquid indiſtinctum omninò ab eſſentia, dicam tunc rem individuari per exiſtentiam: ſi autem diſtinguatur, dico naturam ipſam ſe ipſa individuari, ac non tantum per exiſtentiam; & ſimiliter exiſtentiam per ſe ipſam, & ſic exiſtentiam individuare naturam, quomodo natura individuat exiſtentiam. Itaque auram verberant multa argumenta quæ congerunt aliqui contra exiſtentiam; non enim ipſam, ſed nec aſſertionem noſtram feriunt, ſed imaginationem quandam ab illis apud ſe formatam. Videri poſſunt Ponc. Maſtr. Tom. 2. Metaph. d. 10. q. 4. & præ illis Meuriſſe. qui à me ſtat.

Pars altera Reſolutionis.

6. Dico enim requiri adhuc poſitivum aliquod præter naturam ſpecificam ad ſingula individua conſtituenda: Hanc nemo negabit eſſe Scoti doctrinam, quum de oppoſito fuerit aliqua dubitatio: eſt etiam multorum alias Thomiſtarum, qui hic ſe Scotum ſequi credunt, ſed immeritò; non enim Recentes, ne Scotiſtæ quidem ſubtilitatem eius aſſequuntur. Ponunt illi poſitivum quid ad reddendam rem quamlibet unam ſeu indiviſam; ſed ad hoc non fuit ponendum, ut ſupra in prima parte eſt oſtenſum.

Pono ergo poſitivum quid ſuperadditum naturæ ſingulari in ſingulis individuis ut fiant primò diverſa, & à ſe invicem intrinſecè diſtinguantur, neque poſſint eodem per omnia conceptu repræſentari. Hæc eſt rei veritas, paucis agnita, notata tamen à Subtili 7. Metaph. q. 13. ibi. *Ex his poteſt concludi quod natura eſt hæc per ſubſtantiam aliquam quæ eſt forma & prior hic lapis, & per formam indiviſibilem diſtinguitur ab alio individuo*

Explicatio jam facta eſt, & probatio aſſertionis, ſingula enim individua ſunt primo diverſa ab invicem, & quaſi formaliter aut eſſentialiter, ac non tantû materialiter & realiter; utique enim plus diſtinguuntur Petrus & Paulus quàm Petrus à ſe ipſo ſi reproduceretur ſimul; vel quâ duæ humanitates ab invicè: atqui in natura non plus diſtinguuntur, ergo in illis eſt aliquid ultra naturâ. Deinde, etiamſi in æternum concipiam perpetuo Petrum, nondum habeo conceptum Pauli, erit ergo aliquid in Paulo quod non eſt in Petro. Adhuc; aliter diſtinguitur ſive differt Paulus à Petro; & aliter Andreas: atqui Andreas differt realiter, neque in hoc eſt diſparitas inter Paulum & Andream, erit ergo alia differentia eorum inter ſe quam realis, ſcilicet formalis & intentionalis.

Arguo etiam ſic: In Petro eſt aliquid exigens negationem Pauli & Pauleitatis, in Paulo non, ergo aliquid in hoc quod non in illo. Patet antecedens, quia revera Petrus habet illam negationem, nam non eſt Paulus: atqui hoc non eſt natura, hæc enim non exigit negationem Pauli, alioquin Paulus illam haberet, erit ergo aliqua formalitas, aliquis gradus in Petro, qui non eſt in Paulo, aut Andrea &c. totum ad hoc ut fiat Petrus & fiat Andreas, id eſt aliquid conveniens in naturâ cum altero, habens tamen aliud in quo differat ultimatè & abſolutè ab eo

Objicio tamen contra non leviter, & primò ſuppono cum omnibus differentiam hanc individualem non eſſe realiter diſtinctam à naturâ, ſed identificatam ei; contra quod arguo ſic; nihil identificatur realiter alteri niſi quod eſt eſſentiale, aut certè propria paſſio ejus; ſed differentia numerica neque eſt eſſentiale, neque propria paſſio naturæ ſpecificæ, ergo non identificatur ei. Quæ ratio procedit, etiam ſi dicatur diſtingui realiter, nam ſaltem eſt inſeparabilis ab naturâ, & tum contra hoc ipſum redit ratio, ut dixi. Videtur valida ratio, ſed non poteſt prævalere; conſtat enim majorem falli; nam differentia ſpecifica identificatur generi, v. g. rationale animali, & tamen illa neque eſt eſſentia illius generis, animalis ſcilicet, neque paſſio ejus. Sufficit ergo, quod quidquam ſit eſſentiale, aut quaſi eſſentiale toti ad hoc ut identificetur aliis partibus, non vero neceſſe eſt ut ſit eſſentiale parti cui identificatur. Contra hoc tamen ipſum

Objici ſecundò poteſt: Differentia numerica nec eſt eſſentialis, nec eſt accidentalis: Prima dici non poteſt, ſi enim ſit eſſentialis dicendum erit Petrum eſſentialiter differre à Paulo, & ſpeciem infimam non eſſe infimam, v. g. hominem: Nec ſecunda, ſi enim ſit accidentalis, jam quodlibet individuum erit ens per accidens, quià nimirum conſtat ex ente completo eſſentialiter, & præterea ex alio accidenti Hoc & præcedens non parum favent oppoſito: Dico tamen in hoc miſceri aliquid nominale, de eo quod intelligendum ſit per eſſentiale. Eſt eſſentialis illa, id eſt indiſpenſabiliter requiſita tanquam conſtituens compoſitum illud Petri v. g. non eſt eſſentialis, id eſt communicabilis. Dixi de hoc alias, & nunc do duas inſtantias quibus hoc ſolvatur extra formâ: Una eſt Theologica, altera naturalis, & utraque currit de perſona; nam perſona eſt etiam ens per ſe, & tamen perſonalitas ſupervenit naturæ ſpecificæ completæ. Ita in Divinis, quis neget Patrem & filium eſſe ſumme per ſe & ſumme completos, & tamen ultra naturam habent perſonalitates ſuas ſinguli; ita hic: Unde conſtat poſſe reſpondere argumento, licet fortè in formâ non facile reſpondeatur.

Tertiò, huc adferri poteſt ratio illa Doct. Quodlib. 2. quæ probat quod anima non individuetur per aptitudinem ad materiam; *Quod convenit huic, & repugnat alii ejuſdem ſpeciei: non convenit huic per ſe ſecundum illud quod eſt commune iſtu, vel ſaltem præexigit diſtinctionem in iſtis neceſſario, ſcilicet hujus ab illo* Sed Petreitas convenit huic naturæ quæ eſt Petri, & repugnat illi quæ eſt Pauli, ergo præexigit diſtinctionem hujus ab illo. Reſpondeo tamen hanc rationem non poſſe ſemper procedere, alioquin procederetur in infinitum: Detur enim arguenti propter hoc argumentum Petreitatem non eſſe diſtinctivum Petri à Paulo, ſed ſupponere eorum diſtinctionem: Illud aliud prius quod Tu vis nonne patietur hanc difficultatem?

tatem? Et ſi recurras ad tertium prius, nonne tertium patietur hanc difficultatem? etiam & decimum-tertium &c. in infinitum. Cuilibet ergo fatendum eſt dari ſtatum in aliquo; & ſi in aliquo primo cur non in iſto? Ratio autem Doctoris non eſt mala, quia procedit de aptitudine quæ ſemper præſopponit cauſam à qua eſt; aliter eſt de actu, adeoque

ACTIO III.

Quodnam ſit principium Individuationis in ſingulis quibuſque?

Breviarium.

N. 1. *Præmiſſa aliqua reſolutioni, Thomiſtarum inventiones eluſa*

2. *Quantitas eſt alicuius unitatis & multitudinis principium.*

3. *Spatia loci & temporis ſeipſis individuantur.*

4. *Verum & univerſale principium individuationis eſt formalitas ſuperaddita naturis*

5. *Objicitur contra hoc, & Reſpondetur primò Logicè, tum Metaphyſicè*

6. *Dubium: Cur perſonalitas non identificetur perſonæ.*

1. DOctrinam Thomiſticam de hoc, quæ etiam ex parte eſt Peripatetica latè recenſui & refutavi in Commentario Metaphyſicæ meæ quæ periit. Volebant illi materiam eſſe principium individuationis; nolui ego. Divertebant illi ad materiam quantitate vel alio ſignatam; ſed excluſi eos ab hoc diverticulo. Itum eſt ad formas, quas individuari volebant per ſubjectum: alibi etiam volebant ſubjectum ſingulariſari per formas: ſed omnia dudum jam expugnata ſunt, & quidem leviſſimâ operâ ab aliis Scotiſtis, ut proinde eo jam redire non lubeat ne labor non ſufficiat ad laudem. Unum moneo, eſtque modeſtia noſtri Doct. qui quum videret Ariſtotelem pro oppoſitâ doctrina de materia non falſò citari, tamen maluit exponere ipſum quam accuſare, aut damre erroris, ut faciunt ſtatim aliqui recentiũ authorum. Quomodo ergo intelligendus ille quùm docet materiam eſſe principium ſeu cauſam individuationis? dicet Subtilis partim quodlib. 2. partim lib. 2. ſent. d. 3. q. 6. & ex ipſo paulo fuſius diſcipuli ejus Maſtr. Bellut. Poncius; ne tamen omninò diſcedamus aut ab Ariſtotele, aut à Thomâ, niſi quum opus eſt, fateor me partim convenire cum ipſis;

2. Cenſeo enim primò, Quantitatem admitti poſſe pro principio aliquo unitatis & multitudinis numeralis. Hæc eſt Peripatetica ſine dubio; ita enim docet Ariſtoteles numerum reſultare ex diviſione Continui, quod etiam repetit Subtilis q. 19. prædicam: Unde probari poteſt reſolutio; quia lignum palmare v.g. unum eſt quamdiu non dividitur; fit autem duo ſi dividatur: una enim tabula quamvis longiſſima ſemper una eſt donec ſecetur; tum autem fit tot tabulæ quot ſectiones; adeoque jam integritas ſeu continuitas quantitatis eſt quæ facit unum; diviſio autem ſeu diſcretio facit plura; atque ita verè dixi quantitatem eſſe aliquod principium unitatis, & multitudinis numeralis, nam continuatio, & diſcretio ſunt differentiæ quantitatis

Cenſeo etiam ſecundò, hoc ipſum accipiendum eſſe, ſuppoſito quod quantitas ſit idem cum ſubſtantiâ materiali. Ratio, quia ipſa ſubſtantia eſt diviſibilis ſecundum ſe, etiamſi ſeparetur ab eâ quantitas, adeoque facere unum vel multa non oritur à quantitate ut diſtincta à ſubſtantia, ſed ut confuſa & identificata ei

Objicies: ſi ponatur Quantitas eſſe quid diſtinctum à ſubſtantia corporea, & re ipſa ſeparari, tum non ſolùm ſubſtantia erit diviſibilis, ſed multo magis ipſa quantitas, ergo male aſſignata eſt ſubſtantiæ diviſibilitas abſolutè, quantitati autem non niſi ut coincidit cum ſubſtantia. Reſpondeo ita quidam intelligunt; ſed non approbo tantopere hunc intellectum: ratio quia omnis multitudo reducenda eſt ad unum, & ibi incipit ſine dubio, adeoque diviſibilitas in partes integrantes, quæ convenit ſubſtantiæ & ſimiliter quantitati, debet habere unum principium, non ergo facienda ſunt duo æquè primo. Deinde quãtitas ſi ſit diſtinctum quid, habet effectum formalem hoc quod eſt reddere impenetrabile tantùm, ita enim concipiunt & intelligunt eam, qui diſtinguunt ipſam; at vero impenetrabilitas non eſt idem quod diviſibilitas aut indiviſibilitas, ſed quid planè diſparatum, ergo jam illud diſtinctum à ſubſtantia non eſt ſecundum ſe, & prout aliud à ſubſtantia diviſibile vel non diviſibile: ſicut nec qualitas, ſed tantum impenetrabile: Hoc ergo modo poteris negare aſſumptum.

Et hæc quidem intelligo de unitate aut multitudine quantitativâ, nam Metaphyſicam unitatem neque dat continuitas, neque diſcretio aufert. Re enim verâ ſunt in continuo plura; alioquin nunquam inde auferri poſſent, nec ipſum dividi realiter; non eſt autem in continuo diſcretio ſeu diviſio ut patet, ergò jam datur pluralitas numeralis vera ſine diſcretione. Jam tranſeundo per genera rerum,

3. Cenſeo tertiò ſpacia loci & temporis ſe ipſis individuari ſine ſuperaddito, quomodo Thomiſtæ philoſophantur aut Theologiſant de Angelis; adeoque non eſſe opus hic ullo reali ſuperaddito. Moveor ſimili, ſi non potius eadem ratione, quia nimirum in his non poſſunt dari duo ſimilia ſive ejuſdem rationis.

Ad quod ſuadendum moneo quod ſupra Tom. 1. præcedenti, Apol. . . prædicamentali dixi de loco, eum ſcilicet propriè loquendo non eſſe ſuperficiem, ſed ſpacium, quod etiam deinde vidi notatum apud Gaſſandum: loquor ergo de

ſpacio

ſpacio, quod ab aliis dicitur imaginarium, tam temporis quam loci: non enim volo motum hodiernum primi mobilis, aut alterius eſſe ſe ipſo hunc, vel non poſſe habere ſimilem, (nam oppoſitum eſt mihi certum) ſed durationem illam, quæ curreret etiam nullo motu interim facto, & hæc ſpacia, atque illorum partes, dico eſſe ſeipſis hos & ſingulares, quia nimirum non poſſunt inveniri duo quæ idem præſtent: Ecce rationem: Deus enim à quo expectanda eſſet productio alterius ſimilis, vel produceret illud alterum in hoc ſpacio imaginario vel in alio: in hoc non, quia ſic penetrarentur, quod implicat in terminis, nec enim poteſt fieri, ut duo talia non capiant plus, quam unum: Aut produceret in alio, & tum non produceret huic ſynonymum, quia illud aliud exigit neceſſario eſſe extra hoc; at vero hoc non exigit eſſe extra ſeipſum. Res videtur eſſe paulò clarior in tempore: non enim poteſt Deus ſimul producere duos dies imaginarios, ſive efficere ut duo non durent pluſquam unus. Si autem producit illos ſeorſim, jam manifeſtè unum non eſt per omnia idem cum altero, ſed exigit neceſſario aleitatem & differentiam ab illo, adeoque ſeipſo eſt alius, neque exigit ſuperaddi ullum reale, ut ſit diverſum ab iſto, ſicut nec duo Angeli in illa ſententiâ, aut de facto ipſe Deus, ſive natura divina, quæ non poteſt habere ſimilem, quoad ultimam ſuam differentiam.

Dices etiam partes ſuperficiei & motus realis ſunt tales, nam una non poteſt habere ſimilem per omnia, & ſecundum ultimam differentiam. Reſpondeo, longe aliter ſe habere iſta hinc inde: nam duæ ſuperficies poſſunt invicem ſuperponi, neque plus occupare, aut occupari quam una: Item unus motus poteſt exerceri, quando exercetur alius, hoc eſt, pars illa quæ eſt prima, poteſt fuiſſe media, media prima, & utraque poteſt fuiſſe ultima: at vero partes ſpatii, in quo res ſunt receptæ non poſſunt ſuperponi ſibi, nec una in alteram mutari, idque exigunt eſſentialiter, alioquin ibitur in infinitum, adeoque eſſentia talis partis eſt de ſe hæc; ideſt determinata ad tale eſſe, & ad hic eſſe &c.

Quidam Recent. etiam in parte voluit approbare Thomiſticam doctrinam de individuatione accidentium per ſubjectum, dicens ſaltem modos individuari per ordinem ad ipſum, quia nimirum ſunt eſſentialiter reſtricti ad tale, imò hic ad hoc ſubjectum. Sed non probo hanc approbationē: Ecce cauſam: ſeſſio mea eſt eſſentialiter determinata ad me, ita ut non poſſit eſſe Pauli, fateor; atque ita ſeipſa eſt alia à qualibet, quæ poſſit eſſe Pauli, veriſſimum; ſed non proinde eſt ſeipſa hæc & individua, quia nimirum per hoc non ſufficienter diſtinguitur à quolibet alio individuo accidentis, non enim ab accidentibus quæ poſſunt mihi ineſſe.

Dices per rationem ſuam ſpecificam diſtinguetur ab aliis accidentibus, quæ poſſunt tibi ineſſe, per ſubjectum ab iis, quæ ſunt in alio ſubjecto. Reſpondeo aſſumi falſum; quæro enim quomodo diſtinguitur hæc ſeſſio mea, ab aliâ ſeſſione, quâ ego poſſum ſedere hic, & revera ſæpè ſedi? non ſane per ſubjectum, nam omnes ſeſſiones meæ in eodem ſubjecto ſunt, ſcilicet in me. Itaque extra hos caſus.

Altera pars &

Ultima reſolutio Quæſiti.

4. Dicendum cum Doctore quod principium individuationis, (ut dixi hic eſſe controverſum) ſit formalitas ſuperaddita, quam proinde rectè appellavit ille hæcceitatem. Iſta non eget probationibus; ſola enim relicta eſt explosis aliis omnibus viis. Addidi autem de induſtriâ limitationem illam in parentheſi poſitam ob dicta ſupra, quæ etiam hic tangam: hoc tamen ipſum eget defenſione: impugnatur enim acriter ab Adverſ. &

Objicitur in primis ei: ſi dentur ejuſmodi differentiæ quas Scotus vult, tum ſpecies non erit tota eſſentia individuorum, & individua ejuſdem ſpeciei eſſentialiter different. Ex quo etiam ſequitur, ſpeciem infimam non eſſe infimam &c. Reſpondeo in primis mirari me quod hoc nobis objiciatur, tanquam iſta abſurda magis ſequantur dicentes naturam individuari per differentias quàm volentes eam individuari per quantitatem, per accidentia, per modos &c. quæ omnia & ſingula æquè inferunt hoc abſurdum, ut intuenti patet; non tamen ſatisfaciunt communiter Noſtri argumento. Olim Baſſol. & nuper Maſtr. negarunt conſequentiam, eo quod differentiæ individuantes ad quidditatem ſpeciei non pertinent: non enim hoc quæritur, aut infertur, ſed infertur illam ad quidditatem individuorum pertinere, quod adhuc non evaſit ſic reſpondens. Itaque ad hoc dico in primis ipſum ad omnes pertinere & ita omnibus eſſe ſolvēdum. Deinde plenam ſolutionem ejus tradidi alibi niſi fallor in Logica, ubi videri poteſt extenſa, unde hic breviter nego conſequentiam, quia eſſentia accipienda eſt non id ſolum quod conſtituit aliud, ſed quod eſt communicabile, & principium operationum. Differentia illa numerica conſtituit quidem individuum, ſed non eſt quid communicabile, neque principium operationum. Confirmavi ibi ni fallor hunc intellectum eſſentiæ, & eſſentialis; quia tres perſonæ Divinæ creduntur & ſunt ejuſdem eſſentiæ; & tamen habent diverſa conſtitutiva ſingulæ, una Paternitatem, alia Filiationē, &c. ex quo ſequitur non omne conſtituens etiam indiſpenſabiliter requiſitum eſſe eſſentiale. Re tamen verà, videtur ſequenda potius altera acceptio eſſentiæ; quia id quod eſt ita intimum rei, ut ſine eo nequeat ne intelligi quidem, videtur omninò eſſentiale, talis autem eſt differentia individualis: non enim magis poteſt intelligi homo ſine animâ, quam Petrus ſine Petreitate. Tum verò dicendum erit, ſpeciem non eſſe totam eſſentiam, id eſt, omne integrans, aut ingrediens conſtitutionem individui; erit tamen tota eſſentia, id eſt, totum conſtituens formale: differentia enim numerica eſt materialis tantum, & potius taleitas naturæ vel eſſentiæ, quam natura ulla aut eſſentia

Objicitur iterum: natura ſpecifica etiam ut diſtinguitur à differentia illa, ipſamet eſt ſingularis, omne enim exiſtens eſt tale eo ipſo; implicat autem aliquid eſſe ſingulare ſine ſingularitate, ergo differentia illa Scoti non eſt ſingularitas. Urgetur: quia natura cujuslibet individui ſecundum propriam entitatem eſt diſtincta à natura alte-

ſitus individui, nam hæc non eſt illa, erit ergo alia: atque adeo ad facienda alia aut plura, non eſt opus differentiâ illa ſuperadditâ Scoti. Hæc ratiuncula ideò placuit & perſuaſit Averſæ, quia non penetravit, (ut nec multi alii) aſſertionem & ſubtiliſitatem Scoti; non enim nos ponimus differentiam individualem hæcceitatis ad facienda duo, ad diſtinguenda realiter &c. ut ille imaginatus eſt, (alioquin viciſſet) ſed ponimus eam ad reddenda individua primò diverſa; ut Deus aut alius verè intelligens poſſit habere conceptum de Petro v. g. in quo non includatur æquivalenter Paulus, neque conſequenter ſint ſynonyma ei Petrus & Paulus, ſicut nec in ſe ipſis ſunt, de quo partim hic, partim & fuſius dixi ſuo loco. Itaque argumentum non expectat hic ſolutionem, quia præventum eſt.

Objicio tertiò ipſe, Differentia illa hæcceitatis, aut eſt realiter diſtincta & ſeparabilis à naturâ ſpecificâ quam afficit, aut non eſt ſed identificata. Si dicamus diſtinctam, tum obruent nos omnia abſurda, quibus impugnantur ideæ Platonis, & univerſale poſitivum à parte rei: at vero quod non poſſit identificari ei ſic oſtendo; non enim identificantur realiter ulli niſi eſſentialia ejus, aut ad ſummum propriæ paſſiones illius, nam accidentia communia poſſunt accedere & recedere ſine ſubjecti corruptione. Atqui differentia numerica v. g. Petreitas neque eſt eſſentialis naturæ ſpecificæ, alioquin iſta eſſet de ſe *hæc*; neque eſt *propria paſſio ejus*, alias natura non poſſet reperiri in Paulo, utique enim in eo non Petreitatem, ſed Pauleitatem habet, ergo. Fateor, hoc argumentũ ſolvere non poſſum niſi per inſtantiam, quam debet admittere quicunque: quæro enim an differentia ſpecifica identificetur generi, v. g. rationale animali? ſi dicatur quod non: obruent nos omnia illa abſurda quæ ſupra: quod autem non identificetur, videtur probari illo diſcurſu jam proximè facto contra hæcceitatem, quia differentia illa neque eſt eſſentialis generi, v. g. rationalitas animali, neque paſſio ejus, alias ſequeretur genus illud quocunque, & ita omne animal eſſet rationale. Fatendum ergò eſt argumentum eſſe ſolubile, quia in materiâ differentiæ ſpecificæ manifeſtè infert falſum. Crederem ergo ad utrumque reſpondendum, quod non ſola eſſentialia identificentur rei, ſed etiam omnia illa ſine quibus nequit exiſtere; quâ enim ratione ipſa exiſtentia identificatur ei, eâdem cætera quæ in illâ imbibuntur. Ex his autem eſt ſingularitas reſpectu naturæ ſpecificæ, & ſpecificatio reſpectu genericæ, adeoque utraque differentia tam generica, quam ſpecifica debent naturæ identificari.

Sed contra hæc inſtari poſſet; ſi enim ita ſit, atque hæc ſit neceſſitas hæcceitatis, tum natura non exigit ullam determinatè atque ita illa, quæ eſt in Petro non magis petit Petreitatem quam Pauleitatem: ratio, quia ad exiſtendum perinde juvatur Petreitate ac Pauleitate. Reſpondendum ergo ſupereſt, cur hæc acceperit Petreitatem præ Pauleitate? quod non poteſt dici factum per exigentiam propter jam allata; ſi autem per accidens, fieri potuit oppoſitum, atque ita natura, quæ eſt in Petro potuit habere realiter Pauleitatem. Hic ego iterum fateor tarditatem meam non poſſe occurrere difficultati, niſi per paritatem illam differentiæ ſpecificæ, redit enim tota contra illam; cur ſcilicet natura animalis, quæ in homine acceperit rationalitatem, non vero brutalitatem, quum hæc æquè ei ſuffecerit ad exiſtendum? vel etiam cur animal quod in Petro eſt, non acceperit rationale quod eſt in Paulo? Dicerem ambo eſſe ad ſe invicem determinata ex natura rei, niſi cogerer dicere, quod natura aliqua, imò omnis eſſet ſingularis ante ſingularitatem; nam eſſe determinatam ad hanc differentiam ſingularem eſt quædam ſingularitas; certè enim à natura ſpecifica hoc non poteſt provenire. Itaque difficultas omnibus incumbit; neque eſt ſpecialiter contra Scotum.

6. Ultimo habeo hoc dubium contra doctrinam poſitam; nam etiam perſonalitas, aut ſuppoſitalitas eſt quid requiſitum ad exiſtendum in quolibet tam ſubſtantiâ, quam accidenti; utrumque enim debet habere ſuam dependentiam terminatam: & tamen perſonalitas non eſt differentia, nec formalitas ulla realiter identificata; poterit ergo hæcceitas non eſſe talis, & ſaltem non eſt fundamentum ſufficiens ad aſſerendum quod identificetur. Suppono aſſumptum hujus ex ſuo loco. Tom. 1. Apolog.... Action....

Imò quum ibi oſtenderim probabiliter ſuppoſitum eſſe meram negationem, poterit hic ex me inferri, quod etiam hæcceitas ſit talis, non vero quid poſitivum ſuperadditum naturæ, atque ita denique natura ſpecifica ſeipſa erit hæc. Reſpondeo primo per hæc non probari, quin principium individuans ſit differentia, ſit hæcceitas; ſed tantum quod non ſit identificatum naturæ, quod eſt minoris notæ punctum. Deinde ad totum nego conſequentiam & paritatem: nego etiam aſſumptum, non enim ſimiliter requiruntur ſingularitas & ſuppoſitalitas; poteſt enim res ſine omni ſuppoſitalitate conſervari, non poteſt ſine omni ſingularitate. Itaque ſicut exiſtentia debet in propria ſpecie haberi, nec poteſt ſuppleri; debet etiam identificari rei, ita ſingularitas, quæ quodammodo prior eſſe debet, quia prærequiſita ad exiſtendum.

***

ACTIO

Digitized by Google

ACTIO IV.

Vtrum omnia individua cujuſlibet ſpeciei ſint æqualia, & eſſe debeant: an vero poſſint & debeant eſſe inæqualia entitativè, ac non tantum intrinſece?

Breviarium.

N. 1. *Origo difficultatis non rectè ab omnibus intellecta.*
2. *Inter individua ejuſdem ſpeciei eſt inæqualitas entitativa.*
3. *Ratio hujus impugnata à quodam, defenditur.*
4. *Objectiones contrariæ adferuntur, & diluuntur.*
5. *Concluſio num. 2. non eſt univerſalis aut neceſſaria.*
6. *Diſſimilia poſſunt eſſe interim æqualia.*
7. *Rationes dubitandi de hoc ubi expenditur illud: ſpecies ſicut numeri.*

1. QUæſtio cæpit olim controverti ob animas rationales, de quibus tum diſputatum eſt, an eſſent omnes invicem pares? ſed revera fruſtra reſtringeretur ad ullam materiam aut naturã, quum omnes complectatur. Reſtrinxi autem titulum datâ operâ ad entitativam perfectionem, quia conſtat aliqua individua ejuſdem ſpeciei eſſe aliis intenſiora, & alia remiſſa; v. g. calorem ut ſex perfectiorem intenſivè quam calorem ut tria, &c. Agitur ergo de iis naturis, quæ non recipiunt hujuſmodi intenſionem, ut ſunt ſubſtantiales, & maxime ſpirituales in ſpecie atomâ, quibus ſola differentia numerica ſuperadditur. Et revera res egregie ac penitus declarari poſſet exemplo ſpecierum, quæ intenſionem recipiunt ut ſunt qualitates: v. g. producantur duo calores quorum quiſque ſit ut ſex, & iſta ſic diſcutiantur, an inter eos omnimoda paritas inveniri poſſit? ſed in re lis eſt potius de ipſis ſubſtantiis, non tamen ut omnes promiſcue intelligunt.

Etenim noſter Poncius movet hanc quæſtionem ſub titulo: *an inter individua ejuſdem ſpeciei detur aliqua diſſimilitudo aut inæqualitas præter hoc, quod unum non eſt aliud* cui viſum eſt ei reſpondere negative, Sed (ipſius pace) videtur hic plane defeciſſe à ſolita ſubtilitate ſuæ ſcholæ, nempe ex dictis à me hactenus clariſſimum reliqui, quælibet duo individua ſive unius, ſive alterius ſpeciei aliter differre à ſe, quam quod unum non ſit aliud: ſi enim auferrentur, individualitates id eſt, hæcceitates, puta Petreitates, Pauleitates, nihilominus non ſtatim coirent inter ſe illæ naturæ, ut fierent repente una, ſed eſſent plures, adeoque realiter diſtinctæ; una non eſſet alia, nec vice verſa, quod etiam credo ipſum alibi advertiſſe; ergo jam poſitis hæcceitatibus, v. g. Petreitate & Pauleitate in illis humanitatibus, aliter ſine dubio diſtinguentur, & amplius quam quod una non ſit alia, ſed ad rem ipſam.

2. Teneo inprimis individua aliqua ejuſdem ſpeciei etiam atomæ poſſe eſſe, & de facto exiſtere inæqualis perfectionis, id enim tenuit Subtilis, expreſſe lib. 8. Metaph. q. 3. plus ſemel: unde Scholiaſtes ejus ibidem ad num. 30. ait: *insinuat tandem unam formam ſubſtantialem eſſe perfectiorem alia ejuſdem ſpeciei: ſic enim ſequitur Mauritius hic, & communiter ſequaces*: Anton. Andreas ex profeſſo lib. 11. q. unic. ſed parce loquitur; melius ipſe Scotus ibid. num. 3. ſubſtantia ergo ſecundum ſpeciem in univerſali conſiderata, ut quidditas, non ſuſcipit magis & minus; ſed in ſuppoſito, patet, quia hoc individuum perfectius habet naturam ſpecificam quam aliud ſuppoſitum, & in 3. d. 15. num. 18. clariſſime docet animam Chriſti fuiſſe perfectiſſimam ſuper omnes, nec eſt quod Cavellus dicat incertum eſſe de quã perfectione loquatur, quum conſtet ex textu eum loqui de perfectione ſubſtantiali entitativâ, ac naturali: loquitur enim de vi ſenſitiva per quam quis dolet: ad hanc autem quid quæſo faceret perfectio gratiæ ſuperadditæ, vel etiam ſapientiæ? Itaque hic defendendus erit mihi Scotus, ubi ab aliis deſeritur: quod intelligo de Recentibus Scotiſtis, antiqui enim cum Scoto & mecum ſunt, ut jam oſtendi.

Probo jam aſſertum ex eo, quod Adverſariis, eſt certum, ſcilicet ſpeciem aliquam in quodam individuo eſſe accidentaliter alterâ meliorem, puta hominem magis ingenioſum, nivem magis candidam quam ſit alius homo, & alia nix, & ſic de cæteris; unde infero: ergo homo aliquis eſt ſubſtantialiter melior alio, & nix alia nive &c. probo conſequentiam, quia ſicut accidentia ſequuntur ad formas ſubſtantiales, ita perfectiora accidentia ad perfectiores formas.

Hic unum effugium eſt dicendi, quod qualitates perfectiores imprimuntur ab extrinſeco, non vero ab ipſâ compoſiti naturâ, ſed contra clarè eſt, quod in primis hoc non poſſit à Scotiſtâ prætendi, Doctore in oppoſitum ſtante, & apertè quidem. *Vna ſubſtantia ejuſdem ſpeciei habet qualitatem neceſſario convenientem ſpeciei intenſiorem quam alia, & hoc excluſo omni agente extrinſeco*: ait ille loco Metaph. citato: & patet verum eſſe, quia agentia extrinſeca ſæpè ſunt impertinentia ad exceſſum qualitatis, nec petunt producere majorem aut minorem ex ſe ipſis, ſed tantum ex naturâ ſubjecti. Deinde contingit eadem agentia eſſe applicata utrique ſive cuilibet ex duobus quorum unus habet perfectiora; v. g. ex duobus filiis etiam geminis ſimul conceptis ſimulque natis unus eſt pulchrior, ingenioſior alio, &c. hic omnia agentia ſunt non ſolum ſimilia vel paria, ſed eadem. Video fugi poſſe ad corpora cæleſtia & horoſcopum, ſed fuga illa vix eſt digna philoſopho, alioquin omnes qualitates inferiorum poſſemus refundere in cælum, & non ſufficit in cauſa

ex cap. 1. prædicament. ubi docet ſubſtantiam non ſuſcipere magis & minus, ſed etiam expediri ſtatim poſſunt ; non enim volumus nos ſubſtantiam intendi per ſucceſſionem graduum quod negat Philoſophus illi, & concedit qualitati ; ſed ab initio indiviſibiliter ſic factam, ut accipiendo tantam perfectionem excederet omnes minori donatas à naturâ.

Objicitur amplius ex ratione : hæcceitates nihil addunt Naturæ niſi negationem diviſibilitatis, aut formalitatem poſitivam ex qua hæc oritur : at vero negatio non facit exceſſum in perfectione; et ſi faceret alias, hic non facit, nam quodlibet individuum eſt æque indiviſibile: unde patet poſitivam formalitatem non juvare ad hoc, quia deſervit ad emanandum ut ſic dicam negationem. Reſpondeo nondum dixi exceſſum individuorum eſſe ab hæcceitatibus, adeoque poſſum hic non loqui.

Sed inſtabis : Dicturus es quod exceſſus oritur vel ab hæcceitatibus, vel à prædicatis ſpecificis ; non ab his, quia in his ſunt æqualia, imò eadem, ergo. Hic cogo me ad loquendum, & reſpondeo plura : primo, exceſſum hunc perfectionis poſſe eſſe à realitate naturæ, quod eſt aliud à ratione ſpecifica Logicè ſumpta, ut jam abundè oſtendi : poſſunt ergo æquari in ratione Logicâ, inæquari in ratione Phyſica, quod etiam D. N. ſubinde monet, adeoque.

Secundò, exceſſum provenire ab ipſis hæcceitatibus ; eſt enim error, exiſtimare quod hæcceitates non præſtent aliud quam multiplicationem aut diſtinctionem realem, faciunt enim diverſa, idque primò ſeu ſummè, quid ergo mirum eſt ſi faciant diverſa in perfectione, ſed in hac viâ nitendum eſt præcipue eo quod habet Ariſtoteles, 5. Metaph. tex. 45. eſtque differentias participare aliquatenus conditionem generis unde *fiſſio pedis eſt quædam pedalitas.* Sic ergo Philoſophando dicemus hæcceitatem hominis eſſe aliquo modo humanam, aut humanitatem, ſi ita dicenda ſit, ac non potius humanitatis. Ariſtot.

Denique accedo ipſe Adverſarios, & quæro utrum exceſſus caloris ut duo ſupra calorem ut unum proveniat ab hæcceitate, an à ſpecificatione ejus, an à neutro? ſi hoc tertium reſponderint, poterimus & nos dicere de individuo hominis : quodlibet autem ex duobus primis patitur ipſam difficultatem, quam in replica adduxi, adeoque.

Dubia aliquot deciſa

Specialiter ?

An diſſimilia poſſint eſſe æqualia?

AD hæc, non carent controverſiâ iſta : An omnia individua ejuſdem ſpeciei ſunt inæqualis perfectionis ; ſive an neceſſarium ſit omnia eſſe diſſimilia quoad hoc ? & an quæ ſunt diverſæ perfectionis eo ipſo ſint inæqualis, ita ut non poſſint eſſe diſſimilia & paria ſimul, &c. ad quæ conabor ſenſum meum per ſequentia ordinatè proferre.

5. Cenſeo ergo primò individua ejuſdem ſpeciei non neceſſariò eſſe diverſa in perfectione quæ à realitate ipsâ naturæ ſpecificæ provenit. Dixi ſupra in ſolutione ultimi argumenti poſſe exceſſum ex hoc ipſo capite provenire ; & jam oſtendo ; quia ſi per impoſſibile auferantur hæcceitates à naturis Petri & Pauli, certè poſſet inter illos fieri comparatio, & una eſſet perfectior aut imperfectior, vel ſaltem æqualis alteri, quod de facto ſunt, atque ita datur exceſſus ſiſtendo in ipſa natura ſpecifica & realitate ejus quæ dicitur ſpecies Phyſica. Jam ad punctum præſens, clarum eſt poſſe naturas duas habere hanc quaſi intenſionem ſubſtantialem, ſicut duæ qualitates, v. g. duo calores habent eandem intenſionem gradualem : nam cur non?

Cenſeo ſecundò perfectionem, quæ provenit ex ipsâ præciſe hæcceitate, in duobus quibuſcunque ſemper eſſe diverſam, & ipſos in hac diſſimiles. Ratio, quia differentia numerica, eſt ultima & reddit ſubjectum ſuum primò diverſum à quocunque alio, aliàs ibimus in infinitum, ſi ſcilicet ipſa hæc ratio differendi ſit ratio conveniendi, ut in illo aliqua aſſimilentur, &c. ut ſupra.

Contra quæ unum facere videtur, & eſt id quod ſupra dixi, hæcceitates eſſe taleitates naturæ, ſive differentias & participationes generum; ſi enim ita ſit, jam Petreitas erit quædam humanitas ; certum eſt autem quod in humanitate plures conveniant, ergo. Huic doctrinæ dudum reſpondi, differentias non includere genus niſi realiter, non verò formaliter aut in ſuo conceptu, & ita nec differentia numerica includet ſpeciem. Unde ex duabus ſolutionibus ſupra aſſignatis argumento, n. 3. adducto, prima eſt præferenda.

6. Dico denique individua quantumvis diverſæ perfectionis, & diſſimilia poſſe nihilominus eſſe æqualia, idque etiam accipiendo perfectiones provenientes ab hæcceitatibus in quibus ſunt primo diverſa & idipſum cenſeo de ſpeciebus, quod ſcilicet quamvis nullæ duæ ſint ſimiles, poſſint tamen eſſe æquales. Hic explicantur, & diſponuntur ſeorſim termini, quos alii ſupra confuderunt.

Pro hac veritate Rec: aliqui viſi ſunt ſibi adferre Achillæum argumentum ex divinis ; ibi enim tres perſonalitates ſunt ſpecie diſtinctæ, & tamen æquales ; utique enim paternitas alia eſt à filiatione, imo etiam oppoſita ei relativè, & ſpiratio utrique diſparatè : aliunde etiam certum eſt conſtitutivum unius non eſſe perfectius conſtitutivo alterius, alias una perſona eſſet præferenda alteri, ſed enim lentius feſtinandum fuit in trahendis ad uſum naturalis Philoſophiæ myſteriis fidei, maximè vero illo ſummo & infallibili ſanctiſſimæ Trinitatis : quod ut fiat palam, dico argumentum illud non eſſe uſui hoc loco. Cauſa ; quia æqualitas ſupponit quantitatem : debent enim quæ comparantur habere utrinque formam in qua ſit comparatio eorum; non ergo poſſunt eſſe tanta, niſi quæ ſunt quanta ; non æquè perfecta niſi quæ ſunt perfecta. At vero perſonalitates divinæ non ſunt quantæ, non ſunt perfectæ, ut acutè Subtilis ſtatuit, & probat ſuo loco, ego hic obiter, idque ad hominem oſtendo : ſi enim perſonalitates divinæ dicant perfectionem ſequitur Recentes abſurdum quod vitare conantur, ſcilicet perſonas divinas non eſſe æquales ; ecce quomodo : quælibet relatio perſonalis dicit aliquam perfectionem, ergo duæ ex illis dicent majorem ; ſequela eſt evidens ex illo principio primiſſimo, quod omne totum ſit majus ſui parte, ergo jam perſona habens plures ex his erit melior ſeu perfectior illa quæ habet tantum unâ atque ita Pater & Filius, intellige ſinguli, ſeu quiſ

qu

Digitized by Google

que eorum erit perfectior Spiritu Sancto, eo quod in quolibet ex illis duobus ſint duæ relationes perſonales, in Patre paternitas & ſpiratio activa, in filio filiatio, & eadem ſpiratio activa; at vero in Spiritu Sancto ſola relatio ſpirationis paſſivæ: vides ergo ab utentibus hoc argumento incurri conſequens tam abſurdum de inæqualitate divinarum perſonarum, quod vix, aut ne ſic quidem vitari poteſt niſi ſubtilitate illa Scoti de carentiâ quantitatis in relationibus divinis.

Aliter ergo ſuadendum eſt aſſertum, non melius, quod ſciam, quam ſolvendo rationes dubitandi ut infra: interim oſtenſivè arguatur, inſtantia enim eſt in qualitatibus, quarum una eſt ſpiritualis, altera vitalis; nam ſpiritualis ſine dubio excedit materialem; & vitalis certiſſimè excedit inanimatam, ſit enim cognitio ſenſitiva, & habitus vel ſpecies impreſſa intellectiva; hæc ſunt excedens & exceſſum; cognitio habet rationem vitæ per quam excedit ſpeciem illam & habitum, qui non eſt animatus; exceditur autem ab eo per rationem ſpiritualis: viciſſim etiam ſpecies excedit & exceditur, ut videre eſt cuique, quidni ergo dicamus iſta eſſe hinc inde æqualia?

Diceret fortè quis non ſufficere argumentum probationi; quia non conſtat an perfectio unius æquet perfectionem alterius, puta, an ſpiritualitas æquet vitam. Reſpondeo, neque conſtare quod non æquet, & ita nos ſumus ſaltem hinc inde æquales. Deinde etſi non æquet, adhuc ſufficit argumentum, demus enim perfectionem vitæ eſſe ut ſex, ſpiritus autem, ut quatuor: ratio ſpiritus æquat ſaltem quatuor gradus de perfectione vitæ, ſed quatuor illi ſunt diſſimiles his, ergo jam diſſimilia ſunt æqualia quod erat intentum.

Secundò uti poſſumus argumento morali; nam modica pars auri eſt æque precioſa ac magna pars æris vel ſtanni, unde denarii dicti, quaſi denos æris valentes; ſimiliter virtus religionis & virtus patientiæ ſine dubio ſunt ſpecie diverſæ, & tamen contingit has eſſe æquales, multi enim confeſſores ſunt æqualis meriti martyribus, & vice verſâ, unde caſtitas aſſimilatur ebori quod in fine multi temporis rubeſcit, tanquam puritas illa virginum æquet aut reddat verè martyrem.

Objiciunt *ſpecies eſſe ſicut numeros*: at vero duo numeri non poſſunt eſſe æquales: ergo. Huic tamen olim reſponſum eſt, id quidem eſſe abſolute verum, veritatem tamen non exigere omnimodam paritatem ſed aliquam, quæ in hoc ſtat, quod quemadmodum numerus variatur quocunque minimo, etiam indiviſibili additamento ita ſpecies & eſſentiæ rerum: poſſe tamen deficere in aliis: ex quibus præſens erit unum. Lubet tamen verificare axioma, etiam in hac ipſa materia ſine præjudicio concluſionis, dico enim numeros aliquos eſſe pares, non ſingulos ſed plures: etenim binarius & quaternarius æquales ſunt duobus ternariis, ambo enim hinc inde faciunt ſex.

Objicies ſecundò, quæ æqualia ſunt commenſurari poſſunt; quæ autem commenſurantur debent eſſe ejuſdem rationis, ergo quæ ſunt diverſæ rationis commenſurari nequeunt, adeoque nec poſſunt eſſe æqualia, major eſt evidens: minor etiam probatur: hinc enim non poteris metiri longitudinem ponderibus, nec pondera lineis, quia nimirum ſunt diſparata à ſe invicem; ſed pondera ponderibus menſuranda ſunt, & lineæ lineabus: Atqui magis diſtant à ſe ultimæ differentiæ tum ſpecificæ, tum numericæ, quam pondera & longitudines, nam hæc conveniunt in genere prædicamentali; ambo enim ſunt accidentia & materialia quidem, iſta autem ſunt primò diverſa. Reſpondeo tamen hanc rationem ſibi ipſi obſtare; etenim probat, quod diverſæ ſpecies & diverſa individua non poſſint eſſe ne quidem inæqualia, ut bene notavit contra Valquez unus ſuorum Recent. non placet tamen quod affert ille in rationem hujus, ſcilicet in quantitatibus molis menſuram & menſurabile debere eſſe ejuſdem rationis, non vero in quantitate virtutis, ſive Metaphyſicâ, aut ſpirituali: Etenim adferenda eſt ratio cur quantitas molis exigat homogeneam menſuram, quantitas virtutis non. Interim concedenda eſt paritas utriuſque, unde non licet metiri bonitatem veritate, nec vice verſâ, ſed bonitatem ſimili & numerum unitate, non autem veritate aut bonitate, niſi forte appropiate, quomodo metimur ſuperficiem, & profundum linea, licet hæc ſit diverſa ſpecies dimenſionis. *Vaſq. Orid.*

Objicio ipſe ultimò: ſi differentiæ illæ unquam eſſent æquales, tum non ſemper eſſent primo diverſæ: hoc autem eſt falſum, ergo, ſequela patet, quia ſine dubio æqualia conveniunt in eo quo æqualia ſunt. Hæc replica ſæpe redit in ſimilibus, quia termini ſibimet implicantur facilè. Dic ergo facile, illa eſſe intrinſece diverſa; convenientia autem denominative tantum: Non deeſt etiam quod præterea dicatur, eſtque, æqualia non eſſe ſimilia, ſed alterius rationis proportionem habere, ex quibus Ariſtoteles, 5. Met. 15. enumeravit ſeorſim tres, ſcilicet, ſimilitudinem, æqualitatem, & identitatem.

Videndi de his Authores citati pro materia Apologiæ præcedentis.

APOLO-

APOLOGIA SEXTA

De Diſtinctionibus Entium.

ACTIO I.

De generibus diſtinctionum in utraque ſchola; nominatim de diſtinctione reali.

ACTIO II.

Explicatio diſtinctionis formalis Scotiſticæ.

ACTIO III.

Dari diſtinctionem formalem inter gradus naturæ creatæ conſtitutivos.

ACTIO IV.

Dari diſtinctionem hanc formalem inter totam ipſam naturam, & ſuam individuationem.

ACTIO V.

Dari diſtinctionem formalem Scotiſticam inter ſubjectum & ſuas paſſiones, atque etiam inter ipſas paſſiones mutuò.

ACTIO VI.

Dari diſtinctionem formalem Scoti in divinis, & pluries quidem.

ACTIO VII.

In qua oſtenditur Scotus certiſſimè aſſeruiſſe diſtinctionem formalem, itemque Ariſtoteles.

ACTIO VIII.

Oſtenditur diſtinctio formalis ſive ex natura rei à ſanctis Eccleſiæ Patribus tradita.

ACTIO IX.

Objiciuntur & rejiciuntur fundamenta Adverſariorum contra diſtinctionem formalem abſolutè in genere ſumptam.

ACTIO X.

Proferuntur propriæ rationes contra diſtinctionem graduum Metaphyſicorum ejuſdem ſubjecti ab invicem, atque ab ipſo ſubjecto.

ACTIO XI.

Non ſufficere diſtinctionem virtualem Thomiſtarum, ut vocant, ad ſalvanda ea, quibus diſtinctio formalis convincitur.

ACTIO XII.

Non ſufficere præſciſiones ſive formales, ſive objectivas Recentiorum loco diſtinctionis formalis.

Themata ex Scoto do fusè infra Actione VII.

Digitized by Google

ACTIO I.

De generibus diſtinctionum in utraque ſchola: nominatim de diſtinctione reali.

Breviarium.

N. 1. *Septem ſpecies diſtinctionũ apud Scotiſtas, & quæ?*
2. *Tres apud Thomiſtas, & quæ?*
3. *Diſtinctio realis à quodam ineptè, tum etiam rectè explicata: Vbi de ſignis ſufficientibus ipſius.*
4. *Objectiones aliquot, ſive inſtantiæ, tam phyſicæ quàm Theologicæ ne inſeparabilitas ſit ſignum identitatis realis.*
5. *Ens à non ente quomodo diſtinguatur?*

1. MAteria de diſtinctionibus in noſtra ſchola uſque adeo excrevit, ut opus habeat circumcidi tanquam ſilva luxurians. Objecit nobis tacitè hanc fœcunditatem Jul. Cæſar, & Barth. Amicus nec immeritò aut falsè. Ego ſola earum nomina recenſebo, quæ à veteribus Scotiſtis, quos formaliſtas vocant, aut inventæ ſunt, aut explicatæ, ſuntque ſeptem: prima, diſtinctio rationis: ſecunda dicta ab illis eſt diſtinctio ex natura rei: tertia eſt diſtinctio formalis: quarta realis; quinta eſſentialis, ſexta, ſe totis ſubjectivè; ſeptima ultima, ſe totis obiectivè: Has autem illi ſic intellexerunt, quòd ultima, quæ eſt omnium maxima, inferat alias omnes, penultima cæteras ſe priores; & ſic retrogradè omnes uſque ad primam, quæ minima eſt. Cuius contrarium contingit in identitatibus; nam prima harum alias infert, ſecunda cæteras ſequentes. Omitto explicationem ſingularum, quia ferè omnes coincidunt cum aliqua ex tribus, quas ſeligam. Si quis autem eas in propria ſpecie videre velit, legat Syrectam, Trombetam, & illius ævi Scotiſtas: ex Recentibus noſtris Barthol. Maſtrium, & Bellut. ex aliis Recupit. & Amic. citat.

Quod hic ſcire iuvat, eſt, Thomiſtas duo genera diſtinctionum ponere, unam realem, & alteram rationis; ſed ſecundam hanc ſubdividere in diſtinctionem rationis raticionantis, & diſtinctionem rationis raticionatæ: hæc eſt, cui res ipſa præbet fundamentum, illa cui non res, ſed ſola ratio, ſive ſolus intellectus: Noſtri fere ſimiliter procedunt, dividunt enim diſtinctionem primò in realem & rationis: ſed priorem ſubdividunt in realem proprie, & realem minus proprie aut ſtricte, quam vocant formalem. Adeo caute gradiendum eſt hic, quando cum Thomiſtis ex profeſſo agitur, facile enim miſcebimus terminos ne intelligamur; nam diſtinctio noſtra formalis, illis eſt realis: diſtinctio illorum rationis ratiocinatæ, nobis eſt formalis. Cæterum in priori & ultimo convenimus, nam diſtinctio quam nos realem abſolute dicimus, illis etiam eſt realis: Item diſtinctio rationis ratiocinantis apud illos & nos eſt ſimpliciter rationis. Tota moles huius negotii de diſtinctionibus ſtat fere in ſola formali, ut apparebit infra: ne tamen primariam diſtinctionem, quæ eſt ſimpliciter realis, intactam tranſeamus, dicam de illa, minus quidem quàm de aliis, ſed priùs: revera enim videtur cuilibet ſine commentario nota, ut explicare eam ſit actum agere, & tamen difficile, quod quia ſolet hic fieri, experiar, quàm bene alii rem abſolvant.

3. Omiſſis ergo veterum viis, nuper unus ex noſtris definivit diſtinctionem realem, quam propriiſſimam vocat, eſſe eam, quæ reperitur vel inter ſeparabilia, vel inter ea, quorum unum cauſat alterum, vel quæ ſubiectantur in rebus ſeparatis aut ſeparabilibus, &c. ita viſus eſt ſibi complecti omnia capita, ex quibus provenire poſſet hæc diſtinctio. Sed, ut ita ſit, non placet inprimis eius methodus definiendi per diſiunctiones, quod etiam aliàs ei obieci. Deinde, hoc eſt reſpondere ad quæſtionem *ubi?* non verò ad quæſtionem *quid?* quam tamen hic agitamus; dicit enim per hæc ille, ubi, aut inter quæ inveniatur diſtinctio realis, quod non quæritur; non verò dicit quid ſit ipſa diſtinctio, vel, quid ſit ſic diſtingui? quod erat reſolvendum, nam & fuit quæſitum. Denique timeo, ne qui credet ei, in ultima parte petat principium, quid enim eſt ſubiectari in realiter ſeparatis aliud, quàm ſubiectari in realiter diſtinctis? Certe ſi illa ſubiecta ponantur eſſe plures res, iam diſtinguetur unum ab altero tanquam res à re, quod niſi fallor eſt realiter diſtingui. Itaque hæc eſt enumeratio quædam caſuum, in quibus contingit diſtinctio, non verò expoſitio ipſius diſtinctionis: breviter, ſi aliud exactius non occurrat, Ponc.

4. Dic diſtinctionem realem eſſe eam, quæ intercedit duabus rebus qua talibus. Videor hic ipſe peccare quadam repetitione eiuſdem, quia explico reale per rem: ſed in hoc non eſt error, ſed via recta; utique enim realitas explicanda eſt per rem; quum ab hac dicatur & proveniat. At verò quid ſit res, & quæ cenſenda ſint ſic plura, id eſt, plures res, fateor incumbit mihi adhuc explicandum, niſi in ſuperioribus ſit factum. Quidquid illud, res diverſæ ſunt illæ, quæ habent plures exiſtentias.

Fateor, etiam huic obiici poteſt obſcuritas, aut identicatio; tam enim ignotum eſt audienti, & tam difficile ſcitu, quid ſit realiter diſtinctum, ac quid habeat diverſam exiſtentiam. Audio & concedo, propter hoc enim aſſignanda erunt ſigna, ex quibus & in quibus colligitur diverſitas exiſtentiarum, atque ita ipſa immediate diſtinctio realis.

Hic autem, quia vertitur cardo negotii, effuderunt ſe authores, maxime verò noſtri Scotiſtæ. Ponc. noſter, tria ſupra poſita aſſignavit, in hoc aliis præferendus, quòd paucioribus ſe expedivit; alii enim ſex enumerant: primum

eſt

Digitized by Google

eſt contradictio, eò quòd contradictoria verificari non poſſint de eodem: ſecundum eſt exiſtentiarum diverſitas; at enim hoc non ſignum eſt, ſed ſignatum, hæc enim colligenda eſt: Tertium eſt oppoſitio cauſalis, producentis ſcilicet, & producti: quartum eſt ſubjectatio in ſubjectis realiter diſtinctis: ſed enim, ut dixi jam alteri, hæc eſt petitio principii, nam ante hoc ſignum debeo ſcire diſtinctionem realem: quæſo autem, num facilius eſt ſcire diſtinctionem realem formarum an ſubjectorum? quintum eſt, generatio & corruptio; nam quæ ſeorſim generantur aut extinguuntur, utique realiter diſtinguuntur: ſextum denique eſt ſeparatio: de quo

Dico breviter, ſufficere hoc ſolùm: alia verò aut falſa ſunt, aut impertinentia, præter tertium & quintum, quæ ferè coincidunt cum iſto: Hæc bilem movebit Scotiſtis, cur putas? propter tertiam entitatem: ſubitò enim

Objiciunt aliqua eſſe inſeparabilia, quæ tamen realiter diſtinguuntur, adeoque. Aſſumptum demonſtrat inſtantia partium unitarum, & totius reſultantis, ſive tertiæ entitatis, quæ quidem realiter diſtinguitur ab illis, nec tamen ſeparari poteſt. En Helenam ipſorum, propter quam toties vapularunt, multas enim anguſtias incurrunt ob hanc diſtinctionem totius & partium, ex quibus non eſt minima præſens; ſed arctat ipſos egregiè etiam ad hominem. Nempe huc devenerunt illi ob doctrinam Scoti; ſed adverterent, quòd Scotus docet ad propoſitum. Nempe illi principium irrefragabile eſt, omne abſolutum prius naturaliter alio ſine contradictione poſſe eſſe ſine illo alio: materia autem & forma compoſiti, utique ſunt abſoluta illo priora; ſi ergo diſtinguantur realiter, ſive (phraſi Scoti,) ſi ſint alia & alia res hinc inde, quomodo non poſſunt ſeparari?

Itaque propter hæc & alia, quæ ſemper moleſta fuerunt Adverſariis Scotiſtis, ſtandum conſtanter erit ei, quod ſuo loco de hoc determinavimus, ſcilicet partes unitas eſſe totum, non verò aliud realiter diſtinctum. Unde apertè nego illis inſtantiam.

Approbavi tertium ſignum ſupra, quod fuit habitudo producentis ad productum, & videtur certiſſimum ac planè demonſtrativum, quum evidens ſit, nihil poſſe ſeipſum producere. Sed enim Recentes ſcrupulum aliquem contra id conceperunt, eſtque Theologicus, de corpore Chriſti, quod non diſtinguitur certiſſimè à ſe ipſo realiter, & tamen attingit productionem ſui in Euchariſtia. Unde abſolutè credunt, aliquid idem poſſe producere ſeipſum, licèt non in prima productione, benè tamen in ſecunda. Sed hæc neque tempeſtivè dicuntur, neque verè: aliò ſpectant, & ibidem invenientur inepta, atque ipſis principiis naturalibus contraria. Super quo refero me ad ipſas illas materias.

Objici ſecundò poteſt aliud Theologicum, de perſonis divinis: ſed quia etiam extraneum eſt Metaphyſico naturali, objicio ipſe primò ſic: Unio partium phyſicarum eſt diſtincta realiter à toto, & tamen eſt inſeparabilis ab eo, ergo jam inſeparabilitas non ſufficit ad diſtinctionem realem, nec è contra. Secundò ſic: Modus quicunque eſt inſeparabilis à re cujus eſt, nec tamen diſtinguitur realiter ab eo, quia non eſt res; hæc autem diſtinctio eſt inter res, aliam & aliam hinc inde ut ſupra: Reſpondeo, ad primum nondum me definiiſſe, quòd inſeparabilitas ſit ſignum identitatis realis, ſolùm dixi, ſeparabilitatem eſſe ſignum infallibile diſtinctionis, contra quod non prævalet ſecundum illud; nam modus verè diſtinguitur realiter, eſtque verè res ut hic, licet alibi ſit vel ponatur aliqua diverſitas inter rem & modum; hic autem non, quia nimirum modus habet ſuam peculiarem exiſtentiam non minus quàm ſubjectum; hoc autem eſt eſſe rem in propoſito.

Aliqui invenerunt hic magnam difficultatem in Spiritu ſancto, juxta doctrinam Subtilis, quam licèt extaneam, libet hic inſerere: ſi enim is non procederet à filio, adhuc diſtingueretur realiter ab eo, & tamen eo caſu non eſſet inter eos illa habitudo producentis & producti; & multò minus aliud ſignum, ergo ſaltem in eo caſu concluſio falſificaretur. Hic verſant ſe Scotiſtæ, & unus alterum carpit, ſed ſine cauſa omnes: ſemper enim ſtat doctrina in concluſione poſita, & ſtaret in eo caſu: quis enim non videt Spiritum ſanctum in eo caſu fore ſeparatum à filio, quum foret alia perſona; perſonæ autem neceſſariò ſunt extra ſe invicem & ſubſiſtunt, adeoque. Itaque in eo caſu eandem diſtinctionem haberet, quam hodiè habet, etſi plures cauſas, non tamen plura ſigna propriè, verum enim ſignum eſt ſeparatio, productio autem eſt cauſa diſtinctionis.

Dixi autem in definitione, diſtinctionem realem intercedere pluribus rebus quà talibus; quod ideo addidi, quoniam res plures diſtinguuntur aliter quàm realiter: non ergo omnis diſtinctio rerum eſt realis, adeoque non convertuntur iſta duo. Totum oſtendo, quoniam Petrus & Bucephalus ſunt ſine dubio duæ res, & tamen diſtinguuntur aliter quàm realiter; utique enim plus diſtinguuntur Petrus & Bucephalus, quàm Petrus & Paulus, ergo jam erit alia diſtinctio inter has, quæ eſt eſſentialis; ſed quia hæc non intercedit inter illas, ut res ſunt, ſed ut eſſentiæ, hæc autem diſtinctio realis pertinet ad exiſtentiam, proinde definitio data, per illam particulam accommodata eſt exactè diſtinctioni reali.

5. Quæret aliquis, quomodo diſtinguatur Petrus jam ab Anti-Chriſto? & an res ac nihil diſtinguantur realiter? Ad quæ omnia credo equidem non eſſe opus reſponſione, quia quiſque apud ſe concipit, quomodo ſe res habeat. In voce autem credo dicendum eſſe, quòd diſtinguantur realiter inadæquatè, ſcilicet ex parte unius extremi tantùm; non quia deſit diſtinctio alteri extremo, ſed quia deeſt ei realitas. Et denique magis propriè reſponderetur ad ſimilia negativè, quod notat in ſimili D. N. *Melius* (inquit,) *eſt uti iſta negativa: hoc non eſt idem, ſive eſt non idem, quàm: hoc eſt ſic vel ſic diſtinctum.* Unde juxta hoc dicerem, Petrum non eſſe idem realiter Anti-Chriſto, nec Anti-Chriſtum Petro, aut alterutrum nihilo potius, quàm Petrum aut Anti-Chriſtum diſtingui ab invicem realiter, vel à nihilo realiter, vel nihil ab ipſis.

* * *

ACTIO II.

Explicatio diſtinctionis formalis Scotiſticæ.

Breviarium.

N. 1. *Explicata ſpecies diſtinctionum Act. præcedenti, num. 1. poſita.*
2. *Ipſa formalis diſtinctio à Scotiſtis poſita.*
3. *Identitas formalis quomodo à Scotiſtis intellecta?*
4. *Plures diſtinctiones ex ſupra poſitis in unam reducendas: & quomodo?*

1. INcipit hic princeps controverſia inter duas ſcholas, Subtilem & Thomiſticã; quam ne temerè aggrediamur, ſtatuenda eſt firmiter, quid ipſa diſtinctio hæc ſit, dicat, & poſcat? & quomodo ab aliis diſtinguatur? Ad hoc autem cogor referre, quæ ſupra omiſi, genera diſtinctionum, ne formalem ulli ignoranter confundamus. Breviter ergo diſtinctio rationis eſt, quæ ab intellectu fit aut fingitur inter alias indiſtincta, hoc eſt, inter idem ipſum, ut quum dico: Petrus eſt Petrus, ibi idem Petrus diſtinguitur à ſe per intellectum, eò quòd jam ſit ſubjectum, alias prædicatum. Secunda ex natura rei eſt, quæ dicitur intercedere aliquibus, eò quòd de illis verificentur contradictoria: ſic definitio & definitum diſtinguuntur, quia unum eſt includens, alterum incluſum: Diſtinctio realis iam eſt expoſita. Eſſentialem intelligo illam, quæ eſt inter plures naturas, v.g. humanam & equinam. Se totis ſubiectivè eſt inter illa, quæ non conveniunt in aliquo contrahibili per differentias, ſic Deus & creatura diſtinguuntur, quia non conveniunt in aliquo potentiali & contrahibili per alias realitates. Eſt quidem alia expoſitio huius diſtinctionis, ut illa diſtinguantur ſe totis ſubiectivè, quæ non poſſunt convenire in aliquo uno ſubiecto: ſe totis obiectivè, quæ in nullo planè conceptu conveniunt, ut ultimæ differentiæ, tam ſpecificæ, quàm individuales

2. Reſtat hæc formalis explicanda, in qua antiqui formaliſtæ multa myſteria depoſuerunt. Dicunt autem principaliter illam eſſe inter plures formalitates eiuſdem ſubiecti; ut inter animal & rationale in homine, bonitatem & veritatem in ente, &c. neque nego, quin ita accipi poſſit, quum impoſitio nominum ſit arbitraria. Si tamen velimus ire, non qua itur, ſed qua eundum eſt, crederem hoc non eſſe exigendum ad diſtinctionem formalem. Etenim quæro ex his, quomodo diſtinguatur animal hominis à rugibili leonis? Dicent fortè realiter, ſed non ſufficit eis hoc dixiſſe: ſi enim quæram, quomodo diſtinguatur animal hominis ab animali leonis? dicent utique quòd realiter: certum eſt autem, plus diſtingui animal hominis à rugibili leonis, quàm ab animali eius. Ergo denique genus in uno, & differentia in alio diſtinguuntur formaliter, atque ita non eſt neceſſe formalem intercedere ſemper gradibus aut formalitatibus eiuſdem ſubiecti.

Proſequor aſſumptum, quia quæcunque ſunt formaliter idem, ſi aliquid diſtinguatur ab uno, utique diſtinguetur ab alio, alioquin errarent principia regulativa ſyllogiſmorum, ſcilicet, Dictum de omni, & Dictum de nullo, in ſecunda figura, ut patebit applicanti: at verò animal hominis & animal leonis ſunt idem formaliter, ut ſuppono ex communi Scotiſtarum, ergo iam non poteſt animal leonis diſtingui ab ullo formaliter, niſi ab eodem diſtinguatur formaliter animal hominis: atqui animal leonis ſecundùm ipſos diſtinguitur formaliter à rugibili eius, ergo & animal hominis ab eodem rugibili eiuſdem, atque ita diſtinctio formalis non eſt ſolùm inter plures gradus eiuſdem ſubiecti, ſive inter aliqua identificata ſibi.

Ex quo diſcurſu devenis ad intendum, quàm exactè illi diſponant identitatem formalem: nempe animosè inter ſe altercantur, quid ſit cenſendum idem formaliter alteri; num ſuperius inferiori, an è contra inferius ſuperiori: quibuſdam hoc, aliis illud præferentibus: Cur putes, niſi ob amphibologiam illam Scoti 1. d. 2. q. 7. num. 44. ubi deciſurus negotium hoc, inquit: *Voco autem identitatem formalem, ubi illud, quod dicitur ſic idem, includit illud cui ſic eſt idem in ſua ratione formali, & per conſequens per ſe primo modo.* Hinc illud implacabile bellum Scotiſtis, quia nimirum *Tò illud* in verbis Scoti utrobique eſt æquivocum, & poteſt eſſe ſive nominativi caſus, ſive accuſativi. Uno modo reddit ſuperius idem formaliter inferiori, alio inferius idem ſuperiori. Sed apage Grammaticam hanc in re gravi, & quæ divinas veritates contingit, de quibus eo loco Scotus. Eſt ergo ſenſus totius, quòd illa diſtinguantur formaliter, quorum unum eſt extra conceptum eſſentialem alterius: hinc paſſio, licèt ſit immediata ſubiecto, diſtinguitur tamen ab eo formaliter, quia eſt extra eſſentiam eius, & vice verſâ; ſimiliter duæ paſſiones eiuſdem ſubiecti à ſe; & denique partes eiuſdem, puta genus & differentia, à ſe invicem. An autem partes totius diſtinguantur formaliter ab ipſo toto conſtituto, quæ fuit lis Formaliſtarum, v. g. animal ab homine, aut vice verſâ, relictis ambagibus iſtorum, dicerem breviter genus à ſpecie, ſive partem à toto diſtingui formaliter inadæquatè; quia nimirum animal verb.g. ſi compararetur homini, non dicit totum quod ille; ſi autem comparetur parti eius, incidit in eam, & eſt indiſtincta plane ab illo, & vice verſâ.

In

Digitized by Google

In hoc autem negotio id habemus boni, quòd lis (quæcunque) eſt de diſtinctione formali, non verò de identitate; Thomiſtæ enim libenter viderent omnia à nobis identificari formaliter, & ægrè ferunt aliquid diſtingui formaliter, ſive in divinis ſive in creatis. Cæterùm ſi ex me quæreretur, quid eſſet idem formaliter alteri? non reſponderem tantùm per aliquos gradus ejuſdem ſuppoſiti, ſed per plures plurium. Didici hoc ex Ariſtotele 5. Metaph. capite 15. ubi comparationes ejuſmodi omnes ad pluralitatem reducit: *Hæc itaque ad aliquid omnia ſecundùm numerum dicuntur, & numeri paſſiones ſunt; & adhuc æquale, ſimile, & idem ſecundùm alium modum, ſecundùm unum etenim omnia dicuntur, eadem enim ſunt, quorum ſubſtantia eſt una, &c.* Itaque animal hominis, & animal leonis dicerem eſſe formaliter idem, &c. quia nimirum in his intervenit pluralitas, & adhuc illa identitas ſeu incidentia in unum: in eodem autem reſpectu ſui non eſt pluralitas, adeoque, & revera comparatio illa identitatis quum ſit ad aliquid, videtur abſolutè exigere plura. Itaque diſtinctio formalis, ut ſemel ſtatuamus, erit inter plura formaliter, quamvis ſint unum realiter, ut inter animal & rationale hominis, &c, (ſi velimus vera audire.) quamvis non ſint; unde animal hominis diſtinguitur formaliter à rugibili leonis.

Et denique hæc ipſa diſtinctio formalis non abſurdè vocaretur diſtinctio ex natura rei, quia talia omnia ſic diſtinguuntur. Et potius ego vocarem hanc ex natura rei, & illam, quæ formaliſtis eſt ex natura rei, dicerem formalem: revera enim plus naturalis, aut naturæ eſt in his: animal & rationale; & proinde magis ex natura rei diſtinguuntur, quàm definitio & definitum, quum in his interveniat aliquid artificiale. Itaque non erat neceſſe hæc fieri diverſas ſpecies diſtinctionis. Diſtinctio autem eſſentialis poterat majori jure diſcerni à formali, quia extrema diſtinctionis formalis non ſunt eſſentiæ, ſed partes aut gradus illius; ſed enim hæc ipſa quodammodo diſſimulari potuit, & vocari formalis adæquata, altera inadæquata reſpectivè. Hæc in anteceſſum ut deveniamus ad reſolutionem: prius autem confirmo ex Scoto quod dixi, ne Scotiſtæ indignentur: ait autem Doct. 1. d. 8. q. 4. probans diſtinctionem formalem eſſentiæ divinæ & attributorum: *Vlterius probo, quòd tales perfectiones ex natura rei ante opus intellectus non habeant identitatem formalem.* Ecce, *ex natura rei*, & Tò *formaliter* ſynonyma apud Scotum, qui etiam infra num. 16. *Præterea* [inquit,] *contra concluſionem in ſe, quia ſic iſta qualitercunque diſtinguantur ratione, non diſtinguuntur ex natura rei ſine actu intellectus, &c.*

ACTIO III.

Dari diſtinctionem formalem inter gradus conſtitutivos naturæ creatæ.

Breviarium.

N. 1. *Adductus Ariſtoteles pro concluſione affirmativa.*

2. *Prima ratio: quia gradus illi habent diverſos effectus formales.*

3. *Reſponſiones Thomiſtarum retunduntur.*

4. *Altera probatio ex compoſitione quantum valeat.* *Item altera de ordine graduum.*

5. *Alia probatio principalis ex ſimilitudine & diſſimilitudine ſimul ducta.*

6. *Adhuc aliæ duæ rationes pro eadem veritate. In actu vitali diſtinctio eſt evidens.*

1. Dico diſtingui creata aliqua formaliter, (aut ſi velis ex natura rei,) in primis gradus ſuperiores ab inferioribus, ſive genera à differentiis ſpecificis. Non eſt opus citare Doctorem, eſt enim vox omnium, quod ipſe patronus, & quaſi author ſit hujuſmodi diſtinctionis, ita habet in prima diſt. ... q. & in 2. diſt. 3. q. 3. & alibi.

Probo autem intentum, ſintque animal & rationale in homine, in primis communi argumento cum Peripateticis, quod eſt autoritas Ariſtotelis; hic enim 3. Metaph. text. 10. certè, etſi non æquè apertè docet genus eſſe aliud à differentia, & è contra: *Non eſt poſſibile neque ipſum unum entium eſſe genus, neque ipſum ens, neceſſe etenim eſt uniuſcujuſque generis differentias & eſſe, & unamquamque eſſe. Impoſſibile verò eſt aut ſpecies generis de propriis differentiis prædicari, aut genus abſque ſuis ſpeciebus.* Ubi vides genus toties à differentiis diſtingui, & cuique ſuum aſſignari. Et alibi 7. ejuſdem Metaph. 33. *Sicut ſe habet tota definitio ad totum definitum, ita partes definitionis ad partes definiti*: Partes autem definitionis ſunt genus & differentia. At verò definitum non habet partes, niſi per hanc diſtinctionem formalem; quod notavit bene Camerarius. Ut videas quàm Peripateticè loquantur Adverſarii noſtri; ipſi enim volunt quodlibet ens eſſe ſimplex; Ariſtoteles autem vult quodlibet habere partes, ut jam audiviſti, adeoque.

2. Ad rationes; prima ſit: Illa diſtinguuntur formaliter, quæ habent diverſos effectus formales, (quid enim faceret diſtinctio formalis niſi hoc?) atqui gradus ſuperior & inferior habent diverſos effectus formales, addo etiam & efficientes, ergo diſtinguuntur formaliter; diſtinguentur etiam ex natura rei, ſi voles applicare rationem ſic, quòd illa taliter diſtinguuntur, quæ habent effectus formales taliter diſtinctos,

Digitized by Google

diſtinctos, &c. Probo jam minorem, quia animal v. g. & rationale ſic ſe habent, animal enim reddit ſenſitivum, non reddit diſcurſivum: & rationale è contra reddit formaliter intelligens aut diſcurſivum, non reddit formaliter ſenſitivum: Clarum eſt autem, ſenſitivum & diſcurſivum eſſe ex natura rei & formaliter diſtincta. Et in majori, neſcio quid poſſit reprehendi, quum non aliter probetur, albedinem ac dulcedinem eſſe formas ſpecie diſtinctas. Urſi per diverſos effectus in genere efficientis, hi enim competunt generi & differentiæ, nam ſenſatio actualis provenit ab animali, diſcurſus actualis è rationalitate: Certum eſt autem, quòd eſſe principia diverſorum in ſpecie effectuum, arguat ſpecificam diverſitatem in principiis, quando unum non poteſt in effectum alterius, *nunquid* enim *de tribulis ficus colligent aut de ſpinis uvas?*

3. In ſolutione huius Adverſarii præparant ſe ad cætera, ferè enim id ipſum repetunt ad omnia. In forma ergo negant minorem, dicunt enim animal non habere ullum effectum formalem, quem non habet rationale, nec ècontra, & ita animal reddere diſcurſivum hominem, & rationale ſenſitivum. Sed ſi ita eſt, dicam ego non ſolùm hominem eſſe diſcurſivum, ſed etiam aſinum æquè bene, quod quamvis nolint illi, probo eos ſequi, quia nimirum aſinus eſt animal, habet ergo quidquid præſtari poteſt per animalitatem: ſi ergo hæc ſufficit ad diſcurſum, quis non videt aſinos horum æquè bene diſcurrere ac ipſos?

Video quid dicturi illi: utique enim dicent, animal abſolutè non reddere diſcurſivum, adeoque nec aſinos diſcurrere, bene tamen animal hominis reddere tale. Sed contra infero ego: animal hominis reddit diſcurſivum, animal aſini non: ergo animal aſini non eſt ejuſdem rationis cum animali hominis, ſed planè diverſum, non minus quàm rationale; quod ſanè eſt calcare in limine principia Logicorum; etenim illi propterea poſuerunt differentias, ut faciant differre ea, quæ in genere conveniunt; at verò ſecundùm hos in genere nulla conveniunt, non ergo opus eſt differentiis ad diſtinguenda, quæ in nullo conveniunt; atque ita, neque *differentia eſt qua differunt à ſe ſingula*, neque *genus eſt aliquorum quodammodo ſe habentium ad unum aliquid.*

Ad hoc argumentum revocanda ſunt, quæ noſtri hic adferunt de compoſitione ex genere & differentia; non enim poteſt fieri aut intelligi compoſitio ſine pluralitate & diſtinctione componentium. Si ergo ſpecies componitur ex genere & differentia, v. g. homo ex animali & rationali, jam animal & rationale erunt plura, ergo diſtincta, non ſolùm ratione, quia ſine ulla fictione aut negotiatione intellectus, homo eſt compoſitus, ergo. Sed ut verum fatear, non auſim fidere huic, ut hic jacet; non enim video compoſitionem, quæ poſſit eſſe inter aliqua, quorum utrumque eſt idem realiter; compoſitio enim eſt ex actu & potentia; quomodo autem invenientur hæc in aliquo uno? actus eſt perfectior, potentia eſt imperfecta; quomodo autem idem realiter erit perfectio, erit imperfectio? quomodo perficiet ſemetipſum? Urgeo infirmitatem argumenti, nam, ut notavi Tom. 1. Genus & differentia non ſunt fixa in ſpecie, & determinata, ita ut hoc ſit certò genus, illud ſolùm differentia: v. g. *corpus animatum*, apud nos in arbore Porphyrii ſunt genus & differentia: & quid obſtat, quò minus alius plantet arborem, in qua creſcat *vivens corporeum?* quo caſu, quod in arbore Porphyrii fuit genus, jam erit differentia: aut quo jure poteſt Porphyrius ſuos ramos & fructus ſic diſponere, non alius alio? At verò certum eſt, quòd idem non poſſit eſſe genus & differentia ſimul, & tamen æquum eſt jus pro utroque. Vides ergo compoſitionem hanc metaphyſicam parum fundatam, planè ſicut productio Metaphyſica paſſionis à ſubjecto eſt negotiatio rationis; quum enim identificentur realiter, certum eſt non poſſe dari influxum realem ac verum unius in aliud, niſi velimus dicere, quod idem producat ſemetipſum.

Simili vitio laborat, quod etiam noſtri adferunt de prioritate & poſterioritate, ſive quod idem eſt, de ordine horum, eò quòd ex gradibus metaphyſicis unus eſt prior alio, genus prius differentia, non enim valet conſequentia à genere ad ſpeciem aut differentiam, ſed bene è contra: At verò illud eſt certò prius, à quo non tenet ſubſiſtendi conſequentia: cùm ergo non teneat ab animali ad rationale, iam animal erit prius rationali, adeoque diſtinctum, quando idem non poteſt eſſe prius ſe ipſo: non inquam æſtimo hæc, quia nimirum agimus de diſtinctione aliquorum, quæ realiter identificantur, (ſic enim propriè formaliter diſtinguuntur,) at verò accipiendo hæc realiter hinc inde, v. g. animal & rationale Petri, clarum eſt unum non eſſe prius alio realiter, neque aptum exiſtere aut produci ante aliud. Unde dico hic tenere ſubſiſtendi conſequentiam dicendo: Petrus eſt huiuſmodi animal, ergo Petrus eſt rationalis. Itaque aliis nitendum eſt, ut vincamus, fiet autem ſequentibus quo

4. Probo principaliter concluſionem accipiendo ipſum genus, & ipſam differentiam, quæ ſupra, ſcilicet animal & rationale, quæ identificantur realiter in Petro: probo autem ea diſtingui, quia ſecundùm unum Petrus eſt ſimilis alicui, & diſſimilis eidem ſecundùm aliud: non poteſt quidquam ſecundum idem eſſe ſimile & diſſimile eidem, ergo hæc ab invicem ſunt diſtincta, nam Petrus ſecundum quod animal eſt ſimilis leoni, ſecundum quod rationalis eſt eidem diſſimilis, ergo iam non ſunt idem in Petro animal & rationale, ſed aliud & aliud, non ſola ratione, quia ceſſante omni intellectu & ratione manet illa ſimilitudo & diſſimilitudo Petri ad leonem, adeoque formalis, quum ſupponamus animal & rationale in Petro identificari. Poteſtque res declarari exemplo quantitatum, impoſſibile eſt enim, ut aliquis ratione eiuſdem, aut per eandem, ſit æqualis & inæqualis eidem alteri: cur ergo poterit ratione eiuſdem eſſe ſimilis & diſſimilis eidem uni? Hoc argumentum faceſſit negotium, & implevit chartas Thomiſtis, ut videas apud ipſos, dum ſe verſant quaquaverſum evadendo. Dicunt aliqui ſimilitudinem hominis Ovied.
& leonis conſiſtere in operibus eorum, ſed falsò, quia non ſolùm operationes ſunt ſimiles, ſed ipſi operantes. Deinde argumentum redit reſpondenti in caput, operationes enim ſunt ſimiles & diſſimiles; ſenſatio eſt ſimilis vegetationi in eſſe operis vitalis, diſſimilis in eſſe cognitionis, aut

aut perceptionis, adeoque hic ſaltem datur diſtinctio formalis graduum.

Alii ergo coacti ſunt dicere, idem ſecundùm idem poſſe eſſe ſimile & diſſimile: quod, niſi erro, rectius pugnat rationi ac philoſophiæ, quàm admiſſio decem diſtinctionum; ſic enim diſſimilitudo non erit diſſimilis ſimilitudini, aut idem erit diſſimile ſibi; & quælibet forma, quamvis contraria ac diſparata, reddet habentem alteri ſimilem. Denique excludam eos latibulo quo fugere poſſent; eſtque quod ſimilitudo ac diſſimilitudo non opponatur contradictoriè; id enim nihil illis favet, primò, quia nec ipſa contraria poſſunt naturaliter convenire eidem, & multò minus ſecundum idem. Deinde quædam poſitiva magis opponuntur ex rationibus particularibus, quàm privativa, illa ſcilicet, quæ ſupponunt & excedunt privativam oppoſitionem; nam plus eſt eſſe amicum & inimicum, quàm amicum & non amicum; & utrumque implicat, idque ex communi confeſſione, quia omnes fatentur implicare volitionem & nolitionem ejuſdem non minùs, quàm volitionem & non volitionem. Itaque quidam Recentior denique devenit ad dicendum poſſe aliqua eſſe ſimilia & diſſimilia ſecundùm idem, quia eſſe ſimile & diſſimile ſic non eſt aliud, quàm eſſe ſimile inadæquatè & incompletè, quod bene ſtat ſine ulla contradictione, ſed ſi attendiſſet hic reſpondens ſua ipſius principia in hac materia, credo equidem aliud quodvis cogitaret: fateor aliquid poteſt eſſe alteri ſimile inadæquatè; ſi tamen illud aliud ſit ſimplex, non fatebor unquam, quia non datur in hoc aliquid & aliquid, ratione cujus intrudi poſſet hæc adæquatio & inadæquatio. At verò ſecundùm Recent. quælibet natura eſt quid omnino ſimplex, non habens pluralitatem componentium, (alioquin divertit ad noſtras partes,) ergo de hac non poteſt reſponderi per adæquatum & inadæquatum. Et verò deprehenditur hic in ſolutione confirmationis, quam poſui de æqualitate, &c. ſupra; dicit enim id ibi contingere propterea, quòd æqualitas conſiſtit in indiviſibili: at verò illi omnes prætendunt, naturam quamlibet metaphyſicam eſſe quid omnino indiviſibile, quomodo ergo hic negare poſſunt, quod ibi fatentur ob rationem quæ non minus huc recurrit?

Arguo etiam tertiò: Homo & leo ſine dubio apud ipſos diſtinguuntur formaliter, id eſt eſſentialiter, & ex natura rei, ut utamur terminis communibus hinc inde: Unde pergo, & expoſtulo cum adverſariis ſic: ſi quando per impoſſibile homo & leo identificarentur formaliter, annon retinerent ſuam diſtinctionem eſſentialem? Negare non poſſunt, quia diſtinctio eſſentialis non tollitur per quamcunque commixtionem, ſed tantùm per oppoſitum ipſi, quæ eſt commixtio eſſentialis, ergo per commixtionem realem non tollitur; atque adeo illa quamvis identificarentur realiter, adhuc diſtinguerentur formaliter ut nos dicimus, hoc eſt eſſentialiter ex natura rei. Tum ſic, ergo de facto gradus aliqui in eodem realiter identificati formaliter diſtinguuntur, v. g. vegetativum & ſenſitivum in animali, quia in illo coëunt duo illa, quæ ſeorſim facerent plura eſſentialiter diverſa: utique enim ſi ſeorſim poneretur aliquid potens ſentire tantùm, & aliud potens vegetare tantùm, cujuſmodi eſt planta, ambo illa diſtinguerentur naturis ſuis, etiam nullo intellectu cogitante, & de facto caſus eſt magis latè patens in homine, nam in eo coeunt ratio vegetativi, quæ eſt in planta, & ratio ſenſitivi, quæ eſt in bruto.

Dicent fortè illi non coire neque in animal vegetativum plàntæ, neque in ſenſitivum bruti, quia vegetativum plantæ eſt vegetativum *tantùm*, & ſenſitivum bruti ſimiliter ſenſitivum *tantùm*, hominis autem non ita. Hoc expectabam adferendum, quia intercipiuntur illi à lato; ſic nempe brevius rem confecimus, ſi nempe vegetativum plantæ, eſt vegetativum tantùm, jam in planta invenietur vegetativum, & aliquid præterea, ſcilicet differentia illius ab aliis vegetativis, quæ ſignificatur per *ly tantùm*, quumque planta à parte rei ſit vegetativa *tantùm*, jam à parte rei datur vegetativæ differentia, & ipſa vegetativa inſimul in una planta.

Arguo ultimò ex ratione ſpeciei expreſſæ, & cognitionis, v. g. intellectionis; dico enim & probo in hanc coire aliqua plura, quæ neceſſariò diſtinguenda ſunt, etiam nullo intellectu laborante; ſuntque ratio actus vitalis, & ratio imaginis: unum convenit intellectioni à potentia, alterum ab objecto: ratione unius debet habere principium vivens, ratione alterius non; ratione unius petit recipi in ipſo ſuo eliciente, ratione alterius id non exigit: & alia plura hic enumerari poſſunt, quæ ex utroque hoc capite & ſingulis competunt huic actioni, ergo illa capita in ipſo actu ſunt aliud & aliud; non enim poteſt ullus idem gradus aut conceptus in actu eſſe titulus hæc exigendi: Si ergo vita eſt titulus exigendi A v. g. & imago non eſt titulus exigendi A, jam vita & imago debent eſſe plura, eſſe aliud & aliud, idque non ſola fictione aut imaginatione ullius: quum ergò illa alias identificentur ſibi realiter in actu, ſequitur, ea diſtingui noſtra diſtinctione formali, quæ, ut dixi, propriè eſt inter aliqua realiter ſibi eadem. Scotiſtæ plura adferunt, ſed malui hæc ex meo ponere, quàm congerere aliena, qui ea legere deſiderat, conſulat Maſtr. d. 8. Metaph. q. 6. & d. 6. q. 11. Poncium ſimiliter, &c. Pergam ad deducendam hanc diſtinctionem in alio capite, ut ſit

* * *

ACTIO IV.

At enim ne cuiquam imponam, non
timo nimis hanc probationem, neque credo
ea aſſumi ubique verum; non enim dicenda
t natura indifferens ad Petrum vel Paulum,
d indifferens ad Petrum & Paulum; natura
iini ſpecifica apta eſt ut fiat omnia individua;
:non ſolùm unum vel alterum, ſed utrumque,
; ſingula ſimul.

Fortè tamen probatio non perdidit adhuc
im; nam ſaltem hæc humanitas, quæ nunc eſt
'etri, per aliquid ſuperadditum facta eſt Petri,
uum potuerit eſſe Pauli: illud autem eſt
uod intendimus, tum enim redeunt omnes
ationes noſtræ ut ſupra. At enim huic etiam
idetur fraus vel falſitas aliqua ſubeſſe: quum
nim dicitur hæc natura per aliquid ſuper-
dditum facta eſt Petri, negandum eſt, quia
æc natura dicit hæcceitatem; at verò ultra
æcceitatem certum eſt nihil ſuperaddi. Audio
admitto replicam, quæ non poterit evadi,
iſi expedito ac Metaphyſico intellectu capiatur
luſquam dici voce poſſit; non enim poſſumus
xprimere rem niſi dicendo: *Hæc humanitas*;
um autem coniungimus ipſam hæcceitatem
aturæ, & ita aſſumimus probandum ut ibi:
:denim hæc eſt vocum penuria non rationis;
atura enim quæ eſt Petri & hæc, ex ſe non
erat eſſe hac hæcceitate hæc, ſed potuit fuiſſe
lia, puta Pauleitate, præ hac Petreitate. Sic
utem formata ratio currit & comprehendit,
i quid aliud obſtet, ergò.

Timeo tamen ne aliud obſtet ipſi & nobis,
tque quod ſupra ipſi diximus, ſcilicet naturam
on fieri *hanc*, aut contrahi per aliquid ſuper-
lditum ei, neque ad hoc, ſcilicet ad facien-
m ſingulare ſeu indiviſibile in hoc genere
ous eſſe ullo, ne quidem formaliter diſtincto,
loquamur de natura realiter poſita extra
uſas, adeoque ipſi nobis pugnamus. Re-
ondeo nequaquam, ſed doctrina ibi tradita
am hic ſufficit ad concludendum, dixi enim
turam exiſtentem non egere alio ſuperaddito,
fiat individua aut ſingularis, ſed ſaltem eget
a exiſtentia, at verò exiſtentia eſt quid ſuper-
ditum, non verò de conceptu intrinſeco
turæ, alioqui non poſſet natura concipi, niſi
nciperetur exiſtens, ergo denique in omni
ato quod eſt ſingulare, id per quod fit
ſingulare eſt aliud ab eo, quod fit ſingulare: quæ
fuit doctrina Ariſtotelis palam tradita de ſub-
ſtantiis ſeparatis. *In his quæ ſunt ſine materia
idem eſt quod quid eſt, & id cujus eſt.* Sed revera
æquè currens de omni creata, ut patet cuivis
applicanti, ergo. Atque hæc aleitas non eſt
realis, id enim eſſet facere naturas noſtras
omnium ideas & phantaſmata Platonis; reli-
quum eſt ergo, ut formaliter diſtinguantur, quod
erat inferendum.

Probatur adhuc, quia genus contrahitur
ad ſpeciem per differentiam ſuperadditam,
quidni ergò ſpecies ad individuum per aliam,
ſed ineptè apud Adverſarios hujus concluſio-
nis: dant illi genus contrahi per differentias,
ſed negant differentiam contrahentem diſtin-
gui, dicturi ſine dubio idipſum de differentia
numerali; concedent dari, negabunt diſtin-
gui. Non ergò omnia promiſcuè allegandà
ſunt.

4. Poteſt tamen adferri, quod ſupra ſuo
loco attuli ad probandam hujuſmodi differen-
tiam, ad quem finem eſt demonſtratio, quòd
ſcilicet duo quæcunque individua ſunt ab in-
vicem primò diverſa: ſed quia ſemel poſitum
eſt, hic paulò aliter proſequar medium; quia
nimirum univocatio & æquivocatio non poſ-
ſunt provenire ab eodem ſaltem reſpectu e-
juſdem: atqui individua ſpeciei cujuſcunque
atomæ, puta humanæ, univocantur in mate-
ria, æquivocantur in individualitatibus, ergò
jam neceſſariò debet aliud eſſe natura, &
aliud individualitas, v. g. *Tò homo*, dictus
de Petro idem ſonat, quod dictus de Paulo;
at verò *Tò hic* dictum de utroque, toto cœlo
diverſum, quia hæcceitates utriuſque nihil com-
mune habent, (ne ipſum ens,) niſi vocem.
Et explicari res poteſt in alia materia, nam pro-
inde ſequitur aliud eſſe corpus, & aliud animal,
quia corpus dictum de cane cœleſti & terreſtri
univocum eſt, canis autem non, ſed
æquivocum & planè diſpara-
tum, adeo-
que.

***

Digitized by Google

ACTIO V.

Dari diſtinctionem formalem Scotiſticam inter ſubjectum & ſuas paſſiones, atque etiam inter ipſas paſſiones mutuò.

Breviarium.

1. *Prima ratio primæ partis, quia paſsiones demonſtrantur de ſubjectis.*
2. *Diſtinctio mutua ipſarum paſsionum probatur in intellectu & voluntate.*
3. *Alia inſtantia hujus in potentia nutritiva & generativa.*
4. *Tertia ex reſpectibus, qui identificantur abſoluto.*
5. *Vltima ex quantitate, quæ probabiliter eſt re ipſâ ſubſtantia.*

ID quidem videtur probatum, aut ſaltem rectè illatum ex principiis alibi probatis, ubi oſtenſum eſt paſſiones identificari ſubjectis. Urgeo nihilominus m in præſenti, & probo per inſtantias.

Prima ſit de intellectu, & voluntate in ani- a rationali, & in Angelis: dico enim & probò s diſtingui formaliter ab anima; quia ni- itum demonſtrari poſſunt de ipſa anima, atque iam de angelo: atqui nihil idem demonſtrari oteſt de ſe ipſo; quæ ratio univerſaliter pro- edit de omnibus paſſionibus, & confirmatur, ia paſſiones in ſecundo modo dicendi præ- icantur & inſunt ſubjectis, eſſentiæ autem primo; clarum eſt autem aliud eſſe, quod citur in ſecundo modo, & aliud quod in pri- o, nam ſi ſint ambo per omnia idem, aut u- umque in ſecundo modo, aut utrumque in imo dicetur, &c. quorum omnium ratio eſt, ia nihil idem poteſt eſſe ſe ipſo prius, neque ſe ſo poſterius, adeoque quod eſt poſterius liquò, debet eſſe aliud ab illo: atqui jam con- itutum eſt, paſſionem non eſſe rem aliam ab ſentia, erit ergo aliâ formalitas, quod erat robandum.

2. Probo etiam potentias mutuò diſtingui, uta intellectum à voluntate, idque diſtinctio- e hac ex natura rei ſeu formali, ad quod ſemper æſumere debeo identitatem eorum realem, uam etiam plerique Adverſariorum admittunt. rguo ergo ſic: Ratio potentiæ ſeu principii ctivi contrahitur ad has per differentias ſum- ė oppoſitas, ergo ipſæ potentiæ debent eſſe ppoſitæ, & nullatenus ſynonymæ, aut in- iſtinctæ ex natura rei, ut volunt Adverſ. Pro- atur antecedens: contrahitur per liberum & eceſſarium, hæc autem ſunt ſummè diverſa, rgo & intellectus à voluntate, nam ille eſt otentia neceſſaria, hæc libera. Proſequor & onfirmo argumentum, primò reducendo ipſum d contradictionem, nam potentia libera eſt, uæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis, oteſt non agere; neceſſaria è contra eſt, quæ oſitis requiſitis non poteſt non agere: atqui uiſque videt nulli eidem competere ambo hæc, cilicet poſſe & non poſſe idipſum; ergo id, uod poteſt, ſcilicet voluntas, neceſſariò eſt re ipſâ aliud ab eo, quod non poteſt, ſcilicet ab intellectu, dico ſemper formaliter ſeu ex natura rei, nam nulla diligentia intellectus efficere poteſt, ut idem poſſit & non poſſit ſimul, atque ita non ſufficit hic allegare diſtinctionem rationis.

Proſequor iterum ſic: Neceſſarium & liberum ſeu contingens in eſſendo, ſemper ſunt formaliter diſtincta, ergo & neceſſarium ac liberum in agendo; ſicut ergo nihil poteſt eſſe ens neceſſarium & contingens, ita neque activum neceſſariò & liberè; cur enim neceſſitas opponetur uni libertati non alteri: Antecedens conſtat, hæc enim eſt diſtinctio Dei & creaturæ. Dici tamen poſſet hæc convincere, quia neceſſarium & liberum in eſſendo debent etiam realiter diſtingui, idque propriè, tanquam res à re; alia autem non: adeoque manifeſtum eſt, inter hæc non eſſe paritatem. Reſpondeo primò, diſparitas non tollit omnem paritatem, ſed aliquam; ita non obſtante allata manet ſimilitudo horum quoad diſtinctionem, etiamſi non maneat æqualitas; utique enim illa magis diſtinguuntur. Reſpondeo ſecundò, ſi penitus res penetretur, apparebit etiam hic æqualitas aliqua, & ita quodammodo plena proportio; nam ſi accipiantur illa, ſupra quæ cadit neceſſitas & libertas in actu ſecundo, omninò diſtingui debent etiam realiter, ſuntque actus ſecundi ſeu actiones harum potentiarum, ſcilicet cognitio & amor: dico has ex ſuis terminis realiter diſtingui ob neceſſitatem ſuam & libertatem, quæ in his eſt actualis, ſicut eſt in Deo & creatura, in his enim cadit neceſſitas etiam ſupra exiſtentiam, quæ eſt actus ſecundus, &, ſi ſimiliter accipiantur alia illa in actu ſecundo, ac non tantùm in actu primo, ſive ut ſunt activa, diſtinguentur certiſſimè realiter.

3. Alia inſtantia in hujuſmodi paſſionibus ſunt potentiæ animæ vegetativæ; dico enim has diſtingui formaliter aut ex natura rei ut loquimur; accipio enim duas ex ipſis, quæ ſint nutritiva & generativa, quas probo diſtingui: quia una eſt activa immanenter, altera tranſeunter; Iterum, una habet immediatè terminum viventem, altera non, ſed inanimatum; ſuppono enim ſemen non animari.

Redeundo

edeundo etiam ad primum, una habet ter-
inum continuum agenti, altera non, ſed ſe-
.ratum. Addidi hæc primò, quia non eſt idem
bere terminum immanentem & habere con-
uum, ſed unitum tantùm ſeu inhærentem,
iod longe aliud eſt, ut patet. Nutritiva autem
bet terminum continuum, quia aggregat
aggenerat materiam præcedenti, generativa
tem non, ſed aliud ſuppoſitum producit: talis
im eſt filius in quem deſinit ultimò genera-
).

4. Idipſum aliter deduco in relativis & nu-
eris: utique enim quædam relationes identi-
:antur realiter ſubjectis, non poſſunt autem
entificari formaliter ſubjectis abſolutis, quia
ad ſe eſſet formaliter *ad aliud*, & vice verſâ,
iod ſine dubio pugnat rationi, & in re eſt
dem abſurditas, aut non multò minor, quòd
ıa relatio identificetur formaliter alteri, ut
ſra ſtatim poſt primum illud, quod ſic oſtendo,
.m creatura quælibet dependet intrinſecè, a-
oque refertur ad Deum, at non relatione
ſtincta realiter tanquam res à re, aut modus
ıam à re, ut egregiè probat ſuo modo Subtilis,
diſt. 1. quæſt. 4. ibi. Ad quæſtionem iſtam igi-
:r dico, quòd relatio ad Deum communis
mni creaturæ eſt idem realiter fundamento,
on tamen idem formaliter, nec præciſe idem,
e non idem identitate adæquata, ita quod
ndamentum ſit tantùm relatio formaliter.
:imum probatur per duas rationes, quia illud,
iod propriè dicitur ineſſe alicui, ſine quo illud
on poteſt eſſe, ſine contradictione eſt idem
i realiter: relatio autem ad Deum proprie
eſt lapidi, & ſine ea non poteſt eſſe lapis abſque
ntradictione, ergo illa relatio eſt eadem rea-
er lapidi. Probatio majoris. quia ſicut contra-
ctio dicta ab aliquibus, eſt via concludendi
ſtinctionem, ita impoſſibilitas recipiendi
ædicationem cōtradictoriorum pertinentium
l eſſe, eſt via concludendi identitatem in eſſe;
hoc, ubi non eſt dependentia eſſentialis, quæ
quirit diſtinctionem manifeſtam: quod de-
ıro ſic: quia impoſſibilitas quod A ſit ſine B,
t eſt propter identitatem B & A, aut eſt pro-
er prioritatem aut ſimultatem naturæ; ergo
B non ſit prius naturaliter quàm A, nec ne-
ſſariò ſimul natura & A non poteſt eſſe abſque
, ſequitur, quòd A ſit idem B: ſi autem ſit aliud
poſterius eo, non eſt veróſimile, quòd non
oſſit eſſe ſine eo naturaliter abſque contra-
ctione, ſed quòd ineſt alicui propriè, ſicut
latio ineſt fundamento, hoc eſt, quòd ita ineſt,
iod ſi eſſet aliud, eſſet poſterius eo naturà,
le neceſt prius natura, nec ſimul cum eo, cui
eſt, ergo ſi neceſſariò requiritur adeſſe, ita
iod illud aliud non poteſt eſſe ſine eo, neceſſa-
ò eſt idem realiter ſibi. Ita eſt in propoſito:
linor eſt manifeſta, quia ſicut incompoſſibile
t, lapidem eſſe ſine Deo, ita incompoſſibile
t, lapidem eſſe ſine dependentia ejus ad Deum,
ım ſi poſſet eſſe ſine dependentia illa, poſſet
le ſine termino illius dependentiæ, non enim
t incompoſſibilitas eſſendi abſque termino,
ſi propter ipſam dependentiam; non eſt autem
iquid non neceſſarium ſimpliciter ratio ſim-
liciter neceſſarii, ergo &c. Atque ita mani-
ſtum eſt, hanc relationem identificari realiter
ındamento, quantumvis abſoluto, ergo. Illud
: numeris eſt ſimile, puta quid relativum, &

fundatur in Euclide lib. 5. Geomet. ubi definit proportionalitatem eſſe ſimilitudinem proportionum, ut ſi dicam ſic: Quemadmodum ſe habent duo ad ſex, ita ſex ad octodecim; certum eſt, hanc habitudinem aut ſimilitudinem ut voles, quæ eſt inter hæc duo paria, non eſſe aliquid realiter diſtinctum ab ipſis; quia nimirum implicat eſſe ſeu exiſtere illa paria, ſeu illos numeros hinc inde, quin exiſtat proportio: atqui certum eſt ex altera parte, quòd non ſit ulli eorum eſſentialis, neque omnibus ſimul; nam ordo ad extrinſecum nulli eſt eſſentialis, niſi fortè ipſi ordini, hoc eſt relationi, abſoluto verò qualis eſt numerus, & quæcunque quantitas, nullo modo; ergo jam erit aliquo modo extra ipſos, atque ita diviſum ſeu diſtinctum ab eâ, non tanquam aliqua quinta res, quum ſit identificatum quatuor numeris, ergo tanquam formalitas ſeu gradus aliquis ex natura rei, & metaphyſicè diſtinctus ab habente, quamvis ſit phyſicè illud ipſum; quæ eſt in terminis concluſio probanda.

5. Denique redeo amplius ad phyſica, & probo aliâ inſtantiâ intentum, eſtque in quantitate, quam ſuo loco oſtendi valde probabiliter non diſtingui realiter à ſubſtantia: &, ut ſit id etiam improbabile, ſufficit hic probationi, quia à pleriſque Adverſariorum admittitur: eo autem poſito iterum habetur intentum, quia nimium hæc diſtinguitur formaliter, atque ex natura rei, hoc eſt, non ſolùm beneficio intellectus ab ipſa ſubſtantia; nam ratio ſubſtantiæ eſt, aut ſubſiſtere, ſive per ſe ſtare, aut ſubſtare accidentibus; horum nihil eſt ratio quantitatis, ſed longè alia, ſcilicet eſſe impenetrabilem, adeoque.

Video reſponderi poſſe, per hæc probari quidem quòd alia ſit ratio formalis ſubſtantiæ, alia quantitatis, non probari tamen, quòd alia ſit ratio ſubſtantiæ corporeæ à quantitate, quia corporeitatem conſiſtere in illa impenetrabilitate, adeoque, &c. Sed in primis, niſi Thomiſtæ ſic intelligant rem, non definit argumentum valere: Ultra quod contra hanc evaſionem peti poſſunt argumenta ex proprio loco in Logica: Hic breviter ſic impugnatur, quia longum, latum, & profundum, ſive, linea, ſuperficies, & corpus non ſunt differentiæ ſubſtantiæ, ſunt differentiæ quantitatis, ergo non eſt eadem eſſentia ſubſtantiæ, & quantitatis, alioquin differentiæ diviſivæ unius eſſent diviſivæ alterius; contra vulgatam regulam anteprædicamentalem *diverſorum generum, &c.*

Simile huic eſt aliud argumentum, ad hos homines Thomiſtas ac Recentes, de aliis duobus prædicamentis, quæ ſine dubio diſtinguuntur ex natura rei, ſecundum ipſos, tamen identificantur realiter, hæc autem ipſiſſima diſtinctio formalis; ſunt autem hæc prædicamenta actio & paſſio, adeoque hic ſaltem fatenda eſt illis hæc diſtinctio.

Reſpondere fortè vellent, iſta ne quidem formaliter diſtingui, eo quod ſint inter eoſdem omnino terminos; atque ita differunt, ſicut acclive & declive, in quibus eadem omnino via teritur, etſi diverſo modo utrobique. Audio, & ex conceſſis arguo ad negata, non enim ago ego de via, ſed de itinere, quod dico in acclivi & declivi fieri diverſum, dixitque ipſe reſpondens, nec potuit negare, quum unus ſit aſcenſus,

terum deſcenſus. Deinde verto rationem ɔntra ipſum, nam ad diverſitatem motus foralem & eſſentialem, non eſt opus diverſis rminis, ſed tantum diverſo ordine eorundem; c autem eſt diverſus ordo, ergo. Major eſt probanda, quod ſic præſto: Generatio & corruptio ſine dubio ſunt diverſi motus formaliter, & ſpecificè, & tamen habent eoſdem terminos, ſcilicet non eſſe, & eſſe, adeoque.

ACTIO VI.

Dari diſtinctionem formalem Scoti in Divinis, & pluries quidem.

OStendam per Dei gratiam ſuo loco, qui non eſt præſens, quamvis Metaphyſica fuerit priſcis Theologia; nam hæc res non poteſt expediri niſi per credita; r fidem proceſſionum, & relationum pernalium. Unde niſi erro, intempeſtivè & violenter huc intruduntur diſtinctiones illæ divinæ, & probationes earum, & tamen ab omnibus ferè intruduntur, adeo non ſufficit turba, ne ſequentes hallucinentur. Expectetur ergò Theologica veritas & ſupernaturalis ſuo loco, tanquam ſuprema, quæ cæteris concludet. Interim erit mihi

ACTIO VII.

In qua oſtenditur, Scotus certiſſimè aſſeruiſſe diſtinctionem formalem.

Breviarium.

1. *Aliqui Scoto auferre conantur doctrinam de diſtinctione formali.*
2. *Sed fruſtra, & falsò.*
3. *Quod tamen non ſufficienter evincunt loca à Scotiſtis adducta ex 1. Sent. & Quodlibet. quibus ſubſtituo alia.*
4. *In quo fundetur ſuſpicio oppoſiti de Scoto: Expoſitus ipſe 1. d. 2. q. 2. in quaſt. miſcell. & 1. d. 8. q. 2.*
5. *Ariſtot. idipſum licèt non iiſdem verbis docuit 7. Metaph. item ... de Anim.*
6. *Praterea 11. Metaph. & 13. eiuſdem.*

VIdeor ludere operam, & tem illuſtriſſimam illuſtrare: Quid enim notius, quàm Scotum noſtrum diſtinctionem formalem peperiſſe, & aluiſſe in ſcholis? & tamen non deſunt, qui ım illi auferant, aſſerentes eum verbo fortaſſis viſſe ei, ſententia nequaquam. Ita ex cæteris Chryſoſtom. Iavel. Franc. *b* Suar. Ioan. *c* Salas, heoph. *d* Ray. & alii apud Recup. & ſuis. em *e* Hetter. *f* Mayr. *g* Rubion. Si tamen c inter domeſticos cenſendus. Qui tamen nnes non eodem fine impulſi; primi id egeınt ſui cauſa, ut Scotum apud ſe haberent, *bonum* enim *omnia appetunt*: ſecundi illi, Scoti ıuſa, ut caverent ei ab errore, veluti Iudæi eazaro cibum vetitum clàm adferentes, *i iniqua iſeratione commoti.*

2. At enim fruſtra quicunque quæret obıcere Scoto larvam, qui clariſſimè ſe exɔſuit, & in cæteris ſubobſcurus, in hoc ita ırè loqui videtur, *ut ego*, [ait Iulius Recupis,] *qui plerumque conciliatorem profiteor, pan de hac re inter Scholaſticos cateros & Scotiſtas ınè deſperem.* Id palam fiet, locis ipſius Scoti productis; nam 1. diſt. 2. quæſt. 7. num. 41. expreſsè concludit, inquiens: *Dico quòd ratio, qua formaliter ſuppoſitum eſt incommunicabile, & ratio eſſentia ut eſſentia habet aliquam diſtinctionem pracedentem omnem actum intellectus creati & increati:* Quomodo enim apertius potuit arcere hinc diſtinctionem rationis Thomiſtarum ſive ratiocinantis, ſive ratiocinatæ? & ibid. diſt. 13. quæſt. un. num. 26. *Ad tertium principale dicò, quòd antecedens de diſtinctione principiorum ſolâ ratione, falſum eſt.* Quem locum neſcio cur Iavellus vocet *extra*, ſeu additamentum, quum ab ipſo alibi tanquam textus Scoti citetur. Trita ſunt loca ejus ex 1. diſt. 4. quæſt. 4. Adfero eum ex Quodlib. 19. *Dicendum quòd formalis diſtinctio relationis ab eſſentia ſufficit ad hoc, quod proprietas poſſit dici formalis terminus unionis realis, & non eſſentia; tamen ratio* (illa) *videtur efficax contra ponentes identitatem realem, & formalem eſſentia & proprietatis conſtituentis perſonam.* Conſequenter & ſimiliter ſibi loquitur 3. diſt. & quæſtione 1. num. 17. *Ad aliud, qui diceret perſonam tantum differre ratione ab eſſentia, haberet contra ſe illud argumentum, ſed aliqua diſtinctio poſita eſt natura, & proprietatis, ut patet diſtinctione ſecunda prim.*

3. Et

Digitized by Google

3. Et verò in his noſtri plerumque con-
ieſcunt, imo in parte tantùm eorum, ut ſupra,
æ tamen nec omnia quidem videntur mihi
incere intentum hujus loci ; agimus Meta-
yſicè de diſtinctione formali inter creata, aut
tius inter partes, ſeu gradus ejuſdem com-
ſiti creati, ut meminiſſe eſt ex præcedentibus.
æc autem dictant dari in divinis diſtinctio-
m formalem, quæ neque creata ſunt, nec
illis poteſt trahi ſequela ad creata, quum ibi
mnia ſint ſupernaturalia, adeoque alia men-
ra metienda quàm naturali. Proferam ego
ca ejuſdem Doctoris, in quibus diſtinctio-
m ipſam formalem profeſſus eſt ſe aſſerere
iam in creatis, imo inter partes, aut quaſi
rtes ejuſdem creaturæ, nam in 2. diſt. 16. quæ-
ione 1. *Alia ſunt*, (inquit,) *contenta in aliquo*
itivè, quaſi poſteriora, quia quaſi paſſiones
ntinentes, nec ſunt alia res ab ipſo continente: iſto
odo ens continet multas paſſiones, quæ non ſunt res
ia ab ente, ut probat Ariſtoteles in principio 4. Me-
ph. diſtinguuntur tamen ab invicem formaliter
quidditativè, & etiam ab ente: Et ejuſdem diſt. 3.
æſt. 6. num. 12. *Comparando autem ad illud*
od eſt ſupra ſe, dicò, quòd illa realitas à qua ſumitur
fferentia ſpecifica eſt actualis reſpectu illius realitatis
qua ſumitur genus, vel ratio generis, ita quòd hæc
alitas non eſt formaliter illa. Et denique id
ſum in alia materia docet lib. 11. Metaph.
m. 2. fin. in expoſitione textus, & pro eo-
em ibidem in margine citatur ex 4. diſtinct. 13.
uæſt. 1.

4. Fundamentum oppoſiti in Scoto poteſt
ſe, quod 1. diſt. 2. quæſt. 5 num. 44. poſt
tam ſuam diligentiam & argumenta pro no-
ra concluſione allata, dicit: *Nunquid igitur*
bet concedi aliqua diſtinctio? Reſpondeo, melius eſt
ti iſta negativa, hoc non eſt formaliter idem, quàm,
oc eſt ſic, & ſic diſtinctum. Et ibidem ſtatim
bdit: *Sed nonne ſequitur A & B, non ſunt idem*
rmaliter, ergo ſunt formaliter diſtincta? Reſpondeo,
uòd non oportet ſequi. Mihi autem occurrit locus
agis ſcabroſus ejuſdem ; eſtque in opere
uæſt. Miſcellan. Tom. 2. operum ejus nuperâ
ditione, quæ à nobis ex hoc Collegio prodiit,
i enim quæſt. 2. num. 14. ait: *Circa iſtam*
uæſtionem breviſſimè ſic procedam, primò jam de-
arabo, quòd intellectus & voluntas in Deo non ſunt
aliter idem; ſecundò probabo, quòd nihilominus
on diſtinguantur aliqualiter: quod revera conatur
ræſtare ibidem. Sed reſpondeo in primis, hæc
oca Theologica eſſe, adeoque non cogi nos
nterim ad reſpondendum, quando non aſſe-
imus pro nunc diſtinctionem, niſi in creatis.
Reſpondeo ſecundò etiam hæc ipſa facere
contra Thomiſtas, quia in his Scotus admittit
ttributa non eſſe formaliter eadem; Thomiſtæ
utem volunt ea eſſe formaliter eadem. De-
nde non magni æſtimo quæſtiones illas Mi-
ſcellaneas; deſcriptæ ſunt enim ex codice quo-
dam Vaticano, qui etiam ſcatebat aliorum
aboribus, ut Richard. Alber. Mag. &c. De-
nique dico Doctorem utrobique idem dicere,
ive idipſum in quæſtionibus Miſcellaneis,
quòd in ſcripto Oxonienſi; ſcilicet non ſequi
llationem à *non idem* ad *diſtinctum* ſeu diverſum:
cujus rei rationem accuratè tetigit noſter Wad-
ding. in ſcholio quæſt. 1. præced. ex Lycheto
& aliis innominatis, tamen Scotiſtis, quia ut ipſe
Scotus habet in illo 1. diſt. 8. quæſtione 2. in re-
ſponſione ad primum principale; aliqua non
ſunt idem formaliter, nec tamen diſtinguuntur
formaliter, ut gradus intrinſecus non eſt idem
formaliter cum eo, cujus eſt gradus, nec tamen
ſequitur, ergo diſtinguitur formaliter ab eo,
quia non dicit per ſe formalitatem: itaque
nonidentitas latius patet quàm diſtinctio. Dici
tamen contra hæc poteſt, quòd ipſe Scotus
negat, hanc diſtinctionem eſſe realem; con-
cedit eſſe rationis. *Sed nunquid hæc diſtinctio dicetur*
realis? Reſpondeo non eſt propriè realis actualis,
intelligendo, ſicut communiter dicitur realis actualis
illa, quæ eſt differentia rerum, & in actu ſecundo,
&c. poteſt vocari differentia rationis: Sed enim
hæc nulli imponere debent; propè remedium
habent, ſubitò enim ibi exponit quid ſit illud
rationis, addens, non quòd ratio accipiatur
pro differentia formata ab intellectu, ſed ut
ratio accipitur pro quidditate rei, &c. quo ſenſu
dicimus hanc eſſe rationem formalem hujus,
v. g. quantitatis impenetrabilitatem; hominem
eſſe diverſæ rationis à bruto, &c.

Oſtenditur diſtinctio formalis agnita, & approbata Ariſtoteli.

5. AD hoc autem non ſunt expectandi ab Ariſtotele termini Scotiſtici, puta formalitas, ex natura rei, & ſimilia. Sufficit rem apud eum inveniri, poſtea enim nobis liberum eſt nomina cudere: nam neque Tò tranſubſtantiatio, neque Tò incarnatio, aut communicatio idiomatum in ſcripturis inveniuntur, & tamen negari non poteſt, quin omnia & ſingula hæc ſint de fide, & ex ſcripturis eruantur. Iam adfero Ariſtotelem pro hac diſtinctione, in primis ex 7. Metaph. dicentem, quòd *in iis, quæ ſunt ſine materia, quod quid eſt rei, eſt idem cum eo, cujus eſt*, id eſt cum habente. Ex quo ſequitur, ſecundum ipſum, quod in habentibus materiam, aliud eſt quidditas, aliud eſt habens quidditatem, v. g. aliud eſt humanitas, aliud homo; ſeu habens humanitatem; hoc eſt individuum ſpeciei ab ipſa natura ſpecifica: clarum eſt autem, quòd non ſint aliud realiter, tanquam duæ res, id enim eſſet reſtituere ideas Platonis, quibus nemo æquè infenſus ac Ariſtoteles; erit ergo aliud aliter, utique formaliter, ſeu ex natura rei, nam ſola ratione non poteſt eſſe aliud, quum hæc aleitas oriatur ſecundùm ipſum à materia vel carentia ejus: certum autem ſit, quòd materia neque adſit, neque abſit, per operationem ſolius intellectus, ſed re ipsâ extra, ergo.

Huic loco ſimilis eſt alius ejuſdem 3. de Anim. text. 9. ubi idem Philoſophus docet, quòd *aliud ſit magnitudo, aliud magnitudinis eſſe*, quia nimirum magnitudinis eſſe eſt, ſeu quaſi recipitur in magnitudine, ut hæc ſit habens, illud habitum. Certum eſt autem, magnitudinem eſſe quid realiter ſimplex, & non habere opus diſtinctione reali ſui; quamvis enim quælibet magnitudo conſtet partibus integrantibus, tamen non eſt opus pluribus illis integrantibus ad magnitudinem, ſed quælibet una, quamvis minuta eſt magnitudo.

Digitized by Google

6. Utar jam alio ejuſdem qui habetur
). 11. Metaph. ſum. 4. cap. 1. *Et quod eſt motus mobili palam, actus enim eſt hujus à motivo, motivi actus non alius eſt, quare ſimiliter unus iborum actus. Quemadmodum eadem diſtantia, um ad duo, & duo ad unum, & aſcendentis & de- ndentis, &c.* Quam eandem doctrinam ferè verbum reperit alibi 3. phyſic. 18. ubi docet, tionem & paſſionem eſſe eandem rem, ſed verſos conceptus. *Unus eſt amborum,* (ſcilicet otivi & mobilis) *actus, ſicut enim idem ſpatium unum ad duo, & duo ad unum, & acclive & de- ve; hæc enim unum quidem ſunt, ratio tamen n una eſt.* In quorum utroque notandum eſt, on eſſe dictum à Philoſopho, quòd iter ſit em, ſed quòd via, nam itinera ſurſum & de- ſum etiam realiter diſtincta ſunt, ſed dixit, am eſſe eandem, quod verum eſt etiam realiter quendo; & tamen ſine dubio alia eſt ratio is quando acclivis, & alia quando declivis eſt, que nullo intellectu cogitante, nemo enim :, qui non experiatur ſenſibilem differentiam clivis & declivis, illud enim eſt moleſtum, c facile.

Item 3. Metaph. propius ad phraſim accedens, *Patet,* (inquit,) *quòd etiam de magnitudinibus ſenſibilibus rationes & demonſtrationes ſunt; verum non prout ſenſibiles, ſed ut tales:* ac ſi de hodiernis terminis diceret eſſe de illis ſpecificativè non reduplicativè, realiter non formaliter. Itaque de Ariſtotele in hoc negotio dicere poſſem, quod ipſe hoc loco ait de Mathematicis, ſcilicet falli eos, qui credunt Mathematicos nihil dicere de bono & pulchro: *Dicunt enim, & maximè oſtendunt, nam etſi non nominant, quum tamen opera & rationes oſtendant, nonne dicunt de eis?* Ita inquam ille re ipsâ toties tradit diſtinctionem formalem, pro qua non ſufficit ulla diſtinctio facta per rationem ſeu intellectum; nec tamen *nominat* ipſam, quod non refert, quando interim ejus *opera & rationes* oſtendit, ut puto ex jam dictis ſatis liquere. Si quis autem plura in hanc ſententiam cupit, adeat Maſtr. & Bellut. diſp. 6. Metaph. quæſt. 11. art. 1. ubi Ariſtoteli deſcribendo chartam & calamum extendunt.

ACTIO VIII.

Oſtendit diſtinctionem ex natura rei formalem, à ſanctis Eccleſiæ Patribus traditam eſſe.

Breviarium.

1. *Adductus Anſelm. ex monolog. c. 16.*
2. *Auguſtinus item Tom. 1. opuſc. 5. Et Boëtius, omnes pro diſtinctione formali creaturarum.*
3. *Diſtinctio formalis in Divinis traditur à Baſil. lib. 1. contra Eunom. Item à Sanctis Cyrillo & Hilario.*
4. *Adductus Magiſter ſententiarum, & Aquinas.*

Hic debeo aliqua parentheſi extra circum ferri. Ipſe enim ſtatui in hoc loco non niſi in creatis ſubjectis, & ſimilibus argumentis aſſerere diſtinctionem formalem: an hæc apud Sanctos invenies, qui toti erant licti Divinis. Itaque illorum ſententiæ ſua-)unt dari eam ut maximè in divinis. Videbo ien ſi poſſint exorari ad ferendum aliquod ragium de diſtinctione formali creatura- n.

Primus ſit S. Anſelmus, qui in Monolog. 6. *Cùm* (inquit,) *aliquis homo,* (puta Cicero, Petrus) *dicatur corpus, & rationalis, & homo; uno modo, vel conſideratione hæc tria dicuntur; ndum aliud enim eſt corpus, & ſecundum aliud onale, & ſingulum horum non eſt totum id, quod homo.* Vides rem ipſam aptiſſima circumutione explicatam, ſanè non poſſet Scotiſta ius exemplum adferre. Iſta enim omnia apud ſelmum ſunt una res, ſed interim ſingula ngulis diverſa. Quippe illud *corpus* non eſt anicum, quod eſt altera pars compoſiti, enim non poteſt prædicari de Petro, aut erone, ſed eſt gradus Metaphyſicus generis,

Auguſtinus Tom. 1. opuſc. 5. qui eſt de Categoriis cap. 10. amplexus videtur eam ſententiam, quæ tres vulgatas ſpecies quantitatis, lineam, ſuperficiem, & corpus partiales tantùm eſſe, & unam totalem arbitratur integrare, interim tamen ſervare conceptuum ſuorum diſtinctionem, hoc eſt, ſecundùm nos, diverſitatem formalem: *Si omiſſâ latitudine ſolam quis longitudinem voluerit emetiri, longitudo ſine latitudine menſuræ ſubjecta, γραμμὴ dicitur, non quòd ſit longitudo aliqua, quæ careat latitudine, ſed quòd ſolam quis metiens longitudinem γραμμὴν metiri dicitur; emenſa verò cum longitudine latitudo ἐπίπεδα.* August.

Boëtius libro de Unit. & uno: *Non uno modo ſed pluribus dicitur aliquid ab unitate unum, Unum enim aliud eſt eſſentia ſimplicitate unum, ut Deus: aliud ſimplicium cognitione unum, ut Angelus & anima, quorum unumquodque eſt unum conjunctione, &c.* Et infra: *Alia dicuntur unum ratione, ſed hic duobus modis, quia ratione conſortii, ut ens, intellectus, & res, & aliquid.* Quid nos niſi id ipſum aliter, ſcilicet diſtingui aliqua ab invicem in Angelo & in anima, quibus fiat, ne illa ſint omnino ſimplicia, ſed compoſita, quamvis non phyſicè, ſed bene formaliter & Metaphyſicè.

5. Iam

Digitized by Google

3. Jam adſcendendo ad divina, quæ propriè
. P. expectanda ſunt, ſane non minori em-
ſi tradunt diverſitatem divinorum attribu-
um, conſiſtentem tamen cum identitate
li, quæ eſt ipſiſſima noſtra diſtinctio formalis.
ſilius lib. 1. contra Eunom. *Si quis ſingula*
ninum pertractabit, multiplices atque varias ra-
es inveniet, quamvis unum ſecundùm ſubſtantiam
nibus ſubjiciatur. Damaſc. de fide Orthod.
. 1. cap. 4. *Quæcunque autem de Deo per affirma-*
nem dicuntur, non ipſius naturam, ſed quæ circa
us naturam ſunt, oſtendunt. Audis naturam,
alia, quæ non intra, ſed circa naturam ſunt,
æ nos in ſcholis vocamus attributa, quaſi
alificantia ſubjectum; atque ita apud Da-
ſcenum dantur in Deo aliqua, quorum
um aliquo modo non eſt aliud, idque ſine
bio abſque ulla fictione, adeoque. a Augu-
nus apud b Scotum (nam in ipſo opere Au-
ſtini non invenio ſententiam,) ait: *Non eo*
ter quo Deus, ſicut nec eo Verbum quo Sapientia.
lia tamen habet, quæ in textu Sancti viſa,
on æquè urgent. Urgent tamen, quæ ex Cy-
lo & Hilario citantur. Prior. libro 9. de
lorat. *Nihil in eo adventitium, & externum, tamet-*
divinis attributis quodammodo haud ſimplex in-
lligatur. Sanè enim ego non fuiſſem auſus
ntum dicere, & Scotiſtæ ſemper laborârunt
defendenda ſimplicitate Dei cum ſua diſtin-
tione. Hilarius etiam libr. 8. de Trinit. quaſi
adem phraſi ait: *Non voluntatem Dei, ſed pote-*
atem efficere credituram: Et apertiſſimè Baſilius
itatus libello primo contra Eunomium plus
uàm ullus Scotiſta audet, & ait: *Quonam pacto*
on deridendus, ſi creandi virtutem ſubſtantiam eſſe
icat, ſi providentiam rurſus ſubſtantiam, eodem
odo præſcientiam, & omnem itidem operationem
ibſtantiam putet? & tamen Adverſarii noſtri
identos, & radendos nos putant, qui minus
udemus.

4. Magiſter ſententiarum lib. 1. diſt. 3.
t. M. & O. *Hic attendendum eſt diligenter, quo*
nſu accipiendum ſit, quod ſupra dixit, illa tria
ilicet, memoriam, intelligentiam, & voluntatem
ſe unum, unam mentem, unam eſſentiam, quod
tique non videtur eſſe verum juxta proprietatem
rmonis. Mens enim, id eſt ſpiritus rationalis, eſſentia
ſt ſpiritualis & incorporea: Illa verò tria naturales
roprietates ſeu vires ipſius ſunt mentis, & à ſe in-
icem differunt, quia memoria non eſt intelligentia
el voluntas, nec intelligentia voluntas ſive amor.
Vides verbatim doctrinam Scoti non ſolùm
Magiſtri eſſe, ſed Patrum, quorum ſunt ſententiæ omnes apud Lombardum; ipſe autem congeſtor earum tantùm, ut maximè interpretem agit. Unde infra in O, reſpondens ex Auguſtino ad quæſtionem, quam ex ipſo movit, ait: *Ideo ſcilicet, quia in ipſa anima vel mente ſubſtantialiter exiſtunt, non ſicut accidentia in ſubjectis, quæ poſſunt adeſſe, & abeſſe*, ac ſi diceret, noſtra ſcholarum phraſi, quia diſtinguuntur realiter.

Thom. Aquin. Claudat hoc agmen P. P. Aquinas, qui quum putetur ſignum ſuſtuliſſe iis, qui diſtinctionem hujuſmodi planè negant, & impugnant, tamen non uſque adeo averſatus eſt illam, quin calculum ſuum aliquando ei contulerit: nam in 1. ſentent. diſtinct. 26. quæſt. 2. ſtatuit univerſaliter, quòd *omnis diviſio vel diſtinctio eſt per quantitatem, vel per formam*: ubi diſtinctionem à quantitate faciendam, ſine dubio intelligit realem, quum quantitas ſit principium etiam diviſionis realis, adeoque diſtinctionem per formam, intelligit formalem, quam nos ponimus, ſicut Sanctus ponit diverſam à reali, quæ proinde ſine ipſa invenitur. Deinde idem eodem 1. diſtinctione 65. quæſtione 1. ferè ſtatuit idem principium, quod nos ad veſtigandam diſtinctionem formalem, ſcilicet verificationem contradictoriarum: *Ubicunque* (ait,) *eſt aliqua diſtinctio, ibi eſt oppoſitio contradictoria.* Iam ad ſummam ejus aſcendendo idem S. 1. p. quæſt. 40. articulo ſecundo docet, quòd *perſonæ divinæ conſtituuntur & diſtinguuntur per origines, ſed primò & principalius per relationem*, quæ loquutio eſt pluſquam Scotiſtica, nam neque nos ponimus plenam diſtinctionem formalem inter origines & relationes, quum coincidant aliquando in eodem ſubjecto: Sanctus autem, licèt ſciverit ea identificari realiter, tamen adhuc vult ea diſtingui ex ſe, ſive ex natura rei, quod apud nos eſt ſynonymum diſtinctioni formali. Ibidem etiam addit, quòd *relatio ut relatio non conſtituit nec diſtinguit perſonas divinas, ſed ut divina*, adeoque aliud eſt eſſe relationis, in ipſis, & aliud eſſe divini; non realiter materialiter, aut quantitativè, qui ſunt termini Thomiſtici, ergo formaliter & naturaliter qui ſunt Scotiſtici.

* * *

ACTIO IX.

Digitized by Google

ACTIO IX.

Objiciuntur & rejiciuntur fundamenta Adverſariorum contra diſtinctionem formalem abſolutè, & in genere ſumptam.

Breviarium.

1. *Ratio Cajetani, non rectè à noſtris ſoluta, diluitur.*
2. *Alia propria, quia diſtincta referuntur ad ſe, adeoque diſtinguuntur realiter.*
3. *Tertia: An contradictio ſufficienter inferat diſtinctionem formalem?*
4. *Alia fundamenta diſtinctionis formalis inſinuantur, ut multitudo conceptuum in eodem.*

QUomodo me geſſi in probationibus hujus diſtinctionis, ut eas tantùm adferrem, quæ naturali ratione niterentur; ita hic objiciam tantùm metaphyſica argumenta ſecus ac alii, quorum chartæ turgent Theologicis, ex materia divinorum attributorum, relationum, &c. intempeſtivè planè deſumptis & anticipatè. Mihi non auferentur illa, ſed differentur; interim opportuna promam, nec omnia tamen, nam trita illa Thomiſtarum jam dudum à noſtris diſſoluta omittam, niſi quid egeat meliori ſolutione, ut hoc quod

Objecit aliquando Cajetanus: Diſtinctio hæc formalis Scoti eſt plus quam realis, non ergo negari debet eſſe realis. Aſſumptum ſic ſuadet: quia nimirum illa eſt major diſtinctio, quæ fit per intimiora rei, quàm illa, quæ fit per minus intima; ſed diſtinctio formalis fit per magis intima quàm ipſa diſtinctio realis, ergo. Ratio majoris, quia diſtinctio per differentias eſſentiales major eſt diſtinctione per differentias accidentales & extrinſecas. Probat autem minorem, quia diſtinctio formalis eſt per prædicata eſſentialia, quæ ſunt magis intima rebus, quum conveniant in primo modo dicendi per ſe quàm realia, quæ conveniunt ratione entitatis cum qua identificantur plures formalitates. Urgeri poſſet argumentum ad hominem, quia apud Scotum major diſtinctio ſemper infert minorem: unde diſtinctio ſe totis objectivè infert omnes, ut videas apud formaliſtas: quum ergo diſtinctio formalis ſit major reali, jam inferret illam, & ita nulla diſtinguentur formaliter, quæ non etiam diſtinguentur realiter, quod eſt directè contra mentem Scoti; is enim intendit, hanc diſtinctionem eſſe mediam inter realem & rationis, & intercedere inter ea, quæ realiter identificantur, ut patet ex hactenus dictis, & multò magis ex dicendis ſuo loco de Deo, propter quem Scotus videtur excogitaſſe hanc diſtinctionem, ut ſalvaret contradictionem, quæ videtur in illo verificari de eſſentia & relationibus, ergo. Hoc argumentum noſtri facilius contemnunt quàm ſolvunt: Reſpondent olim formaliſtæ, (ut videas apud Maſtr. qui eandem cantilenam cantat,) negando antecedens, & rurſus antecedens probationis eius: quia (inquiunt,) cauſa, cur una diſtinctio ſit maior alia, non debet attendi ex eo quod ſit magis vel minus intima, aliàs diſtinctio ſpecifica eſſet maior generica, eo quod illa fiat per differentias eſſentiales magis proprias; ergo (inquit,) illa diſtinctio abſolute eſt maior, quæ non infert aliam, ſeu quæ eſt compoſſibilis cum identitate oppoſita. At enim non evadunt per hæc illi, & involvuntur ſuis ipſorum principiis hic plus ſemel: unde concedenda ſunt illis omnia ferè quæ negant; primò diſtinctionem formalem eſſe maiorem reali, quia eſt formalis, illa autem materialis: ſecundò differentias ſpecificas eſſe magis intimas aut eſſentiales conſtituto quàm genericas: & denique magnitudinem diſtinctionis conſiſtere in inferendo aliam, non enim illatio facit diſtinctionem, ſed diſtinctio facit illationem. Ipſe olim reſpondi huic, diſtinctionem formalem eſſe maiorem, & inferre realem, &c. quando completa eſt, ut in diverſis ſpeciebus, v.g. homine & bruto, non item quando incompleta ut hic, quia eſt tantùm inter formalitates: Et ſimiliter ad confirmationem dixi diſtinctionem maiorem completam inferre minorem, hic autem eſſe incompletam, adeoque non inferre. Aliter iterum reſpondeo, diſtinctionem formalem eſſe quidem maiorem reali, non tamen eſſe ipſam, ſed aliam: nec inferre eam, quia quod dicitur maior diſtinctio inferre minorem, accipiendum eſt cum proportione, & intra eandem lineam, ut maior materialis inferat minorem materialem, maior formalis minorem formalem, &c. non verò è converſo aut tranſverſim, quo modo vellent Adverſarii, adeoque.

2. Obiicio ſecundò ipſe implicare hanc diſtinctionem formalem, quomodo expoſita eſt, ſcilicet inter duos gradus eiuſdem rei, nam diſtinctio eſt quædam oppoſitio, & quidem relativa, at verò oppoſitio relativa non poteſt eſſe eiuſdem ad ſe, ſed negatio debet eſſe alius ad alterum realiter. ergo implicat dicere diſtinctionem quæ realis. (ac non tantùm rationis) ſit, & ſit eiuſdem ad ſe realiter. Maior pro utraque parte patet, nam

n iſta, oppoſitum, diverſum, diſtinctum, & ilia, quaſi ſynonyma ſunt; & certum eſt op-ſitum ac oppoſitionem eſſe ad aliud. Minor im eſt ita evidens, ut in Divinis ubi eſt ſumma tas, tamen quando obviat relationis oppoſi-, ſtatim intercedat diſtinctio, & quidni rea-in rigore: hinc enim Pater diſtinguitur à fi-, & Spiritus Sanctus ab utroque ut notum eſt.

Unde argumentum aliter accommodari eſt ad præſens ſic: ſi ejuſdem ad ſe realiter ſet eſſe relatio, non foret neceſſe Patrem & um in Divinis diſtingui, quùm ergo neceſſe rit hos diſtingui, ſequitur non poſſe idem re-i realiter ad ſe ipſum: apud nos autem diſtin-) formalis eſt realis, & tam longè recedit à di-ctione rationis quam alia.

Dici poteſt in primis identitatem realem, ſimiliter relationem; & tamen intercedere em hinc inde: nam idem eſt ſibi idem, non o ſequitur ſtatim ex conceptu relationis alei-

Reſpondeo conſequens hoc neceſſario eſſe um, quum relatio, aut relativum potius ſit ntialiter ad alterum: propter quod non po-ratio urgere, quia identitas non poteſt eſſe tio, quùm idem ſit ad ſe; relatio autem ad id. Ad ſummum poterit eſſe relatio rationis, er alias chymæras; at vero hæc diſtinctio for-lis non eſt rationis de mente Scoti & noſtrâ,)quin incidimus in id quod fugimus, in Phi-ophiam Thomiſtarum.

Hoc argumentum habet ſpecialem diffi-tatem in Divinis, juvat enim ad probandam aternitatem, imo multiplicitatem ſubſtantia-n in Divinis, & ſingula attributa eſſe extra ſe icem realiter, ſed hæc pars alio pergit. Ad ſens dicendum videtur hic non eſſe relatio-m, ſcilicet inter duos gradus Metaphyſicos imal & rationale ejuſdem, adeoque nec oppo-onem relativam, quia juxta regulam Scoti, andocunq; fundamentum non poteſt eſſe ſine mino, non refertur ad illud relatione ſuper-ditâ: certum eſt autem quod animal meum n poteſt eſſe ſine meo rationali, quum identi-entur realiter, ſed enim non poſſum in hoc nquieſcere; nam hoc non facit ne detur rela-, (adeoque nec faciet ne detur oppoſitio) ſed ntum efficiet ne detur relatio diſtincta: at im tum ſolutum eſt argumentum utcunque: tam enim dari oppoſitionem, ſed non oppoſi-nem diſtinctam, aut diſtinguentem: quia licet ad hanc opus eſſet ut relatio ipſa, ex qua itur (in propoſito noſtro) diſtinctio, eſſet rea-er ſuperaddita extremis. Sufficerent ſane hæc ſi ſupereſſet ſecunda hæc inſtantia, nam in Di-nis relationes originis faciunt oppoſitionem diſtinctionem realem extremorum: quum ta-en ipſæ identificentur ſubjectis, puta perſonis, m paternitas eſt eadem realiter Patri, & Filia-Filio, &c. At enim ni fallor hoc facile evadi teſt propter diſparitatem, quia Divinæ perſo-non ſolum referuntur relationibus, ſed con-ituuntur: ſecus aliæ: unde in forma reſpon-ri poteſt: oppoſitio relativa, inter perſonas cit earum diſtinctionem realem, quamvis ipſæ lationes identificentur ſubjectis, ergo etiam re-tio diſtinctionis licet identificetur ſubjectis, fa-et earum diſtinctionem, negando conſequen-am conceſſo antecedenti, eo quod ibi relatio ſit onſtitutiva, hic autem non, ſed merè relativa.

3. Objiciam jam directè contra fundamen-ta ipſa noſtræ diſtinctionis ſive vocetur formalis, ſive ex natura rei: nam potiſſimum cenſetur ve-rificatio contradictoriarum, (licet ego non al-legaverim eam probationem, eo quod trita ſit, & omnibus vulgata,) hæc enim cum in uno con-tingere non poſſit, videtur ſubito inferre plura-litatem: ſubſumo; atqui non eſt ita; neque nos ipſi audemus hoc prætendere, ergo. Secun-dam partem ſubſumpti oſtendo ad hominem: Definitio & definitum verificant contradictoria; neque tamen diſtinguuntur apud nos formaliter, ergo non ſufficit verificatio, &c. patet antece-dens; quia unum ſcilicet primum, eſt conſtitu-tivum, alterum non ſed conſtitutum: ſecundum hoc ſic prolatum eſt ſimplex, alterum eſt com-poſitum; v.g. homo, &, animal rationale: de quibus hoc ipſum eſt quædam contradictio quod unum ſit definiens, alterum non, ſed defini-tum, & vice verſâ. Urgeo Scotiſticè, quia quæ in primo modo dicendi competunt alicui, non di-ſtinguuntur formaliter ab eo; atqui ſine dubio definitio in primo modo dicendi competit defi-nito, adeoque non diſtinguitur formaliter ab eo. Urgeo ſecundò ex definitione ipſius identi-tatis formalis apud Scotum ſupra ex 1. d. 2. q. 7. *Voco autem identitatem formalem, ubi illud quod di-citur ſic idem, includit illud cui dicitur ſic idem in ſuo con-ceptu formali*: qui locus quia Grammaticè eſt an-ceps, neque ſcitur, quid includat, & quid in-cludatur, eo quod non ſciatur certo nominati-vus & accuſativus, facit ut dubitetur num ſupe-rius ſit idem inferiori, an è contra. Atqui quid-quid ſit, de utroque verificantur contradictoria, nam animal eſt pars hominis, homo non eſt pars hominis: ita quocunque te vertas contradictio verificatur de eodem etiam apud Scotiſtas.

Hoc tamen argumentum ſi benè penetre-tur non aliud facit, quam præbere nobis occaſio-nem ampliùs explicandi contradictionem, & diſtinctionem formalem correſpondentem ei, non enim eſt quæcunque, ſed naturalis, & obje-ctiva; contradictio autem artificalis ſive in in-ſtitutione fundata non ſufficit: unde etſi dicam; homo eſt ſpecies, animal non ſed genus, non proinde rectè inferam ea diſtingui, quia ratio-nes generis & ſpeciei ſunt artefactæ, ita hic, eſſe definitum & definiens eſt quid quaſi artificiale, adeoque non diſtinguitur homo ab animal ra-tionale: at vero eſſe principium ſentiendi: vel non eſſe, eſt quid naturale, unde diſtinguitur formaliter animal à rationali. Ad illud de ſupe-riori & inferiori, v. g de animali & homine, ſu-pra dixi inter hæc dari utramque diſtinctionem formalem etſi non adæquatam.

4. Objicio adhuc contra ſolutionem pri-mi, & alterum principium unde colligimus hu-juſmodi diſtinctionem, eſtque multitudo con-ceptuum in eodem realiter, v. g. principium ſentiendi, & principium ratiocinandi; hæc enim non ſufficere, videtur ad oculum oſtendi; Ecce quomodo ens habet ſuas paſſiones, unita-tem, veritatem & bonitatem, & ſi quæ aliæ ſint ab ipſo emanantes: De his quæro utrum ſint formaliter idem, an formaliter diverſa? quid-quid dicetur, ruet diſtinctio formalis: ſi enim dixeris ea eſſe formaliter idem, jam aliqua con-ceptibilia diverſis conceptibus ſunt unum, & ita non ſufficit diverſus conceptus, aut diverſæ de-finitio-

Digitized by Google

itiones ad inferendam diſtinctionem formale que enim illa habent diverſos conceptus defi- ivos, ſi autem dixeris ea eſſe formaliter diver- tum quæretur utrum ens ſecundum eandem malitatem ſit principium horum? an ſecun- m diverſam? ſi ſecundum eandem, jam eſſe incipium diverſorum, non facit diverſum for- liter, & ita hoc fundamentum ruit, ſic enim incipium ſentiendi, & principium ratiocinan- poterunt eſſe idem formaliter. Quod autem cundum diverſum, dici non poteſt, quia ens ium ſit primus conceptus eſt ſimpli cisſimus, & eſolubilis in plures, ut omittam quod quamvis let compoſitum, tamen hic denique deveni- idum eſſet ad aliquod ſimplex, alias ibimus in finitum, ergo. Hoc aliquid vitæ habet, & lvendum eſt dicendo in primis quod veritas & onitas ſint formaliter diſtincta; tum autem uando quæritur, utrum ens ſecundum eandem itionem ſit principium horum, an ſecundum iverſam? reſpondendum eſt quod ſecundum andem: & quum deinde arguitur, ergo idem ua tale poteſt eſſe cauſa diverſorum, diſtinguen- um eſt de diverſis actibus, & de diverſis princi- iis, ſive de actibus ſecundis & primis: paſſiones :rum ſunt actus primi, actiones autem, ſecundi; la poſſunt provenire ab eodem, hæc non.

At enim fateor ipſe difficultatem per hæc on eſſe exhauſtam, ſed magis confirmatam, & uctam; quùm enim in plus ſint actus primi uam ſecundi, hi potius exigent diſtinctionem principiis ſuis quam iſti. Itaque vera horum atio & diſparitas pro nunc eſt, quod paſſiones actus primi identificantur ſubjectis, & ita ubjecta non habent veram rationem principii eſpectu eorum; at vero actus ſecundi ſeu actio- es, v. g. viſio, auditio, &c. verè Phyſice fficiuntur à principiis ſuis adeoque exigent ac- ommodari ſibi ea, & diſtinctorum eſſe diſtin- ta. Itaque quum dicitur hic contingere quod dem, ſecundum quod idem, cauſat, aut princi- iat diverſa, negetur.

Habeo tamen contra hoc aliquot inſtan- ias, quarum ultima eſt omnium validiſſima: rima ſit, quod anima ſecundum eſſentiam, & ion ſolum ſecundum potentias operatur in om- ii actione animalis, v. g. in videndo, audien- do, &c. eſſentia autem animæ una eſt, quidquid de potentiis ſit, adeoque aliquid unum cauſat di- verſa: ſed huic ſtatim ſatisfacio; id enim facit anima tunc ut cauſa quædam univerſalis, & com- munis: nobis autem intentum eſt & ſufficit quod cauſæ particulares diverſorum ſunt formaliter aut eſſentialiter diſtinctæ.

Secunda, quod voluntas ſit cauſa etiam particularis volitionis & nolitionis, ſed reſpon- deo hic ambo illa convenire in illo modo agendi, qui diverſificat potentias ſpirituales, ſcilicet in liberè agendo, per quod diſtinguitur voluntas ab intellectu.

Tertia quæ directe facit contra ſolutionem datam eſt, quod aqua ſit cauſa frigoris ac humidi- tatis, idque ſecundum ipſam eſſentiam: nam relicta ſolâ eſſentiâ reducit ſe ad frigus: idem ſine dubio erit de igne reſpectu caloris & ſic- citatis quæ quum ſint realiter diſtincta ab his elementis, arguunt infallibiliter aliquid unum poſſe eſſe principium diverſorum effectuum in ſpecie, etiam realiter diſtinctorum. Ad hoc ſa- ne non ſubit aliud dicere niſi calorem & frigus hic eſſe actus etiam primos, & principia alio- rum, ſcilicet calefactionis, & frigefactionis quæ ſunt actus ſecundi, adeoque hoc ipſum laborare eodem vitio quo argumentum princi- pale: ut omittam quod nondum probatum ſit ſed ſuppoſitum arguenti, quod aqua reducit ſe ad humiditatem, nam aut humiditas non po- teſt auferri aquæ: aut ſi poteſt, ſane non vide- tur ipſa per ſe illam recuperare.

Video tamen adhuc ſupereſſe unum obi- cem, eſtque de actione frigefactiva & actione humefactivâ ſui in aquâ; nam iſta ſaltem ſunt actus ſecundi. Propter hoc fortaſſis fidendum eſt magis ſecundæ ſolutioni ex duabus proximè datis quam primæ. Deinde dico adhuc non eſ- ſe allatam paritatem, nam actus propter quos nos multiplicamus principia formaliter, non ſunt ſolum relationes actionum ſed veri actus & qualitates abſolutæ, puta viſio, auditio, &c. ſit

(*,*)

ACTIO X.

Proferuntur propriæ rationes contra diſtinctionem formalem graduum Metaphyſicorum ejuſdem ſubjecti ab invi- vicem, atque ab ipſo ſubjecto?

Breviarium.

1. *Prima ratio Recent. quod ſic nihil eſſet certo ſpi- rituale; vel &c. rejicitur.*
2. *Alia alterius; hoc non eſſe illud ante intellectum eſt diſtingui realiter, adeoque.*
3. *Tertia ſunt inſtantia aliquot v. g. paſſiones entis, &c.*
4. *Quarta eſt alia inſtantia ſuperioris & inferioris quæ non poſſunt præſcindi.*

1. Quidam

1. QUidam putavit ſe ſubito expugnaſſe arcem hanc diſtinctionis formalis inter gradus ſuperiorem & inferiorem iſto argumento. Si ratio ſuperioris ex ſe indifferens eſt, ut hac vel illâ in ſpecie differentiâ determinetur, ſequitur quod ratio entis & ſubſtantiæ quæ reperitur in angelo & in anima rationali poteſt eſſe de ſe in lapide, adeoque, neque angelus neque anima ſunt ſpirituales, quia nihil ſpirituale poteſt reperiri in lapide; ſed in eo poteſt reperiri eadem numero ratio ſubſtantiæ quæ eſt in angelo, ergo hæc non eſt ſpiritualis, adeoque nec angelus, ſimile eſt de Deo in quo concedi debet aliqua ratio ſubſtantiæ, entis, &c. quæ de ſe indifferens eſt ut ſit in creaturâ, & vice verſa, ergo, ſed enim hic properavit nimis ad inferendam concluſionem, & tota diligentia ejus hic eſt impertinens, pertinens autem ad materiam ſupra Apol. 4. Act. 3. tractatam; non enim ſequitur poſſe aliquid angeli eſſe in lapide ex eo quod diſtinguuntur à ſe invicem formalitates aliquæ in angelo, ſed ex eo quod formalitates aut gradus ſuperiores in illo ſint communes. Itaque hæc ratio facit contra unitatem formalem, non autem contra diſtinctionem formalem: de quid in re dicendum ſit ad ipſam, ſupra in loco expoſui; hic pergo &

Objicio ſecundò ex aliis: eo ipſo quo duæ formalitates ante omnem operationem intellectus diſtinguuntur, datur hæc formalitas, quæ nō eſt illa, & illa quæ non eſt hæc, ergo diſtinguuntur eadem diſtinctione qua diſtinguuntur de facto materia & forma, ergo realiter; quæ conſequentia probatur, quia materiam diſtingui realiter à forma, nihil aliud eſt quam materiam non eſſe formam, neque è contra; ſed idem haberent illæ formalitates, ergo eadem diſtinctione diſtinguuntur, & ſi dicas diſtingui realiter involvere quod ſic diſtincta non eſſent idem realiter, id autem non competere formalitatibus quæ ſolum haberent non eſſe idem formaliter: inſtat ille repetendo argumentum, quia non eſſe idem realiter eſt non eſſe idem ante intellectus operationem: vidit ipſe reſpondendum quod formalitates non ſint materia, quia materia & forma ſunt ſeparabilia ab invicem, quomodo non ſunt illæ formalitates; non ergo idem eſt diſtingui realiter, aut non eſſe realiter idem ac diſtingui, vel non eſſe idem ante intellectum, ſed præterea poſſe ſeparari, &c. Unde contra hoc ſe armavit, & arguit ſic: ſeparatio unius ab ab alio non conſtituit diſtinctionem realem aliquorum, ſed ſupponit; & ideo hoc ab illo poteſt ſeparari, quia diſtinguitur ab eo, non è contra; unde dicendum non eſt hoc diſtingui, quia poteſt ſeparari, ſed potius inferendum eſt; diſtinguitur realiter ergo poteſt ſeparari.

Dicent forte noſtri, non ideo aliquid poſſe ſeparari, dependere, aut produci, &c. quia diſtinguitur realiter, ſed quia diſtinguitur realiter ante intellectus operationem: ſed inſtat ille, & objicit hoc eſſe petitionem principii, & ſemper rediri in idem; non enim explicavimus niſi idem per ſe; aut certe per ſeparationem quæ jam impugnata eſt, ne ſit cauſa quaſi efficiens diſtinctionis; ſi ita dicatur eſſe cauſa formalis; contra eſt quod hoc ſit ludere in verbis, & denique dicere aliqua ideo ſeparari poſſe, quia ſeparari poſſunt, aut quia ſunt ſeparabilia. Hoc tamen argumentum non eget aliâ ſolutione niſi ut oſtendatur ratio propria diſtinctionis realis ſine circulo in viâ Scoti quod facile fiet ex dictis ſupra hac Apologia Act. 4. diſtinguuntur enim realiter illa quæ ſunt duæ res; ſunt autem duæ res aut plures quæ habent plures exiſtentias, & hic eſt ſtandum ne in anteriora aut priora feramur; Regredi autem poſſumus ſive ad poſteriora ire, hoc eſt ad ſigna unde colligamus aliqua eſſe duo, aut habere plures exiſtentias: ſignum enim hujus eſt ſeparabilitas, productio mutua inter ipſa, vel etiam pluralitas productionum, etiamſi non ſit inter ipſas ſeu ab ipſis immediatè.

3. Objicio tertiò diſcurrendo per omnia capita quæ cenſentur eſſe capacia diſtinctionis formalis, puta ſubjectum & paſſiones, genera & differentias, ac denique naturam & ſingularitatem: in primo enim genere inſtantia contra nos eſt ſtatim de paſſionibus ipſius entis: Bonitas enim non poteſt diſtingui à veritate, nec veritas à bonitate, aut denique unitas ab ullo horum, vel etiam ab ipſo ente: nam ſi poſſit fieri, fiat; accipio ergo unam ex his ſeorſim ab aliâ, puta bonitatem ut diſtinctam formaliter à veritate, & quæro utrum ſit intelligibilis? (hæc enim eſt rerum veritas ut ſupra ſuo loco) ſi non, ergo nos non poſſumus ſcire illam eſſe diſtinctam formaliter, aut non eſſe diſtinctam, & ita erramus id aſſerendo, ratio, quia nimirum illa ſic ſumpta eſt intelligibilis; ſi autem ſit, jam etiam ſic eſt vera, atque ita nunquam poteſt ſic præſcindi quin ſemper interim ſit vera, quod eſt aliis terminis dicere veritatem non eſſe formaliter, aut ullatenus realiter ſive ex naturâ rei diſtinctam ab ente. Idem argumentum redit de bonitate, atque etiam de unitate reſpectu entis ac paſſionum ejus: abſtrahe enim ut voles Ens à paſſionibus, ſemper erit unum; ſi enim id neges, dabis idipſum eſſe, quod adhuc pejus eſt, nam multa ſunt ſæpe unum, aut certè in ſe nihil, quod eſt dicere ipſam entitatem entis eſſe ejus unitatem, adeoque nullatenus poſſe intelligi abſque ea, ut nec ens ſine entitate. Antequam pergam ad alia ſolvam iſtud, aut ſaltem indicabo eſſe ſolutum: videor enim mihi ſupra hæc omnia tetigiſſe: dixi Bonum eſſe verum, quantumcunque præſcindatur per intellectum, quia intellectus circa illud verſatur prout revera eſt in ſe, quomodo nunquam ſeparatur à veritate, &c. quæ peti poſſunt exinde.

Altera inſtantia contra hæc eſt de ſuperiori & inferiori, aut rectius de contracto & contrahente quæ non videntur poſſe præſcindere ab invicem; quantumcunque enim abſtrahas rationem entis à ſubſtantia, nunquam efficies ne ſubſtantia ipſa ſit apta nata exiſtere, hoc autem eſt eſſe ens. Deinde accipiamus inferiora contractiva, v. g. vivens ſenſitivum, neceſſario erit genus quoddam vitæ, non tanquam contracti ſed tanquam incluſi, quia & ipſa ſenſatio propriè eſt quædam vita, & ſentire eſt vivere, quale etiam eſt ratiocinari, diſcurrere, atque etiam ridere, aut ſi quæ alia ad animam rationalem ſpectant ut admirari, &c. hæc enim omnia ſunt motus ab intrinſeco, ſunt actus immanentes, adeoque exercitium vitæ. Ergo, nolo tamen immorari in his propo-

proponendis quæ jam dudum ſolvi tom. 1. tangunt enim difficultatem illam Logicam: Utrum differentiæ includant genus quod contrahunt, quam ego ibi Apol..... Act.. expedivi; &, ſi quid ſuperfuit, addidi hoc tomo Apol. 2. Act. 7. de incluſione aut excluſione entis ab ultimis differentiis tam ſpecificis quam numericis. Omittam ergo objectiones contra Action. illam 7. ſupra & in hac ipsâ Apologiâ, quia jam ſupra contra differētias numericas poſitæ ſunt. Omitto etiam illas in quas alii Scotiſtæ hic paſſim ſe effundant de inconvenientibus hujus diſtinctionis formalis in Divinis ſive attributis, ſive Relationibus, plane enim externa huic loco ſunt; & deinde cogerent nos ſuo loco eas omittere, in quo neceſſario ſunt ponendæ.

Non deſinam tamen mirari objectum eſſe nobis hic, quod ex diſtinctione formali ſequatur propoſitiones dogmaticas & receptiſſimas falſificari, iſtam ſcilicet & ſimiles: *Animal eſt rationale: vivens eſt ſenſibile, homo eſt animal, &c.* ſimilia cur putas? niſi quia in his prædicata & ſubjecta diſtinguuntur formaliter; at vero formalis diſtinctio apud nos eſt realis: ita alius, quaſi vero nulla prædicatio eſſet vera, in qua prædicatum diſtinguitur realiter à ſubjecto; ut omittam quod apud nos formalis non ſit realis quomodo ille imaginatur: ſed ſit talis, nonne prædicationes omnes quinti prædicabilis tales ſunt? v.g. hæc, paries eſt albus, linea eſt recta? *Ariaga.*

At (inquiunt) in his deeſt ſubjectum commune: Reſpondeo etiam hoc mirandum, quæri ab ullo ſubjectum commune, non enim opus eſt communi niſi ubi plura inſunt ſimul: at vero in ſingulis propoſitionibus ex his affirmatur tantummodo unum, adeoque non eſt opus ſubjecto communi, ſi autem quærant proprium ſingulorum ſubjectum, dico eſſe id quod in propoſitionibus aſſignatur, ad quod ſive probandum ſive improbandum impertinens eſt diſtinctio formalis noſtra, aut etiam virtualis Recent. de qua libet pauliſper dictare.

ACTIO XI.

Non ſufficere diſtinctionem virtualem Thomiſtarum ad ſalvanda ea, quibus diſtinctio formalis convincitur.

Breviarium.

N. 1. *Diſponuntur principia Thomiſtarum.*

2. *Principia Recentiorum.*

3. *Oſtenditur diſtinctio Thomiſtica non ſufficere loco formalis.*

4. *Arguitur contra hæc, & reſpondetur.*

1. Quæ acies ſtant contra ſcholam ſubtilium, atque hanc eorum doctrinam de diſtinctione formali; una vetus Thomiſtarum, alia Recentium, quorum aliquos in hac parte non falſo dixeris nominales: utrinque convenerunt in abjicienda formali diſtinctione, non tamen convenerunt in ea, quam illi ſubſtituant, ſaltem in ſpecie: nam in genere videntur primo idipſum dicere: ubi enim nos ponimus formalem, volunt illi dari diſtinctionem virtualem: eſt autem virtualis ea quæ inter plures perfectiones ejuſdem rei verſatur, non tamen actualiter; eſt à parte rei ante opus intellectus, ſed fundamentaliter tantum, quatenus eadem res intellectui objecta ob eminentiam ſuam dat ei occaſionem diſtinguendi in illa plures perfectiones per plures conceptus.

Quia verò Thomiſtæ conſtanter renuerunt admittere ullam diſtinctionem à parte rei, quæ non ſit realis, id eſt rei à re, quomodo diſtinguitur quantitas à qualitate, vel una harum ab alia, ideo hanc ſuam virtualem volunt eſſe diſtinctionem rationis, non tamen abſolute ſed reſtrictam: Dividunt enim ipſam diſtinctionem rationis in duas: unam quæ à ſola ratione ſeu intellectu fiat, quam proinde vocant diſtinctionem rationis ratiocinantis: aliam cui ipſum objectum in ſe præbet fundamentum, & hanc vocant diſtinctionem rationis ratiocinatæ. Prioris exemplum eſt, quum dico, lignum eſt lignum, ibi enim diſtinguitur à ſe lignum bis ſumptum, quia primò eſt ſubjectum, ſecundò prædicatum, ſed utrumque beneficio ſolius intellectus negotiantis, & ſudantis circa ipſum: atque ita à primo ad ultimum diſtinctio virtualis Thomiſtarum eſt illa rationis ratiocinatæ.

2. Recentiores etiam hic novitatem amarunt, & ſtatuerunt rem expedire per præciſiones, quæ apud illos ſunt in duplici differentia: una eſt formalis & ex parte actus, alia objectiva & ex parte rei cognitæ. Prima eſt illa, ex vi cujus intellectus media cognitione attingit objectum ſecundum totam & omnem rationem realem repertam in ipſo, & ſecundum omnes formalitates quas in ſe claudit, ſed cum ordine ad determinatas operationes. Adferunt exemplum hoc: homo eſt ſenſitivus, & rationalis, apprehendit quis hominem ut principium ſenſationum, & iterum ut principium intellectionum: utrobique apprehenditur totus, ſed ſeorſim ut principium harum operationum, & ut principium illarum. Quatenus principium primarum, dicitur animal; quatenus principium aliarum dicitur rationale. Præſciſio autem objectiva eſt illa, ex vi cujus non ſolum connotata oblique cognita ſunt diſtincta, ſed etiam ex ipſis formalitatibus objecti intellectus attingit unam, non attingendo aliam, tanquam duo eſſent quæ in re ſunt unum. Hoc modo intellectus concipit principium ſentiendi ſeorſim & deinde principium intelligendi, quum illa

la in rè ipſa ſint quid unum. Hæc illi; in quibus idere eſt libidinem magnam recedendi à diſtinione formali, & ſimul neceſſitatem relabendi in am. Vocibus fugiunt eam, re ipsâ incurrunt, ut onabor ſequentibus ſignificare.

Dico ergo primo diſtinctionem virtualem on ſufficere ad ſalvandas veritates, quas omnes enemur admittere, & ad quas ſalvandas illa diinctio & ſimiles ab his authoribus excogitata ſt. Res eſſet facillima probatu in Divinis; ſed uia ſtatui ſuo quodque loco diſponere, differam robationes Theologicas in materiam de Deo c Attributis, inter quæ ponitur ab Thomiſtis & Recentibus hæc diſtinctio: Interim

Probo intentum ſiſtendo in naturalibus, ex uibus accipio hanc veritatem: Petrus eſt ſimilis Bucephalo ſecundum animalitatem, diſſimilis, ut ſaltem non ſimilis ſecundum rationalitatem; & ſic arguo: aut in reipſa animalitas Petri eſt er omnia idem cum rationalitate, aut non, ed diverſum quid: ſi diverſa ſint illa, vicimus, uia tum non ſolum eſt fundamentum diverſiatis, ſed ipſa; hoc eſt, non ſolum hic eſt viralis diverſitas ſed explicata, propria ac formalis. Si autem in re per omnia idem, contradictio & implicantia eſt dicere, quod ſit ſimilis & non ſit ſimilis ſecundum ipſum; eſſet enim dem ſimul & non eſſet, idque ſecundum quod dem.

Arguo etiam iterum, quia videntur hic allucinari opponentes in allegatione virtualis, oc enim quod eſt virtuale non eſt res, quæ poſit cadere in diſtinctionem, ſed pertinet ad genus efficientis, nec illi unquam attulerunt exmplum eius niſi in efficientibus; adferunt nim ſolem qui eſt virtualiter calidus, quia cauit calorem &c. diſtinctio autem non eſt in genere efficientis, ſed formalis, nec pertinet ad gere, ſed ad eſſe, in quo non ſufficit nec daur virtualitas: non enim aliquod eſt virtualiter ateria v. g. (quantumcunque eminenter contineat eam) quoad eſſe: Deus enim ſumme ontinet eam, tamen non eſt virtualiter materia quoad eſſe, ſeu in genere cauſæ intrinſecæ, uia non poteſt eſſe pars, & componere intrinecè totum phyſicum per modum ſubjecti, quod otet eſſe materiam virtualiter, & ſic diſcurreno per alia, ergo denique identitas aut diſtinio rei, vel taleitas eius in eſſe non eſt quid ſuplebile, aut quod poſſit virtualiter ab aliquo in oc genere præſtari: atque ita gradus metaphyici puta genus & differentia: ſpecies & ſingulaitas aut ſunt formaliter diſtincta, quod eſt proiteri doctrinam Scoti: aut omnino non ſunt diincta, quod eſt negare illam Thomiſtaum

Arguo adhuc tertio quaſi Theologicè: acipio enim inde ſuppoſitum divinum, atque hanc doctrinam de ipſo, quod ſcilicet ipſum poſſit ſuſtentare naturam creatam, aliud autem ſcilicet ſuppoſitum creatum id non poſſit: ſaltem hoc eſſe probabile: quo poſito dico nihilominus non licere mihi judicare, quod quodlibet divinum ſuppoſitum ſuſtentet aliquam creatam naturam: quamvis ſit fundamentum aliquod hic, quod non eſt in ſuppoſito creato. Fateor frigidè incipit argumentum, quia non agitur de poſſe, ſed de eſſe: videtur tamen valere in adverſarios, quia ſi haberet ut actualis ſuſtentatio tunc non ſolum fundamentum aſſerti haberetur ſed ipſum: illis autem ſufficit initium & fundamentum: reliqua enim per rationem ſeu intellectum fient, hinc enim diſtinctio apud ipſos eſt rationis ratiocinatæ, nolo tamen hic hærere ſed formo ſic argumentum: Quamvis divinum ſuppoſitum ſuſtentare non ſolum poſſit, ſed de facto ſoleat naturam creatam cui ſupplet vices proprii, non propterea tamen ipſi Thomiſtæ audent diſtinguere Divinum ſuppoſitum à ſe, nec intrudere ei per medium ſuam rationem ratiocinatam: & tamen huc intrat illa (ſi quoquam) ſuo jure; etenim illud ſuppoſitum quùm ſit in ſe divinum eſt virtualiter creatum, quia præſtat id quod creatum præſtaret ſuſtentando illam naturam: atque ita eſt duo, divinum & creatum æquivalenter. Quod confirmari poteſt ad hominem, nam ſine dubio poſſum cogitare ſuppoſitum Verbi Dei ut terminans naturam humanam, non cogitando ipſam ut ſuppoſitat Divinam: quemadmodum poſſum cogitare hominem ut principium ſenſationis non cogitando ipſum pro tunc ut principium intellectionis. Si ergo propterea diſtinguitur ratione ratiocinata, aut virtualiter, aut quomodo voles homo à ſe ſic & ſic ſumptus, ſive principium harum operationum in ipſo à principio illarum, diſtinguetur etiam Divinum ſuppoſitum à ſe: erit duo, erit creatum &c. virtualiter &c. quæ adverſarii ipſi non facilè unquam admittent: num enim hoc eſt virtutis? ut alia omittam. Ponunt quidem illi ſuam virtualem inter Eſſentiam & perſonalitates, at intra eandem perſonalitatem non, & tamen ſequitur eos abſurdum; ergo.

Ultimo ſic inſto: quia cognitiones iſtæ pertinent ad intellectum ſpeculativum, ſed ſpeculativus nihil ponit in re extrà: imo nec practicus, quia totus intellectus eſt agens immanens, non ergo res alias indiſtincta poteſt per intellectum dividi, & confirmatur, quia intellectio illa quâ concipitur objectum illud eſſe duplex, vel multiplex, aut eſt vera, aut non ſed falſa, ſi vera, jam objectum debet in ſe eſſe tale; hæc enim eſt veritas cognitionis, conformitas ad objectum, atque ita non ſolum fundamentum diſtinctionis in objecto datur ſed ipſa: ſi falſa; iterum intentum contra ipſos, errant enim illi, quia id pro concluſione dicunt, dicit cognitio falſa, atque ita doctrina ipſorum ſecundum ipſos eſt falſa. Unum video quod contra hoc

Objici poſſit, & eſt, quod prædicationes Logicæ univerſalium, v. g. generis de ſpeciebus, & ſpecierum de generibus, puta iſtæ; homo eſt animal, Petrus eſt homo, & ſimiles ſint veræ, quum tamen totum objectum quod aſſeritur per ipſas non ſit in re ipsâ, ſed partim in re extra, partim in intellectu, ergo ſimiliter ſalvari poterunt iſtæ & res dici multiplices, quamvis multiplicitas in ipſis non ſit totaliter, ſed partim, id eſt fundamentaliter, & partim in ipſo actu aut intellectu. Huic tamen credo jam eſſe ſatisfactum in proprio loco, ubi oſtenſum eſt quomodo fiant univerſalia; uno verbo hoc eſt indiſpenſabile ut ad veritatem propoſitionis debeat res ſic ſe habere, ſicut dicitur; & potius univerſalia omnia ſunt neganda quam iſtud. In re autem illæ propoſitiones ſunt veræ, quia reve-

Digitized by Google

vera Petrus eſt homo, & ſimiliter Paulus &c. uod autem requiritur ad Univerſale, ut Petrus Paulus ſint unus homo unitate aliqua commu- ,in primis fortè negari poſſet, ut incipit fieri à ibuſdam. Sed ne deſeramus antiquitatem, di- non ſolum multitudinem univerſalis, ſed etiam unitatem eius eſſe à parte rei quoad verificandas prædicationes eius, quia quum illæ ſint veræ, imò neceſſariæ, non prædicant exiſtentiam ſed eſſentiam quæ eſt quid objectivum, & in omnibus idem, ut explicavi ſupra Apolog. 4. de Unitate formali.

ACTIO XII.

Non ſufficere præciſiones ſive formales, ſive objectivas Recentiorum loco diſtinctionis formalis.

Breviarium.

1. *Præciſiones formales ſine diſtinctione formali non poſſunt ſuſtineri*
2. *Non evaditur ratio per diverſitatem connotatorum.*
3. *Eliduntur nominatim præciſiones objectivæ*
4. *Afferuntur quæ præciſionibus favent*
5. *Recentes diſtinctionem formalem ſub nomine præciſionis defendunt.*

INcipiendo enim à formalibus, dico illas non dari, nec ſuſtineri poſſe niſi aſtruendo diſtinctionem formalem, ut qui hanc negent non poſſint illas tueri. Hæc directè impetit animum & aſſertio- m Adverſariorum; illi enim loco noſtræ diſtin- onis voluerunt ſubſtituere ſuam præciſionem; quæcunque nos probamus neceſſario fieri per ſtinctionem formalem, aut illam ex naturâ rei, nantur illi ſalvare per alteram ex his præciſio- bus, communius quidem per formalem hanc; ntra quam

Probo aſſertum, repetendo parumper mo- m quo intelligunt & explicant eam; eſt enim r ordinem ad connotata, intelligendo rem aliam ſimplicem ut principium talium ſpeçie ef- ctuum abſque eo quod intelligatur ut princi- um aliorum, quod oſtendo non poſſe fieri, ſi res ſe ſit ſimplex objectivè ut volunt illi, non au- n diſtincta in plures formalitates ut nos pro- mus: Arguo autem ſic. Tota diverſitas rerum eſt inter connotata, ergo non poterit intelle- us cum fundamento diſtinguere connotans: ntecedens accipio ab ipſis: etenim dicunt aut pponunt ipſum objectum in ſe eſſe ſimplex, & uod nulla nedum compoſitio, ſed nec multipli- as in ipſo ſit, ergo. Dicent ipſum in ſe ſimplex ſpicere alia diverſa: & ego hoc dico; ſed quid m? ibi non aliud multiplicas quam reſpectus, icunt eſſe aleitatem ſubjecti ut ſubeſt huic re- ectui; ſed contrà ſemper inſtandum eſt ſimili- r, quod illa aleitas aut eſt aliqua, quã reſpectus e fecit in objecto; aut non fecit eam ſed inve- t; Secundum hoc eſt apertè noſtra diſtinctio rmalis, quia ante operationem omnem etiam m ipſius ibi adeſt aleitas: nec eſt hæc diſtinctio a rationis quomodocunque appelles, quia to- eſt antecedenter ad omnem ſive ratiocinan- n ſive ratiocinatam

Atque ut præſcindam poplites huic inven- ni, diſcernam quod certũ eſt ab eo, quod Ad- rſarii ſibi imaginãtur. Certum eſt me poſſe co- are principium ſentiendi non cogitando prin- ium ratiocinandi: Id quidem veriſſimum, ſed il juvat Adverſ. non enim id quæritur, ſed an hoc principium ſentiendi ſcilicet homo, qui eſt etiam principium ratiocinandi, & nihilominus ſimplex, poſſit cogitari ſecundum unam rationem, & non ſecundum aliam, id enim nego, & patet negãdum, quum nulla ſit aleitas ibi, ut ſupponimus, quoadusque veniatur ad actum ſecundum.

Munio meum diſcurſum alio ſimili quem credo ab Adverſariis admiſſum, atque etiam allegatum nonnunquam quum eſſet è re ipſorum: Nemo negat genus eſſe prius ſpecie, quum ab hac valeat ſubſiſtendi conſequentia, non item ab illâ; atque ita prius eſt animal v.g. quam rationale: nemo tamen auſit dicere, quod Petrus ſit prius animal quam rationale; quia in quocunque inſtanti cogitatur Petrus debet cogitari rationalis: ita hic, poteſt bene intellectus copulare apud ſe ly principio ſtatim tale principiatum, v.g. ſenſationem, & nihil aliud pro tunc; at vero hoc determinatum principium quod eſt homo acceptus pro ſe toto, cum non habeat partes, nõ poteſt cogitari ut principium unius niſi cogitando ipſum ut principium alterius, quia tam eſſentiale eſt homini eſſe principium horum, quam illorum & in eodem primo inſtanti habet utrunque, atque etiam ab eodem ſimplici gradu

Quod ulterius ſic urgeri & explicari poteſt; nam in homine vis cauſativa ſenſationis eſt ipſa cauſativa ratiocinationis; niſi ergò idem poſſit cogitari ſine ſe ipſo, ſanè nemo prætendere poterit quod una vis aut virtus ex his poſſit ſine alia cogitari, ſed enim hæc ratio tendit ad impugnationem præciſionis objectivæ quam nondum acceſſimus. Interim.

Probo directè præſentem, referendo huc pauliſper quod ſupra tetigi de ente: nam ſi aliquid habere diverſa connotata, puta diverſos effectus quomodocunque emanantes ab ipſo facit illud diſtingui aut præſcindi formaliter, tum ipſum Ens à ſe diſtinguetur, & à ſe præſcindet, quod ſine dubio eſt abſurdum, & ab ipſis Adverſ. negandum. Nec valet dicere non eſſe diſtinctionem hic niſi rationis, nam apud ipſos hæc præciſio formalis eſt rationis ratiocinatæ cum fundamento in re; certum eſt autem non eſſe fundamentum diſtinguendi ens à ſe ipſo, quùm nihil ſit æquè indiſtinguibile: & quamvis centies diſtinguas, non inci-

Digitized by Google

:ides denique in quid magis minutum aut ſim-
:x quam ſit ipſum ens: num autem poteſt eſſe
ndamentum diſtinguendi, & ſimul fundamen-
m identificandi, vel ſimplificandi aliquid ſi-
ul? Ad hæc; ſi volueris nihilominus ens diſtin-
uere, aut præſcindere, ibis in infinitum in præ-
indendo ac diſtinguendo, cum ergo non poſſit
le fundamentum aliquod in ullâ ſerie eundi in
finitum, ſequitur &c.

Hanc ipſam rationem aliter deduco ſic: ım ſi connotata ſufficiant ad diſtinguendum ıt præſcindendum, ſequitur non ſolum animal ſtingui à rationali, ſed ipſum animal à ſe, ipſum tionale à ſe ipſo, quod Adverſarios non credo onceſſuros, ſed probo ſequi eos; utique enim ıimal, ſeu principium ſenſationis, non unam ıntum ſenſationem principiare poteſt, ſed tot ecie, quot ſunt ſenſus tam interni quam exter-ı: ergò jam animal erit ſexies diſtinctum & præ-ſum à ſe: imò oſtendo quod ſexcenties; nam in ualibet ex his ſenſationibus, puta in viſu, ani-ıal poteſt elicere ſexcentas ſenſationes, id eſt to-dem viſiones: tum autem potero ego cogitare nimal ut principium viſionis A. non cogitando ıſum ut principium viſionis. B. & ita illud ip-ım determinatum principium à ſe ipſo præſcin-etur, non ſemel aut iterum ſed infinities, qui roceſſus quum neceſſariò vitari debeat nec poſ-it niſi negatis præciſionibus, ſequitur &c.

Hic diſcurſus tam evidens intellectui po-eſt adhuc evidentior reddi exemplo ſenſibili: it enim punctum centricum, ab hoc ducantur lux lineæ ad angulos ſe ſecantes in ipſo centro; 'olo jam ſcire utrum illud punctum ullatenus di-'idi poſſit, propterea quod reſpiciat ſemel unam ıneam quæ ab ipſo exit ad Orientem, & iterum liam quæ exit ad occidentem, idemque eſt de neridie & ſeptentrione? Si ergo indiviſibile juantitativum non patitur ſe dividi propter connotata ſui generis, cur metaphyſicum aut ſpi-ituale patietur?

Eliduntur nominatim præciſiones objectivæ.

Facilè id fiet ex jam dictis: & ex ipſis Recentibus, aliqui eas oderunt: placet eorum reſolutio, non placet probatio: Arguunt enim ſic: Implicat in homine vel angelo, (qui eſt certò quid ſimplex) unum gradum terminare unionem quin alius terminet, ergo implicat unum terminare cognitionem ſine alio: eſt dicere: implicat in homine cognoſci animal non cognito rationali, hæc enim eſt præciſio objectiva, cognoſcere in re ſimplici aliquid alio non cognito, ſed non poteſt valere ratio, quia etiam poſita diſtinctione formali non poteſt unus gradus terminare unionem aut actionem realem niſi terminent omnes gradus, & tamen poteſt terminare intentionalem ſeu cognitivam, non poteſt animal in homine produci aut deſtrui, niſi producto aut deſtructo rationali reſpectivè, & tamen poteſt cognoſci, poteſt amari, etiam non cognito, & non amato rationali, vel è contra ſed inſtant; tam contradictoriè opponuntur cognoſci & non cognoſci, quam uniri & non uniri, ſeu exiſtere, & non exiſtere, repugnat autem animal hominis exiſtere non exiſtente rationali eius, ergo. Antecedens eſt veriſſimum; ſed non ſufficit inferendo conſequenti, convincit quidem ratio debere inveniri diverſitatem inter membra utriuſq; combinationis: ſed quum priora illa ſint realia phyſica & ſubjectiva, exigunt diverſitatem phyſicam & ſubjectivam: alia autem quum ſint intentionalia tantum, illis ſufficit formalis aut intentionalis diverſitas

Aliter ergo probandum eſt intentum ſic: Dato quod homo ſit in ſe quid omninò ſimplex, nullã dicens pluralitatẽ aut diſtinctionem partiũ ſeu graduum conſtituentium, ſi cognoſceretur in eo animal, non cognito rationali, cognoſceretur, & nõ cognoſceretur animal; hoc autẽ eſt contradictio quæ ſtatim rejicitur, & evomitur à ſtomacho intellectus, ergo. Probo ſequelã; ipſum animal hominis eſt ipſius rationale, ſi ergo cognoſceretur animal ſine rationali cognoſceretur animal ſine animali: & eadẽ contradictio ſimili tramã ſequitur de rationali, ut patebit applicanti. Utraq; etiã erit evidẽtior, ſi applicetur diſtinctioni reali, quã ſupra jam tetigi, in hunc modum: Eo quod animal ſit eadẽ res cum rationali, implicat realiter poni animal ubi nõ ponitur rationale, aut realiter deponi ſeu deſtrui animal hominis quin deponatur ipſius rationale, ergo ſi formaliter & objectivè ſit per omnia idem: implicabit ipſum eſſe per modum objecti ullibi ubi non erit ſimili modo rationale. Hæc forma infringit directè methodum Recent. Adverſ. qui conantur evadere argumentum per hoc, quod non quidem ſit diverſitas ante actum intellectus inter iſta, licet benè per aut poſt ipſum; nam in caſu noſtro non poteſt verſari actio realis circa unum horum ſine alio; ſed nec ipſa actio poteſt introducere illis diſtinctionem realem, quantumvis realis ſit, eo quod ipſa antecedenter fuerunt unum: ergo ſi ſimiliter ſint unum intentionaliter, actio non poteſt ea reddere intentionaliter duo aut diviſa

Arguo ſecundò ad hominem: ſecundum horum pleroſque hæc præciſio non poteſt fieri per actum intuitivum; atqui id maniſeſtè arguit abſolutam impotentiam eius, nam objectum intuitivè, & abſtractivè eſt id ipſum; & vis intellectus eſt eadem: Præterea vero in actu intuitivo non poteſt contingere error, in abſtractivo poteſt, ergo ſignum eſt præciſionem objectivam eſſe erroneã quia fundatur in diſparitate, quæ eſt inter utrumque actum eſtque fallibilitas unius, & infallibilitas alterius: atque ita revera non eſt animal hominis quod iſti authores tum concipiunt, ſed aliud, quamvis putent ſe concipere ipſum: & plane id illis contingit, quod vulgo & vetulis qui imaginantur angelum per modum juvenis alati; tum enim alæ ab ipſis conceptæ revera non ſunt angeli, ſed avis, ipſi autem erratico conceptu affigunt illas angelo: ita ſimiliter putant iſti ſe concipere ſeorſim partes alicujus ſimplicis, at non concipiunt, ſed partes diſparatorum, ſuppoſitâ ſemper ſimplicitate objecti quod animo volvunt.

Tertiò, aut eſt ullus limes poſitus intellectui in præſcindendo, & dividendo, aut non eſt; ſi non, æque benè poterit diſtinguere in Divinis eſſentiam ab eſſentia, ac eſſentiam à relationibus, & ſapientiam à ſeipſa non minus quam à juſtitia vel bonitate: atque ita iſti operam cum oleo amiſerunt, quum vel maximè hanc præciſionem inveneriat ad ſalvandas quaſdam affirmationes de eſſen-

Digitized by Google

eſſentia quæ non poſſunt affirmari de perſonis, & vice verſâ. Si autem ſit aliquis limes ultra quem non: certè hic erit ipſius objecti ſimplicitas, quod apud ſe inſectile eſt, atque adeo, ubicunque hæc occurrit, intellectus non poteſt pergere præſcindendo: apud hos autem omnis ſpecies corporalis æquè ac ſpiritualis v. g. homo, leo, lapis ſingula ſimplicia ſunt, adeoque. Nec refert ſi dicas aliqua eſſe magis ſimplicia: primò quia in hoc genere non datur magis & minus, quum nullum indiviſibile ſit minus indiviſibile alio, alioqui aliquid diviſibilitatis haberet. Deinde, quia ſi detur exceſſus ſimplicitatis, certè in divinis erit, & tamen illi ſuas præciſiones eo intrudunt paulò animoſius quam alio. Itaque vertant ſe quo volent, non poterunt unquam facilè ſuſtinere philoſophicas veritates & experimenta intellectualia de cognitionibus graduum Metaphyſicorum ſeorſim, niſi admittendo diſtinctiones ex natura rei ſeu formales Scoti; quod etiam illorum quidam viderunt: & ipſa diſtinctio formalis eſt quam illi ſub nominibus præciſionum probant. Ergo ſolo nomine diſſentiunt ab Scoto, in quem dum acriter invehuntur, non poſſunt Scoturire, & *dum baptiſantur à mortuo, iterum tangunt mortuum.* Videas id manifeſtè in ipſis, quia argumenta quibus probant ſuas præciſiones, ſunt noſtra, quibus diſtinctionem formalem demonſtramus.

Quæ præciſionibus favent.

OBjiciam tamen ipſe pro præſcindentibus difficultatem, quæ timeo ne mihi etiam noceat, eſtque ex Incarnatione petita; Unio hypoſtatica humanitatis aſſumptæ à Verbo afficit perſonalitatem Verbi, non afficit naturam, & tamen natura & perſonalitas Verbi ſunt idem, ergò jam aliquid poteſt fieri circa idem, & non fieri circa totum illud etiamſi ſit ſimplex. Major eſt fides noſtra, alioquin tres perſonæ SS. Trinitatis unitæ forent illi humanitati, quod enim contingit eſſentiam, ad omnes illas tranſit in quibus omnibus & ſingulis eadem eſſentia eſt. Video noſtros expeditos ad reſpondendum, argumentum hoc inveniſſe ipſos paratos; ipſi enim ponunt diſtinctionem ſuam formalem inter hæc, ante omne opus intellectus, adeoque illi non premuntur eo, quum poſſint aſſignare plura objecta ita ut ad unum illorum terminetur ſcilicet ad perſonalitatem, ad aliud non, puta ad eſſentiam. At enim dubito ſi per hæc evaſimus, & negativam partem ſuadet quod ſupra notavi; ſcilicet talem eſſe ponendam diſtinctionem, qualia ſunt prædicata quæ affirmantur de objecto in contradictione: ſi enim ſint prædicata realia, non ſufficit diſtinctio formalis, & multo minus diſtinctio rationis: ſecus eſt ſi prædicata ſint intentionalia. Applicando hoc ad propoſitum, hic prædicatum non eſt intentionale aut morale, ſed Phyſicum & reale, ſcilicet perſonare, ſuſtentare, &c. ergo ut affirmetur hoc de uno & negetur de alio, illa unum & aliud debent eſſe realiter diſtincta, tanquam res & res, nec ſufficit ſi formaliter aut ratione diſtinguantur; vel ſi realiter identificentur, quodcunque prædicatum tale dicitur de uno, dicetur de alio; atque ita, aut humanitas erit aſſumpta ad eſſentiam communem, aut certe ipſa eſſentia debet eſſe aliud realiter à perſona

Video nodum; & quantum ad punctum hujus loci, conabor eum extricare: abſolutè autem totam ipſam difficultatem hic non teneor extinguere eo quod Theologica & ſupernaturalis ſit. Dico ergo potuiſſe hoc contingere, eò quod unio illa ſit relatio ad quam ex parte Verbi eſt mera terminatio, quaſi paſſiva aut formalis. At vero ex realiter identificatis poteſt relatio terminari ad unum abſque eo quod terminetur ad aliud: ſic enim ſexcenties dixi ſupra Petrum eſſe ſimilem leoni quoad animalitatem, non eſſe ſimilem ei quoad rationalitatem; quamvis ergo animalitas & rationalitas in Petro identificentur realiſſime, tamen una terminat ſimilitudinem leonis ad ſe, alia non terminat. Imò quod plus eſt, una fundat relationem ejuſmodi, alia non item. Fateor ſupereſſe hic ſolvendum articulum de Suſtentatione, quomodo fiat à perſonalitate, non fiat ab eſſentiâ: ſed hoc eſt quod dixi eſſe huic loco peregrinum, adeoque differendum. Itaque hæc res non favet præciſioni, ſed obſtat, non enim ibi eſt omnimoda ſimplicitas, quum ſit pluralitas formalitatum: eſt quidem ſimplicitas oppoſita compoſitioni non eſt oppoſita multitudini

Objiciam iterum pro præciſionibus formalibus contra me: propoſitâ albedine oculus ibi videt rationem coloris hujus in ſpecie, non videt rationem accidentis ut ſic, & multo minus rationem abſoluti ut diſtinguitur à relativo, inalcitatem, rationem ſupremam entis, quum tamen omnia ſint identificata albedini, ergo jam poteſt videri aliquod totum, etſi non totaliter quod eſt ipſiſſima præciſio formalis. Quod argumentum inde validius eſt, quoniam cognitio ſenſitiva eſt intuitiva. Reſpondeo; exiſtimo ideo omnia videri, quia quantum ad hoc cenſeo actionem intentionalem æquari reali; ut ſicut non poteſt produci unum ex identificatis realiter abſque eo quod alterum producatur, ita non poteſt intuitivè attingi, quia nimirum res terminat intuitivam cognitionem ſecundum ſuum eſſe reale & exiſtens qua tale, ideoque illa quæ competunt ei quatenus reali referenda ſunt ad cognitionem intuitivam. Videmus autem ex realitate ſeu identitate reali oriri, quod non poſſit aliquid ejus ſine alio produci, adeoque nec poterit videri

Deinde fac hoc falſum eſſe: demus poſſe videri horum aliquid ſine alio, nihil proficiunt inde præciſiones, non enim objectum ſcilicet albedo eſt quid ſimplex ut ipſi credunt: ſed multiplex formaliter, habens gradus formaliter diſtinctos; quæ diſtinctio erit in cauſa quod ſeparari poſſint ab invicem in cognoſcendo

Appendix.

ITaque quo ſe cunque volvant adverſarii, denique relabuntur in Scotiſticam veritatem, & hæc eſt quam ſub nomine præciſionis defendunt, niſi velint implicare ſe novis funibus, quos non niſi acie diſtinctionis formalis ſecabunt. Unde nõ fuit opus diligentiâ Petri Hurtadi, qui pro ſuo in Scotum ſtudio ſtatuit eum ab hujus opinionis invidiâ vindicare. Et verò patet quam leviter

Digitized by Google

viter ille Scoto & Scotiſtis ſtuduerit, quum inquit Scotum ſuæ diſtinctioni formali atque ex natura rei anſam arripuiſſe ex Petro Tarantaſio: ipſos autem Scotiſtas neque definitionem neque explicationem ſuæ diſtinctionis adferre. Hic ego non ago hiſtoricum, ſed quantum licet intra ſpeculativum circum convellam primum ejus aſſertum. Etenim doctrina Petri Tarantaſii qui poſtea fuit Innoc. V. non aliunde certius colligi poteſt quam ex D. Thoma Aquinate qui 108. propoſitiones ipſius defendit. Defendendo autem eum in hac materia S. Doctor palam ait *calumnioſè objici ei quod ipſa differentia ſapientiæ & bonitatis in Deo ſit & non ſolum in intellectu*: atqui hæc eſt ipſiſſima doctrina Scoti ut ſupra vidimus hæc inquam quæ non fuit Tarantaſii ſed falſo & calumnioſè ei objecta: an ergo ſuam ſententiam Scotus Tarantaſio debet? Certè alterum illud calumnioſè alter hic Petrus objecit: neque eget verbali refutatione, quum tot tractatus, diſputationes, etiam volumina à noſtris de hac diſtinctione prodierint, atque etiam ab externis, ut mirari non deſinam tam abſolutas cenſuras hominum; qui ſaltem ſibi caverent ne viderentur neſciſſe quæ ſcribunt: Scribit enim quidam Scotum in hac diſtinctione formali: *Omnibus eſſe contrarium*: & eam tamen omnis generis, omnis temporis, cujuſque ſcholæ & conditionis homines non parvi aut pauci defenderunt quorum longiſſimmum cathalogum texuit Alphonſus Briſenus Tom. 1. Contr. item 1. artic. 6. hic ego non alios adferam, quam Domeſticos & Socios Cenſoris: etenim diſtinctionem formalem graduum Metaphyſicorum, ſive ut voles ex natura rei docuerunt ex illius Societate Petrus Fonſeca 5. Metaph. c. & q 6. ſect. 1. Colleg Conymbric. probabiliter Tom. 1. Logicæ in præfat. Porphyr. q. 4. art. 2. Jul. Cæſar Recup. lib. 3. de Attrib. ſpectata ratione naturali. Mirum etiam quod non cenſuerit ex omnibus eiſſe Guliel. de Rubione, Anton: Andream, Aragenios, Ægid. de Præſentat. Luſitanum & alios Hiſpanos: quos interim omitto contentus indice alibi à me contexto; maximè quum Sanctos pro eadem veritate ſupra ubertim attulerim.

(*⁎*)

Plura & pulchra de hoc.

FRanciſc. Mayron. 1. *d.* 2. *& in fine Theologiæ ex profeſſo.* Anton. Andr. 7. *Metaph. q.* 7. Anton. Syrect. *tractat. de formalit.* Trombeta *item &* Vallo. Laurent Brixienſ. Franciſc. de Roy *&c. formaliſta.* Auguſt. Muſæus, *tract. de diſtinct.* Barthol. Manzoh. *de formalit. Thomiſtic.* Achillin. *de diſt. Averroiſtic.* Joan. Rada *Tom.* 2. *Controv.* 3. Barthol. Maſtr. *Tom.* 1. *Metaph. diſput.* 6. Martin. Meurisse *lib.* 2. *Metaph.* 4. *p. cap. q.* 1. *&c.* Jul. Cæſar Recup. *lib.* 3. *de Deo uno q.* 4. Alphon. Briſſen. *Tom.* 1. *Controv.* 1. *art.* 6. *&c.* Gulielm. Camerar. 1. *p. Selectar. diſput. q.* 6. Theod. Smiſing. *Tom.* 1. *tract.* 2. *d.* 1. *q.* 2. Barth. Amic *proprio tractat.* Georg. Raguſ. *Tom. Peripat. diſp. d.* 24. Philip. Faber *Theor.* 90. Ponc. Paſchal. *diſp.* 47. *Videri etiam poterunt alii à me citati Tom.* 1. *Apol.* . . . *fine.*

APOLOGIA SEPTIMA.

De Eſſentia, & Exiſtentia.

ACTIO I.

Utrum poſſibilia habuerint, aliquod eſſe ab æterno, necne?

ACTIO II.

Quid ſit poſſibilitas rerum?

ACTIO III.

Utrùm poſſibilia dependeant ab omnipotentiâ Dei, an vice verſâ omnipotentia à poſſibilibus?

ACTIO IV.

Utrum eſſentiæ ab exiſtentiis realiter diſtinguantur, nec ne?

ACTIO V.

Utrum Exiſtentia diſtinguatur formaliter ex naturâ rei, aut ratione ab eſſentiâ; nec ne?

ACTIO VI.

Utrum Eſſentia ſubeat ſtatum poſſibilitatis nec ne?

Digitized by Google

Scotus 2. *d.* 1. *q.* 2. *n.* 7.

QUantum ad iſtum articulum dico, quod de nihilo, id eſt de non aliquo ſecundum eſſe exiſtentiæ poteſt Deus creare. & per conſequens de nihilo, id eſt de non aliquo ſecundum eſſe eſſentiæ; quia ut probatum eſt diſt. 36. primi, nunquam eſſe eſſentiæ ſeparatur realiter ab eſſe exiſtentiæ &c.

Idem 3 *d.* 36. *q. un.*

DIco quod ens ratum aut appellatur illud quod habet eſſe firmum & verum ſive eſſentiæ ſive exiſtentiæ, quia unum non eſt ſine altero, qualitercunque diſtinguantur: aut ens ratum dicitur illud, quod primo diſtinguitur à figmentis, cui ſcilicet non repugnat verum eſſe eſſentiæ, vel exiſtentiæ. Si primo modo accipiatur ens ratum, dico quod homo non eſt ex ſe ens ratum, ſed ab efficiente à quo habet eſſe verum & eſſentiæ & exiſtentiæ &c. Si ſecundo modo intelligatur ens ratum, dico quod homo ex ſe eſt ens ratum, quia formaliter ex ſe non repugnat ſibi eſſe, &c.

ACTIO I.

Vtrum poſſibilia habuerint aliquod eſſe actuale ab æterno?

Breviarium.

N. 1. *Cenſuræ quorundam in Scotum.*
2. *Genuina mens ejus ſuper hac re*
3. *Reſolutio: Creaturas ab æterno merum nihil fuiſſe; imò nec hoc ipſum*
4. *Probatur ad homines contra Thomiſtas*
5. *Rationes pro Adverſ. poſita & ſoluta*
6. *Poſſibilia accipiunt aliquod eſſe à Deo, non tamen poſſibilitatem.*

Mens Scoti?

1. VT Scotum hic defendamus, ſtatuendum eſt in primis quid ſenſit, quod ſanè non tam apertum eſt quin ambigatur, & quin fuerit æquè ambigendum. Creditur autem pleriſque conceſſiſſe creaturis neſcias quod eſſe reale diminutum ab æterno, propter quod in ſuſpicionem venit apud quoſdam, tanquam poſuerit aliquid æternum extra Deum, & independenter ab ipſo. Thomas Cajetan. 1. p. in Comment. q. 17. art. 5. ſuper hoc pluries eum perſtringit tanquam parcè philoſophum, minùs Chriſtianum, prope cæcum ac tantum non talpam, ipſum ſibi detraxit nolens Scotum eſſe hic Scotiſtam: *In medium lumen offendunt*: inquit: *adverſatur quoque dictis ipſius Scoti. Non bene ſonat apud fideles: contrariatur denium philoſophia, &c.* Quæ ille ibi conatur Lectori perſuadere, ſed conatui tantum, ſed & Dominus Bannes, ejuſdem ovi pullus ſimili ſupercilio pronunciavit Scoti ſententiam in hac parte *chymericam*, & *figmentum* plane eſſe: & incidere *in errorem Arbaelardi* apud Valdenſem quem libenter ſequuti deinde alii Thomiſtæ eò progreſſi ſunt ut appingerent Scoto errorem Wickleff ponentis aliquòd creatum æternum, & à Deo diſtinctum. Imò ex noſtris non defuerunt, qui tale aliquid de Scoto ſentirent. Omitto Mayron. qui de mente ſuâ loquutus videtur quamvis Briſenus nolit hoc ipſum de eo audire, ſed omninò contendat eum fuiſſe ſuæ, ſive communis ſententiæ. Certè Maſtrius graviter conqueritur de Poncio noſtro, & Herrera, *qui unicè* (inquit) *in ſchola noſtra calumniam hanc à Thomiſtis Scoto impoſitam approbarunt, imò ut Scoticam opinionem defendunt*, Nec auſim negare quin querelæ occaſionem dederint. Poncii diſp. 69. q. 2. Concluſio tertia eſt quod creaturæ habuerint aliquod eſſe ab æterno: Concluſio quarta: illud eſſe eſt quoddam diminutum, quaſi medium inter ſimpliciter reale, & rationis, pro quo citat Scotum 1. d. 39.

2. Sed enim ibi ego nihil tale lego apud Scotum, lego autem oppoſitum diſt. 36. ejuſdem, q. un. num. 6. nam quum ille ibi euſque impugnaſſet multis rationibus doctrinam Henrici aſſignantis tale eſſe creaturis ab æterno; ſubdit: *Concedo concluſionem iſtarum rationum*: & declarans ſe addit: *ſcilicet partem negativam quæſtionis* cujus titulus eſt: *Vtrum creatura in quantum eſt fundamentum relationis æterna ad Deum ut cognoſcentem habeat verè eſſe eſſentia* &c. Deinde 2. d. 1. Luculenter jugulum ſecat aſſertori hujus eſſe actualis creaturarum antequam creentur; ajens: *Si dicatur quod ipſa prius relucent ut intelligibilia quam actu intelligantur, hoc negandum eſt de relucere actu.* Ecce palam negat omnem etiam ipſius potentiæ actum creaturis ante actionem Dei circa ipſas

Et revera hoc eſt quod quæritur, aut ſaltem quæri & reſolvi debet hoc loco, ſcilicet de eſſe competente creaturis ex ſe, ratione cujus faciunt propoſitiones neceſſarias & æternæ veritatis quæ ad Metaphyſicum ſpectant. Alia enim eſt lis, utrum ab ipſo Deo ad intra agente accipiant ullum eſſe diminutum, aut negativum? de quo duo mihi ſubeunt dicenda; unum eſt, ſi id affirmetur non includere periculum prioris aſſer-

Digitized by Google

aſſerti: alterum eſt Subtilem inclinaſſe ad affirmandum. Ratio primi, quia hoc eſſe, qualecunque ſit, à Deo eſt, non ergo independens, non ergo creaturis à ſe competit

Secundum illud non ratione, ſed authoritate eget: Habet autem eam Subtilis ſæpe ut Quodlib. 8. *Deus* (inquit) *eſt ſic neceſſariò intelligens creaturam, & ſic cauſativus creaturæ &c. ſed in eſſe aliquo diminuto* quod explicans ipſe 1. d. 30. q. un. ait. *productio iſta eſt in eſſe alterius rationis ab omni eſſe ſimpliciter.* Vide etiam eundem 2. d. 1. citata ubi videbis Metaphyſicam veritatem ſine fidei præjudicio. Adeò merito ait Suares *immeritò* à Cajetano, & aliis Thomiſtis *Scoto tribui illud eſſe creaturarum diſtinctum à Deo ab æterno*: addens Scotum cum communi convenire in principio illo, quod eſſentiæ rerum etiamſi à Deo cognitæ ſint ab æterno, nihil ſint. *Vnde* denique (utor verbis Vaſques) *Fruſtra laborant Thomiſtæ ut contra Scotum probent res ab æterno non habuiſſe eſſe illud diminutum, intelligentes illud eſſe eſſe aliquid reale extra cauſas quod Scotus non ſomniavit.*

Reſolutio Quæſiti.

3. DIco ergo reſolutivè creaturas ab æterno non habuiſſe à ſe ullum eſſe reale, ut res nihilo opponitur; ſed potius fuiſſe nihil, ut nihil rei opponitur; imò nec ipſum nihil affirmari de illis potuiſſe: idemque adhuc eſt de iis quæ non ſunt producta. Hanc vidimus eſſe Doctoris: eſt Fides Catholica; *omnia* enim *per ipſum* Verbum *facta ſunt*; ut mirum ſit Catholicos nonnullos aliud ſenſiſſe. Mitto tritam probationem huius, quod alioqui non daretur creatio, nec poſſet dari annihilatio, quam egregiè proſequitur Subtilis citatus.

Arguo autem ſic; ſi creatura v. g. lignum habuit eſſe à ſe reale eſſentiæ ab æterno, quæro quando producitur in tempore an eſſentia illa attingatur actione productivâ, necne? Si non, jam lignum non producitur, imò eſt eſſentialiter improductibile: Si ſic, ergo præexiſtens producitur, quod iterum eſt abſurdum non minus priori. Nec refert reſpondere lignum non eſſe præexiſtens, quia nec exiſtens; adfers enim verba: dicamus eſſe præſuppoſitum, præeſſens, aut præhabens eſſe, & ſimilia, quæ explico, & urgeo ſic: lignum non poteſt iterum reddi poſſibile, aut iterum accipere ullum ſtatum, quem habet; habet autem ſecundum Te realitatem eſſentiæ, ergo non poteſt accipere eam, aut certè quum deinde producitur erit bis Ens, bis res, bis lignum, quæ inepta ſunt & riſu digna

Juxta hoc argumentum ſubiit mihi hoc ei affine: ſequitur enim cauſas non agere, ſeu non attingere ſpeciem ſuorum effectuum, quod falſum eſt, quum veriſſimum ſit ſingulas agere actus ſuæ ſpeciei; v. g. voluntas vult, intellectus intelligit, ignis inflammat &c. has tamen veritates eſſe falſas ſecundum adverſarium oſtendo, quia voluntas non producit amorem v. g. ſed ſolam exiſtentiam ejus; ipſa autem quidditas & ratio ſpecifica amoris jam præfuit: at verò exiſtentia amoris non eſt amor, nec è contra ſed eſt potius ipſa quidditas ſpecifica eius. Confirmo, exiſtentia amoris eſt ejuſdem ſpeciei cum exiſtentia odii, ergo voluntas ſimili actione producit utramque; ſed non ſimili producit amorem & odium, ergo productio exiſtentiæ non eſt productio amoris nec vice verſâ, ſed alicuius præterea; aliud autem non eſt quam eſſentia, adeoque voluntas amando producit non ſolum exiſtentiam actus ſui, ſed eſſentiam ſpecificam & quidditatem, atque ita hæc non præfuit

Adhuc tertiò proſequor hoc medium ſic: Si enim eſſentiæ rerum omninò habuerunt eſſe actuale reale ab æterno, & ſolum defuit eis exiſtentia, jam præfuit homo, puta S. Petrus ab æterno ſecundum totam eſſentiam ſuam, & ſimiliter actus beatificus eius ſecundum totam eſſentiam beatitudinis, & quidem cum unione ad S. Petrum, nam & hæc habet ſuam eſſentiam, atque ita D. Petrus fuit ab æterno beatus: ratio, quia quod conſtituit quidquam in aliqua ſpecie eſt eſſentia illius, non vero conditio aliqua annexa. Quod urgeo, quia quæ habent eſſentias formarum ſine aliqua concretione, melius ſe habent, & perfectius ſunt in illo genere, quam alia: quod notavit Ariſtoteles ſupra à me citatus: unde dixit hoc competere *iis quæ ſunt ſine materia*. Et de facto Deus eſt ſummè perfectus, & ſummè beatus, in quo eſt, aut, (ut rectiùs dicam) qui eſt ipſa eſſentia virtutum ſine concretione. Unde Concilium . . . . . & ex eo S. Bernardus, & ante utroſque S. Anſelmus nolunt dicere Deum eſſe juſtum, ſed eſſe juſtitiam &c. ergò jam ſola eſſentia ſufficit denominare res tales, adeoque eſſentia beatitudinis unita Petro, ab æterno reddidit eum beatum tota æternitate.

4. Placet jam cum Thomiſtis ſeorſim agere, & argumentari ad homines, (nempe ex ipſis nonnulli hanc realitatem poſſibilium tuentur, ut Baſil. Ponc. Legionenſ. Franciſc. Albertin. Jacobus Granad. ex quibus medius ille totam ſuam ſcholam hac abſurditate involvit:) ſi eſſentiæ rerum præfuerunt ab æterno realiter, & in tempore non illæ, ſed exiſtentia producitur, ſequitur apud ipſos humanitatem Chriſti Domini non eſſe productam in tempore, quod pugnat fidei, ſic enim non eſſet genitus à Virgine Maria, nec conceptus de Spiritu Sancto; non creſceret aut nutriretur, &c. Sequela tamen probatur domi ipſorum; quia huius hominis nec eſſentia, nec exiſtentia producitur: non eſſentia, quia hæc apud ipſos in hac materiâ eſt æterna & improducta, etiam ab ipſo Deo, nedum à Virgine Maria, non etiam exiſtentia ex iiſdem alibi, quia exiſtentia hujus hominis eſt illa Verbi (propriam enim & creatam non habet ſecundum ipſos;) certum eſt autem exiſtentiam Verbi Dei non produci

Denique ita arguo: ſi eſſentiæ rerum dicuntur habere eſſe reale actuale ab æterno, dicendæ etiam erunt exiſtentiæ rerum fuiſſe ab æterno: ſupponitur hoc eſſe falſum, ſed ego ſequi oſtendo; quia quæcunque rationes adferri poterunt de eſſentia, procedent etiam de exiſtentia, ut patebit applicanti eas quas infra num. . . . adducam; & pro nunc procedat iſta, quia non ſolum poſſibile fuit Petrum eſſe, aut intelligi, ſed etiam poſſibile fuit eum exiſtere, ergo ſicut eſſentia Petri habuit ſtatum realem poſſibilitatis, ita etiam exiſtentia, & inſtari poteſt ſic: aut enim exiſtentia fuit poſſibilis prius quam fieret; aut non poſſibilis, ſed impoſſibilis fuit; hoc ſecundum pugnat hypotheſi, ſic enim nunquam poneretur actu, &

Digitized by Google

oppoſitum eſſet poſſibile impoſſibile, qui ſunt termini contradicentes: primum autem eſt intentum.

Dicent forte propter hoc ipſum exiſtentiam eſſe, aut fuiſſe poſſibilem: ſed male ut infra oſtendam proprio loco; unde nunc breviter præſumo hanc probationem. Exiſtentia poſſibilis non eſt niſi eſſentia, ergo præter eſſentiam non datur exiſtentia. Probatio majoris incumbit mihi fateor, ſed lectorem creditorem volo uſque ad Actionem. . . infra, nunc ne tædio ſim, procedam ad objectiones, alias probationes vulgatas relinquo videndas paſſim apud authores hoc loco, ubi eas mutuo tranſcribunt

Rationes pro Adverſariis.

5. PRima mihi viſa eſt provenire ex propoſitionibus quas vocant æternæ veritatis: v.g. hæc: Omne animal eſt vivens; Omnis homo eſt animal &c. quam rationem meruit Mayrones ,, verbis ipſius proponi, ait ergo: Accipio iſtam ,, propoſitionem: homo eſt animal: vel iſta fuit ,, vera ab æterno, vel non; ſi non, ergo eſt con- ,, tingens, quia quidquid accipit eſſe ex tempo- ,, re eſt contingens, quia in materia contingen- ,, ti erit: ſi ſic; quum veritas propoſitionis præ- ,, ſupponat ſimplicem entitatem terminorum, ,, ergo &c. ſi dicatur quod eſt neceſſaria, ſuppo- ,, ſitâ tamen entitate terminorum; iſtud nihil va- ,, let, quia illud eſt ſimpliciter contingens quod ,, non eſt verum neceſſariò niſi ſuppoſito con- ,, tingenti; ſed per te iſta non eſt vera neceſſariò ,, niſi ſuppoſita entitate terminorum quæ per ſe ,, eſt contingens, ergo ipſa eſt ſimpliciter contin- ,, gens, quod ſemper videtur ſatis inconveniens. ,, Arguo ergo ſic: Omnis habitudo præſupponit ,, extrema illius habitudinis: ſed habitudo illa ,, eſt æterna: ergo præſupponit ab æterno homi- ,, nem, & animal in aliquo eſſe, quæ ſunt extre- ,, ma habitudinis. Aliqui dicunt quod iſta non ,, valet: quia non ſequitur: homo eſt ani- ,, mal, ergo homo eſt: cujus tamen oppoſitum ,, videntur probare iſtæ rationes, ſed iſtud nihil ,, eſt, quia aut intelligis de eſſe exiſtere, & tunc ,, verum dicis nec de hoc eſt dubium, ſi autem in- ,, telligis de quocunque alio eſſe, oſtendo evi- ,, denter quod hoc eſt impoſſibile, accipiendo ,, uniformiter eſſe: & hoc ſic: Poſito toto integra- ,, li ponitur quælibet pars ejus neceſſariò: ſed iſta ,, propoſitio: homo eſt animal, eſt quoddam in- ,, tegratum ex homine & eſſe, & animali, ergò ea ,, poſita ab æterno tanquam quodam toto, ne- ,, ceſſariò, homo, & eſſe, & animal aliquali- ,, ter ponuntur: nec potes dare ita parvum eſſe ,, quin illud ſufficiat. Ita ille accuratè: cui ut reſpondeam, reſumo doctrinam à me ſupra tactam hoc ipſo Tomo. Apolog. 2. Act. 2. & 6. ſcilicet quod *Ens*, &c. *res*, & ſimilia *ſint* ſeu habeant *eſſe* ſolummodo actu poſita, ponibilia autem, & poſita de præterito ſic dici eſſe ex impoſitione philoſophorum, ad diſtinguendas veras eſſentias ab impoſſibilibus. Unde concedo totum argumentum hoc modo: ſi autem alio modo loquatur, concedo aſſumptum, nego illatum: propoſitio fuit vera, ſed id non facit objectum eſſe aut fuiſſe; quia nimirum id non affirmatur per ly *eſt* in copula & in hoc videntur hallucinari arguentes. Senſus autem horum: homo eſt animal; animal eſt corpus &c. eſt, quod ad hominem componendum concurrere debeat corpus, vel animal &c. vel quod homo exigat animalitatem aut corporeitatem &c.

Fateor tamen ſupereſſe aliquid virtutis argumento: Omnes enim illæ propoſitiones reſolvuntur in aliquam affirmativam, adeoque in aliquid poſitivum, v.g. iſta; homo exigit corporeitatem: certè enim hoc exigens debet eſſe aliquid; nam *nihil* non exigit corporeitatem, ſimiliter recurret alia; & quæcunque in quam reſolveris propoſitionem, adeoque.

Extinguam tamen hanc Confirmationem, & cum ipsâ totum argumentum ſaltem ad hominem: nam etiam hæc eſt ab æterno vera: mons aureus eſt compoſitum ex monte & auro; aliæ chymeræ ſimiliter, ut hircocervus, ex hirco & cervo &c. nec tamen adverſarii tribuunt poſitivum eſſe his monſtris ab æterno, non ergo debent id exigere à nobis etiam in eſſentiis veris

Objicicio ipſe ſecundo, non quidem univerſaliter pro omnibus, ſed unum pro ſe: & eſt Tempus, etenim hoc eſt aliquid, & fuit ante creationem Mundi, id eſt, antequam Deus quidquam produceret ad extra: non ergo tempus eſt factum à Deo; & tamen eſt aliquid, nam in eo exercentur operationes, adeoque ipſum eſt quid reale, quia menſura debet eſſe homogenea. Deinde eſt diviſibile, poteſt enim inde accipi unus annus, duæ horæ: & ſucceſſivum quia una pars non coexiſtit alteri. Ex quo etiam provenit ei alterum prædicatum poſitivum, ſcilicet eſſe impenetrabile de abſolutâ cujuſque potentiâ, ut ſuo loco notavi. Hæc autem omnia competere alicui improducto patet, quia pro his non ſufficit allegare motum illius corporis, nam quieſcentibus omnibus daretur ſucceſſio, & de facto fuit tum initio Mundi, tum temporibus Joſue utcunque. Præterea arctius ſic: Potuit Deus creare Mundum uno anno citius ſine dubio, atque etiam uno tardius: hic annus quæro quomodo computandus ſit. Certe non per motum realem ullius corporis, quùm ante Mundum creatum nullum fuerit aut potuerit eſſe, ergo per ſpacium quod vocamus imaginarium temporis. Reſpondeo tamen hoc non pugnare contra concluſionem poſitam; Primò, quia (ut fatetur ipſum argumentum,) non eſt univerſale, ſed procedit de determinatâ eſſentiâ. Secundò, quia illud ſpacium non eſt quid poſſibile, nam non poteſt produci ad magis ſolidum eſſe quam quod habet, non ergo hinc ſequitur aliquid poſſibile eſſe poſitivum; ſed aliquid actuale

Objicit alius tertiò: ſaltem hæ ſunt veræ ab æterno: Homo poteſt exiſtere; chymæra non poteſt; ſicut etiam in tempore ſunt veræ, debet ergo aliquid diſparitatis eſſe inter utrumque; atqui eſſe non poteſt quidquam, ſi utrumque æquè ſit nihil ut nos volumus, (inæqualiter enim nihil eſſe non poſſunt) Reſponderi ſolet; ideo totum hinc inde verificari, quia hoc eſt hoc, & illud eſt illud: ſed redit arguens, & requirit, quid ſit hoc eſſe hoc? puta hominem eſſe id cui non repugnet produci, aut poni in eſſe: aut enim talis terminorum connexio eſt quid actua-

actua-

actuale in ſe, & habetur intentum; aut potentiale in cauſa, & tunc redit quæſtio; quæ invaleſcit admodum ex hoc capite: quia nimirum ineptitudo chymeræ ad vivendum, non poteſt reduci in impotentiam cauſæ: cur v.g. chymera non poteſt gigni, non poteſt referri in impotentiam Dei, quia hic ex parte ſua habet omnem potentiam poſſibilem aut imaginabilem, quùm de facto habeat infinitam: debet ergo referri in rationem quidditativam & conſtitutivam chymeræ, & oppoſitum in quidditatem humanitatis: certum eſt autem quod negatio non ſit fundamentum hujus poſſibilitatis aut combinationis terminorum, adeoque quidditas hominis non erit negatio ſed aliquid poſitivum. Reſpondeo hoc & ſimilia ſupponere apud Adverſarios quod nos dicamus hominem, &c. eſſe vel fuiſſe negationes ab æterno, quod non eſt verum: ſunt quidem nihil, etſi hoc ipſum vere magis quam propriè dicatur, quia ſonat affirmativè quum ſit mere negativa. Rectè ergo dicendus eſt homo non fuiſſe ens, aut res ab æterno: per quod ſolves alia quæ hic omitto, apud Albertin. legenda: Præſens autem ſolvitur, quia etſi demus eſſe utrinque negationes, tamen una negatio poteſt eſſe alterius rationis ab aliâ: & ſicut datur ſtatus in prædicatis poſitivis, ut ultra non ſit quærendum, ita datur in negativis aliqua propoſitio quæ ſit prima, nec poſſit aſſignari cauſa ejus.

6. Dico deinde poſſibilia accipere aliquod eſſe à Deo ab æterno, (non accipere poſſibilitatem) & adhuc illa nihil eſſe. Tota eſt Subtilis, maxime prima pars, quæ patet, quia intelliguntur à Deo ſine dubio ab æterno: adeoque habent eſſe cognitum ab eo. Et confirmatur: quia cognitio ipſa eſt quædam exhibitio rei, eſt enim expreſſio ejus. Dixi confirmari rationem per hoc, quia etiam voluntas Divina amando poſſibilia dat illis eſſe quoddam, ſcilicet eſſe amatum: at enim hoc eſſe non eſt productio objecti in aliquo ſtatu: non enim amor exprimit objectum ſicut cognitio.

Ratio ſecundæ partis: quia cognitio ſpeculativa non facit objectum ſuum ſed ſupponit: cum ergo Deus cognoſcat hominem, v.g. poſſibilem ab æterno, non reddit eum poſſibilem, ſed invenit: Iterum quia poſſibilitas non eſt res quæ poſſit ab extrinſeco provenire; quod ſic oſtendo; quia Deus v. g. operans circa hominem aut invenit eum poſſibilem, & eſt intentum; aut impoſſibilem, & ita ſemper relinquet eum, nam impoſſibile produci non poteſt, alioquin impoſſibile eſſet poſſibile, imò eſſet actu quando improducibile produceretur.

Dices primam partem hujus pugnare tertiæ: nam *aliquod eſſe* & *nihil* ſunt in duobus angulis oppoſitis, & contradicunt plane, quia *nihil* eſt univerſale negativum. Reſpondeo hoc exigit explicari utrumque, quod fecit Doct. ſtatim adferendus. Interim oſtendo multipliciter, quod hoc non obſtante poſſibilia nihil ſunt; primò, quia illud eſſe non eſt objectum, ſed actus & attingentia ejus. Secundò quia etiam ſimpliciter & neceſſario nihila, puta chymeræ & figmenta cognoſcuntur à Deo, nec tamen deſinunt eſſe nihila, alioqui eſſent poſſibilia. Totum egregiè Doctor adferens, *exemplum hujus, ſi Cæſar eſſet annihilatus, & tamen eſſet ſtatua Cæſaris, Cæſar eſſet repræſentatus per ſtatuam: illud eſſe repræſentatum eſt alterius rationis ab omni eſſe ſimpliciter ſive eſſentiæ ſive exiſtentiæ, nec eſt eſſe diminutum Cæſaris quaſi aliquid Cæſaris habeat hoc eſſe, & aliquid non; ſicut æthiops eſt diminute albus, ſed totius Cæſaris, &c.* ut quemadmodum pictura hominis nihil habet humanitatis, licet habeat aliquid entitatis, ita poſſibilia illa longiſſimè abſunt ab actu quo cognoſcuntur, taliter ut actu exiſtente poſitivo, & reali, illa remaneant nihila in ſe, licet in alio ſint aliquid.

Sed hinc inſtari poteſt quod objecta repræſentata ſint actus repræſentans; hic eſt poſitivum quid, adeoque & illa: quod videtur importari illo Joan. 1. *Quod factum eſt in ipſo erat.* Reſpondeo de hoc non quæri aut reſponderi à me in propoſito; non enim eſt lis an poſſibilia ſint aliquid in cognoſcente, ſed in ſe ipſis. Quam autem exactè Poncius dixerit *hoc eſſe* poſſibilium eſſe medium inetr reale, & rationis, ante me diſcuſſit Maſtr. deinde defendit ipſe Ponc. in addit. 2. edit. ſui curſus: quiſque tam acriter alteri inſultat, ut non ſit opus me ullum impugnare.

* * *

ACTIO II.

Quid ſit poſſibilitas rerum?

Breviarium.

N. 1. *Poſſibilitas creaturarum non eſt ab intellectu Divino.*

2. *Objicitur in contrarium Scotus, & reſpondetur.*

3. *Objicitur ratio, & ſolvitur. An creaturæ ſint poſſibiles in inſtantibus Divinarum proceſſionum.*

4. *Poſſibilitas creaturarum non eſt denominatio extrinſeca ab omnipotentiâ Dei.*

5. *Objectiones contra hanc ſecundam concluſionem, & ſecundam Actionis præcedentis.*

6. *Rejecta quorundam Recentium explicatio poſſibilitatis.*

7. *Reſolvitur quid ſit ſimpliciter poſſibile.*

8. *Adferuntur & ſolvuntur objectiones contra reſolutionem.*

Digitized by Google

1. TActum id in calce Action. præcedentis; ſed res eſt uberiori examine digna. Ibi impugnavimus dicentes eam fieri per intellectum divinum, quæ fuit aliquorum ex noſtris Scotiſtis opinio. Recentes aliqui volunt eam eſſe denominationem provenientem ab omnipotentia Dei. Ultimo denique, tam noſtri quam novi illi conſenſerunt utrinque poſſibilitatem rei eſſe: *quod ſi res illa ponatur exiſtens, non ſequantur duo contradictoria ſimul vera.* Fateor difficulter hoc negari poteſt, aut aliud adſerri, quod cum hoc non coincidat. Nihilominus, ut veritatem ipſam in materiâ tam tenui latentem, & quaſi fugitivam rimemur; mihi nihil horum ſatisfacit.

2. Dixi eam non haberi ab actu intellectus Divini: Quod hic confirmo: quia ipſe actus divinus eſt poſſibilis, non tamen hoc modo, ergo jam non omne poſſibile ſit tale hoc modo. Dices, imo illum eſſe hoc modo poſſibilem, quia eſt à ſe, id enim eſt illi eſſe poſſibile ab actu intellectus divini, cùm ipſe ſit ille actus. Reſpondeo actum eſſe poſſibilem imò exiſtentem à ſe, at non à ſe ut ab objecto ſui ſed ut ab actu, quia antequam intelligatur ferri in ſe reflexè, eſt poſſibilis imò neceſſarius ille actus; non ſic autem volunt illi alia eſſe poſſibilia, ſed præciſe ut objecta actus: & quidquid ſit de actu Dei, res eſt clariſſima de ipſius ſubſtantia aut eſſentia, hæc enim non poteſt eſſe talis per actum ſuum, quum ſit prior non ſolum actu, ſed ipsâ potentiâ intellectivâ. Dicent ſtatim quæſtionem eſſe de poſſibilitate creaturarum, non vero de illâ Dei: ſed præterquam quod titulus eſt abſolutus, oſtendo hoc non ſufficere, quia prædicata tranſcendentalia, qualia ſunt poſſibile, impoſſibile, exiſtens, &c. ſunt univoca ubique, & ejuſdem rationis, ut puto conſtare ex ſupradictis à me. Unde proſequor hoc argumentum: ratio entis eſt homonyma & eadem in D. Deo & creaturis, (quod ibi latè oſtendi:) atqui hæc de quâ agimus eſt ipſa ratio entis, ergo. Vis eſt in Minori, quam ſic ſuadeo: conceptus entis realis (qui eſt illud univocum) eſt poſſe exiſtere: atqui poſſibilitas de qua agimus eſt ad exiſtendum, ergo.

Denique ſic arguo, aut proſequor potius rationem ſupra num. 6. præcedentis cœptam: Actus ille intellectus divini, eſt ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ quam vocant: per hanc autem non poteſt objectum reddi poſſibile; hic enim fertur in neceſſaria, & indifferenter in omnia, unde novit etiam impoſſibilia! atqui cognoſcendo impoſſibilia non reddit ea poſſibilia, alioqui non cognoſceret impoſſibilia, ſed poſſibilia, ergo nec cognoſcendo noſtra hic reddit ea poſſibilia: Explico argumentum: Deus illâ ſcientiâ ſcit chymæras, v.g. montes aureos eſſe tales, novit enim omnem veritatem, hæc autem eſt aliqua veritas: atqui per hoc non reddit chymæram poſſibilem, cur ergo reddet hominem poſſibilem? certe ex parte actus non poteſt aſſignari diſcrimen; erit ergo ex parte objectorum, ſcilicet hominis præ chymerâ quod eſt intentum, &c.

Proſequor amplius ſic: ideo ponitur illa ſcientia in Deo ne aliquid eum lateat, ſivè ut ſciat omne ſcibile: ſed ſi ſtemus principiis Adverſariorũ poterit Deus non habere hunc actum de homine quod ſit poſſibilis, nam ſi ille non videret hominem eſſe poſſibilem, homo non erit poſſibilis, adeoque non omittet ullum ſcibile neſciendo hoc, quia hoc non eſt ſcibile, niſi ipſe ſciat ſeu intelligat hominem eſſe talem: Tenent tamen Adverſ. & omnes non poſſe à Deo omitti illam ſcientiam ſeu illum actum erga hominem, idque ne forte contingat eum quidpiam neſcire, ergo huic ſcibile de hoc non provenit à Deo, vel actu ullo ejus.

Objici poteſt & ſolet Scotus qui in 1. cit. ſignificat creaturas produci in primo eſſe ſuo ab intellectu Divino, & ab ipſo accipere poſſibilitatem, quod illi acriter & ſæpe objectum eſt à veteribus, Aureolo præſertim, & poſt eum Ockamo, deinde à recent. Albertin. &c. nec eſt quod Scotiſtæ tergiverſentur, aperte enim diſt. 43. q. unic. num. 5. Scotus ait: *per ipſam potentiam ſub ratione qua eſt omnipotentia non habet obiectum quod ſit primo poſſibile, ſed per intellectum Divinum producentem in primo inſtanti illud in eſſe intelligibili:* quod ferè reperit 2. d. & q. 1. & alibi: unde non caret nodo negotium, & longiſſimus eſt in eo ſolvendo Briſenus. Quod mihi videtur ad explicandum eum eſt, primo ipſe Scotus, qui etiam oppoſitum tradit, ſcilicet creaturas à ſe eſſe formaliter poſſibiles, unde non poteſt citari pro poſſibilitate proveniente ab extrinſeco ut impediat intrinſecam rerum poſſibilitatem. *Poſſibilitas Logica abſolute ratione ſui poſſet ſtare, licet per impoſſibile nulla potentia eam reſpiceret:* ait idem diſt. 36. ejuſdem pr. & ib. *Quare homini non repugnat eſſe, chymera repugnat? ratio eſt quia hoc eſt hoc, & illud eſt illud; & hoc in quocunque intellectu concipiente, quia quidquid repugnat alicui, formaliter, ex ſe repugnat.* Ecce res ex ſe poſſibiles formaliter, independenter ab *intellectu quocunque*, & ab *ulla potentia*. Adhuc aliter dicerem ſecundum Scotum, rem accipere ab intellectu Dei eſſe objectivum, non autem eſſe formale poſſibile; ſic ſe explicat ipſe in 2. cit. *producitur* (inquiens) *actu intelligentiæ in tali eſſe obiecti:* & ibidem. diſcurſum ſuum concludit dicens: *ita probari poteſt quod prima cauſalitas reſpectu cauſabilium in eſſe cognito neceſſario ſit in tribus perſonis.* Addo tertio, & dico hanc modum loquendi Scoti non carere fundamento; quia nimirum ſi introſpiciamus iſta, creaturæ non habent eſſe prius quam intellectus divinus circa illas verſetur. Etenim neceſſario concedenda eſt prius poſſibilitas Deo & Divinis (Logica intelligo quæ debet etiam in quocunque inveniri) quam creaturis, atque adeo in inſtantibus proceſſionum quâ Pater à ſe, filius à Patre eſt, &c. creaturæ non ſunt, unde primo incipiunt eſſe, quando Deus aliter agit: prima autem actio Dei eſt per intellectum, adeoque. Quarto denique addi poſſet ex ipſo Scoto, creaturas dupliciter habere eſſe à Deo, unum in intelligentiâ, alterum in memoriâ: ſed quia hoc Theologicum eſt, differatur alio, & expectetur ibi. Interim

3. Objici poteſt ratio, quam ipſe jam attuli in tertia ſolutione: ſi enim creaturæ non habent eſſe in primis illis inſtantibus, quibus exercentur Divinæ proceſſiones, aut ſaltem in illo inſtanti primò primo, in quo intelligitur eſſe eſſentia, & individuum Deitatis ante perſonas, jam non habent eſſe à ſe: ſi autem ab alio, certe à Deo, & ſi ab hoc ullatenus, ſequitur quod per intellectum agente. Nego tamen conſequentiam, quia etiam perſonæ Divinæ ſunt à ſe & tamen producuntur.

Scot.

cuntur. Per quod ſane non parum promovetur illa doctrina (ſi ſit) Scoti, quod ſcilicet creaturæ accipiant eſſe poſſibile ab intellectu divino: nam etiam Verbum Dei eſt à ſe formaliter, eſt neceſſarium, independens, &c. tamen producitur in toto hoc neceſſario eſſe per intellectum divinum; quidni ergo dicamus idem de creaturis in illo umbratili eſſe eorum? num plus illis favebimus propter ratiunculas Metaphyſicas quam Verbo Dei? ſequendo tamen filum reſolutionis aſſumptæ, cenſeo aſſertum illud in illis terminis Scoti eſſe probabile; quod etiam confirmabo rationibus infra. num. 5. hic

4. Dico ſecundò poſſibilitatem creaturarum non eſſe denominationem extrinſecam deſumptam ab omnipotentia Dei, ſive à virtute productiva creaturarum quæ in ipſo eſt. Hoc jam dixit Subtilis ſupra: poſſibilitas creaturarum ſcilicet poſſet ſtare licet per impoſſibile nulla potentia eam reſpiceret. Contrarium tamen tenuerunt antiqui & moderni aliqui: contra quos

Arguo primò; ſi denominatio tracta à potentiâ externa activâ redderet poſſibile, nullum daretur impoſſibile, hoc apud omnes eſt falſum, ergo & illud. Probo ſequelam: quia potentia activa quæ de facto eſt, (divina ſcilicet) eſt omnipotentia, ſivè habet potentiam reſpectu omnium omnino, quantum eſt ex parte ſua, præſcindendo ut facimus ab alterâ parte quæ ſunt poſſibilia, alioquin illa eſſet limitata. Unde confirmo argumentum, quia nimirum illa potentia Dei in ſe eſt infinita, ergo poteſt & debet denominare infinita, id eſt, non tot quin plura, & quæcunque cogitari poſſunt, alias non eſſet ſumma cogitabilis, nam major eſſet illa quæ poſſet in alia, quæ ſupponuntur exceſſiſſe hanc potentiam activam. Iterum ſic: demus per poſſibile vel impoſſibile chymæram reddi poſſibilem; tum Deus poterit producere eam ſine dubio; quo facto ſic arguo: in eo caſu non eſſet opus addi aliquid potentiæ activæ Deo, & tamen eſſet productivus chymeræ, ergo hodie eſt productivus ejus, quia eandem potentiam jam habet: ſed quia hæc ratio pro priori ejus parte, viſa eſt aliis.

Arguo iterum ſic: ſi potentia activa, aut impotentia externa ſufficeret ad denominandas res paſſivè tales, fruſtrà ponerentur formæ in ſubjectis ad reddendum eas formaliter tales, puta poſſibiles aut impoſſibiles in hoc genere: Explico me; nam intelligo nominatim de quantitate; non enim ponenda eſſet ulla impenetrabilitas poſitiva in ipſa aut per ipſam: ſufficeret enim quod in agente naturali non detur potentia penetrativa, nam eo ipſo illa ſufficienter erit impenetrabilis; hoc autem nolunt audire in ſcholis; adeoque neque alterum iſtud erit audiendum, alioqui adferatur diſparitas, quam equidem non video: unde

Pergo, & probo ad hominem: ſecundum Adverſ. productio ipſa paſſiva non eſt denominatio extrinſeca, ſed intrinſeca, & potius producens ſeu productio activa eſt extrinſeca, utraque enim eſt idem, quia apud hos actio & paſſio ſunt unum quid, quod re ipſa in paſſo eſt; quare ergo producibilitas erit denominatio extrinſeca, & non potius intrinſeca, utique enim ſic producitur res quomodo eſt producibilis, alioquin eſſet improducibile eo modo quo producitur, & produceretur eo modo quo non eſt producibile, ſi ergo ab eo quod eſt in paſſo agens dicitur agere, nonne etiam debet dici activum ab eo potius quod in ipſo eſt potentialiter, quam è contra paſſum producibile ab eo quod reddit agens productivum? Deinde non poteſt quod prius eſt deſumi à poſteriori; prius autem eſt aliquid eſſe producibile, quam aliquid productivum ejus, quia nimirum abſolutum in quolibet genere prius eſt relato, atque ita producibile abſolute quam producibile ab hoc; Unde ſic inſtari poteſt: producibilitas eſt conditio, ad hoc ut aliquid ſit productivum, aut non eſt; ſi ſic, jam non poteſt præſtari per productivum; ſi non ſit, ergo jam aliquid poterit eſſe productivum alicujus non productibilis: ex quo habetur, quod licet detur potentia productiva alicujus non proinde illud reddetur productibile, neque illa potentia ſufficiet ad denominandum.

Denique libet ſic arguere: omnis denominatio ſupponit ſubjectum cui tribuenda eſt, adeoque ut aliquid denominetur producibile à potentia productiva, debet illud eſſe ut denominetur. Hic autem quando denominatio tribuenda eſt, nihil eſt, ergo non tribuitur illa denominatio: quæ ratio ſic formari poteſt: quod denominatur à potentia illa activa aut eſt nihil aut eſt aliquid: ſi aliquid, jam non accipit primum eſſe à potentiâ illâ vel ab ordine ad ipſam: nihil autem non poteſt dici, quia non poteſt denominari: nihil enim non eſt producibile, ſive, non poteſt recipere exiſtentiam, quia illud tum eſſet maximum monſtrorum, ſcilicet nihil reale, poſitivum negativum.

Objectiones contra hanc ſecundam Concluſionem, atque etiam ſecundam Action. præcedent.

5. Spopondi ſupra me novis rationibus oſtenſurum phraſis illius probabilitatem quæ ſæpe apud Scotum legitur, quod ſcilicet poſſibilia fiant talia ab intellectu Divino; quod hic præſto, adferendo rationes quæ ſuadent id à Deo, & aliqua ejus potentia provenire.

Sit ergo prima hæc ratio: Quidquid eſt, vel à ſe vel ab alio eſt (inter hæc enim non datur medium,) ſolus Deus eſt à ſe; ſi ergo ſumamus creaturas illas, v. g. homines ut quid diſtinctum à Deo, quod facimus: debent neceſſario ab alio eſſe, utique à Deo, atque adeo per actionem vel habitudinem ſuæ voluntatis, quæ eſt omnipotentia ejus, ſive intellectus, quæ fuit phraſis Scoti ſupra. Huic tamen reſponſio in promptu, eſt illas eſſe ab alio, & quidem à Deo in illo ſtatu non exercitè ſed ſignate, quatenus ſcilicet ſupponunt pro exiſtentia ſuâ quæ certiſſime erit ab alio ſcilicet à Deo. Contra quam ſolutionem non male pugnavit Salmanticenſis quidam, ſic: Exiſtentia creaturæ non poteſt negari Deo ſine injuria ut reſpondentes fatentur, ſed multo minus negari ei debet eſſentia, nam ex duobus illis nobilius & principalius eſt eſſentia quam exiſtentia, ſi ergo exiſtentia non poteſt negari Deo quantò minus eſſentia? quod argumentum ſic inverto: ſit enim nobilior exiſtentia, & tunc ſequitur idem intentum, quia ſi exiſtentia à ſe non poteſt eſſe, quæ tamen nobilior eſt, quanto minus eſſentia quæ debilior

bilior eſt. ſtando nihilominus in reſolutione cæpta, quæ communior & Scoti eſt, Reſpondeo huic argumento reſponſum eſſe: Cætera quæ adferuntur à Salmanticenſi laborant falſitate ſuppoſiti, ſupponunt enim eſſentias illas eſſe aliquid cum nihil ſint; nam exiſtens & res, convertuntur Phyſicè & verè, licet Logice aut Metaphyſice ſoleant dici entia & realia, aut res quæ futura ſunt talia, aut quæ fuerunt, atque & jam quæ eſſe poſſunt.

Objicit ergo iterum idem Salmanticens: Idem numero cum omnibus ſuis gradibus & prædicatis quæ importat in ſtatu exiſtentiæ extra cauſas præfuit ante productionem in ſtatu poſſibilitatis, alioquin aliquid foret exiſtens quod non fuit poſſibile exiſtere; ſed res actu exiſtens fluit à potentiâ Dei: ſeu facultate ejus exequutiva, ergo & res poſſibilis. Reſpondeo eodem tenore, ſcilicet illud poſſibile fluere ſignatè ab omnipotentia non exercite, ſive non pro eo quod proprium eſt illius ſtatus. Iterum etiam redit huic ſua imaginatio, quod ſcilicet poſſibile fuerit aliquid actuale: quod ſemper negandum eſt ei, utpote falſum in terminis & ſibi pugnans, ergo illud *eſt*, aut *fuit* dictum de poſſibilibus fallit; non enim *eſt*, aut *erit* niſi ut ſupponi pro exiſtente.

Tertiò ſic inſto: res quælibet ſic eſt ponibilis antequam ſit, quomodo deinde eſt: ſed creatura, v. g. homo exiſtens ab alio exiſtit ſeu eſt, ergo ab alio eſt poſſibilis: ſi autem ab alio ullo, certe à Deo, aut ordine aliquo ad ipſum quod erat intentum: major autem patet, quia alioqui aliquid, aut ſaltem modus aliquis rei eſſet exiſtens qui non erat poſſibilis; & poſſibilis quæ nunquam, (deberem dicere poſſet poni; ſed hoc ſtatim negaretur quia Synonymum eſt huic quod eſt eſſe poſſibile) reddi poſſet futuras vel in actu extra, explico rem ſuo caſu: homo ab æterno eſt poſſibilis: ſi ab alio, habetur intentum, quia jam poſſibilitas communicatur ei: ſi autem à ſe, jam etiam exiſtentia inerit & aderit ei à ſe; ad hanc enim eſt illa poſſibilitas ut ad terminum, & illa hujus eſt. Dicere autem quod re poſſit taliter eſſe, & quod deinde illa taleitas implicet, eſt ponere potentiam ad impoſſibile, quo nihil implicantius, ergo. Hoc tamen cum totâ argutiâ ſuâ, aliquid ſummuliſticum, & nominale ſapit, ac ſonat, & proinde tali filo eſt evadendum: dicam ſcilicet illud à ſe dupliciter hic cadere poſſe, vel ſupra poſſibilitatem, vel ſupra exiſtentiam: cadit autem ſupra primum; unde ſenſus eſt: Hoc A, habet poſſibilitatem ut accipiat à ſe exiſtentiam; quomodo dicimus cives ſuo ortu habere jus ut fieri poſſint adminiſtratores illius Reipublicæ: unde licet adminiſtratio eis à Principe provenire debeat, tamen aptitudo provenit eis à ſe ipſis.

Objicio ipſe ultimo: poſſibilitas creaturæ eſt producibilitas, ergo ſi nullum eſſet productivum nullum eſſet poſſibile, quia nullum eſſet producibile, ergo de facto fiunt poſſibilia per productivum earum; hæc autem eſt omnipotentia Dei ergo. Confirmo etiam; Demus implicare Deum; aut implicabunt creaturæ, aut non implicabunt, primum eſt intentum: ſecundum autem eſt falſum, quia creatura eſt ens ab alio: ſi autem implicaret aliud, certe implicaret ens ab alio: atqui tunc implicaret aliud à creatura, quia hoc eſt ſolum Deus, ergo jam per Deum vel aliquam virtutem ejus redduntur creaturæ poſſibile; quando enim negatio, eſt cauſa negationis, tunc affirmatio erit cauſa affirmationis. Hoc eget longiori examine, quod fortaſsis infrà accipiet: pro nunc dico latere hic fraudem aliquam ſeu quaſi æquivocationem: fundatur & circumfertur tota vis argumenti per eſſe creatum aut creaturæ: agendum autem foret de rebus ut ſpecies quædam ſunt, non autem ut creaturæ. Decidendum eſt v. g. unde homo habet eſſe poſſibile? verâ re homo eſt creatura; tamen concipi poteſt ut talis eſſentia abſtrahendo ab eſſe vel non eſſe creaturam: unde ſi per impoſſibile homo deſineret eſſe creatura, ut ſi daremus idola gentium non fuiſſe tantum nomina, ſed numina, adhuc retinerent poſſibilitatem ſuam, nam termini non implicarent; ſcilicet ſenſibile, & diſcurſivum, animatum ſenſitivum, &c. Objectio autem eſt tota extra hunc circum; & ludit circa aleitatem, quæ ſine dubio poſcit ſecundum, non minus quam dualitas. Simile eſt hoc, quod

In fine addo: Hæc cauſalis eſt vera; quia hoc agit illud patitur: v. g. quia ignis urit, ideo lignum uritur; quia ille ſecat, ego vulneror; & ſimilia, non vero è contra, quia ego vulneror, propterea ille ſecat, aut ſimilia; nam *efficiens eſt unde motus mutationiſque primum eſt principium*: ergo ſimiliter valebit hæc cauſalis: quia hoc eſt productivum, ideo illud eſt producibile: trahitur enim conſequentia ab actu ſecundo ad primum, quod videtur validum; utique enim ſicut ſe habet agere ad pati, ita poſſe agere ad poſſe pati, adeoque à primo ad ultimum potentiæ productivæ quæ eſt omnipotentia Dei eſt ratio cur aliquid ſit poſſibile. Redit huc doctrina data ſuperiori argumento; non enim in terminis ſive formaliter loquendo idem eſt eſſe producibile & eſſe poſſibile; ſed hoc ſecundum abſtrahit ab illo primo; loquimur enim de poſſibilitate Logicâ; quam etiam Deus ipſe retinet, nec tamen retinet, aut habet producibilitatem. Huic ergo opportuna eſt diſtinctio illa de poſſibilitate Logica, & poſſibilitate objectivâ: ſecundam hanc habent res, fortaſsis à potentia extrinſeca productiva; primam certe à ſe ipſis, alias nec ipſam nec aliam accipere poſſent ab extrinſeco.

Supereſt aliquid hic enodandum, nam objecta hæc etiam ut ſpecies ſunt involvunt abaleitatem; quia homo v. g. eſſentialiter eſt creatura, atque ita ens ab alio, ergo jam non rectè diſtinximus hæc ut ſpecies ſunt à ſe ipſis ut creaturæ ſunt. Reſpondeo ita eſt de facto & realiter, non ita formaliter; quia concipi poteſt humanitas non determinando utrum ſit à ſe, an ab alio: Iterum; homo eſt eſſentialiter creatura, ratione graduum propriorum & prædicamentalium, nego: ratione tranſcendentalium tranſeat; at vero tranſcendentia non ſemper ſunt immutabilia in rebus, ex tranſcendentibus autem eſt eſſe à ſe, aut ab alio, &c. Exemplum eſt in Relatione, quæ quidem de ſe apud nos eſt accidens, (& quidem eſſentialiter inhærens) qualia ſunt novem poſtrema prædicamenta, & tamen ſeparari poſſunt ratio accidentis, & ratio relationis; nam in Deo relationes ſunt, accidentia non ſunt.

* * *

Digitized by Google

Altera Pars Reſolutionis.

6. NOn omnino placet explicatio poſſibilitatis, quod ſi poſſibile poneretur, nulla ſequetur contradictio. Moveor, quia poſſibile jam eſt: definitio autem illa, non eſt, ſed eſſet: Definitum eſt abſolutum; definitio eſt conditionata; at vero ſcimus menſuram, & menſuratum debere eſſe homogenea; nec enim poteris metiri longitudinem per pondus: ſcimus definientia debere eſſe ejuſdem generis cum definito, neque enim recte ſubſtantiam per accidens deſcribas.

7. Dicerem potius, quod Poſſibile ſit illud cujus termini non repellunt ſe invicem, ſed compatiuntur: v. g. dicam hominem eſſe poſſibilem, quia animal & rationale non repellunt ſe, ſed compatiuntur: Montem aureum eſſe impoſſibilem quia termini componentes hunc non compatiuntur ſe, ſed repellunt, eo quod mons eſſentialiter petat eſſe ex terrâ, adeoque non ex auro; unde mons aureus perinde eſt ac ſi dicerem, terra aurum, aut homo irrationalis.

8. Contra hoc tamen facit primo, quod juxta meam definitionem ens non eſt poſſibile: patet, quia ens non habet terminos componentes qui ſe compatiantur. Sed Reſpondeo primò hinc non haberi, quin ſaltem reliqua omnia inferiora & compoſita ſic explicentur; de his autem eſt quæſtio quam maximè: Deinde dici poſſet hos terminos, ens poſſibile, non pugnare, ſuntque duo & non unus, ſed enim quid ex hoc ſequitur niſi ens poſſibile eſſe poſſibile, quod identicum, & ridiculum eſt. Melius dicam ens eſſe quidem in ſe ſimplex, ſed à nobis intelligi & concipi conceptu complexo ut patuit ſupra, ubi ipſum explicuimus: hujus autem complexi partes non pugnare. Deniq; ſit ſimplex, neque habeat partes, tum partes ejus non pugnabunt, quia non ſunt.

Alterum objici poteſt, ſed ſimile; nam in ipſis complexis aliquid attendendum eſt prius convenientiâ & diſconvenientiâ partium: v. g. homo apud me eſt poſſibilis, quia partes ejus, puta animal & rationale non pugnant: at vero videndum erat prius utrum ipſæ partes ſint poſſibiles; hoc autem non poterit explicari per non repugnantiam partium ſemper, ſed erit ſtatus in aliquo impartibili, adeoque hæc deſcriptio non ſufficit omnibus poſſibilibus. Dixi hoc fuiſſe ſimile præcedenti; tamen ſolutio ejus non erit ſimilis illius ſolutioni, ſed eadem; etenim objectio reſolvitur in hoc quod deveniendum ſit denique ad ens, aut alia ſimpliciora, de quibus dicendum idipſum, quod jam dixi de ente.

Fuit quorundam inventio quod poſſibilia dependeant à Deo, & emanent ab eo in genere cauſæ exemplaris; ad quod dicendum devenerunt, eò quod nollent creaturas omnino independentes facere, nec aliam invenerunt quam approbarent. At enim neque hæc dependentia fuit approbanda; quod ſic oſtendo; quia dependentia in genere cauſæ exemplaris neceſſario comitatur efficientiam; creatura autem in illo eſſe ſecundum Adverſ. non dependet ab ullo in genere cauſæ efficientis, ergo. Major ſe ipſam probat, quia exemplar regit efficientem, & ejus cauſalitas conſiſtit in adjuvando efficiente inter agendum: quemadmodum magiſter qui dicit puero quomodo debeat ſcribere mediante pacto influit in Scripturam non aliter.

Secundò contra ipſos: omnis cauſatio Dei ad extra eſt libera; emanatio poſſibilium ad extra non eſt libera, ſed neceſſaria, ergo non eſt à Deo. Si dicas, poſſibilia quidem eſſe neceſſaria, ſed influxum Dei eſſe liberum: refelleris, quia omnes cauſæ alicujus neceſſarii debent eſſe neceſſariæ, hæc eſt aliqua, imo tota, adeoque neceſſaria: Dices forte Majorem eſſe veram de cauſis neceſſario requiſitis, ex quibus non eſt exemplar, nam pictores ſine exemplo pingunt. Contra eſt quod in æternis nihil eſt contingens, illa exemplatio eſt æterna: Deinde nulla influit in ullum effectum niſi neceſſaria, alioquin aliquid adderetur ad cauſam adæquatam; illa influit ſecundum ſe: adeoque.

Video aliam viam fugæ, ut dicatur omnem influxum efficientem Dei ad extra eſſe liberum; alium autem puta formalem, non: ſed non ſufficit, nam rationes axiomatis redeunt de quacunque cauſa & quacunque cauſatione; non enim Deus poteſt neceſſario amare bonum infinitum & limitatum; amat autem ſeu vult quidquid cauſat, &c. quæ petenda ſunt ex proprio loco.

Objiciunt: Creaturæ non ſolum ſecundum eſſe exiſtentiæ, ſed etiam ſecundum eſſe eſſentiæ ſunt imagines Dei, quod PP. communiter tradunt: & ſane eſſe imaginem cuivis convenit ratione eſſentiæ ſeu quidditatis; at vero prototypum omnino influit in imaginem ſui, adeoque Deus hoc modo in creaturas.

Urgent infirmando rationem à me allatam; quia ratio imaginis non eſt infallibiliter connexa efficientiæ; ſi enim demus picturam aliquam Cæſaris, v.g. à ſe eſſe, non ab ullo factam, adhuc illa non deſinet eſſe imago Cæſaris, ergo. Reſpondeo tamen redire ſemper quod ſupra ad hæc dixi, ſcilicet creaturas poſſibiles eſſe imagines, &c. ſignatè, non vero exercitè; hoc eſt quatenus ſupponunt pro ſe ipſis exiſtentibus; alias in illo ſtatu præciſe nego illas eſſe imagines, aut omnino eſſe, quum nihil ſint. Fateor imago eſt imago ratione eſſentiæ; ſed error eſt putare quod à parte rei ponatur exiſtentia, & præfuerit eſſentia: tunc enim vere & ſolide eſt ipſa eſſentia, non ante niſi formaliter ſeu Logice per abſtractionem & fabricam intellectualem.

Ad alterum illud, negat Auguſtinus imaginem eſſe niſi quæ non ſolum fabrefacta ſit ſed quæ eo fine fabrefacta ſit ut repræſentet, non enim ſufficit aliquid eſſe ſimile alteri ut ſit imago, alioqui ipſum prototypum eſſet imago imaginis, propter quod etiam negat Spiritum Sanctum eſſe imaginem Patris, licet ſit tam ſimilis illi quam eſt Filius, ſed non eſt opus huc devenire pro nunc: quidquid enim ſit de hoc, tamen influxus prototypi non poteſt intelligi niſi in rem factam, quia influxus eſt quædam factio ſeu adjutorium ad eſſe.

* * *

ACTIO III.

Vtrum poſſibilia dependeant ab omnipotentia Dei, an vice verſa, omnipotentia à poſſibilibus?

Breviarium.

N. 1. *Producibile non dependet intrinſecè à productivo.*

2. *Objiciuntur aliqua in contrarium & ſolvuntur.*

3. *Neque enim potentia pendet à poſſibilitate creaturarum, tanquam aliquo ſine quo non.*

4. *Rationes dubitandi de his proponuntur, & ſolvuntur.*

1. HAbet aliquid Theologicum quæſtio, at non Theologiæ ſupernaturalis ſeu revelatæ, ſed inferioris & Metaphyſicæ quæ rationibus naturalibus hinc inde ventilari poſſit; unde hic examinari poteſt: ſunt autem in utramque partem hinc inde authores ſive loquamur de dependentia omnipotentiæ à poſſibilibus ſive de illa poſſibilium ab omnipotẽtiâ.

Incipiendo autem ab hac ultima: ſupra cuidã argumento dedi quod poſſibilia ut poſſibilia non dependerent eſſentialiter à Deo, ut producibilia dependerent: quod tamen hic cenſeo reſtringendum: credo enim aliquid poſſe eſſe producibile quoad intrinſeca quæque, licet non adſit productivum, & probo: quia prius non dependet à poſteriori; producibile eſt prius productivo, ergo non dependet, probatio Minoris, quia producibilitas eſt conditio ut aliquid ſit productivum perfectè: ſi enim quæratur quare Deus ſit productivus hominis, non ſit productivus chymeræ? ratio aſſignanda eſt, quia homo eſt producibilis, chymera nõ item, ergo.

Sed ratio non caret obice: duo enim dici ad hæc poſſunt; unum eſt quod producibilitas, quæ præſupponitur productivitati, ſit Logica, non vero objectiva aut ſubjectiva: alterum quod Deus ſit etiam chymeræ productivus, quia hoc ſonat vim activam; in Deo autem eſt vis activa aut productiva cujuſcunque, ut ſupra innui, adeoque non requiritur producibile ad productivum. Sed primum non nocet nobis; quia ſufficit illa quam Logicam vocant, & hanc negant Recentes: alterum ipſe præveni in probatione; dixi enim non eſſe complete aut perfecte productivum. Redeo etiam ad impugnandum primum, &

Probo ſecundo concluſionem: quia etiam quando adeſt productivum, & proinde habetur producibile complete ipſum productivum non eſt aliquid producibilitatis, ſed hæc eſt in paſſo, ut ſuppono oſtenſum ſuo loco, ergo dummodo remaneret res, quæ dicitur producibilis, etſi non maneret altera, producibilitas maneret.

Objici tamen poteſt in primis Scotus qui 1. d. 36. q. unic. loquens de poſſibilitate Logica, ait: *Iſtam poſſibilitatem conſequitur poſſibilitas objectiva, & hoc ſuppoſita omnipotentia Dei quæ reſpicit omne poſſibile*, adeoque ſecundum Scotum poſſibilitas objectiva præſupponit neceſſariò activam externi agentis: hæc eſt enim illa omnipotentia Dei. Secundo

Objici poteſt ratio: quod poſſibile objectivum ſit eſſentialiter relativum: eſt enim poſſibile *ab alio*: non poteſt autem relatio ſalvari ſine termino: atqui terminus eſt illud *ab quo*, adeoque: ſane enim ambo & ſingula hæc non parum premunt. Sed ad primum dico, me hoc tenere propter Scotum: ut apparebit ex hac ratione quâ probo amplius aſſertum; nam, ut infra ſtatim, omnipotentia Dei ſtaret ſine ullis creaturis, ita ut ſi nulla harum eſſet poſſibilis non proinde omnipotentia eſſet impoſſibilis, ſed actu exiſteret: clarum eſt autem factivum æque reſpicere factibile ac factibile reſpicit factivum; quum ſint correlationes unius combinationis, quis enim dicat patem magis exigere filium, quam filius exigat patrem, aut è contra? Cum ergo hoc Scotus teneat non poteſt mihi obſtare niſi ſibi obſtet: & magis ſequendus eſt ubi favet perfectionibus Divinis, quam ubi creatis, ſi non poſſit conciliari, quod abſit. Alterum infra ſolvam. Interim

Probo adhuc quartò aſſertum morali exemplo, quod puto alias à me adductum: Ego enim ratione Evangelicæ paupertatis ſum incapax dominii, ut nullam rem poſſim facere meam, ſivè mihi appropiare: adhuc tamen alius mihi donare poteſt: v. g. Philippus rex mihi conferre poteſt prædium aliquod, quis enim dicat me per meum votum ligaviſſe manus regi, quo minus poſſit facere jam quod ante potuit? antea autem potuit mihi donare, adeoque jam: Dices ligamen eſſe ex parte mei, non ex parte regis: Bene eſt, ergo quidquid ponit hæc propoſitio ex parte regis: *Philippus poteſt donare Bonaventuræ prædium*, jam eſt ſicut antea, adeoq; ſtat donativitas & dativitas etiam ablato receptivo, jam enim non eſt receptivum. Itaque inveniendus eſt denique modus aliquis, quo relationes quæ hic intercedunt non exigant æque duo abſoluta. Unde

3. Dico ſecundò omnipotentiam Dei non exigere neceſſariò creaturas poſſibiles, ita ut ipſis ſubtractis auferretur. Hæc eſt Catholica doctrina Subtilis in 1. d. q. quo loco, quia nobis tractanda eſt ex profeſſo, hic ſuccincte exponetur: ſit ergo

Prima probatio hujus: quia niſi ita eſſet, Deus dependeret ab aliquo extra ſe; hoc autem eſt falſum; quia ille eſt ſumme independens, & eſſentialiter à ſe quoad omnia ſita, ergo. Urgetur vis rationis, quia in illo eſſe non fiunt à Deo, ut vidimus: id vero auget abſurditatem, quia minus abſurdum eſſet quod dependeret ab aliqua re ſua, & quæ ab ipſo proveniret quam ab aliquo non ſuo & quod ab ipſo non dependeret, prima enim eſſet dependentia ſecundum quid, & cujuſdam ſenſus

ſenſus compoſiti; ſecunda autem abſoluta: ubi adverte me non arguiſſe ex eo quod Deus tunc dependeret ab aliquo contingenti, ſed ex eo quod dependeret ab aliquo extraneo: Re enim vera in illo eſſe, creaturæ non ſunt contingentes exercitè loquendo, & reduplicative: nihilominus ex hoc capite poteſt peti probatio concluſionis, etiam ſtante neceſſitate creaturarum; quia magis neceſſarium non poteſt dependere à minus neceſſario: omnipotentia Dei: &, tota ſubſtantia ejus eſt magis neceſſaria quam creaturæ poſſibiles, ergo illa non dependet ab his, negat minorem Suarez: ſed probo ſic: infinitum in quolibet genere majus eſt finito in illo genere; neceſſitas Dei ad eſſe eſt infinita, neceſſitas creaturarum finita; ergo major eſt illa Dei quam ulla creaturarum.

Quidam recens in hac materia negavit conſequentiam, aut potius antecedens vel aſſumptum: & dat exemplum: quia (inquit) in hoc complexo: Petrus eſt homo, ergo riſibilis; antecedens eſt magis certum & neceſſarium quã conſequens, quum hujus neceſſitas proveniat à neceſſitate illius, & tamen ſi per impoſſibile tolleretur conſequẽs, evaneſceret antecedens ac neceſſitas ejus. Sed non vicit per hoc ille; nec expugnavit rationem, nam ſi loquatur de riſibili formaliter ſumpto, falſum eſt humanitatem ab illo dependere, quum hæc in aliquo inſtanti ſit prior riſibili; prius autem non dependet, ſi vero loquatur de riſibili realiter ſumpto, tum non datur hic aliud & aliud, ſed idem, utrumque enim eſt unum, ſcilicet una res unius neceſſitatis. Imo ex his ſurgit mihi

Tertia probatio aſſerti, quia Deus eſt primum ens, & reliqua omnia ſuccedunt: non poteſt autem prius dependere à poſteriori quoad eſſe, quia jam intelligitur, & debet ſine illo eſſe, nam in inſtanti illo quo præcedit, eſt; & tum non eſt poſterius, adeoque quoad eſſe non dependet.

Objectio unica ſed ardua contra hæc eſt, quod potentia ſit reſpectiva ad poſſibile, reſpectus autem & reſpectivum non poteſt eſſe ſine termino, ergo nec omnipotentia ſine poſſibili, adeoque ſublatis his, deſineret eo ipſo. Diceret quis ad hoc, reſpectum omnipotentiæ ad poſſibile non eſſe proprium ſeu prædicamentalem, ſed tranſcendentalem: At enim id dixiſſe non ſufficeret ſed aggravaret difficultatem: primum oſtendo, quia exigere terminum non provenit relationi à prædicamento, aut ſeparabilitate quam habet reſpectu ſubjecto, ſed à ratione relationis ut ſic. Deinde eſſe tranſcendentalem in hujuſmodi relationibus eſt identificari ſubjectis, & non eſſe accidentia ſuperaddita: at vero hoc magis nocet; ſic enim facit ut ipſum ſubjectum à ſe immediate exigat terminum, quùm antea ſola forma illa ei affixa, aut certè complexum ex ipſo & formâ id exegiſſet.

Inſtari tamen poteſt pro ſolutione, quod clarum ſit reſpectus tranſcendentales non exigere terminos; nam ſcientia non exigit ſcibile, nec oculus viſionem, riſibilitas riſum, &c. Reſpondeo tamen hæc fruſtra adferri, quia in omnibus his exiguntur termini ſaltem poſſibiles: arguens autem non petit amplius: & alias velle relationem ullam ſine terminis eſt exigere relationem abſolutam, ſive quidpiam ad aliud, non ad aliud, ne ad ſeipſum quidem.

Tentavit alius ſolvere nodum ſic: quod ſcilicet omnipotentia exigat creaturas poſſibiles, eo tantum quod creaturæ exigant ipſam, eo modo quo de facto actio Dei exigit rem in fieri, propterea quod res exigat actionem: ſed redit huc difficultas, nec mutat ſolutio quidquam niſi nomina: nam alius negaret huic hanc ſolam exigentiam eſſe in actione; aliam autem in actione ponere incurrit eandem difficultatem, quam ipſa potentia, ut omittam quod difficile ſit ponere relationem non mutuam ullibi, licet Ariſtoteles poſuerit eam in tertio modo ſuarum relationum.

Itaque exiſtimo unum ex duobus reſpondendum eſſe, vel quod omnipotentia non ſit in Deo revera relativum, ſed poſitivum quid & ſplendidum abſolutum, quamvis à nobis non poſſit concipi abſolute. Vel quod eſſe productivum ſalvetur ſine producibili: quod ſuaderi poteſt exemplo ſupra à me adducto de rege, qui poteſt mihi donare licet ego non poſſim accipere: & in propoſito exemplum eſt de ipſo Deo, qui jam eſt productivus chymeræ, quantum ad totam rationem productivitatis: nam ſi chymera per impoſſibile evaderet producibilis, Deus non eſſet magis productivus tunc quam modo, adeoque omnem rationem productivi & activi jam habet quam tunc haberet.

Objici duo poſſunt; unum quod ſic ponimus relationem ſine termino: Alterum quod ita philoſophando poſſibile eſſet impoſſibile ſi deeſſet potentia activa; v.g. homo, ſi non eſſet in rebus Deus. Reſpondeo ad primum negando aſſumptum, dicam enim terminum omnipotentiæ non eſſe poſſibile, ſed naturã, v.g. hominem, leonem, &c. ſive ſint poſſibiles, ſive non, ſi ergo aſſignem ei naturam aſſignavi ei terminum, ſecundum autem omnino non ſequitur ex me, ſed contrarium potius, non enim pono quidquam mutari intrinſece per externum.

In fine hic confirmo & ſolutionem datam priori objectioni, & ipſam concluſionem meam in ſe: Primum quia illa reſolvitur in doctrinam Scoti, & multorum præterea, de eo quod relatio non terminatur ad correlationem, ſed ad materiale correlativi, quæ probatiſſima eſt ut ſuo loco oſtendi: nec tamen hæc res aliam difficultatem videtur continere, aut certe non multo majorem: unde etiam poteris excuſare primam concluſionem hujus Act. quod ſcilicet poſſibile poſſit eſſe ſine potentia activa, atque etiam quod impoſſibile poſſit eſſe cum potentia activa, ut videtur quodammodo de facto contingere in chymera, &c. ut ſuprà. Denique ſuadeo ipſam in ſe concluſionem directè: quia omnipotentia Dei eſt infinita actu & formaliter, nihil enim in eo finitum: ſed poſſibilia non ſunt infinita actu & formaliter, nec numero, nec perfectione ſed ad ſummum ſyncathegorematice: ergo jam neceſſario fatenda eſt potentia ſine poſſibili, & relativum hoc ſine termino, nam exceſſus ille potentiæ ſupra poſſibile non habet terminum, ibi enim deſinunt poſſibilia, non deſinit potentia, adeoque.

Digitized by Google

ACTIO IV.

Vtrum eſſentiæ ab exiſtentiis realiter diſtinguantur, necne?

Breviarium.

N. 1. *Nulla exiſtentia diſtinguitur realiter à ſua eſſentia. In probatione expenſus locus* Exodi 3. *& ſignificatum verbi* ſum.

2. *Adfertur ratio aſſerti: alias ſequitur aliquid eſſe exiſtens abſque exiſtentia, &c.*

3. *Alia rationes in probationem adducta, & impugnata.*

4. *Rationes dubitandi de hac veritate.*

5. *Maxime opportuna eſt adverſariis Thomiſtis doctrina. S. Bonaventura.*

6. *Propria obiectio de motu: ſolvitur.*

1. TRita & jam ferè obſoleta doctrina de diſtinctione horum ebullivit in tot methodos dicendi: aliqui ponebant eſſe quoddam accidens rebus creatis ſuperadditum, quod deinde plures pluribus modis intelligebãt. Henricus volebat eſſe reſpectivum, Molina abſolutum, Thomiſtæ rigidiores volunt ipſum in accidentibus eſſe accidens, in ſubſtantiis ſubſtantiam, &c. quibus omnibus ſuccidam poplites, negando id cui omnes innituntur.

Dico ergo ſemel, neque in creatis, neque in
4. divinis eſſentiam ab exiſtentia realiter diſtingui.
IV. Hæc eſt Doctoris in 2. d. 1. q. 2. & 1. d. 3. 6. quem præter ſuos rationum efficacia devicti dudum jam ſequi cæperunt qui cæteroqui ſe Thomiſtas profitentur. Recentiores ſocietatis, & ante illos, æſtimandi nominales graviſſimi, item Cardinal. Aureolus, Cardinal. Sarnan. &c. contra turbam Thomiſtarum cum ſuo duce: quanquam ex his quoque aliqui declinaverunt ad Subtilem ut Sotus & Bannes.

Probo jam ſolide ſic dicendum eſſe, quia id quod ſupponunt tanquam fundamentum oppoſitæ partis authores, plane eſt quid artificiale, & arbitrarium, ſcilicet aleitas eſſentiæ & æternitas ejus, ut ſupra: hæc enim ſunt Logica inventa ad diſponenda prædicamenta pro meliori ordine rerum, & tyronum captu; planè quomodo mathematici docent in cœlo eſſe circulos, & polos. Meridianum, Æquinoctialem, Arcticum, Antarcticum, &c. quum ibi nulla diſtinctio ſit, ſed una raſa planities. Hoc ita eſſe apparet in Phraſi Sacræ Scripturæ, nam apud illam idem eſt eſſe quod exiſtere. Exodi 3. *Ego ſum qui ſum*; ſenſus debet eſſe: ego ſum qui exiſto, quia eſſe eſſentiæ convenit etiam creaturis, & quidem eſſentialiter, adeoque ipſe Deus per hoc non aſſignaſſet ſibi aliquid proprium, nec diſtinxiſſet ſe ſufficienter à cæteris, quod tamen facere voluit.

Dices non poſſe τὸ *eſſe* eo loci coincidere cum *exiſtere*, alioqui poſſet tota illa ſententia ſic reddi: *ego exiſto qui exiſto*; cur enim τὸ *ſum* ſecundo loco erit idem quod exiſto, non autem primo loco? Reſpondeo rationem eſſe, quia per hanc reſponſum eſt ad quæſtionem *quid*? quæſitum enim erat, quid? aut, quis eſſet Deus? quod autem ſecundo loco non poſſet id ſignificare oſtenſum eſt. Itaque ibi: *ſum*: idem eſt ac exiſto; quod etiam grammaticè ipſum ſignificare facile oſtendi poſſet ex prophanis authoribus, per omnes claſſes eorum. Virgilii enim eſt illud ..... *fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens Gloria Dardanidum*: quæ ſenſum faciunt jam non exiſtere Troes aut Ilium ſed extitiſſe. 2. Æneid. Plautus in Amphit. *Nam ego fui illic in re præſenti.* Plaut. Et omnium apex M. Cicero. *Diutius in deſiderio eſſe* ideſt exiſtere ſeu durare *non poſſum.* de Amicit. Videatur Quintilianus, &c. Redeundo jam ad ſcripturam, & ſiſtendo in hac ipſâ ſententia oſtendo idipſum: nam ſine dubio τὸ *ſum*, & *eſſe*; habent ſuum præteritum & futurum. (Imo illo ipſo loco Exodi. Hebraice eſt: ego ſum qui ero:) ut ineptum ſit velle id ſive in ſacris litteris, ſivè in prophanis oſtendere, ſi autem τὸ ſum ſignificaret eſſentiam & non exiſtentiam, non haberet præteritum aut futurum, ſicut nec quidquam quod æternum eſt, quia nec æternitas ipſa.

2. Arguo jam à ratione, primò: ſi eſſentia & exiſtentia diſtinguantur, aut hoc accipiendum eſt de eſſentiâ in eſſe poſſibili, aut de eſſentia extra cauſas poſita: non primum, quia illa non eſt res, aut reale quid, ut proinde non poſſit eſſe extremum diſtinctionis realis, ſi autem ſecundum, & ſermo ſit de eſſentia poſitâ ſequitur quod eſſentia, ut contra diſtincta ab exiſtentiâ ſit extra cauſas, & res, non merè poſſibile: ex quo iterum ſequitur quod eſſentia ſine exiſtentia ſit exiſtens, quia nimirum ſeorſim ab illa eſt extra cauſas, eſt poſita, &c.

Diceret aliquis forte eſſentiam eſſe extra cauſas, ſed per exiſtentiam: at hoc jam ſuffocatum eſt in ipſo tenore argumenti, & ulterius extinguitur ſic; nam ſi ita eſt, non poteſt fieri comparatio inter eſſentiam & exiſtentiam, quia ſcilicet in eo in quo comparantur, non ſunt plura, ſed unum: quod exemplo oſtenditur; ſit enim paries albus ut ſex, certe non rectè diceretur magis aut minus diſgregativus viſus quam ſua albedo, quia nimirum ipſa albedine eſt diſgregativus viſus, & proinde comparare illum in eo genere albedini eſt comparare idem ſibi: ſecundum te autem eſſentia eſt formaliter exiſtens extra cauſas, eſt res, & realis per exiſtentiam; non ergo inſtitui poteſt comparatio aut relatio illius ad exiſtentiam in eſſe realis, atque ita nec in eſſe diſtincti realiter, ſive tanquam res à re.

Arguo amplius: ſecundum te eſſentia eſt aliud realiter ab exiſtentia, & loquor de eſſentiâ jam poſita in rebus, v. g. Petro hodie nato: accipio eſſentiam, rejicio exiſtentiam, & hac deſtructa retineo illam & quæro eritne realis ſolida & ſubſi-

Digitized by Google

& ſubſiſtens annon? ſi non, deſtruis hypotheſin, quia non das mihi illam quæ fuit: ſi ſic, erit ſolida, & realis totâ realitate, & totâ ſoliditate ſine exiſtentia quod non vis audire, & idipſum formari poteſt inverſo modo de exiſtentia: accipiatur enim exiſtentia ſublatâ eſſentiâ, quæro eritne vera res & ſolida, an non: ſi non, ergo non diſtinguebatur tunc realiter ab eſſentiâ: & præterea ergo non habet aliam realitatem ab illa eſſentiæ quâ ſublatâ hæc in nihilum it, ſi autem ſit, jam eſſentia erit extra cauſas etiam quando nihil eſt, nam etiam tunc eſt, ſive datur forma illa per quam formaliter eſt extra cauſas. Scio ſubiturum Adverſario, ut reſpondeat caſum non eſſe permittendum eo quod ambo hæc neceſſario ſe concomitentur: at enim cur iſtud? mihi videbitur hoc non eſſe permittendum: nam quidquid ſit de exiſtentiâ quam dicet forte eſſe modum eſſentiæ, adeoque affixum ei, ſaltem eſſentia non eſt affixa eſſentiæ, ut nec ullum ſubjectum ſuo modo: & ſane, quæcunque probant à priori ſeparabilitatem, huc recurrunt, meritoque eam exigunt Scotiſtæ, quia omne abſolutum prius naturaliter alio poteſt ſine contradictione eſſe abſque illo alio; quæ eſt regula Doctoris, & valida probatio hujus, ſed vulgata, ideoque omitto eam apud alios legendam.

Arguo aliunde ſic: eſſentia ipſa antecedenter ad exiſtentiam eſt realis, & realiter extra cauſas, ergo non poteſt fieri realis aut extra cauſas per exiſtentiam; utique enim fieri non poteſt quod jam factum eſt, probo antecedens quia eſſentia cauſat exiſtentiam realiter; non poteſt autem quidquam cauſare realiter quod ipſum realiter non eſt ſeu exiſtit. Aſſumptum probandum eſt, quod ſic præſto: eſſentia ſubjectat exiſtentiam, & exiſtentia educitur de potentia illius, eſtque ipſa eſſentia cauſa materialis illius; non enim creatur exiſtentia ſine dubio, neque eſt quid per ſe ſubſiſtens: alioquin non redderet aliud formaliter tale, puta formaliter exiſtens. Et confirmatur totum; quia exiſtentia unitur eſſentiæ, ergo informat eam: ſed non eſt forma ſpiritualis, educetur ergo, ſicut aliæ materiales formæ: quod argumentum arctius ſtringit fauces iis qui volunt exiſtentiam eſſe accidens.

Olfacio quod huc adferent Thomiſtæ; dicent enim exiſtentiam ſimiliter cauſare eſſentiam (quia formaliter ponit eam extra cauſas) & ita argumentum non minus eſſe pro ipſis: ſi enim eſſentia cauſat in genere materiæ, cauſatur in genere formæ. Audio & appello in primis ad omnes abſurditates quæ ſunt in mutuâ cauſalitate; per hanc enim & non aliter tueri ſe Thomiſtæ poterunt, & reſpondere argumento. Præterea quia hæc reciprocatio cauſalitatum fortaſſis alicubi locum poſſet habere; oſtendo hinc eam ſpecialiter excludi, quia nimirum quod cauſat realiter & ſubjective debet eſſe non ſolum potentialiter aut fundamentaliter, ſed formaliter extra cauſas, alioqui eſſentia in ſtatu poſſibilitatis poſſet cauſare exiſtentiam. Dicent eſſe illam formaliter tunc exiſtentem at per exiſtentiam quam tũc cauſat: ſed inſto contra hoc declarando ſenſum aſſumpti mei, quod ſcilicet res cauſans debet non ſolum concomitanter ſed antecedenter eſſe extra cauſas; quod ſic ſuadeo, & oſtendo non poſſe effectum præbere exiſtentiam cauſæ: nullus effectus poteſt producere actionem quâ ipſe fit, adeoque nec paſſionem quæ apud Thomiſtas ſunt idem, apud nos ſunt duo, ſed ſimul: atqui id quo formaliter & paſſivè fit eſſentia eſt exiſtentia ergo. Præterea ſaltem non datur ille mutuus influxus plurium in eodem genere, quidquid ſit de diverſo; daretur autem ſi exiſtentia eſſet forma ſuperaddita eſſentiæ, quia nimirum eſſentia eſt quo formaliter exiſtentia exiſtit; dat enim ei exiſtere cum ſit cauſa ejus, non dat effectivè, ſive aliquid producendo, ergo ſe ipſo, quod eſt formaliter dare.

Eſt hic quædam probatio quæ quibuſdam Recent. apprimè placeret: ſi exiſtentia eſſet quid ſuperadditum eſſentiæ, foret etiam quid ſuperadditum ſibi; hoc autem eſt ridiculum, ergo: ſequela majoris probatur, nam ipſa exiſtentia eſt quædam eſſentia; fuit poſſibilis, & fit actu: ex quibus ſecundum hoc probat primum, (alias enim fieret aliquid actu, quod antequam fieret erat impoſſibile) ſi ergo hæc probant exiſtentiam ab eſſentiâ, probant exiſtentiam diſtingui à ſe ipſa.

Sed non approbo probationem; nec enim ſatis metaphyſicè dictum eſt exiſtentiam fuiſſe poſſibilem & eſſe quandam eſſentiam: non enim exiſtentia eſt eſſentia niſi apud me qui utrumque confundo: apud diſtinguentes autem eſt quædam pugna terminorum dicere quod unum ſit alterum; eſt enim velle & nolle ea diſtingui. Exiſtentia non poteſt induere rationem poſſibilis vel futuri; quod quia eſt majori velitatione dignum, differo infra ex profeſſo, & per ſe expendendum: Interim

Utor hac ratione pro concluſione: ſi exiſtentia eſt aliud realiter ab eſſentia, & actuat eam, ut volunt Adv. quæro de hac exiſtentia, utrum invenit eſſentiam realem & ſubjectivam, an vero objectivam? ſi invenit eſſentiam in entitate ſuâ realem & ſubjectivam, jam non reddit eam talem, quia prius erat: ſi invenit eam objectivam ſeu poſſibilem, jam poſſibilis eſt exiſtens, & aliquid intra cauſas eſt extra cauſas, &c. quæ patent pugnare, & tamen patent ſequi, quia exiſtentia afficit rem in ſtatu poſſibilitatis manentem. Reſpondebis forte non ita eſſe, ſed eam afficere rem ſubjectivam & realem, non quam invenit talem, ſed quam reddit ipſa talem. Audio, & inſto ſic contra: ſi exiſtentia ſufficit ad reddendum id quod alias erat nihil, aliquid, jam non eſt opus produci eſſentiam aut quidditatem phyſicam ullius rei; atque ita agentia naturalia non producunt effectus talis vel talis ſpeciei: v. g. homo non generat hominem, nec ſol lucem, &c. ſed homo exiſtentiam hominis, & ſol exiſtentiam lucis; quod nemo non videt eſſe abſonum, & negandum. Deinde nihil perficiunt illi per hoc totum, quia adhuc exiſtentia eſt indiſtincta ab eſſentiâ, loquimur enim de exiſtentiâ reali: & extra poſitâ, non vero adhuc futura: & de illâ ſic arguo: Exiſtentia non diſtinguitur ab exiſtentia, ergo nec eſſentia. Antecedens eſt etiam identicum & conſequentia probatur, quia eſſentia realis eſt exiſtentia, nam exiſtentia eſt realitas eſſentiæ; & ſicut eſſentia realis non poteſt diſtingui à ſe, ita nec ab exiſtentiâ: ſit exemplum. Albedo diſtinguitur fortaſſis à muro, at non diſtinguitur à muro albo; id eſt ab hoc complexo involvente utrumque, Communes rationes apud alios leges: hæc mihi ſufficiunt; ſignifico tamen ingenioſam probationem hujus haberi apud Aureolum noſtrum ...... ubi merito quæretur; nunc videamus.

Digitized by Google

An ſint aliquæ rationes pro oppoſito.

4. NOn video eas, niſi quaſdam ſibi invicem ſynonymas quæ dudum ſolutæ ſunt: referam tamen aliquas ut aliter ſolvam. Primo, ſolemne ſignum diſtinctionis realis eſt ſeparatio; exiſtentia & eſſentia ſeparantur, hæc enim eſt ab æterno, illa in tempore incipit. Hoc & ſimilia ſolvunt aliqui retorquendo; probaret enim (inquiunt) exiſtentiam diſtingui à ſe ipſa; nam exiſtentia etiam fuit poſſibilis ab æterno, & jam eſt actu in tempore, ſed non fido ſolutioni adhuc; fortè enim magis Metaphyſicum eſt quod exiſtentia non fuit poſſibilis, nec eſſe poſſit; quo poſito ruit ſolutio, neque ullus torquetur hac retorſione. Sed quia nondum ſtatuimus de hoc fixè; aliter dico hic in principio ſemel pro ſemper, eſſentiam non fuiſſe nedum ab æterno, ſed nec unico inſtanti ante tempus productionis; quomodo enim fuit, ſi nihil fuit? fide certum eſt nihil fuiſſe ante Tempus.

Inſtabis; aliquæ propoſitiones ſunt æternæ veritatis: imo omnes eſſentiales tales ſunt, ergo ipſæ eſſentiæ quæ ſunt termini illarum debuerunt fuiſſe ab æterno. De hoc tamen ſupra dixi ad nauſeam, nunc breviter dico, propoſitiones illas phyſicè, metaphyſicè, & in quocunque reali ſenſu non fuiſſe veras ab æterno, ſed potius æternæ falſitatis; veræ autem potuerunt eſſe Logicè tantum, ſcilicet quatenus ſignificant non repugnantiam terminorum ſi applicarentur: unde in illis copula *eſt* non ſignificat quod apparet, ſcilicet aliquid tum ſubſiſtens quod extraheretur à nihilo, ſed vel conditionalem aliquam, ut ſenſus ſit: ſi homo produceretur, eſſet animal rationale: vel alia ſimilia, aut formalia, & ex parte intellectus ſe habentia, non autem ex parte objecti: de quibus ſuo loco.

Objici ſecundò poteſt Deum ex propria ratione habere quod ſit ſuum eſſe ſeu exiſtere, ſive quod exiſtentia eius ſit eſſentia ejus, ergo id non competit creaturæ, vel creatura eſt inſtar creatoris, adeoque non omnis creata exiſtentia eſt aliud ab eſſentia; Hoc argumentum non eſt contemnendum, tamen hic non multum premit; ipſius locus eſt Actio ſequens, ubi agetur de diſtinctione formali eſſentiæ & exiſtentiæ, nunc ergo dico Deum non habere ex propria ratione, ſed ex communi quod ſit ſuum eſſe realiter, ſive quod exiſtentia eius ſit eſſentia realiter: habet fortaſſis ex proprio, quod eſſentia ſua ſit exiſtentia tam realiter quam formaliter, de quo in ſequentibus; & tamen In hoc reſolvuntur ferè omnia alia arma Thomiſtarum, ut quod eſſentia creaturarum ſit receptum, receptio autem non poſſit intelligi ſine diſtinctione reali partium hinc inde &c. quorum acumen vix intelligo; nec enim conſtat utrum velint eſſentiam recipi in exiſtentiâ, an exiſtentiam in eſſentia: ſed quidquid velint, nihil proficiunt, nam altera pars relicta deſtruit rationem & valorem eius in altera parte; nam ſi exiſtentia recipiatur, jam datur aliqua creatura non recepta ſcilicet eſſentia; & idem eſt de exiſtentiâ, ſi velint eſſentiam recipi. Ergo præſcindo filum his metaphoris ac tropis Thomiſtarum in re Metaphyſica; ergo nego Majorem

Lib. 7. Metaph. cap. de part. defin.

Poſſent juvare ſe illi adducto Ariſtotele: quia in iis quæ ſunt ſine materia idem eſt quod quid cum eo cujus eſt: unde ſequitur perfectionis eſſe, quod eſſentia & exiſtentia in aliquo identificentur, adeoque &c. Reſpondeo hoc ad ſummum probat exiſtentiam diſtingui ab eſſentia in rebus materialibus: Deinde dico ſententiam illam non pertinere huc; non enim agit de exiſtentiâ ullatenus, ſed de individuatione, aut ſuppoſitalitate: hæc enim ſunt quæ habēt, & contrahunt ad ſe quod quid eſt, ſive eſſentiam & naturam: unde ſi exiſtentia eſſet univerſalis, & non individuata, oporteret invenire aliquod ſingulare quod haberet eam, atque ita clarum eſt exiſtentiam præcisè non eſſe id quod habet. Reliqua non adfero, quia non urgent.

5. Fateor tamen, hæc tam improbabilis doctrina magnum præſidium habet in celebri illa opinione S. Bonaventuræ, quod duratio diſtinguitur realiter à durante: ſi enim ita ſit, jam exiſtentia diſtinguitur, quia exiſtentia eſt id quo continuato res durat. Tentavit aliquis evacuare hoc argumentum; quia, ſic, (inquit) ſequeretur quod exiſtentia in uno loco diſtingueretur ab exiſtentia in alio, ſicut *enim* poteſt eſſe exiſtentia, quâ exiſto, hodie ſine eâ qua exiſtam cras, imò nō poſſum exiſtere ſimul hodie & cras, quamvis poſſim exiſtere hodie non exiſtendo cras, ita poteſt eſſe illa qua exiſto hic Romæ ſine ea qua exiſterem in Hybernia: poſſum enim exiſtere Romæ non exiſtendo in Hyberniâ, imò non poſſum exiſtere utrobique ſimul. At vero eſſentia mea eſt eadem heri & hodie, Romæ & in Hybernia: quum ergo exiſtentia mutetur eſſentiâ immutatâ, ſequitur aliud eſſe exiſtentiam & aliud eſſentiam meam. — Ariag.

Sed non proficit ille per hæc; non enim eſt ſimile de temporibus & locis; aut enim agit de exiſtentia quâ exiſto Romæ poſtquam extiti in Hybernia, & tunc ſi exiſtentia ſit alia, dicam aleitatem eſſe ratione temporis, non ratione locorum; aut de exiſtentiâ qua ſimul exiſterem utrobique, & dico eſſe eandem, alioqui nec eſſentia eſſet eadem, & ſuppoſitum eſſet falſum, quod ſcilicet idem eſſet replicatum utrobique. Itaque hoc ferè eſt unicum quod commendat hanc doctrinam, niſi aliquid addat hoc, quod ipſe

Objicio ultimò ſic: Poteſt aliquid exiſtere per alienam exiſtentiam, ſive per aliquid diſtinctum à ſe realiter, ergò non eſt dicenda identificari illa realiter habenti: Vel ſic: poteſt exiſtentia rei diſtingui ab ea, ergò non identificatur ei; quod enim identificatur alicui non poteſt ab eo diſtingui. Antecedens oſtendo, quia poteſt quid exiſtere alienâ exiſtentiâ; cur enim poteſt ſubſiſtere aliena ſubſiſtentia, & non poterit exiſtere aliena exiſtentia? certum eſt autem quod aliena ſit diſtincta realiter, ab eo cui aliena eſt. Huic tamen negandum eſt antecedens in hac ſecunda forma, & conſequentia probationis. Diſparitas petenda eſt ex diverſitate ſubſiſtendi & exiſtendi: quia nimirum primum illud poteſt fieri per ſimplicem terminationem, ſecundum autem petit fieri per quid intrinſecum ei quod denominat

Fateor tamen poſſe accuſari ſolutionem quod ſit gratuita, & prope petitionem principii; de hoc enim quæritur, cujus rationem nos non aliam aſſignamus quam ipſum. Reſpondeo

tam

tam exiſtentiam quam ſubſiſtentiam de ſe eſſe denominationes intrinſecas, & pro talibus ubique habendas, niſi conſtet oppoſitum; non conſtat autem de exiſtentia, licet de ſubſiſtentia ſemel per fidem aliquid in oppoſitum habeamus, adeoque

6. In fine objiciam hic ipſe adhuc unum pro Adverſ. eſtque motus v. g. calefactio, aut progreſſio; horum enim exiſtentia videtur manifeſtè diſtingui ab illis, etenim calefactio quæ fuit lenta, potuit eſſe properata, quæ duravit per horam, potuit abſolvi quadrante, ſicut idem calor produceretur, adeoque jam potuit hæc calefactio horaria dari ſine eo quod daretur exiſtentia ſeu duratio horaria; idemque eſt de motu locali, nam feſtinando poſſem percurrere idem ſpacium minori tempore quam alias tardando, utrobique autem haberet eaſdem partes motus, quia hæ commenſurantur partibus ſpacii, ergò jam partes motus, & totus ipſe poſſet nunc unam, nunc aliam majorem exiſtentiam ſeu durationem habere. Nolo morari Lectorem: dico tamen hoc punctum alibi tactum Tom. 1. Apolog. . . . prædicam. Act. . . Item dico illud dependere ab alia controverſia de compoſitione continui; qui enim illi ſola indiviſibilia aſſignant, vix unquam illud evadere poſſunt, ut patet ex diſcurſu Ariſtotelis contra Zenonem apud me Tom. 2. Apolog. . . . Act. . . unde dico hic quod non ſolum exiſtentiæ, ſunt diverſæ in his caſibus, ſed res exiſtentes ſcilicet ipſæ productiones quæ durant, & non ſolum ſunt duratio.

* * *

ACTIO V.

Vtrum exiſtentia diſtinguatur formaliter, ex naturâ rei, aut ratione ab eſſentiâ cuius eſt, nec ne?

Breviarium.

N. 1. *Non eſſe Scotiſticum quod exiſtentia diſtinguatur formaliter ab eſſentiâ.*

2. *Nec verum eſſe: probatur.*

3. *Objicio contra, & reſpondeo: An ſit diſparitas hic inter Deum & creaturas.*

4. *Solvitur commune fundamentum Scotiſtarum pro diſtinctione formali.*

Quid Scotus de hoc ſenſerit.

1. Hic Scotiſtæ plurimum præcipitant reſolutionem, quaſi per præconem canentes quod ambo hæc formaliter diſtinguantur, nec aliter poſſe doctrinam Scoti ſibi conſtare. Sed inprimis illi nondum oſtenderunt hoc à Scoto traditum: quod autem inferatur ex alibi traditis non facit ipſum in terminis eſſe Scoti. Hoc dico ſuppoſito quod inferatur, non enim concedo inferri. Loca enim Scoti ſonant oppoſitum 3. d. 6. q. 1. n. 2. *Reſpondeo* (ait) *quod in iſta quæſtione certum eſt de eſſe eſſentiæ quod tantum differt ab exiſtentia in modo concipiendi*, quomodo clarius aſſereret ſolam rationis diſtinctionem? nonne enim conceptus idem eſt quod ratio? nec poteſt evadi hinc, quia illud *eſſe*, omnino eſt exiſtere; eſſe eſſentiæ eſt idem quod exiſtentia eſſentiæ, alioqui Scotus diſtingueret idem à ſe ipſo, eſſentiam ab eſſentia, ergo. Deinde idem quodlib. 1. num. 4. *Dico quod eſſentia & eius exiſtentia in creaturis ſe habent ſicut quidditas & modus*: quo loco quaſi continuat phraſin præcedentem de eo quod differant *modo* vel modaliter, unde etiam Lychet. in expoſitione huius loci: *Secundum Doctorem* (inquit) *exiſtentia non diſtinguitur &c. eſt enim gradus intrinſecus eſſentiæ.* Unde ex modernis noſtris Scotiſtis hanc diſtinctionem formalem melius negavit Poncius. quam affirmavit Maſtrius.

Inſtabis pro aliis Scotiſtis ex Scoto q. 4. in lib. 2. Poſter. in novâ noſtrâ editione ubi Doct. *Ad quæſtionem dicitur quod eſſe exiſtere non eſt de eſſentia.* Reſpondeo, ſi Scotiſtæ æſtimant hoc opus, cur eum locum nunquam pro ſe citaverunt? Neque vero S. Doct. nimis reſolutivè loquitur; non enim ait *dico* ſed *dicitur*: Imò quæſt. 5. ſequenti, dicit quod quæſtio, *an*? præcedit quæſtionem *quid* eſt; quod erat dicere exiſtentiam eſſe priorem eſſentiâ, quum ibi dicat eſſentiam eſſe priorem: unde ibi rem non reſolvit, ſed in ſentent. & Quodlib. *hæc enim ſunt duo teſtamenta* Scoti; & proinde à doctis Recent. citatur in hanc partem Scotus; & ego

2. Cenſeo ſimiliter id Scotiſticum & verum eſſe quod ſcilicet exiſtentia in re non diſtinguatur ab eſſentiâ, non formaliter, non ex naturâ rei, vix, aut ne vix quidem ratione ſeu conceptu

Probavi totum ſupra; redeunt enim huc rationes meæ quas pro indiſtinctione reali horum attuli. Ecce unam; aut enim agimus de eſſentia extra cauſas poſita; aut de eſſentia quæ adhuc nihil, & improducta eſt. Si primum, ſequitur eſſentiam eſſe exiſtentem ſive extra cauſas ſe ipsâ, nam talis eſt etiam quatenus contradiſtincta ab exiſtentia quam Tu addis: & ita ſe ipſa eſt exiſtens quod intendo. Secundum autem dici non poteſt à Scotiſtâ, quia diſtinctio formalis eſt inter realiter identificata, certum eſt autem rem & nihil non identificari, ergò

Utor

Utor etiam hac ratione: ſi exiſtentia eſt aliquid actuale ſuperadditum naturæ actu poſitæ, etiam exiſtentia poſſibilis erit aliquid ſuperadditum naturæ poſſibili; hoc eſt falſum: ergo & illud. Patet partas majoris, utique enim ſicut ſe habet actualis ad actualem, ita poſſibilis ad poſſibilem. Præterea etiam omnes rationes quibus illi ſibi perſuadent eſſentiam diſtingui debere in exiſtentem & poſſibilem, videntur recurrere de exiſtentia: illa enim potuit poni, & aliquando non fuit poſita &c. Probo ergo Minorem: quia ipſa eſſentia ſe ipſa eſt poſſibilis, dico ſeipſa formaliter ſine ulla alia formalitate, aut conceptu ſuperaddito, nam ipſum eſſe eſſentiæ ejus conſiſtit in eo quod eſt poſſe exiſtere: hinc enim diſtinguitur à chymæris homo; v. g. hic dicitur ens, ſubſtantia, eſſentia &c. quia poteſt poni extra, chymera non poteſt.

Placet proſequi aliquid huius argumenti: exiſtentia aut eſt poſſibilis antequam fiat, aut non; ſi non eſt poſſibilis, currit & quadrigat ratio à me poſita, propterea enim talis eſt, quia incidit in ipſam eſſentiam formaliter, atque adeo eſſentia & exiſtentia poſſibilis ſunt unum per omnia re, & ratione, alioqui enim evidens eſt quod non ſit impoſſibilis, alias nunquam poſſibile illud puta homo exiſteret: eſt ergo poſſibilis, at non poſſibilitate propria, ſed illa eſſentiæ, erit ergo formaliter ſubjectiva & extra cauſas actualis, &c. at non actualitate propriâ, neque extraneitate ullatenus diſtincta, ſed illa eſſentiæ præciſè Si vero dicatur illa eſſe poſſibilis, quæ fuit altera pars contradictionis aſſumpta, tunc ſequitur eſſentiam fuiſſe non poſſibilem & ita non eſſentiam ut ſupra. Confirmatur totum; quia per exiſtentiam exiſtit formaliter non ſolum ipſa, ſed natura, ergò per exiſtentiam poſſibilem ſit poſſibilis natura: ſi ergo exiſtentia poſſibilis eſt aliquid ſuperadditum naturæ, jam ipſa natura ſecundum ſe & ſeorſim non eſt poſſibilis, ſed impoſſibilis, atque ita non natura aut eſſentia, ſed chymæra

In hoc argumentum incidit aliud iſtud, quod mihi ſit quartum de infinito proceſſu formalitatum, ſi concedatur formaliter diſtingui, ſicut ſequitur infinitus proceſſus realitatum aut formarum ſi concedantur realiter diſtingui; quia nimirum ipſa exiſtentia poteſt diſtingui in duo, ut hactenus, ſcilicet in poſſibilem, & actualem, atque ita dabitur exiſtentiæ exiſtentia ſicut datur eſſentiæ: Hæc ipſa deinde actualis ut diſtinguitur à poſſibili non fuit impoſſibilis (alias nunquam daretur) ergo poſſibilis, atque ita jam facit duas: accipiam deinde ſecundam huius, & dividam eam in duas, ex quibus ſecunda erit diviſibilis in alias duas, & ita ex his quælibet in alias totidem in infinitum, ergo.

Ultimò ſic: non poſſumus cogitare eſſentiam redactam in nihil & exiſtentiam ſupereſſe, ergo nec diſtinguitur ex natura rei aut verè formaliter; imò videtur vincere argumentum quod nec ratione diſtinguantur: antecedens oſtendo quia exiſtentia eſt eſſentiæ exiſtentia, & ipſius quidditas conſiſtit in reddendo hanc eſſentiam actu; cogitare ergo exiſtentiam hanc ſupereſſe & non ſupereſſe naturam per ipſam, eſt cogitare bellantia & deſtruentia ſe in terminis, ſcilicet aliquid exiſtens & non exiſtens ſimul

Tentaret fortaſſis aliquis noſtrum evadere hoc prætendendo, quod ita quidem ſit, ſed ideo quia exiſtentia eſt modus eſſentiæ hic autem eſt inſeparabilis à ſubjecto, ſed non ſe liberavit ille, nam (ad hominem imprimis) ſi ſit modus, implicabit eſſentiam concipi ſine illo, non implicat autem eſſentias concipi, ne quidem pleniſſimè ſine exiſtentia, ut cuique notum eſt de mente Scoti & veritate. Deinde modi ſunt quidem re ipſâ inſeparabiles à ſubjectis, ratione autem vel conceptu facilius abiguntur quam muſcæ: finitum, infinitum, paternitas, ſimilitudo ſunt modi, & nonne concipiuntur ſe ipſis, alias nunquam poſſent definiri abſtracta horum, ſed concreta tantum. Itaque poſſent bene Scotiſtæ deſerere inveteratam illam multiplicationem ac diſtinctionem, & re ipſa faciunt, nam Maſtri: ac Bellut. utcunque circumferantur hinc inde, denique ſe explicant, quod cum dicunt eſſentiam & exiſtentiam ab invicem ex natura rei ac modaliter diſtingui, id utique non debet intelligi de eſſentia actuali: & libenter (inquiunt) fatemur exiſtentiam ab actuali eſſentia non diſtingui, imò dici poſſe de ejus quidditate: quid amplius ego dixiſſem?

Objicio mihi ipſe & reſpondeo.

PRimum nec parum contra dicta eſt communis doctrina Theologorum, quod exiſtentia ſit de eſſentia Dei ex illo Exodi 3. *Ego ſum qui ſum*; per quod Deus ipſe reſpondit ad quæſtionem, quis? aut quid eſſet? atque ita ipſe eſt quidditativè exiſtens, in quo ſupponitur diſtingui ab omnibus creaturis, quarum eſſentia non involvit in ſe exiſtentiam &c. atqui totum id eſſet falſum niſi falleremur nos: niſi enim eſſentia & exiſtentia formaliter diſtinguantur, jam exiſtentia erit de eſſentiâ, alioqui ipſa eſſentia non erit eſſentialis ei. Hoc aliquid acrimoniæ habet; & eſt æſtimandum: dicam tamen dupliciter ad ipſum: Primo ad hominem ſic: cogam Adverſarios fateri quod non tantum valet quantum ſonat: utique enim exiſtentia creata creatura eſt, loquor de actuali; utique etiam de eſſentia exiſtentiæ actualis eſt actualiter exiſtere, quis neget? quùm ſit ferè identicum, ergò jam datur aliqua creatura de cujus eſſentia eſt exiſtentia, atque ita non poterit illud eſſe univerſale diſcrimen inter Deum & creaturas quod exiſtentia ſit de eſſentia Dei ſolius, nullius autem creaturæ: Secundò, Reſpondeo argumentum valere & revera exiſtentiam eſſe de eſſentia creaturæ quandocunque creatura ſumitur cum vera eſſentia, & reali, non autem ficta aut concepta tantum; verbo; quandocunque creatura ulla habet aliquid ultra nihil, ſtatim habet exiſtentiam, quia omne prædicatum reale hoc involvit, ut videor centies ſcripſiſſe; adeoque hic tantum ſupereſt ſolvendum diſcrimen illud Dei à creatura. Ad quod dico, non conſiſtere in eo quod exiſtentia ſit intra unius eſſentiam non ſit intra eſſentiam alterius; ſed quod unum neceſſario habeat hanc eſſentiam in qua involvitur exiſtentia, aliud non neceſſario habeat, ſed poſſit eam perdere, & in nihil abire. Et in re, tota hæc machina de differentia horum hinc inde denique reſolvitur in axio-

Digitized by Google

axioma illud: Omne quod eſt, dum eſt, neceſſe eſt eſſe: Ergo jam creatura etiam, dum eſt, habet neceſſitatem eſſendi ſeu exiſtendi, ita ut non poſſit tunc deſinere, quod eſt ipſiſſimum intentum meum. At vero Deus non ſolum hoc habet, ſcilicet hujuſmodi neceſſitatem conſequentiæ, ut ſuppoſito aliquo ſit neceſſarius, ſed habet neceſſitatem antecedentis, ex quo hoc conſequens infertur: Itaque in Deo non datur illud, *dum eſt*, ſive ſuppoſitio aliqua eſſendi, ſed abſolutum eſſe: & proinde diſcrimen Dei à nobis eſt quod ille abſolutè ſit neceſſarius, nos autem ex ſuppoſitione aliquâ duntaxat: Et ſic accipiendum eſt illud commune de eo, quod exiſtentia ſit de eſſentiâ Dei &c. alioquin negandum conſtanter

Objicio ſecundò: Si exiſtentia non ſit extra eſſentiam creaturæ, nec quid ullatenus diſtinctum ab eâ ut nos volumus, tunc implicabit concipere creaturam; & non concipere eam exiſtentem: conſequens eſt contra omnes, & contra omnium experimentum, ergò & antecedens; ſequela enim eſt evidens, nec enim poteſt res aliqua concipi niſi conceptis iis quæ eſſentialiter eam conſtituunt: alioquin non ipſa, ſed aliquid tantum illius conciperetur. Et urgetur ratio, quia multò minus poteſt concipi cum oppoſito alicujus eſſentialis; poteſt autem concipi cum oppoſito exiſtentiæ actualis, ſcilicet cum eſſe poſſibili tantum, ergò. Reſpondeo tamen redire huc aliquid de prima ſolutione, nam ſaltem exiſtere actualiter eſt eſſentiale exiſtentiæ actuali, & tamen concipitur ipſa poſſibilis: Hoc dico ad hominem, non ex me adhuc; Interim reſpondeo, iterum hoc alterum argumentum valere; neque conſequens debet eſſe contra omnes, ut nec contra experimentum. Dices experimur nos concipere res non exiſtentes ut roſam in hieme, quæ tunc futura tantum eſt: Abrahamum deſcendiſſe in Ægyptum; Cæſarem tranſiſſe Rubiconem, &c. quum tamen jam nec Abraham, nec Cæſar ille ſit, & multò minus deſcenſus, aut tranſitus eorum jam ſint exiſtentes, ſed præteriti. Reſpondeo quod nos in his facimus facilius præſtari à nobis quam adverti; & hoc eſt quod cogit aliquos uti hoc argumento. Dico ergo nos ubique facere cum concluſione, licet ipſi id non advertamus: Cogito roſam futuram, ſed cum exiſtentia, non quidem quando eſt cogitatio, ſed quando eſt roſa, ſcilicet in futuro.

Ita dico me cogitare Abrahamum cum exiſtentia, & Cæſarem cum ſua, non quidem jam quum hæc ſcribo, ſed cum tempore quo decurrebat deſcenſus Abrahæ in Ægyptum, puta anno Mundi 2114. idemque eſt de Cæſare & Rubicone

Inſtari tamen poteſt argumentum adhuc non eſſe exhauſtum, poſſumus enim concipere creaturam merè poſſibilem non determinando ei præteritum aut futurum; tunc autem non eſt ſupra quod cadat exiſtentia, adeoque non intelligitur illa adeſſe. Reſpondeo intelligi adeſſe, & quidem pro tempore, ſed indeterminato ſicut etiam ipſa eſſentia creaturæ puta hominis aut roſæ, non niſi abſtractè intelligitur & indeterminatè

4. Reſtat adhuc ſolvendum fundamentum proprium Scotiſtarum pro diſtinctione ullorum formali, id enim huc recurrit: nempe fundamentum, & ſignum primarium ejus apud nos eſt verificatio contradictoriarum, quæ cum eidem non poſſint ineſſe, faciunt ut illa de quibus verificantur ſint plura ſaltem formaliter, ſi contradictio illa ſit ſubſiſtens in re, non autem dependens ab intellectu. Totum hic contingit; ecce enim contradictiones de eſſentia & exiſtentia verificatas. Eſſentia eſt quidditas rei, exiſtentia nec quidditas nec de quidditate: Eſſentia eſt reponibilis in prædicamento, exiſtentia non: in eſſentiâ fundantur propoſitiones æternæ veritatis & neceſſariæ, in exiſtentiâ contingentes ergò &c. Sed reſpondeo incipiendo à medio ſecundam illam contradictionem non favere Adverſario, quia non eſt independenter ab opere, prædicamentum enim eſt opus intellectus, & omnino arbitrarium quid, quod ſine dubio potuit aliter diſponi quàm diſpoſitum eſt: Prima autem & ultima aſſumunt falſum: nam exiſtentia eſt de verâ & reali quidditate cujuſque, aliàs res aliqua eſſet *quid* antequam à Deo produceretur per exiſtentiam quod eſt falſum, ut ſupra viſum; nec eſt opus repetere toties idipſum. Similiter error eſt putare quod propoſitiones contingentes affirment aut affirmentur de ſola exiſtentiâ, puta corruptio, generatio, quaſi in his ſola exiſtentia incipiat aut deſinat:

Vide dicta.

(***)

ACTIO VI.

Vtrum exiſtentia ſubeat poſſibilitatem, nec ne?

Breviarium.

N. 1. *Exiſtentia actualis nunquam habet eſſe purè poſſibile: probatur pluries; primo ad hominem: Eadem ratio eſt de Deo & de ipſa.*

2. *Alia probatio à priori, & efficax, alias fore proceſſum infinitum exiſtentiarum &c.*

3. *Ratio in oppoſitum ſolvitur: utrum poſſibile & impoſſibile continent omne Ens?*

4. *Aliæ objectiones in idem: ſolvuntur: cur non repugnat exiſtentiam deſinere?*

5. *Poſſe admitti aliquam diſtinctionem inter eſſentiam & exiſtentiam.*

Digitized by Google

1. Aliquoties in decurſu Apologiæ tactum eſt hoc punctum, quod à paucis video ſeriò tractatum, nec ipſe Subtilis illud niſi ſemel & ex incidenti tetigit 1. d. 36. q. un. ubi tamen ut ſolet Metaphyſicam veritatem rei ſaltem ſignificavit, ipſam ſcilicet quam hic, videbis probatam: nempè

Dicendum exiſtimo quod exiſtentia actualis rerum non ſubeat poſſibilitatem, nec afficiatur ipſa, ſed ſolum ſit in actu extra. Hanc ex noſtris olim elegit Mayron. 1. d. 42. q. 4. & nuper Alfonſ. Briſen. Contr. 1. & 12. utrobique appendic. Metaph. pro ipſa ego Argumentor primo ad hominem, docent enim paſſim Theologi, etiam illi qui nobis hic adverſantur exiſtentiam eſſe de eſſentia Dei, & propterea Deum nec eſſe, nec poſſe eſſe poſſibilem, ſeu in ſtatu quem habent eſſentiæ creatæ, ſed neceſſario realiter eſſe & vivere, &c. quæ ut dixi exiſtentia actualis eſt illi eſſentialis, ſicut poſſibilis eſt eſſentialis creaturæ. Subſumò; atqui ſine dubio exiſtentia actualis eſt ſibi ipſi eſſentialis, nec enim poteſt ulli intimior eſſe quam ſibi; ergo jam implicat exiſtentiam hanc eſſe in ſtatu merè poſſibili, & qui ſic concipit eam copulat pugnantia ſibi. Dices nos rejecimus rationem hanc, ſaltem negavimus aliquid ejus ſupra. Reſpondeo, ego utor illâ ad hominem, nec eſt abſolutè rejicienda, ſed quatenus miſcetur falſis principiis; quæ ibi refutavi

2. Arguo iterum abſolutè; aut enim exiſtentia dicit eſſentialiter actuale exercitium, & poſitionem rei extra cauſas reſpectivè, aut non; ſi ſic, concluſio eſt demonſtrata, hoc enim, & non aliud in eà dixi: & ſine dubio ſi illa eſſentialiter eſt actuale exercitium, deſinet illa eſſe quoties & quando eſt ſine actuali exercitio: in ſtatu meræ potentiæ, clarum eſt quod ſit ſine actuali exercitio, quia eſt tantum cum potentiali exercitio: ergo. Si ſecundum dixeris, quod exiſtentia ex ſe non ſit nec habeat actuale exercitium, tum ſine dubio aliquid addendum erit ei ad hoc ut habeat actuale exercitium ponendi res in eſſe: Totum apertum eſt; de illo addito quæro, utrum ſe ipſo ſit actualis poſitio rei in eſſe, an non? Si ſic; debebis dicere de hoc addito quod non poſſit habere ſtatum poſſibilitatis: cur autem de addito dices & non de ipſa exiſtentia? nulla ratio ſane: itaque dicendum etiam id erit de ipsâ exiſtentiâ niſi velis eligere ſecundum, quod ſcilicet nec additum ſufficiat, & tum incidis in infinitum proceſſum additamentorum; &, quod miſerius eſt, ipſa infinitas non ſufficiet tibi ut ponatur una muſca, unus apex exiſtens. Tutius ergo, imò neceſſarium fuit occludere oſtium additamentis, & ſiſtere in ipsâ exiſtentia tanquam quæ ſe ipsâ talis ſit, id eſt actualis poſitio rerum.

Tertiò revoco huc rationem à me ſupra allatam Act. præcedenti, quam ſic formo: Exiſtentia non poteſt habere effectum formalem poſſibilitatis, ergò nec ipſam: vel ſic; non poteſt habere effectum in ſtatu poſſibilitatis, ergo nec ipſum. Conſequentia liquida: Antecedens probatur; utique enim effectus formalis exiſtentiæ poſſibilis, ſi daretur, foret reddere rem potentem ſeu poſſibilem exiſtere; atque hunc non habet; & accipio exiſtentiam pro nunc cum communi, pro illo contradiſtincto ab eſſentiâ, ſive re, ſive ratione diſtinguatur; quo poſito probo ſubſumptum; ipſa eſſentia aliunde eſt poſſibilis exiſtere: ergò poſſibilitatem hanc non accipit ab exiſtentia; Sequela eſt certa, niſi quis objiciat æquè negandum eſſe aliud illud à quo provenit eſſentiæ poſſibilitas, ac exiſtentiam: Sed id non poteſt prætendi, quia prius convenit aliud illud eſſentiæ quam formalitas ſuæ exiſtentiæ, quod ſimul cum antecedente principali, probo: Ipſa eſſentia creaturæ puta hominis ſe ipſa eſt poſſibilis, & dicens non-repugnantiam ad exiſtendum, ergo jam prius, & aliunde eſt poſſibilis quam per tuam exiſtentiam poſſibilem, quæ ſit forma re, aut ratione diſtincta. Aliam probationem ſatis ingenioſam hujus habet noſter Mayron ſupra citatus, quâ infert ex conceſſis Adverſarii quod res poſſibiles ſint exiſtentes; ſed denique reſolvitur in aliam hic à me adductam de proceſſu infinito, nihilominus digna eſt quæ adhibeatur, quia ſaltem aliter idem dicit, eodem fune bis involvit inimicum. Ego tranſeo ad impugnationes

3. Objiciet enim quiſque: Exiſtentia Petri ante actualem productionem ejus aut fuit poſſibilis, & revocamus concluſionem, aut fuit impoſſibilis, & ita impoſſibile aliquod actu poſitum eſt; nec valebit conſequentia ab actu ad poſſe, nec à non poſſe ad non produci. Reſpondit quidam negando antecedens, neque enim poſſibile & impoſſibile ambiunt omne Ens, neque ſunt propriè contradictoria, ſed talia ſunt poſſibile, & non poſſibile; ita Briſenus, ſed quorſum? non fugit per hoc moleſtiam argumenti, ſed differt; ſtatim enim poſtea redit totus impetus conſequentiæ, quod aliquid non poſſibile poni, ponatur: nec valent illationes à potentia ad actum negativè, ut ibi. Dicam potius exiſtentiam Petri fuiſſe poſſibilem, at non in ſe ipsâ, ſed in eſſentia ejus; quod ſtatim obtundit aciem argumenti, & oſtendit ſolutionem conjunctam probationibus: ut enim ſupra inter probandum dixi, ipſa eſſentia Petri dat Petro poſſe exiſtere: & quod hic nego eſt dari formalitatem aliquam diſtinctam re aut ratione ab eſſentiâ quæ ſit exiſtentia poſſibilis

Inſtari tamen poteſt mihi in hunc modum: Tu exiſtimas etiam in communi ſententia (ſive Thomiſtarū ſive Scotiſtarū diſtinguentiū ambo hæc quà realiter quà formaliter) negandum eſſe ſtatū poſſibilitatis: at verò id non poteſt ſuſtineri contra objectionē factam; nam tunc datur in re aliquid ſuperadditum eſſentiæ in actu; Sed quidquid eſt in actu ſine dubio fuit poſſibile, adeoque non ſolum poſſibile fuit exiſtere eſſentiam, ſed poſſibile fuit illud ſuperadditum eſſentiæ per quod exiſteret. Reſpondeo hoc quod eſt ſpeciale argumenti juvat quod ego ſpecialiter teneo contra alios, ſcilicet indiſtinctionem omnimodam horum: Si tamen agerem Thomiſtam, aut alium, fortaſſis hoc ipſum excuterem propria ſolutione. nunc

4. Objicio ſecundò; ſi actuale exercitium ponendi res in eſſe, & extra cauſas foret de quidditativo conceptu eſſentiæ, tum exiſtentia nunquam poſſet deponi, (ne à Deo quidem) ſeu deſtrui, quia quod eſt quidditativum aut eſſentiale ulli non poteſt tolli, ne à Deo quidem: cur enim fieri nō poteſt ne Petrus ſit homo, niſi quia ille eſ-

ſen-

Digitized by Google

ſentialiter talis eſt? Si ergò exiſtentia eſſentialiter ſit actu durans non poterit effici ne actualiter duret, quod tamen experimur omnes eſſe falſiſſimum, quum etiam una creatura deſtruat facillimè aliam; imò, ſunt aliquæ creaturæ quæ non poſſunt ab ullo contineri in exercitio exiſtendi, tantum abeſt quod non poſſint eo privari. Hoc tamen tam apparenter validum prius ſolvi quam adferrem. Dixi ſupra neceſsitatem exercitii in exiſtentia creata eſſe conſequentiæ, in increata eſſe antecedentis neceſsitatem; Unde in forma argumenti nego ſequelam; & ad probationem dico, ſic bene inferri quod non poſsit dari exiſtentia niſi quæ actu det rebus eſſe; quod autem detur, non eſt neceſſe, quia ipſa non eſt ens neceſſarium, ſed contingens; ergo contingens eſt quod detur; neceſſarium autem, quod ſi detur, exerceat. &c. ut ſupra

Et ne quid deſideretur, reconvenio Adverſar. ſaltem Recent. ſic; ſecundum ipſos modi quos vocant ut unio & ſimilia conſiſtunt in exercitio actuali, non enim poteſt eſſe unio quæ tantum potentia, & non etiam actu uniat formam ſubjecto, v.g. albedinem muro: quæro igitur utrum unio albedinis ad murum ſecundum ipſos neceſſariò detur? utrum non poſsit à Deo, imò à cauſis ſecundis, etiam ſexcentis deleri? habent dicere, quod poſsit, & tamen ratio illa recurrit, ut cuique evidens eſt, ergo etiam exiſtentia poterit deleri, & deponi quamvis conſiſtat in actuali exercitio.

Tertia ejuſdem Rec. objectio coincidit cum primâ: exiſtentia angeli, qui nunquam creabitur, aut repugnat poni in re, aut non repugnat. Si ſic, repugnabit angelum exiſtere, quod videtur ſupponi eſſe falſum, & certum eſt in re tale eſſe; nam argumentum æquè currit de exiſtentia angeli, qui jam creatus eſt antequam actu crearetur; hanc autem certum eſt non fuiſſe unquam impoſsibilem: ſi non: ergo datur quidditativus conceptus exiſtentiæ in ſtatu meræ poſsibilitatis. Confirmatur, exiſtentia ante productionem non eſt exercita, ergo actuale exercitium non eſt de conceptu ejus. Ad hæc & ſimilia reſpondit olim Mayron. noſter loco jam citato, ſingulari invento, quod huc adſcribere libuit, ſi forte cuipiam magis placeat quam mea: ait ergo exiſtentiam non deduci de non eſſe ad eſſe, ſed eſſe id ad quod eſſentia ipſa deducitur per productionem, ex quo eſſentia habet rationem entis non in potentia ſed in actu; ipſa enim non eſt ens in potentiâ objectiva, ſeu poſsibile formaliter, ſed eſt terminus & connotatum poſsibilitatis Ita ille, cujus acumen æſtimandum eſt; ſed non eſt neceſſe aliud quærere quam quod ſupra reſpondi ipſe ad primum, ſcilicet exiſtentiam fuiſſe poſsibilem, habuiſſe ſtatum poſsibilitatis, non repugnantiæ &c. ſed non in ſe ipſa formaliter, ſeu in aliquo ſuperaddito eſſentiæ, ſed in ipſa immediatè eſſentia, quia ipſa immediatè eſt poſsibilis exiſtere, & exiſtentia poſsibilis eſt eſſentia. Ex quibus ſequitur ſemper concluſio poſita, quod ſcilicet exiſtentia non ſit niſi in ſtatu actus & exercitii, non verò in ſtatu poſsibilitatis, ſed contra hæc inſurgit

Ultima & acris objectio ſuppoſitis iis quæ nos ſparſim diximus: nam primò diximus eſſentiam & exiſtentiam eſſe idem, non ſolum realiter, ſed formaliter quoque: Item hic deinde diximus exiſtentiam nunquam eſſe ſine actuali exercitio, nec poſſe habere ſtatum poſſibilitatis: ex his autem ſtatim ſequitur eſſentiam non habere poſſibilitatem, & ita hominem v.g. non eſſe, aut non fuiſſe poſſibilem, non muſcam, non Mundum, atque ita omnia omnino eſſe impoſſibilia: ex quo ſtatim deinde proveniet nihil eſſe factum, nihil exiſtere, quia impoſſibile nunquam fit, nec eſt.

Reſpondeo tamen primò hæc non efficere, quo minus exiſtentia dicat actuale exercitium ſuppoſita diſtinctione aliqua eius ab eſſentiâ quam plerique admittunt. Reſpondeo ſecundò ſtando in principiis à me diſpoſitis, revera ita eſſe, & oppoſitum non niſi logicè verum eſſe, phyſicè autem hoc; non enim ſtatum ullum habuerunt, quamdiu nihil fuerunt; ſemper autem nihil fuerunt, quamdiu non erant producta, ſed quia loquendum cum multis &c. Dico ad hoc tertiò unum fuiſſe poſſibile, aliud non; quia nimirum pono inter hæc aliquam diſtinctionem. Quartò denique nego conſequentiam; non enim ſequitur niſi vel eſſentiam non fuiſſe poſſibilem, vel exiſtentiam fuiſſe, ſi ſecundum conceſſi evaſi: Concedo ergò. Sed inſtas, ſic negas concluſionem: nego me negare, dico enim, quòd ſupra, exiſtentiam fuiſſe poſſibilem: at non in ſe ſed in eſſentia, hæc enim eſt exiſtentia poſſibilis, quod de his ſit ſatis

In fine tamen cenſeo admitti poſſe diſtinctionem aliquam inter eſſentiam & exiſtentiam, etiam quæ non ſit ſolius rationis, aut arbitraria aliqua per intellectum; vel ex hoc ipſo capite, quia eſſentia in ſe eſt immediatè poſſibilis, non exiſtentia. Itaque ſicut definitio & definitum revera ſunt idem, v.g homo & animal rationale, quum per unum reſpondeatur ad quæſtionem, quid eſt, de altero, & nihilominus diſtinguuntur interim ſuo modo quum faciant plures terminos logicos, & alias ſyllogiſmus eſſet ſolœciſmus, propoſitio formalis eſſet identica &c. ita hic credo cenſendum, ut qualiſcunque ſit illa differentia definitionis & definiti ſive modalis, ſive ex natura rei &c. talis aſſeri poſſit inter eſſentias & exiſtentias, quod omninò non obſtat eorum identitati formali.

De Eſſentia & Exiſtentia.

DUrand. 1. *d.* 8. Capreol. *ib. q.* 1. Ægid. *d.* 2. *q.* 4. Bann. 1. *p. q.* 3. Joan. Canon. 2. *ph. q.* 1. Cajet. *de Ent. & Eſſ.* Rad. *Vom.* 1. *Contr.* 29. Franc. Suar. *diſp.* 31. *Metaph.* Peter. 6. *Phyſic. c.* 15. Molin. 1. *p. q.* 3. Fonſec. 4. *Metaph. c.* 2. *q.* 4. Maſ. *l.* 2. *de Franc.* Lanard. D. *Metaph. q.* 9. Raph Averſ. *Tom.* 1. *philoſ. q.* 8. G. Vaſq. 3. *p. Tom.* 1. *diſp.* 72. Coronad. *tract. proprio.* Hurtad. *d.* 8. *Metaph.* Ariag. *d.* 2. Nolan. *in ſua Pinacoth. q.* 13. M. Meuriſ. *l.* 2. *Metaph. q.* 15. Ponc. *Tom.* 3. *d.* 18. *q.* 5. *&c.* Maſtr. *To.* 2. *Metap. d.* 8 Smiling. *Tract.* 3. *de Deo d.* 2. *q.* 3. Franc. Herret. 1. *d.* 16. Vulp. *tom.* 1. *d.* 28. Gul. Camer. Scotlandus 3. *p. q.* 4. *Selectarum* Raconiſ. *diſp. Metaph. de prim. complex.* Albertin. *Tom.* 2. *Corolar. diſp.* 2. *de Subſt.* Franc. Ovied. *Contr. Metaph. &c.*

APOLOGIA VLTIMA.

De Modis.

ACTIO I.
De Modis Extrinſecis.

ACTIO II.
De Modis Intrinſecis.

ACTIO III.
Utrum Ens deſcendat ad Deum & Creaturas per modos intrinſecos; an vero per differentias?

Scotus *Quodlib.* 5. *n.* 4.

EX hoc ſequitur quod infinitas *intenſiva* non ſic ſe habet ad Ens quod dicitur infinitum tanquam quædam paſſio extrinſeca adveniens illi enti; nec etiam eo modo quo verum & bonum intelliguntur paſſiones vel proprietates Entis: imò infinitas intenſiva dicit modum intrinſecum quod circumſcribendo quodlibet quod eſt proprietas, vel quaſi proprietas ejus, adhuc infinitas non excluditur.

Idem 1. *d.* 8. *q.* 3. *n.* 16.

TEneo opinionem meam mediam, quod cum ſimplicitate Dei ſtat, quod aliquis ſit conceptus communis ſibi & creaturæ, non tamen communis ut generis: Prima pars probata eſt arguendo contra primam opinionem: Secundam partem probo per Auguſtinum 7. Trinit. c. 5. *Manifeſtum eſt Deum abuſive vocari Subſtantiam &c.*

ACTIO I.

De Modis Extrinſecis.

Breviarium.

N. 1. *Relatâ & reprobatâ doctrinâ Recent. de Modis.*
2. *Rectius cenſentur Modi eſſe relativi quam abſoluti.*
3. *Dari ſeptem prædicamenta modadalia.*
4. *Vtrum in Domino Deo ſint Modi tales extrinſeci?*

1. EXpedivi controverſiam Tomi 1. Apolog... niſi Recent. Philoſophi.... revocaſſent eam nobis, idem ſub aliis terminis obtrudentes ut infra. Hic ergo paululum expendam, quam vera dicent illi de his Modis: Dividunt entia in res & modos: Modos definiunt, qui nec divinitus ſeparari poſſunt à ſubjectis; Res, è contra: Super his

Opinor in primis eos non rectè oppoſuiſſe modos rebus, nam pleraque ex illis quæ ipſi volunt eſſe modos, ſunt ſplendidæ res; Unio v.g. apud ipſos eſt forma abſoluta accidentalis propriâ actione producibilis, in prædicamento rectâ & mediâ ſeriè collocata; cur autem hæc non erit res, & albedo erit? Dicent, quia eſt modus: ſed hoc eſt excuſare Te per id de quo accuſaris. Illa non poteſt deſinere eſſe vera res; aut ergo modus non debet opponi rei, aut non unio eſſe modus. Sed quia hoc peccatum nominale tantum, & ideo veniale eſt, tranſeo ad *quid eſt* ipſius modi: & Teneo non ita definitivè dici de modo quod ſit quid divinitus inſeparabile; Primo explicat eſſe per non eſſe, affixionem per ſeparationem: Deinde explicat naturale per ſupernaturale; modus utique eſt quid naturale adeoque ad Metaphyſicam ſpectans: *τὸ divinitus* ſignificat ſupernaturale ſeu potentiam abſolutam Dei. Tertiò denique: quia ſine dubio datur aliquid prius inſeparabilitate in eo quod inſeparabile eſt; utique enim prius eſt ineſſe ſubjecto quam poſſe, aut non poſſe ſeparari, adeoque inſeparabilitas non poteſt eſſe definitivum illius quum definitio debeat eſſe per priora, imò per primo-prima. Potius dicerem Modum eſſe formam aliquam determinantem ſubjectum in actu ſecundo, & eſſentialiter ad aliquid, ad quod alias

erat

erat indeterminatum; ſive ſuccinctius: Modum eſſe actualem determinationem alicujus, ſed contra hoc

Objecit aliquis duo; ſcilicet ubicationem, & Durationem; hi enim ſunt modi, nec tamen ſunt actualis determinatio ſubjecti ad quidpiam, quia ſi ad aliquid, maxime ad hunc locum, & hoc tempus, id autē non faciūt, quod ſic probat, quia locus & tempus quatenus ab ipſa ubicatione diſtincta ſunt, nihil ſunt, ergo. Sed enim hoc argumentum potius nihil eſt, & ſupra ſæpe non ſolutum tantùm, ſed præventum, ergo iſta ſunt modi, neque neceſſe eſt locum & tempus eſſe magis realia quam ſunt, dantur enim alii reſpectus reales, quorum terminus ad quem non eſt magis ſolidus quam ſint illa ſpacia ſive temporis ſive loci: corruptio enim hujus ad hoc ſine dubio eſt vera & realis relatio, (aut ſit abſolutum ſi voles, eodem enim redit quoad præſens) & tamen corruptio eſt ad nihil, ad non eſſe rei, & idem eſt de annihilatione à fortiori. Denique generatio & creatio habent etiam terminos à quo non reales, ſcilicet non eſſe ſimiliter; & ita ſunt determinatio hujus æque inanis in entitate, & ipſum ſubjectum eorum eſt eodem modo nihil; Itaque clarum eſt hoc non obſtare: denique in meâ definitione non poſui quod ſit determinatio ſubjecti ad aliquid, intellige ad aliquid extra ſe, nam exiſtentia probabiliter apud pleroſque eſt modus, & tamen non determinat ad aliquid extra ſe, ſed potius ad ſeipſum, ideſt ad exiſtendum: ſed hoc pro nunc dimiſſo

Teneo definitionem modi aſſignatam, etiam quæ à Recentibus admittitur, non poſſe ab illis ſuſtineri: ecce rationem; modus eſt determinatio ſubjecti, & inſeparabilis ab eo cujus eſt determinatio, &c. atqui hæc omnia falſificantur in ipſorum Recent. principiis; nam actio eſt modus ſine dubio, eſtque ultimà determinatio agentis; nec tamen agens eſt ſubjectum ejus ſecundum ipſos, ſed paſſum; ecce modum, & quid modaliter ſe habens reſpectu alicujus quod non eſt ſubjectum ejus: Hoc ſit Phyſice dictum.

Aſſigno jam Theologicum exemplum ejuſdem: Unio hypoſtatica eſt modus, & eſſentialis determinatio humanitatis ad Verbum, & viciſſim perſonæ Verbi ad humanitatem, nec tamen unio eſt Verbi, aut perſonæ ejus tanquam ſubjecti; en iterum modum modificantem aliquid in quo non ſubjectatur.

2. Teneo etiam modos melius dici relativos, ut nos ponimus, quam abſolutos ut volunt Rec. Rationes hujus ubertim attuli, tum tom. 1. de ſex ultimis Prædicamentis: tum 2. Apolog... de unione, quam oſtendi eſſe eſſentialiter relativam. Hic contentus erò duabus ratiunculis ad hominem, quia nimirum ipſimet quos impugnamus, tenent modum quemlibet eſſe hujus ad hoc, ſivè determinationem ſubjecti ad tale quid; quomodo autem poteſt relatio magis exacte deſcribi? ſane hæc eſt magis legitima eius quam illa quæ communiter circumfertur & ab Ariſtotele accepta eſt, quod totum illius eſſe ſit ad aliud ſe habere, nam in hac definitione ponitur unum tantum extremum, & connexio relationis cum ipſo, ſcilicet terminus; in illa autem ponitur utrumque, *huius ad hoc*, fundamentum, & terminus ſimul.

Iterum arguo contra eoſdem ſic: ſi modus ſit entitas abſoluta, non poterit ſuſtineri modus eſſe modus, quo quid ineptius? ſed probatur idipſum ſequi, quia non poterit modus eſſe divinitus inſeparabilis à ſubiecto, eſſe eſſentialiter determinatio eius tanquam alicuius *ad*, etenim omne abſolutum poteſt ſaltem divinitus abſolvi à coniunctione eius cum quolibet alio; alioquin negabo albedinem aut odorem poſſe à ſubiectis ſeparari, quod foret iam ferè contra fidem. Confirmo: quia alioquin aliquod abſolutum eſſet eſſentialiter ad aliud; atque ita non eſſentialiter ad ſe: ex quo fieret ut abſolutum iam non eſſet abſolutum; modi enim ſunt eſſentialiter ad ſubiectum ſeu uniti.

Diceret forte quis, hoc non ſufficere ut modus ſit relativum, quia relativum eſt eſſentialiter *ad*; modus autem qua talis non eſt *ad* ſed *in*, eſt enim in ſubiecto. Reſpondeo relativum quà tale eſſe *ad*, id eſt dicere ordinem, vel referri erga aliud; neque neceſſe eſſe quod ille ſit *ad* præ aliis modis, nam filius eſt relativum ſine dubio, & tamen eſt proprie *à* patre potius quam *ad* patrem; & forma eſt relativa ad cauſam materialem, tamen propriè eſt *ex* illa; & denique motus progreſſivus loco, ac non tantum ad locum, quum tamen ſit relativus ad utrumque. Hæc de modis extrinſecis Recent. quibus

Addo non ſufficere totum, quod adhuc dixerunt, explicando modo adæquatè: ſed addendum fuiſſe, quod ſit determinatio actualis ad ſubiectum aliquod in individuo. Cauſa, quia multà ſunt determinata & determinationes ſui ad ſubiecta talia, quæ tamen non ſunt modi iuxta ſenſum ipſorum, ſed res; nam ſuppoſito quod forma ſpiritualis non poſſit recipi in ſubiecto materiali, illa eſt actualis determinatiò ſui ad ſpiritum, nec tamen eſt modus: actus vitales probabiliter determinati ſunt ex naturâ ſuâ ad ſubiectum vivens, & tamen non ſunt modi ſed res; quia nimirum non ſunt determinatio ad hoc numero ſubiectum, ad hoc numero vivens.

3. Quærenti quænam ſint modi hoc novo modo? Scholaſticè reſpondendum eſt quod ſex ultima prædicamenta. Ego tamen adderem etiam ſeptimum, ſcilicet prædicamentum *ad aliquid*; credo enim omnem relationem eſſe modum, quia ſe ipſo inhæret, non eget unione, nec poteſt eſſe & non informare: imò decerperem aliquid octavi prædicamenti (retrò & inverſim numerati) crederem enim aliquid quantitatis eſſe modum hoc modo; eſtque illud, figurà, puta rotunditas, cavitas, convexum, &c. hæc enim nec divinitus videntur poſſe eſſe ſine ſubiectis, adeoque ſe ipſis inſunt, & ita ſunt modi: Fateor tamen hoc ultimum non convincere augendum numerum prædicamentorum modalium Scotiſtis; ipſi enim volent formam & figuram, relationem potius quam quantum aut quale dicere.

Quæro ipſe utrum aliquid poſſit eſſe modus ex parte termini, & ſimul non eſſe ex parte Subiecti: ſive, utrum aliqua forma poſſit eſſe certa de eo ad quod eſt, incerta ſive indeterminata de eo cuius eſt? Ad quod equidem credo Recentib. reſpondendum eſſe affirmative, quia actus cognitivi, imo ſpecies omnes tam impreſſæ quam expreſſæ ſunt eſſentialiter determinatæ ad hoc ſubiectum, quùm ſint imago naturalis eius, puta albedinis, angeli, &c. neque enim cognitio albedinis poteſt repræſentare aliud quam albedi-

n: & tamen quam ſint formæ abſolutæ, vi-
ntur ſine contradictione ſeparabiles à ſubje
s.

Ipſe tamen hic hæreo: ſi enim poſſit eſſe
:us abſque eo quod repræſentet objectum,
ncurram cum illis in hanc reſolutionem: ſi au-
n poſſit eſſe, & non repræſentare, diſcedam ab
is, quia actus ille nullatenus eſſet modus ne-
e ex parte objecti: neque ex parte ſubjecti: di-
;, frivolum eſt dubitare, utrum poſſit actus
è, & non repræſentare ſi poſſit eſſe, & non
hærere, non enim poteſt repræſentare niſi in-
:tendo: cui enim repræſentabit ſeparatus?
:ſpondeo id non eſſe tam frivolum: non poſſet
iidem repræſentare, objectum ſeparatus, id
men non obſtaret quo minus eſſet modus ex parte objecti, quia nihil deberet ei addi ex parte objecti: ſed ſola unio quæ eſt ex parte ſubjecti; quid autem dicendum ad punctum id unde controverſia pendet? ſane naturaliter non eſt ratio dubitandi; ſuppoſitis autem creditis de viſione beatâ, eſt: Eodem enim actu vident beati modo plura, modo pauciora; atque ita actus ille de ſe non eſt determinatus ex ſe ad objecta: quod ſufficit hic dixiſſe.

4. Quæro tamen, utrum in D. Deo ſint tales modi? & Reſpondeo ad intra non eſſe, nec ad extra reales, ſi tamen teneatur volitio ejus determinari ad objecta contingentia per terminationes ſuperadditas, non video cur non poſſint in eo admitti huiuſmodi intentionales & metaphorici modi.

ACTIO II.

De modis intrinſecis?

Breviarium.

1. *Senſus formaliſtarum noſtrorum.*
2. *Impugnatur ſemel & iterum.*
3. *Explicatur natura modi.*
4. *Impugnatur & defenditur dicta doctrina.*

Iam domi ſumus: iſti enim modi Scotiſtis ſemper familiares fuerunt, aliis vix agniti, quamvis Recent. incipiant hic quoque ut alibi Scotiſticam veritatem
qui. Ipſam ego referam ſimpliciter, ut defen-
am à quibuſdam abſurdis quæ illam apparenter
onſequuntur. Sciendum eſt itaque à formaliſtis
ſſam eſſe hanc definitionem modi de mente
oct. quod ſcilicet ſit Id quod additum alteri
on variat rationem formalem eius: vel ſic: quod
on variat rationem formalem eius cuius eſt: Ita
nim ſignificavit Subtilis tum quodlib. 5. & 6.
m in 1. d. 8. qu. 3. & q. 4. Devenerunt autem
rmaliſtæ in iſtam deſcriptionem modi, & to
m tractatum eius ut invenirent aliquid contra
iſtinctum à differentiâ, cui tamen competeret
ontrahere & conſtituere: ſed hoc ipſum.

2. Obiici poteſt & ſolet illis, nimirum,
uod totum id non diſtinguat eum à differentiâ:
it enim agitur de eo quod contrahitur per mo-
um: & tum definitio eius convenit differentiæ,
am neque differentia variat rationem formalem
ontracti: v. g. rationale non variat rationem
rmalem animalis, ut nec ullum poſterius muta-
poteſt rationem prioris. Si autem ad fugien-
um hoc recurratur ad ſecundam definitionem
uæ poterit facere ſenſum quod modus non va-
et rationem formalem contracti, perdunt in-
ntum formaliſtæ, intendunt enim per hæc de-
ndere quod ens non deſcendat ad decem præ-
camenta, ad Deum & creaturas per differen-
as, ſed per modos: At vero certum eſt decem
ædicamenta formaliter eſſentialiter diſtingui;
certiſſimum eſt quod D. Deus diſtinguatur
ſentialiſſime ab omni creaturâ; quum ergo di-
inguantur per modos, iam illi ſe involvunt ut
ebeant fateri quod modi varient eſſentialiter
onſtitutum, etſi non item contractum. Hoc ar-
umentum valde moleſtum eſt noſtris, ut patet
eorum inventionibus ad illud evadendum, excogitatis? quibus tamen vix quidquam proficiunt, ut ingenue de ſe confitetur noſter Poncius hic: nihilominus.

Obiiciam adhuc alterum; nam tota hæc definitio etiam in ſecundâ formâ quæ minus patet errori, competit alicui, quod apud Scotiſtas nunquam fuit habitum pro modo eſtque differentia individualis ſeu numerica; hæc enim non ſolum non variat rationem formalem contracti: ſed nec conſtituit, non enim diſtinguitur formaliter aut eſſentialiter Petrus à Paulo, & multo minùs diſtinguitur humanitas Petri à ſe ipſa quando iam eſt contracta per Petreitatem. Propter hoc Poncius cenſuit addendum definitioni modi, quod non ſit differentia individualis, ſed in primis hoc non eſt defendere ſed mutare veterum Scotiſtarum definitionem, imò & illam Scoti; Deinde quilibet quodlibet defendet ſi liceat ei excipere omnia in quibus patitur difficultatem. Dicam pro mea tenuitate ad punctum principale quæſiti; tum, (quà potero) ſolvam utramque obiectionem.

1. Dico ergo, (ſalvo meliori invento) ad modum primò requiri ne diſtinguatur realiter à ſubiecto, alioqui confundemus noſtros modos cum illis Recent. & intrinſeci erunt extrinſeci, &c. Deinde breviter reſolvendo, credo modos ſic accipiendos ut ſint taleitates quædam, alicuius rei, ſive actionis, ſic ut non extrahat ſubiectum ſeu denominatum ſuum à priori conceptu, ſed contineat potiùs intra ipſum quaſi explicando quomodo ſe habeat in illo. Primum horum deduco ex Doct. 1. d. 8 q. 3. n. 27. ubi exemplificans modum intrinſecum quem deſcripſit, ait: *exemplum, ſi eſſet albedo ſub decimo gradu intenſionis, quantumcunque eſſet ſimplex omnino in re, &c.* ubi ad hoc ut decimus gradus cenſeatur modus intrinſecus albedinis ponit quod albedo cum ipſo eſſet ſimplex omnino in re, ſive ut nulla compoſitio inter eos intercedat, adeoque non ſint diſtincta ab invicem realiter. Secundum ex quodlib. 5. num. 4. *ex hoc ſequitur quod infinitas intenſiva non ſic ſe habeat*

ad

Digitized by Google

ad ens quod dicitur infinitum tanquam quadam paſsio extrinſeca adveniens illi enti, nec etiam eodem modo quo verum & bonum &c. imo infinitas intenſiva dicit modum intrinſecum illius entitatis cui eſt ſic intrinſecum quod circumſcribendo quodlibet quod eſt proprietas adhuc infinitas non excluditur. Hæc congeſſi ut oſtenderem intellectum hunc meum eſſe genuinum Doct. nunc non ſupereſt explicando modo niſi exemplum, quod quiſque ſibi ſubminiſtrare poteſt, & ſolet quotidie licet non advertat: nam quùm dico me raptim & ſubito id feciſſe, v.g. intellexiſſe, amaſſe, explico modum intrinſecum actus mei: quum dico me intenſe & vehementer amaſſe, explico modum amoris, & ſimilia quæ benè perpenſa ſtatim oſtendunt diſcrimen modi à differentia: Longe enim aliter facio, & oſtendo me facere quùm dico aſinum generaſſe mulum, &, aſinum generaſſe velociter, nam per primum illud additamentum aſſignatur ratio ſpecifica actionis, quæ non inveniretur in alio ejuſdem agentis ut ſi aſinus generaret muſcam: per ſecundum non item, quia ſemper ſiſtit rationem ejus cui additur; & poſſet inveniri, in alia oppoſita ſpecie; nam velocitas, v.g. poſſet inveniri in generatione muſcæ ab eodem aſino, ſicut in generatione muli, quæ univoca cenſetur, ſicut prior illa fuit æquivoca.

Ex his habes oſtium & os apertum ut reſpondeas ad quæſtionem, quænam ſint modi? ſunt enim illa in quæ quadrat explicatio adducta; &, ſi minutius velis id ipſum exponi per aſſignationem eorum in ſpecie, crederem quantitatem virtutis in quolibet eſſe modum; itemque quantitatem molis ſuppoſitâ veritate ſententiæ, quæ identificat eam ſubſtantiæ: Crederem intenſionem formarum per ſimplicem indiviſibilem perfectionem eſſe modum, ut quum actus aliquis vitalis à principio eſt ut ſex, non enim fit ut ſex addendo alios ſex gradus homogeneos priori ut ſuppono: at vero intenſionem qualitatum quæ per additamenta intenduntur, non item. Deinde, conſequenter ad hæc & alia Subtil. principia, finitas & infinitas erunt modi, ſimiliter neceſſarium & contingens: quod ſecundum omnes videntur ſupponere ſemper à principio, quoniam apud eos in limine Logicæ iſta duo faciunt propoſitiones modales. Primum autem ſæpiſſimè repetit, & oſtenſivè probat Doct. locis jam citatis, ut quodl. & d. 8. prim. &c. conſequenter ergo pergendo, cenſendi etiam ſunt modi dependens, independens; à ſe, & ab alio; item diu, & breviter, ſi diuturnitas ſupponatur eadem realiter diuturno; & alia hujus generis quæ quiſque ſibi ex his poterit annumerare.

4. Hærendum tamen eſt hic, non ſolum quia objectiones ſupra poſitæ nondum ſolutæ ſunt, ſed quia aliæ naſcuntur; iſta præſertim quam non parvi facio. Modus intrinſecus non variat rationem formalem illius cujus eſt; unde ſive adhibeatur, ſive auferatur, res erit in illa ſpecie in qua ante fuit, imo ibi erit quamvis etiam apponatur oppoſitus modus: atqui ita non eſt in jam enumeratis, nam ſi auferatur finitas creaturæ alicui, v. g. homini, non erit idem eſſentialiter homo. Hic puto me melius intelligere quam loqui; rem forte capio, non æque explico; dico fore eundem eſſentialiter hominem quoad per ſe & jure neceſſaria, etſi non quoad neceſſaria de facto; nam qualecunque animal rationale erit homo: &, ſi intelligeremus Petrum à ſe fuiſſe, non ab ullo alio productum, dummodo maneret animal rationale, maneret homo; ita ſimiliter, ſi per impoſſibile aut poſſibile eſſet infinitus, non proinde deſineret eſſe homo, ſed tantum inciperet eſſe homo infinitus, &c.

Inſto tamen contra me; videor enim contra ſanam philoſophiam diſtinguere neceſſaria aut eſſentialia in aliquo, alia de jure, & alia de facto: nam eſſentialia omnia de jure & naturaliter ſunt talia; & quod eſt de facto conſtitutivum alicujus neceſſario eſt conſtitutivum ejus, nec poteſt fieri quin tale ſit. Reſpondeo, proinde dixi me rectius capere hæc quam aliis propinare: quod ergo in formâ explicare non poſſum, in materiâ explicabo, do enim exemplum: Relationi eſſentiale eſt eſſe ad aliud; relationes omnes apud nos accidentia ſunt, ut ſuppono, & ſi accidentia de facto ſunt: certe de jure & natura ſunt talia: ex diſcurſu jam facto; & tamen poſſunt relationes eſſe ſubſtantiæ, & de facto aliquæ tales ſunt, ſcilicet relationes perſonales divinæ; unde licet relationes noſtræ accidentia ſint, patet tamen quod non ex ratione relationum accidentia ſunt, quia hæc poterat manere illâ ſublatâ. Verbo ergo modi finitatis, infinitatis, contingentis, &c. non variant ſpeciem prædicamentalem rei, quia ipſi tranſcendentales ſunt.

Reſpondeo jam ad duo ſupra objecta; & dico in primis ad ſecundum duo individua differre Metaphyſicè, & vere eſſentialiter licet non Logicè eſſentialiter: Petreitas tam intime conſtituit Petrum quam rationalitas, & Deus ipſe intelligendo ſolum omnia communia Paulo, nunquam intelliget Petrum; tamen quia non eſt quid communicabile, non dicitur in Scholis eſſentiale, de quo ſupra plura: Ad primum, definitio accipienda eſt de conſtituto, non autem de contracto, quod etiam ſecunda forma illius ibi poſita expreſſe præfert: illud autem quo hoc improbatur, ſcilicet decem prædicamenta conſtitui per modos, & tamen ipſa prædicamenta differre eſſentialiter; ad Deum & creaturam per ſimiles, & tamen, &c. expendam in ſequenti, quæ ſit.

* * *

ACTIO III

Digitized by Google

ACTIO III.

Vtrum ens deſcendat in Deum & creaturas per modos intrinſecos, an vero per differentias?

Breviarium.

N. 1. *Modi non ſalvant ſimplicitatem rerum præ differentiis.*

2. *Aſſignatur via per quam differentia in Deo vitari poſſint.*

3. *Non dari genus aut differentiam rigide in D. Deo.*

4. *Nec tamen obſtinate contendendum eſſe quin ambo utcunque in eo ſint.*

1. DE hoc utiliter videri poterit P. Poncius noſtras diſp. ſui curſus ubi veterum Scotiſtarum vocales formalitates reducit ad ſolidam veritatem, ſciendum enim eſt antiquos formaliſtas propter quædam loca Doct. formaſſe ſibi nonnulla principia, quæ volebant ab omnibus admitti; quale eſt, ens contrahi per modos ad decem prædicamenta, atque etiam ad Deum, &c. cur putes? credo equidem ne ſi fortè contrahentia ens eſſent differentiæ, ipſum ens eſſet genus, quod Scoto ſtomachum moveret, quia tunc eſſet in genere, decem ſumma genera non eſſent ſumma, &c. unde illi pro anchora jecerunt ens contrahi per modos. Si liceret à via trita pluſculum divertere dicerem primo hanc inventionem modorum non nimis utilem fuiſſe formaliſtis noſtris, neque ſufficere ad evadenda abſurda quæ timebant. Hic non habeo ſocios Scotiſtas niſi Poncium ſolum, quanquam nec hic quidem expreſſe iſta diſtinguat.

Moveor primo, quia adhuc incumbit illis ſolvenda difficultas de compoſitione; velle enim quod differentia faciat compoſitionem, & modus non, eſt gratis dictum, quod ex ſe patet, & præterea ego ſic deduco ſemel pro ſemper, quia erit uſui in ſequentibus: Modus, v.g. intenſio, addit aliquid perfectionis ſubjecto; aut non addit: quod addat eſt certum, (utique enim ens infinitum eſt perfectius ente puro apud ipſos;) certum etiam eſt quod ſubjectum ſit capax, & ita in potentia aliqua ad modum: quid ergo ei deeſt ad compoſitionem? forte diſtinctio realis? ſed hæc etiam differentiæ deeſt.

Secundò, quia Deus ſine dubio diſtinguitur eſſentialiter, & pluſquam ſpecifice à creatura; modi autem non diſtinguuntur ſpecifice aut eſſentialiter, ergo diſtinctio illa non fit per modos. Tertiò, quia in D. Deo dantur perfectiones ſuperadditæ eſſentiæ ejus, quæ tamen non impediunt ſimplicitatem Dei, nec faciunt cum eo compoſitionem: quidni ergo illud (quidquid illud ſit) quod tu vocas differentiam poſſit eſſe in Deo, & afficere ipſum abſque eo quod impediat ſimplicitatem, aut inferat ei compoſitionem? aſſumptum patet in ſapientiâ, juſtitiâ, &c. ne dicam in relationibus perſonalibus quæ ſunt quaſi differentiæ numericæ in eo, &c. hæc enim ſunt aliquid præter eſſentiam, perficiunt eam ſine compoſitione; &, ne quid deſiderent Scotiſtæ ſunt formalitates perfectæ, & poſſunt concipi ſeorſim perfectiſſimè, adeoque.

Reſpondebunt aliqui ideo id fieri, quia eſſentia Divina eſt tunc infinita, adeoque omnem perfectionem in ſe continet; at vero ante infinitatem non eſt infinita, unde non continet tunc omnem perfectionem, adeoque non prohibetur componere. Audio & quæro primo utrum eſſentia continet ſapientiam, &c. formaliter necne? dicent utique quod non idque certiſſimum eſt, ut quid enim accederet ſapientia formalis ſubjecto jam formaliter ſapienti? ſed tum reſtat reſpondendum noſtris quomodo eſſentia non componat cum ſapientia formali, vel cum formalitate ſapientiæ? hæc enim eſt novum quid, & non præ habitum, eſt perfectio ſine dubio, &c. ergo.

Addo diſcurſui, non poſſe rem hanc ſic digeri quomodo formaliſtæ intelligunt eam digeſtam; non enim fieri poteſt ut enti ſecundum ſe qui eſt primus conceptus poſſibilis ſtatim & immediate accedat infinitas, nam infinitas eſt tantum quantitas virtutis, ſeu determinatio, & quædam ut ſic dicam quantitas perfectionis, non externæ ſed inſitæ à naturâ ſubjecto, eſtque menſura quædam & quaſi declaratio ejus, aut explicatio quæ exhibeatur quærenti: unde non addit perfectionem habendam, ſed metitur & oſtendit habitam: Tum ſic: ſed ens ſecundum ſe non habet infinitatem perfectionis, ergo modus ejus non poterit eſſe infinitas, neque hæc immediate ipſum, ſed tantum ratione alicujus contrahentis aut quaſi contrahentis tantæ perfectionis ut menſura ejus, aut quaſi menſura debeat eſſe infinita, ſicut duratio eſt infinita & æternitas, præſentia infinita eſt immenſitas: quod totum recurrit in ente non divino, v. g. in ſubſtantia & accidente; nam ens ſecundum ſe ſumptum in his non poteſt proximè affici finitate, alioquin quodlibet ens ſecundum ſe eſſet finitum, &c. ut ſupra, atque ita ante quemcunque modum neceſſario patet præmittendum eſſe aliud contrahens, unde emanat ſive finitas, ſive infinitas reſpective.

Dico deinde expeditiſſimam viam ad hæc omnia componenda eſſe, ut negentur præſciſiones & diſtinctiones objectivæ graduum in ſe ipſis, licet fiant præſciſiones eorum ab intellectu, quæ vocari poſſunt formales: patet hoc, ſublata enim diſtinctione & pluralitate neque modi adhibendi erunt: neque differentiæ. Hoc ergo ſi cum aliqua pace in Scotiſticâ ſcholâ ſuſtineri poſſit, tollet occaſionem, non ſolum huic, ſed aliis litibus tam Theologicis quam Philoſophicis: quia tamen deſperandus ferè eſt conſenſus noſtrorum in hanc viam ſtando in pluralitate & diſtinctione graduum contrahentis & contracti tum in Deo tum in creaturis.

Dicerem tertiò, in Deo non dari revera Logicas differentias, nec genera, quæ quiſque videt

videt eſſe correlativa, & probantur iiſdem rationibus, quas Doct. formavit de genere, probans illud non inveniri in Deo, neque D. Deum in genere, primò ſic: Conceptus habens indifferentiam ad aliqua, ad quæ non poteſt conceptus generis eſſe indifferens, non poteſt eſſe conceptus generis; ſed quidquid dicitur communiter de Deo, & creatura eſt indifferens ad finitum & infinitum, loquendo de eſſentialibus, vel ſaltem ad finitum & non finitum, loquendo de quibuſcunque, quia relatio divina nec eſt finita nec infinita; nullum autem genus poteſt eſſe indifferens ad finitum, & infinitum, ergo, &c. Prima pars minoris patet, quia quidquid eſt in Deo perfectio, eſt formaliter infinitum, in creatura verò finitum. Secundam partem minoris probo, quia genus ſumitur ab aliqua realitate, quæ ſecundùm ſe eſt potentialis ad realitatem, à qua accipitur differentia; ſed nullum infinitum eſt potentiale ad aliquid; aſſumptum hoc patet authoritate Ariſtotelis 8. Metaph. c. 5. Oportet terminum, id eſt definitionem, eſſe orationem longam, quia ſignificat aliquid de aliquo, ita quod oportet illud eſſe materiam, & illud formam: Apparet etiam per rationem, quia ſi illa realitas, à qua accipitur genus, eſſet verè tota quidditas rei, ſolum genus completè definiret; genus etiam & differentia non definirent, quia ratio ex iis non indicaret primò idem definito, unaquæque enim res eſt ſemel ipſa, & ideo illa ratio, quæ bis exprimeret eam, non indicaret primo idem definito, vel quidditatem illius rei.

Secundo ex eodem medio ſic: Conceptus ſpeciei non eſt tantùm conceptus realitatis & modi intrinſeci ejuſdem realitatis, quia tunc albedo poſſet eſſe genus, & gradus intrinſeci albedinis poſſent eſſe differentiæ ſpecificæ; illa autem, per quæ commune aliquod contrahitur ad Deum & creaturam, ſunt finitum & infinitum, quæ dicunt gradus intrinſecos ipſius, ergo iſta contrahentia non poſſunt eſſe veræ differentiæ, nec cum contracto conſtituunt ita compoſitum conceptum, ſicut oportet conceptum ſpeciei eſſe compoſitum: imo conceptus ex tali contracto & contrahente eſt ſimplicior, quàm poſſit eſſe conceptus ſpeciei.

Arguo tertio ex ſecundo medio, ſcilicet ex ratione neceſſe eſſe, & eſt argumentum Avicen. 8. Metaph. cap. 4. Si neceſſe eſſe habet genus, ergo intentio generis vel erit ex ſe neceſſe eſſe, vel non: Si primo modo, tunc non ceſſabit quouſque ſit ibi indifferentia; hoc intelligo ſic, quòd genus tunc includeret differentiam, quia ſine illa non eſt in actu ultimo, & neceſſe eſſe ex ſe eſt in actu ultimo: Si autem genus includat differentiam, tunc non eſt genus. Si detur ſecundum membrum, ſequitur quod neceſſe eſſe eſſet conſtitutum ex eo, quod non eſt neceſſe eſſe, &c. Hæc Scotus. Dicerem nihilominus non eſſe contendendum, quin aliquid in Deo habeat rationem generis quoad ſubſtantiam, etſi non ſit ibi cum omnibus rigoribus & formalitate, idque aliquid eſſe ipſum ens. Pro hac valdè expreſſus eſt paſſus Damaſceni, quem quidem in ipſo non legi, ſed ex eo ſic refertur: *Subſtantia, qua continet ſuperſubſtantialiter increatam Deitatem, cognoſcibiliter autem & continuè omnem creaturam, generaliſſimum genus eſt*: Et ratio eſt ſtatim in limine, quia ſcilicet aliquid in Deo repertum eſt prædicabile de pluribus differentibus ſpecie, ratio entis, ratio ſubſtantiæ viventis, &c. faciunt quidem aliqua, ne adſit generis imperfectio, non autem ne ipſum genus; ſicut non debemus negare liberum arbitrium Deo aut beatis creaturis, quamvis eorum nullus peccare poſſit, quia hoc non facit deeſſe niſi defectum, non aufert ſubſtantiam libertatis, ſed vitium & imperfectionem.

Itaque concede in Deo differentiam, concede genus, quantum ad hactenus allata; concede etiam modos, ſed aliter & aliter: Dic ens, quod eſt quaſi genus non contrahi modis, ſed differentiis, quas deinde ſequantur modi. Ex quo manet ſoluta objectio ſupra Act. præcedenti facta, differt enim eſſentialiter Deus à creatura, adeoque per differentiam. Sed contra hæc faciunt duo, quæ ſic

Objicio, non poteſt genus includi in differentiis, non poteſt ens non includi; ergo non poteſt ens eſſe genus. Reſpondeo primò, ſi ens debet includi in differentiis, debet etiam includi in modis, nam ratio redit, ut patebit applicanti; de modis enim verum eſt, quòd aut aliquid ſint, aut nihil, &c. non minus quàm de differentiis, vides rotundam paritatem. Reſpondeo ſecundò, non poſſe argumentum hoc nocere Scotiſtæ, ipſe enim Scot. abundè providit, ne ens includeretur in differentiis, paſſionibus, &c. entis; de quo me conſule, ſi placet hoc ipſo opere, Apolog. 2. Act. 7.

Objici ultimò poteſt falſum ſuppoſitum, ſcilicet dari genus in Deo, non dari compoſitionem; ſi enim datur genus, utique datur differentia, & compoſitum ex utriſque; quomodo ergo non erit ibi compoſitio? hac autem poſita, deſinit ſimplicitas divina, deſinit infinitas; nam in omni componente eſt aliquid potentiale, ſicut eſt actuale, patet autem potentiale eſſe imperfectum: Reſpondeo, hic nodus eſt, non tamen implicatus, ut debuerit authores impellere ad nominaliſmum. Dico ergo concipi poſſe, quòd inveniatur contrahens & contractum in Deo ſine potentia, & perfectibile ſine imperfectione, non enim hæc ſe infallibiliter concomitantur. Dedi aliquod exemplum hujus de libertate, quæ in Deo non negatur, nec tamen habet omnem mobilitatem, quam noſtra habet, quamvis ſit noſtra major. Addo jam alia duo, quorum primum declarabit, quomodo intelligi debeat; alterum autem erit etiam exercitium quoddam rei. Itaque, ſi concederemus ſententiam illam de duplici cauſa totali unius effectus, ſtatim perſuaſimus nobis modum, quo hoc eſſet poſſibile, nam in eo caſu ſecunda cauſa verè influeret & phyſicè, aliàs non verè cauſaret; nec proinde tamen effectus haberet dependentiam ab illa, quia eâ ablata ſubſiſteret. Ita hic concipienda eſt contractio & actuatio ex parte differentiæ, non tamen potentialitas, & imperfectio ex parte alterius, quod reſpondet ei tanquam genus. Sic iterum attributa divina ſine dubio perficiunt eſſentiam, non tamen ſupponunt eam imperfectam. Itaque non eſt ratio cur hic hæreamus, & non magis abſolutè

Dicatur ens contrahi prius per differentias, quàm per ullos modos, quæ omnia melius intelligentur per ſequentia.

Interim

Legi poſſunt de Modis

FRanc. Mayron. 1. *d.* 42. *quaeſt.* 4. Ant. Andr. 5. *Met. quaeſt.* 7. Paulus Scriptor. 1. *d.* 3. *quaeſt.* 1. Viguer. *ibid. d.* 8. *quaeſt.* 4. Theod. Smiſ. *Tract.* 2. *de Deo. d.* 1. *quaeſt.* 1. Phil. Fab. *Theor.* 97. 7. *Metap. diſp.* 2. Paul. Soncin. 5. *Met. quaeſt.* 14. Franc. Suar. *d.* 7. *Met.* Ponc. *diſp*.... *Curſ.* oderic. Ariag. *diſp.* 1. *Met.* Fr. Oviedo. *Contr.* 4. *Met.* Pet. Hurt. *diſp.* 2. *ejuſdem.* Martin. eurisſe. *lib.* 1. *Metaph. quaeſt.* 10. Barthol. Maſtrius. *diſp.* 2. *Tom.* 1. *Metaph.* Zachar. Paſqualig. *om.* 1. *Met. diſp.* 37. *&c.*

APOLOGIA VLTIMA

ACTIO UNICA.

De prima diviſione Entis.

Scot. *in praefat. Quodlib.*

RES autem prima ſui diviſione dividitur in rem creatam & increatam, ſive in rem à ſe, & in rem ab alio, habentem eſſe, &c.

Idem 5. *Metaph. quaeſt.* 6.

COntra quod negent diviſionem: Boëtius ſuper prædicamenta: prima omnium diviſio eſt in ſubſtantiam & accidens; hæc prima ergo immediatiſſima, &c.

Action. Breviarium.

1. *Varietas ſententiarum.*
2. *Nullam dari primam diviſionem entis, quæ cæteras ſibi ſubordinet.*
3. *Reprobatur omnino prima diviſio entis in quantum & non quantum.*
4. *Statuitur modus, quo prima diviſio ſit in Deum & creaturam, in ſubſtant. & accid.*

1. RES eſt non multum è re noſtra, aut ullius ſcholæ: unde meritò reſtringemus eam, quæ apud antiquos fuſiſſimè excurrebat. Duo puncta videntur expendenda, unum, an detur aliqua prima diviſio entis, quæ cæteras omnes præcedat & complectatur. Secundum, quæ nam illa ſit? in quo genere ſi ullibi eſt ſilva ſententiarum, quibuſdam hoc, aliis illud præferentibus. Commune multorum eſt, incipiendum eſſe à finito & infinito: Scotiſticè cenſetur incipiendum à diviſione entis, in quantum & non quantum: Communis eſt nullam unam dari primam diviſionem entis, eò quòd nulla una ſit, cui cæteræ ſubordinentur, hoc eſt, cujus unum membrum complectatur utrumque aliarum: Dabo meum ſenſum, incipiendo ab hoc ultimo.

2. Dico enim verè non dari unam primam diviſionem entis, quæ cæteras ſibi ſubordinet, ut oporteret, & jam ſupra tactum eſt: adhuc tamen non rejici per hoc ſingularum diviſionum ſubordinationem, ſed tantummodo omnium conjunctim. Explico, quod dico per praxin: ſi enim velim aſſignare diviſionem primam entis in ſubſtantiam, & accidens, ſuccedet alia diviſio ejus, quæ non poteſt contineri ſub hac, ut oporteret, eſtque diviſio in corporeum, & in incorporeum; nam ut hæc ſubordinaretur perfectè priori, oportet & utrumque membrum hujus contineri ſub uno aliquo membro prioris; quod non fit; ſed potius hæc tota æquat illam totam; & nulla medietas illius eſt, quæ ſub ſe habeat hanc totam; nam non omne corporeum eſt ſubſtantia, cùm dentur accidentia corporea: neque iterum omne corporeum eſt accidens, quum multæ ſubſtantiæ ſint non ſolùm corporeæ, ſed corpora; propter quod etiam non poteris incipere diviſionem entis à duobus illis corporeum & incorporeum, quia ſimiliter duo illa alia, ſcilicet ſubſtantia & accidens intendent eam litem iſtis. Idemque erit applicando alias aliquot diviſiones,

Non omnes tamen, quæ fuit altera pars reſolutionis meæ: & hic probatur, quia ratio à me allata non æquè currit in aliis, ut credunt Adverſarii: Si enim dixero primam diviſionem eſſe in abſolutum & relativum, non rectè redarguar per diviſionem entis in Deum & creaturas, eò quòd detur ens divinum abſolutum, & aliud relativum: Id enim non videtur ſatis propriè dictum. nam Trinitas divina, quæ ſunt tria entia, (eſſentia enim non eſt quartum.) ipſa, & ſingula eorum vel conſtituuntur differentiis aut quaſi differentiis abſolutis, vel conſtituuntur differentiis relativis; ſi primum, omnia

Digitized by Google

omnia tria & ſingula eorum ſunt abſoluta; ſi ſecundum, ſunt relativa; inter hæc autem non eſt medium. Vrgeo, quia homo habet aliquid irrationale, ſcilicet corpus; vel, genus ſuum, non proinde tamen dicetur irrationalis, ſed abſolutè rationalis, quia ultima differentia ejus talis eſt, & ille ab ipſa denominandus eſt: ergo licèt in Deo ſit aliquid abſolutum, & aliud relativum, non proinde ſimpliciter dici poterit utrumque, ſed alterum tantùm, juxta naturam illius, quod eſt ultimo conſtitutivum ejus. Confirmo iterum, quia etiam apud nos ſubſtantiæ & accidentia habent relationes ſibi identificatas, quæ dicuntur tranſcendentales, homo eas habet, lapis habet, albedo habet, iſta enim ſunt creaturæ: ſunt ab alio, &c. & tamen quando faciendæ ſunt duæ claſſes rerum, juxta illarum diviſionem nunquam ponetur homo, aut lapis à parte relationum, ſed à parte abſolutorum.

3. Dicendum ſecundò videtur neque Scotiſticè, neque vera re dividi primò ens in quantum, & non quantum. Ne quis erret circa primam partem amplius, dabo ipſum Scoti textum, in quo præbuit fundamentum oppoſito, eſtque Quodl. 5. num. 26. ubi ait: *Dico ergo breviter, quòd paternitas nec formaliter eſt finita, nec formaliter infinita. Et cùm arguis ex diviſione immediata entis in iſta, etiam antequam deſcendat in decem genera, concedo bene, quòd iſta non dividunt ens ut jam contractum ad aliquod genus, imò quodlibet genus eſt ens ut immediatè indifferens ad decem genera, eſt præcisè ens finitum; finitum tamen & infinitum non dividunt ens niſi ens quantum*: Ecce Scotus non aliud dicit, quàm diviſionem entis in finitum & infinitum, poſteriorem eſſe diviſione ejus in quantum & non quantum: an autem hæc ipſa ſit prima, nec ne? non dicit.

Imò oppoſitum dicit, & convincit ratio jam poſita pro priori concluſione, quia nimirum illa entia, vel rectius illæ entitates ſeu formalitates quantæ non ſunt per ſe, ſed ſunt aliquid entis, quod abſolutè quantum eſt; nam relationes originis, puta paternitas, filiatio, &c. ſunt in patre, & filio, &c. quorum ſinguli ſunt abſolutè & ſimpliciter infiniti. Dices, non ergo ſufficiunt relationes illæ ad conſtituendam diviſionem entis in quantum & non quantum, adeoque diviſio non ſubſiſtit contra Scotum: Reſpondeo, oſtende prius ubi diviſerit Scotus ens in quantum, & non quantum: in textu adducto jam non diviſit; tantum enim dixit, quantum eſſe diviſum, non verò dixit eſſe dividens. Et ſi fortè apud Scotum eſſet membrum dividens, at non ens, ſed entitatem ſeu formalitatem, non verò ens ſimpliciter, aut realitatem dividet.

Quartò, pergendo in his excluſivis, cenſeo non ſanè dividi ens per animatum & inanimatum, ſive per rationale, & irrationale, &c. quia nimirùm licèt hæc & ſimilia totam latitudinem entis complectantur, tamen non ſunt priora, aut propria enti; Diviſio autem deſcendit per priora; neque rectè quiſquam vellet dividere generaliſſimum aliquod per ſpeciem atomam primò. Neque valet dicere, quòd irrationale ſit genericum, tum quia hæc non eſt diviſio, ſed pars diviſionis, tum quia irrationale afficiens ens ut ſic, non eſt excluſivè tale, ſed permiſcuè tantùm, quod non ſufficit ad differentiam illam. Jam ad affirmativam reſolutionem.

Dico dupliciter hic incedi poſſe, ſi enim attendatur ad illa, quæ in re ipſa proximè ens afficiunt, primæ partes ſubjectivæ, & membra ejus erunt Deus & creatura. Ratio, quia hoc eſt primum ens, & omnia quæ in eo ſunt, oriuntur à Deitate, id eſt, à differentia aut quaſi differentia illa, adeoque hæc primò afficit ens. Cætera deinde, ſcilicet infinitas, neceſſitas, &c. quæ ad illam ſequuntur.

Si autem attendamus ad communitatem prædicatorum, & velimus deſcendere gradatim velut per ſcalam arboris, incipiendo à cacuminibus, & deveniendo ad truncum; prima diviſio erit entis in ſubſtantiam & accidens: ſubſtantia dividetur in ſpiritualem & corpoream, &c. tum venient animata, & in his Deus: ex altera parte ſtabunt creaturæ, ſuis quæque locis.

Reſtant tamen ſcrupuli aliqui adhuc in qualibet via horum, nam prima incidit in vitium illud ſupra proximè taxatum, quòd ſcilicet incipiat diviſio generaliſſimi à ſpecie infima, imò invaleſcit hic ratio, quia Deus non ſolùm eſt ſpecies aut quaſi ſpecies infima, ſed eſt individuum. Secundum autem in aliud, quia, ſic ponemus creaturam multis ſignis priorem Deo, nam Deus vix accedet in tertia ſubdiviſione. Deinde in hac ſecunda via, quando aut ibi ponuntur animatum & inanimatum? Si infra ſpirituale, dabitur ſpiritus non animatus, ſeu non vivens, quia diviſum eſt ſpiritus: ſi ſupra ſpirituale, tunc dabitur animatum, quod non ſit ſpirituale, nec tamen ſit corporeum; nam Tò corporeum, relictum eſt à parte, & diviſum eſt vivens. Sed enim duo priora ex his compoſita & ſoluta ſunt in ipſis terminis concluſionis; dixi enim duabus viis diviſionem fieri poſſe. Tertium non probat, niſi omnes diviſiones entis non eſſe ſemper ſibi ſubordinatas.

FINIS.

***

Videantur

MAgiſter Formalit. *art.* 1. Maurit. noſtras *ibid.* Burg. 1. *d.* 36. Anton. Tromb. *q.* 1. *Metaph.* Aretin. *tract. formal.* Bonett. *lib.* 9. *Met. c.* 1. Suar. *diſp* 4. *Met. & d.* 27. Averſ. *Tom.* 1. *philoſ. q.* 17. *ſect.* 1. Mart. Meurſ. *lib.* 1. *Metaph. q.* 5. Maſtr. *Tom.* 2. *Met. diſp.* 7. *q.* 3. Pet. Hurt. *diſp.* 4. *Met. ſect.* 4. Ioan. Ponc. *diſp. Curſ.* Alphonſ. Briſcu. *Tom.* 1. *controverſ.* 5. *art.* 3. *& controv.* 4. *ſub num.* 7. *&c.* X

Digitized by Google

INDEX APOLOGIARVM ET ACTIONVM METAPHYSICÆ.

APOLOGIA PRIMA PROOEMIALIS.

De natura & objecto Metaphyſicæ.

ACTIO I.

Utrùm Metaphyſica miſceat ſe objectis aliarum ſcientiarum? fol. 52

ACTIO II.

Utrùm Metaphyſica ab aliis ſcientiis diſtinguenda ſit? & , quid de hoc viſum ac prædicatum Ariſtoteli? fol. 54

ACTIO III.

De objecto vero Metaphyſicæ. fol. 56

ACTIO IV.

Expedit plura ſparſim de natura Metaphyſicæ. fol. 61

APOLOGIA SECVNDA

De Ente ut ſic.

ACTIO I.

Utrùm ens ut ſic reale habeat unum conceptum ab inferioribus præciſum, necne? fol. 64

ACTIO II.

Quid ens? ſive quis proprius conceptus ejus? fol. 69

ACTIO III.

Utrùm ens ſit univocum Deo, & creaturæ? fol. 71

ACTIO IV.

Utrùm univocatio entis ad Deum & creaturam ſit in aliqua realitate, an tantùm in formalitate aliqua, & conceptu? fol. 73

ACTIO V.

De univocatione entis ad ſubſtantiam & accidens. fol. 74

ACTIO VI.

Digitized by Google

ACTIO VI.

Comparat ens ut ſic, ad reale, & rationis. ibid.

ACTIO VII.

Utrùm detur aliquid latius ente ut ſic?
ſive
An quodlibet poſitivum includat formaliter ens? fol. 77.

APOLOGIA TERTIA

De Paſſionibus Entis.

ACTIO I.

Utrùm ens habeat veras & poſitivas paſſiones à ſe diſtinctas? fol. 83

ACTIO II.

Utrùm unitas conſiſtat in poſitivo, an verò in aliqua negatione? fol. 85

ACTIO III.

Quis ſit verus conceptus unitatis? & quomodo ſit quid ſuperadditum enti? fol. 87.

ACTIO IV.

Quid ſit veritas altera paſſio entis? fol. 89

ACTIO V.

Quomodo nihilominus poſſit veritas aſſignari enti in paſſionem, idemque de bonitate. fol. 91

ACTIO VI.

De bonitate.
Quomodo ſuſtineri poſſit eſſe paſſio? fol. 94

APOLOGIA QVARTA

De unitate naturarum inferiorum.

ACTIO I.

Referuntur Doctorum ſententiæ, nominatim Subtilis. fol. 97

ACTIO II.

Quæ unitas competat naturis creatis ſecundùm ſe? fol. 99

ACTIO III.

Utrùm in naturis creatis extra exiſtentibus detur unitas formalis, necne? fol. 100

APOLOGIA QVINTA

De unitate numerali ſeu ſingulari.

ACTIO I.

Utrùm omnia ſingularia conveniant in ratione aliqua communi ſingularis, necne? fol. 105

ACTIO II.

Utrùm natura individuetur per aliquid ipſi realiter aut formaliter ſuperadditum? fol. 109

ACTIO III.

Quodnam ſit principium individuationis in ſingulis quibuſque? fol. 112

ACTIO IV.

Utrùm omnia individua cujuslibet ſpeciei ſint æqualia, & eſſe debeant? an verò poſſint & debeant eſſe inæqualia, entitativè, ac non tantùm intenſivè? fol. 115

APOLOGIA SEXTA

De Diſtinctionibus Entium.

ACTIO I.

De generibus diſtinctionum in utraque ſchola, nominatim de diſtinctione reali. fol. 120

ACTIO II.

Explicatio diſtinctionis formalis Scotiſticæ. fol. 122

ACTIO III.

Dari diſtinctionem formalem inter gradus naturæ creatæ conſtitutivos. fol. 123

ACTIO IV.

Dari diſtinctionem hanc formalem inter totam ipſam naturam, & ſuam individuationem. fol. 128

ACTIO V.

Dari diſtinctionem formalem Scotiſticam inter ſubjectum & ſuas paſſiones, atque etiam inter ipſas paſſiones mutuò. fol. 130

ACTIO VI.

Dari diſtinctionem formalem Scoti in divinis, & pluries quidem. fol. 123

ACTIO VII.

Digitized by Google

ACTIO VII.

In qua oſtenditur Scotus certiſſimè aſſeruiſſe diſtinctionem formalem, itemque Ariſtoteles. ibid.

ACTIO VIII.

Oſtenditur diſtinctio formalis, ſive ex natura rei à ſanctis Eccleſiæ Patribus tradita. fol. 134

ACTIO IX.

Objiciuntur & reiiciuntur fundamenta Adverſariorum contra diſtinctionem formalem abſolutè, & in genere ſumptam. fol. 136

ACTIO X.

Proferuntur propriæ rationes contra diſtinct. formalem graduum metaphyſicorum eiuſdem ſubiecti abinvicem, atque ab ipſo ſubiecto. fol. 138

ACTIO XI.

Non ſufficere diſtinctionem formalem Thomiſtarum, ut vocant, ad ſalvanda ea, quibus diſtinctio formalis convincitur. fol. 140

ACTIO XII.

Nec ſufficere præciſiones ſive formales, ſive obiectivas Recentiorum, loco diſtinctionis formalis. fol. 142

APOLOGIA SEPTIMA

De Eſſentia & Exiſtentia.

ACTIO I.

Utrùm poſſibilia habuerint aliquod eſſe ab æterno, nec ne? fol. 146

ACTIO II.

Quid ſit poſſibilitas rerum? fol. 149

ACTIO III.

Utrùm poſſibilia dependeant ab omnipotentia Dei, an vice verſâ, omnipotentia à poſſibilibus? fol. 154

ACTIO VI.

Utrùm eſſentiæ ab exiſtentiis realiter diſtinguantur, nec ne? fol. 156

ACTIO V.

Utrùm exiſtentia diſtinguatur formaliter ex natura rei aut ratione ab eſſentia, nec ne? fol. 159

ACTIO VI.

Utrùm eſſentia ſubeat ſtatum poſſibilitatis, nec ne? fol. 161

APOLO-

Digitized by Google

APOLOGIA OCTAVA

De Modis.

ACTIO I.

De Modis extrinſecis. fol. 164

ACTIO II.

De Modis intrinſecis. fol. 166

ACTIO III.

Utrùm ens deſcendat ad Deum & creaturas per modos intrinſecos, an verò per differentias? fol. 168

APOLOGIA NONA

ACTIO VNICA.

De prima entis diviſione. fol. 170

APOLOGIA METAPHYSICAE INCIDENTALIS PRIMA

De Ente irrito, quod vulgò vocant Rationis.

ACTIO I.

Quid ſit hoc Ens irritum, aut rationis?

ACTIO II.

Vera reſolutio & definitio Entis irriti.

ACTIO III.

Utrùm dentur in rebus entia irrita, nec ne?

ACTIO IV.

Utrùm inter hæc entia cenſendæ ſint denominationes quas vocant extrinſecas, nec ne?

ACTIO V.

Utrum inter hæc entia irrita numeranda ſint ſpacia?

ACTIO VI.

De cauſis entis irriti.

ACTIO VII.

De intentionibus.

Scot. 3. *diſt.* 26. *quæſt.* 1. *num.* 13.

OMnis potentia collativa poteſt objectum ſuum comparare ad aliud, & in eo ſic comparato cauſare reſpectum rationis, qui non eſt ex natura rei, ſed ex actu potentiæ; & ita ſicut ratio comparando objectum ſuum poteſt cauſare in eo reſpectum rationis, ſic & voluntas comparando objectum ſuum poteſt cauſare in eo reſpectum aliquem, qui poteſt dici reſpectus appetitivus, & talis cauſatur in objecto utibili per actum uſus, quando voluntas utitur aliquo, &c.

Idem 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 1. *num.* 9.

ACtio ergo eſt reſpectus extrinſecus adveniens, ſed cui? videtur quòd paſſo, quia 3. Phyl. text. 22. vult Philoſophus, quòd actio & paſſio fundentur in motu, motus autem eſt in paſſo, & quod non diſtinguitur formaliter niſi per eſſe ab hoc & in hoc. Sed contrarium videtur, quia in eodem eſt reſpectus & fundamentum, ſed potentia activa quæ eſt fundamentum actionis, eſt in agente, ergo. Item in eodem non ſunt reſpectus oppoſiti ſaltem ad idem, nec univerſaliter neceſſariò ſimul: Paſſio autem univerſaliter eſt in paſſo, &c.

ACTIO I.

Quid ſit ens (vulgo dictum) Rationis.

Breviarium.

N. 1. *Senſus Ariſtotelis, & aliorum veterum de quæſito.*

2. *Quid revera hic tractetur?*

3. *Traditur & expenditur communis definitio entis rat. ubi oſtenditur non ſufficere illa.*

4. *Ne quidem de mente authorum ipſius Baronis Metaphyſica.*

5. *Prima objectio ſolvitur: An eſſe objecti; quid rationis, nec ne?*

6. *Alia expenditur: An ens rationis prius ſit cognoſcibile quàm cognitum?*

7. *An poſſit cum eſſe obiectivo habere eſſe reale?*

8. *Vltimum in oppoſitum: An ipſa poßibilitas poſſi produci?*

§. I

§. I.

Vetus ac communis reſponſio refertur & rejicitur.

1. QUæſivi de ente rationis, niſi enim id agerem, id eſt his terminis moverem quæſtionem, non intelligerer à pleriſque qui hac inveterata phraſi jam dudum imbuti ſunt. Cæterum res ipſa aliter ſe habet, ut infra ſtatim oſtendam. Interim experiri liber quo duce in ſcholas irrepſerit hoc ens rationis? num Chriſtiani Philoſophi vocem ab ethnicis deſumpſerint, an ipſi pullum ſuo ovo excluſerint? quod equidem verius credo. Nempe Ariſtoteles à quo hodie ſcholæ noſtræ reguntur, bis negotium attigit, ſemel 6. Metaph. cap. 2. quo loco ait quædam eſſe *in rebus*, quædam *in mente*; Ex quo noſtri deinde ſumpſerunt famoſam illam diviſionem entis in ea quæ eſſent extra animam, & in alia quæ eſſent in anima: *Non enim* (inquit,) *eſt verum & falſum in rebus, ut quidquid verum, bonum, quod autem malum, falſum, ſed in mente. Circa verò ſimplicia, & quod quid eſt, nec in mente*: Quem locum ita commentatur D. Thom. *Eorum quæ dicuntur in voce quædam ſunt in rebus extra animam, quædam autem ſunt in anima*, &c. Quæ ut demus opportunè ab eo dicta, ubi hic auditur *Ens rationis?* Nunquid ſynonyma ſunt anima, & ratio, ſeu intellectus? Poterat Sanctus & ſui cauſam ſuam amplius promovere, ſi ſervaſſent verba Philoſophi prout habentur non ſolum in verſione antiqua, (quæ eſt quaſi quædam vulgata editio) Ariſtotelis, ſed etiam in illa Card. Beſſarionis, & transfert græcum διάνοια non *in anima*, ſed *in mente*, quæ vox videtur propriè intellectum ſignificare.

Sed, ut dem ipſis quòd Τὸ *mens* intellectum ſignificet, non concedam quòd ſignificet intellectum ſolum, quum etiam voluntas ſit aliquid mentis: *Palam quia potentiarum alia erunt irrationabiles*, (ait Philoſopus 9. Metaph.) Vnde provocandum eſt hinc ad alium locum ejuſdem, quanquam non multò clariorem: Eſt autem ex pr. de Anim. ibi. *Vniverſale animal aut nihil eſt, aut poſterius*: & tamen hoc loco neque *mens*, neque *anima* habetur, & multò minus *ratio*. Facit tamen pro re ipſâ Adverſariorum, dummodo vocem mutarent, neque vellent denominare hæc entia à ratione quæ nihil ipſis ſuffragatur. Etenim Ariſt. eo loco rejicit doctrinam Platonicorum de eo quòd in quolibet genere natura univerſalis exiſteret abſtracta, & prior particularibus; ipſe autem vult, quòd ſit illis poſterior, & ponit exemplum *univerſale animal*, quod dicit *eſſe poſterius*, intellige rebus omnibus particularibus, atque ita debet eſſe aliquid non rei, ſed rationis. Interim tamen vox rationis apud Ariſtotelem non legitur, ſed ab aliis colligitur.

Majori jure pro his adferri poſſet Averroës, propius enim accedit ad phraſin hodiernam ſcholæ; nam 4. Metaph. Comment. 145. agit *de primis & ſecundis intentionibus*, & ibidem propè de *primis & ſecundis intelligibilibus*, quæ videntur apud ipſum ſynonyma: *Sunt* (inquit,) *res Logicæ*: Sed interim non auditur apud ipſum ens rationis. Unde Thomiſtæ tam recentes quàm patres eorum videntur olim & nunc fundati in ipſo alibi, id eſt 6. Metaph. Comment. 8. quo loco habet: *Dicimus quòd ens verum eſt illud quod eſt in anima factum ab intellectu, dum entia invicem componit ac dividit.* Et infra de illa ſententia ſupra à me producta loquens: *Per hunc ſermonem*, (inquit,) *voluit* (Ariſtoteles) *oſtendere differentiam duorum entium, ſcilicet illius quod eſt in anima, & alterius quod eſt extra animam*; quibus locis volunt illi quaſi per præconem pronunciata eſſe entia rationis, ſed nimis animosè, non attento ſatis textu: Patet enim Averroëm in priori loco loqui de entibus realibus, non verò de inanibus illis rationis, idque videtur convinci poſſe ex litera ejus, qui expreſsè ponit *ens verum*, ſed nolo uti probatione; Averroes enim aliò tendit, vocat ens verum, quia ad intellectum pertinet, eſtque actus ipſius quo affirmat vel negat, hæc enim ille appellat *componere* ac *dividere*. Planè autem proſternit Adverſarios, quod proximè ante habet idem Averroes, palam ſignificans ſe ſic intelligere verum: *Dicamus de vero ente ſecundum quod eſt veridicans.* Ecce loquitur de veritate in dicendo ſeu in affirmando.

2. Itàque ens rationis hic accipiendum eſt tanquam quid contrapoſitum enti reali & vero, idque hic reſolvendum eſt, aliàs plenam Metaphyſicam non habebimus. Explico me, & confirmo aſſertum, nam vera Metaphyſica ſive Philoſophia realis non agit tantum de ente extra animam, & multò minus de ente extra rationem, id eſt extra intellectum; ſed agit etiam de entibus in anima, de habitibus, actibus, ſpeciebus, potentiis, ipſo etiam intellectu, ergò Metaphyſica oppoſita, quæ jam dicitur Metaphyſica rationis non tantùm agit de entibus intra intellectum, vel etiam intra animam, ſeu de aliis pleriſque. Adhuc aliter id ipſum ſuadeo, detur enim adverſariis, (id eſt omnibus nunc ſeculi Scriptoribus,) ens hoc eſſe propriè ens rationis, non aliud; adhuc non reſtringetur ad intellectum, nam pars rationalis in homine non tantùm dicit intellectum, ſed etiam voluntatem, ut notum eſt. Dicuntur motus quidam in parte ſenſitiva hominis, alii in parte rationali; priores non cenſentur eſſe peccata; ſecundi autem ſic: & tamen certum eſt peccatum non eſſe niſi in voluntate ipſa & ab ipſa, ergo jam voluntas eſt ratio aut aliquid ejus. Denique ipſa differentia hominis quæ eſt *rationale*, non tantùm dicit intellectum, ſed etiam voluntatem quia homo non differt à bruto, per hoc tantum, quod habeat intellectum, ſed etiam per hoc quòd habeat & moveat voluntatem, ſive per habitum & uſum liberi arbitrii: imo videtur hoc eſſe principale in conſtitutione hominis, nam intellectus videtur eſſe propter ipſam; cenſetur enim talis cognitio data homini præ aliis ad hoc, ut liberè agat, & certè voluntas non eſt propter intellectum, (adeoque intellectus

præter

Digitized by Google

propter voluntatem,) quia non præexigitur ad actionem intellectus actio voluntatis, benè autem ad actionem voluntatis actio intellectus. Igitur ſervatâ proprietate non Grammatica tantùm, ſed Metaphyſica quærendum foret de ente irrito, aut ente irreali, ſicut ex adverſo entis materialis quæritur de ente immateriali, ex adverſo corporis animati de corpore inanimato, & ſic de aliis; nam (quod notandum eſt,) nullum membrum condividens ens ut ſic, reſtringitur ad rationem, ut patet diſcurrenti per omnia, v. g. abſolutum, reſpectivum, creatum, increatum: Itaque authores hoc loco communiter non quærunt quod cogitant, non reſolvunt quod quærunt; quorum proinde cuique occinendum eſt illud Auguſtini de fato: *Sententiam teneat, & linguam corrigat*: Nam (ut aliquando deſinam ad hominem convenire eos,) eſſe viſum apud horum pleroſque eſt ens rationis, & tamen quid rationis habet viſio? an opus eſt ratione aut intellectu ad videndum? quùm non ſolùm inſani, ſed & inhumani ac irrationales videant, ut patet in pecoribus, adeoque; ſed quis volet toti antiquitati luctari, & uno verbo turbam authorum dedocere?

3. Quia tamen fatendum eſt dari entia quæ verè ſunt rationis, hoc eſt, ex his irritis & irrealibus entibus, aliqua per intellectum, (& fortè magis propria (fieri, ſolvam titulum in communi & magis trito ſenſu. Ad quod præſtandum ponam in primis communem & tritam hujus entis definitionem, quam hactenus omnes ferè ex invicem deſcribunt; & voco definitionem, quia licèt plures à pluribus dentur, ſed denique omnes eodem recidunt, & ſunt ſynonimæ. Commentator Averroës ſic illud deſcribit: *Quòd ſolum habet eſſe objectivè in intellectu*: ita referentibus Thomiſtis, de quo recolenda ſunt hic proximè à me dicta. D. Thomas: *Tunc* inquit *fieri entia rationis, quando intellectus nititur apprehendere quod non eſt, & ideo fingit illud, ac ſi eſſet ens*: Quibus conſona alii ſcripſerunt, nominatim duo Collegia; Conimbricenſe enim pro vulgata definitione ponit hanc: *Ens rationis eſt id, cujus eſſe pendet ab operatione intellectus objectivè.* Fuſius autem Complutenſes determinant, quòd ſit *Proprietas quædam ſeu eſſe conveniens rebus non à parte rei, ſed ut ſunt in intellectu*: Et denique his etſi Recentibus recentiores: *Ens nullum habens eſſe reale, ſed tanummodo fictum ab intellectu*: de quibus

6. Metap. Com. 3. Opuſc. 5. 2. cap. 1. quæſt. 6. in præfat. Prop. artic. 1. Diſp. 1. proœmial. Logic.

Altera pars Reſolutionis.

Cenſeo primò definitionem hanc, (ſunt enim omnes una,) admitti poſſe ut veram, ſed non ut bonam, quia nimirum verè convenit propriè dicto enti rationis, ſed non omni, ne quidem ex mente ſic definientium. Hæc pro prima parte habet Thomiſtas omnes ſecum; pro ſecunda pleroſque Scotiſtas, atque etiam nonnullos Recentes, quos in decurſu citabimus. Interim

Probo primam partem ex dictis hactenus, quia ens rationis ſic, eſt idem ac ens intellectuale, & ratio idem quod intellectus, adeoque ens rationis erit illud, quod habet eſſe à ratione ſeu intellectu, & in ipſo. Quo loco non repeto, ſed ſuppono multiplicem modum quo aliquid poſſit eſſe à ratione ſeu intellectu; vel ſcilicet ut ab efficiente, quo modo actus intelligendi & ratiocinandi ſunt rationes aut intellectus: vel ut à ſubjecto, quomodo habitus, (etiam actus) ſunt: vel ut objecta ejus extra: & hoc modo omnes omnino res ſunt entia rationis: vel denique ut relucentia in ipſo, quùm interim nullum eſſe habeant aliud à, vel in ſe ipſis, qui eſt modus ſeu acceptio præſentis loci, & probatio concluſionis poſitæ, de qua proinde nullum poteſt eſſe dubium, nam tale eſſe cognitum eſt ens irritum ac irreale, & præterea eſt rationale ſeu intellectuale, erit ergo propriè ens rationale ſeu intellectuale, adeoque. Major eſt difficultas ſecundæ partis, quæ dicit definitionem non competere omni ejuſmodi enti; ipſam tamen

Probo, quia, ut patet ex proceſſu jam facto, Recentiores deſumpſerunt ſuam definitionem ex D. Thoma, D. Thomas ex Averroe, Averroes autem, quum ſit tantùm Commentator, ex Ariſtotele, in quem proinde hæc fabrica ultimatè reſolvenda eſt. At verò Ariſtoteles nunquam ponit ens rationis, ſed ens in anima, ut patet conſulenti ipſum: Tum ſic: Hæc vulgata definitio non eſt adæquata entis in anima, adeoque. Minor ſola probanda eſt, quod ſic præſto: In anima non ſolum eſt intellectus, ſed ſunt aliæ etiam potentiæ, ergo ens in anima non ſolum eſt ens intellectus aut rationis, ſed etiam aliarum potentiarum. Patet antecedens, quia ibi eſt voluntas, eſt imaginativa, quarum ſingulæ facient mihi ſingulas probationes, in primis poſtrema; quæro enim cur intellectus quando format imaginem rei alicujus impoſſibilis extra, v. g. hirco-cervi, vel Angeli alati, &c. cur inquam facit ens rationis, (id eſt quod non ſit reale, ne hæreamus in vocibus,) & non faciet imaginativa vel phantaſtica, quando imaginatur & fabricat apud ſe illud.

Item, quum in anima ſit voluntas, quæram cur illa quando verſatur circa tale quid, cur inquam non faciat tale ens? Video ipſe reſponſionem eſſe vicinam, dicent enim voluntatem non aſſimilari objecto, ſed intellectum, quia hic trahit ad ſe res; voluntas autem trahitur à rebus. Neque ego improbo doctrinam, ſed differo aliò; Nunc interim ajo non poſſe negari voluntati omnem omnino continentiam objecti, quum actus ejus eſſentialiter ſit hujus, v. g. amor Dei intrinſecè eſt Dei amor, ita ut non poſſit eſſe alterius cujuſvis promiſcuè, v. g. ſaxi, adeoque dicit eſſentialem ordinem ad voluntatem, cur ergo in illo ordine non reluceat objectum ſive intrinſecè, ſive extrinſecè, &c.? Confirmo & urgeo, qui perfectè & comprehenſivè videt actum voluntatis, v. g. amorem, abſque dubio ſcit cujus ſit, ſive in quem feratur, alioqui non comprehenderet eum, neque perfectè cognoſceret, quia deeſt ei aliquid neceſſarium ad cognitionem ejus, ergo jam objectum habet aliquod eſſe in voluntate, *ab*, & *in* actu ejus. Major videtur clara, neque quiſpiam de ea dubitabit qui legit Galenum ex pulſibus arteriæ cuiuſdam iuvenis collegiſſe cuius fœminæ amore ægrotaſſet.

Digitized by Google

enim reale non dicit actualem exiſtentiam, ſed poſſibilem, vel præteritam ſaltem in communi Philoſophia. Confirmo infirmando rationem oppoſiti, quam ſic mihi

Objicio: Licèt curſus poſſit poni à parte rei extra, tamen curſus poſſibilis non poteſt poni, nec enim poſſibilitas poteſt reddi exiſtens aut exiſtentia, quùm ſit ſpecies oppoſita ei, ergo jam cogitare tale, eſt cogitare impoſſibile, adeoque faciet ens rationis. Ad hoc tamen dico rationem non poſſe valere, alioquin in mundo nihil eſſet niſi ens rationis; nam quùm curſus & currens v. g. Petrus poſſibilis ſit ille idem qui eſt, & currit, ſi poſſibilis ſit ens rationis, etiam exiſtens erit. Jam ad objectionem à me ſupra poſitam reſpondeo aliud eſſe rem, aliud ſtatum rei; nam Petrus, ut dixi, idem eſt exiſtens qui fuit poſſibilis, tamen exiſtentia & poſſibilitas diſtinguuntur: Objectio autem transfert ad rem ea quæ ſunt ſtatus; ſtatus aut conditio rei pictæ, ſcilicet eſſe pictum, idem ſemper erit, ſed ipſum pictum non; nam ſi illud, v. g. hirco-cervus, ullo caſu, aut potentia redderetur poſſibilis, jam exiret de numero entium irritorum, & fieret ratum aut reale; in hoc enim conſiſtit realitas, ſcilicet in eo quod eſt habere aut poſſe habere verum eſſe exiſtentiæ.

* * *

ACTIO II.

Vera reſolutio & definitio entis irriti.

Breviarium.

N. 1. *Inventio P. Poncii rejecta.*
2. *Et alia aliorum novorum.*
3. *Aſſignatur vera definitio entis irriti.*
4. *Impugnatur & defenditur.*

1. PEr jam dicta demoliti ſumus anguſtias antiquitatis, quæ alterum hoc genus entis arctabat ad ens rationis. Nobis ergo deinceps erit, (quod re ipſa eſt,) *Ens irritum aut irreale*, quo etiam modo concipiunt illud pluries ex illis qui utuntur nomine entis rationis, & laborant in eo definiendo. Ex his eſt noſter Poncius, qui relatis & rejectis nonnullis, ſuam ipſe in hunc modum ſtatuit; Ens ſcilicet hujuſmodi bene deſcribi, *quod nequit aliquid efficere neque inexiſtere alicui potenti efficere, niſi per conſiderationem*: additque ſuam hanc definitionem deſumi poſſe ex Doct. Quodl. 3. Sed invenit ille ante me unum qui repulſam aliorum ulciſceretur, is eſt Barth. Maſtr. qui toties ipſum in hoc negotio refutavit, ut facile potuit, quia reprehenſibilis eſt. In primis enim efficere non eſt primum in ente, ſed aliquid conſequens ad ipſum, & cuiuslibet talis eſſentiam. Præterea quum ens irritum ſeu irreale ſit ex diametro oppoſitum reali, explicandum fuit per differentiam oppoſitam enti reali quod hic non eſt obſervatum, neque enim omne reale eſt effectivum, nam relationes nihil efficere poſſunt, & ſecundùm aliquos nec quantitas, nec materia prima, &c. Tertiò ſic: Apud hunc Authorem, & (quod refert) apud veram Philoſophiam, ut infra oſtendam, dantur aliqua irrita entia quæ non fiunt per potentiam conſiderantem, fiunt enim aliqua per voluntatem quæ nihil conſiderat, cuiuſmodi ſunt relationes apud nos, intrinſecus venientes dictæ, ut ſimilitudo duorum, &c. Denique compelluntur ad confeſſionem hinc, quia poſſibilia, v. g. Antichriſtus iam, & ſecundus mundus, &c. nihil poſſunt efficere, nec tamen ſunt entia rationis, alioquin eſſent impoſſibilia realiter exiſtere, talia enim ſunt entia hæc irrita ac irrealia, quùm eorum irritatio ac irrealitas in hoc conſiſtat, ſicut & realitas aliorum in poſſe ſic poni aut exiſtere.

lib. 1. Log. 3.

2. Sed ſi hic lapſus eſt, at non ſolus: Aliis enim hoc ens eſt: *Quod cogitatur ut ens, quum tamen in ſe entitatem non habeat*: quam deſcriptionem videtur perſuaſiſſe illis privatio, v. g. tenebræ aut cæcitas quæ quùm cogitatur à nobis per modum ſolidi alicuius & formæ, fit, aut facit ens rationis. Hos etiam dico corrigendos, inprimis enim ſibi ipſis obſtant, quùm definientes ens dicunt illud non habere entitatem, quomodo enim ens ſine entitate? Deinde in praxi peccant, nec inveniunt experimentum ſuæ ſpeculationis in exemplo quo utuntur, puta in privatione quæ cogitatur eſſe aliquid, quum nihil ſit. Fateor latet hic aliquid expendendum; verum eſt privationem cogitatam eſſe aliquid, eſt enim illa cognitio aut cogitatio, in qua habet eſſe obiectivum: at vero non hoc eſſe putatur eſſe aliquid, (alioquin putatio illa non eſſet error, & conſequenter non faceret ens irritum aut rationis, nam revera illud eſt aliquid,) ſed privatio extra in re, v. g. tenebræ aut cæcitas, adeoque. Explico amplius me, quia authores huius modi dicendi intelligunt in eo caſu ens rationis eſſe illud *eſſe* obiectivum ſeu cogitatum privationis; at verò non hoc putatur eſſe aliquid, ſed eius obiectum, quod eſt umbra aut nihil, adeoque.

Sed quid prodeſt retuliſſe errores? addiſcenda eſt veritas: eſt autem hæc, quòd huiusmodi ens irritum aut irreale ſit *quid incapax exiſtentiæ veræ, vel,* (ſi voles,) *entitatis.* Antequam pergam ad probationem huius, obiiciendus & ſolvendus eſt mihi Scotus, qui 4. diſt. 1. quæſt. 2. habet, quòd *definitio non eſt entis rationis*, quo nomine tunc uſitato intelligit ſine dubio ens irritum, ſtatim enim ſubdit ipſe ibidem, quod eſt tantùm ens diminutum.

* 3 Obiicl

Digitized by Google

Objici etiam poteſt ratio, quia definitio eſt quædam complexio & aggregatio plurium, puta generis ac differentiæ, ens autem ut ſic non dicit plura, quùm ſit primus, adeoque ſimplex conceptus. Nec valet dicere ens irritum ſeu rationis non eſſe primum conceptum, quùm ſit contractivus primi; nam videtur ſimplicior primo, eò quòd nihil addit ei, ſed potius detrahit ſeu auſert ei. At enim omnia hæc ſunt ſolubilia ſimiliter, & in primis nemo aliorum hæc mihi objicere poteſt, quùm eorum quilibet tentet definire ens. Cauſa ergo totius eſt, quòd hæc mea, atque etiam illæ aliorum non ſunt veræ definitiones, ſed quædam explicationes objecti, quæ bene fieri poſſunt de aliquo ſimplici, ut de ente, &c. quod egregiè notavit Subtilis ibidem illis: *Cujuſcunque entis ſive non entis quod poteſt concipi & ſignificari, poteſt eſſe aliqua ratio nominis, quæ ſcilicet explicet explicitè & diſtinctè illud.* Cæterùm reſolutio poſita, quàm ſit commendata Scoto, patet ex ipſo 1. d. 36. ubi eam eleganter exponit, ajens: *Dico quòd ens ratum aut appellatur illud quod habet eſſe firmum & verum ſive eſſentiæ, ſive exiſtentiæ, quia unum non eſt ſine altero, qualitercunque diſtinguantur, aut ens ratum dicitur illud quod primò diſtinguitur à figmentis, cui ſcilicet non repugnat eſſe verum eſſentiæ vel exiſtentiæ.* Vides concluſionem, ſive definitionem meam plus ſemel poſitam: Cæteroqui vix poteſt probatio alia adferri, eò quòd ens & ratitudo ejus ſint primi conceptus, & conſequenter ultra eos non poteſt procedi, neque anterioritate, neque claritate.

3. Suademus nihilominus ipſam ſaltem declarando, oppoſita enim per invicem declaranda ſunt, quùm *oppoſitorum eadem ſit lex* aut *natura*. Hoc autem quod eſt commune axioma adhuc in præſenti majorem vim & veritatem habet; certisſimum eſt enim de privativa aut quaſi privata oppoſitione, quùm enim unum ſit ablatio alterius, non poteſt exponi niſi recurrendo ad illud. In propoſito autem licèt non ſit oppoſitio planè privativa, eſt ſimilis, nam ens irritum tale eſt per defectum ratitudinis, ens irreale per defectum realitatis, &c. Sed obſtat Poncius primò, quia calor non ponitur in definitione frigoris, ergo jam axioma abſolutè fallit de oppoſitis. Deinde quia non eſt per notius, ſed per æquè obſcurum: cur enim magis explicandum eſt ens rationis ſeu irritum per reale quàm reale per irritum? ſed repellendus eſt, quia axioma eſt receptum, & procedit quàm maximè de iis quæ aliquid privatæ oppoſitionis præferunt, licèt poſitiva ſint, ut materiale immateriale, rationale irrationale, &c. cujuſmodi hæc ſunt. Nec invenit ille inſtantiam, nam etiam definitiones caloris & frigoris ſunt per oppoſita: una enim eſt congregare heterogenea, altera eſt diſgregare, &c. Quæro autem ex illo an non congregare & diſgregare homogenea & heterogenea ſint oppoſita? Ad alterum illud vix eſt reſpondendum, quia evidens eſt id eſſe falſum; etenim omnibus notum eſt quid ſit eſſe ens ſive aliquid, nec poteſt cuiquam declarari, quia eſt primò notum, ita ut etiam à ſenſibus percipiatur, imo & ejus oppoſitum quod eſt nihil, intellige in illo genere; oculus enim ſcit non eſſe hic lucem, auris ſonum, & ſimilia, quorum tamen nullus percipit entia rationis. Ita nihil falſius quàm hoc eſſe æquè notum ac ipſum ens ratum aut verum.

4. Objiciam ipſe unam aliamque inſtantiam contra me, ſuntque poſſibilitas & præteritio, nam poſſibilitas rei, v. g. roſæ in hyeme, vel Antichriſti hodie eſt quid reale, quia revera & realiter iſta ſunt poſſibilia, & tamen illa poſſibilitas non poteſt habere exiſtentiam, tum enim non eſſet poſſibilitas, ut patet, quùm hæc opponantur rectâ, idemque eſt de præteritione, & velle facere poſſibilitatem exiſtere non aliud foret quàm velle deprehendere umbram per lumen, quùm tamen admoto lumine ſtatim evaneſcat umbra; ſic enim res redacta ad exiſtentiam non eſt amplius poſſibilis, quùm à potentia tranſiverit ad actum: Hic aliquid acuminis eſt, etſi non nimis ſolidi, reſpondendum eſt enim negando ſubſumptum, idque ob duplicem cauſam, primò enim dici poteſt, illam poſſibilitatem jam habere ſuam exiſtentiam, revera enim illa res jam & de præſenti eſt poſſibilis, non verò erit; ſicut res aliqua, puta Antichriſtus jam eſt futurus, neque erit futurus, ſed erit exiſtens. Iterum dici poteſt poſſibilitatem illam poſſe accipere exiſtentiam, & revera accipere, quando res producitur: ſi enim res illa poſſibilis fit exiſtens, v. g. roſa, quidni poſſibilitas fiat exiſtentia? Certè in re exiſtente non manet poſſibilitas quæ fuit eo uſque, adeoque.

* * *

ACTIO III.

Digitized by Google

ACTIO III.

Vtrùm dentur in rebus entia irrita, nec ne?

Breviarium.

N. 1. *Reſolutio affirmativa in communi acceptione certa, ſed non æquè probata.*
2. *Ratio ſecunda in oppoſitum ſoluta: Objectum an ſemper prius actu?*
3. *Pars affirmativa entium irritorum, & claſſica veterum ac recentium.*
4. *Prima probatio irritorum ex Divinis ad extrà.*
5. *Impugnatur probatio, & nihilominus defenditur.*
6. *Alia probationes ejuſdem.*
7. *Objicitur Scotus & Ariſt. quibus reſpondetur.*
8. *Objicitur ratio, & reſpondetur de cauſâ entis irriti.*

1. NOn eſt dubium quin dentur illa antiquorum, quæ ægrè à Durando negari poterant, aut ne ſiquidem, ajunt Recent. quùm ille negando ea probaverit, quia nimirum non potuit ea negare niſi cogitando & cognoſcendo ea, illa autem cogitata ſtatim adſunt, nam cogitatione ipſâ producuntur. Sed neſcio, an per hoc ille arctetur, niſi prius velit his Recentibus ſubſcribere, quo facto non erat opus ut argumentarentur contra eum: id enim in quo eſt vis omnis argumenti negaretur facilè à Dur. quòd ſcilicet ſola cogitatio entium faciat ea: diceret enim ille quòd cogitatio cognoſcit, & nequaquam producit. Sed quidquid de hoc ſit, nobis dicendum eſt de noſtris entibus, id eſt irritis ac diminutis propriè. Quia tamen ipſe ſuprà approbavi illa antiquorum, ſcilicet entia rationis ac eorum definitionem, etiam de illis decernam, eò magis quod Subtilis noſter ſive de induſtria, ſive tempori ſe accommodans eam acceptionem admittit, nam in primis docet *Ens rationis cauſari virtute propriâ intellectus, loquendo de intellectu ut conſiderans eſt.* Et in Quodlib. dicit *Ens rationis eſſe quod præcisè habet eſſe in intellectu conſiderante*: & alibi ſimilia repetit: Dico illa dari, nec tamen probo rem nimis notam, & ſeipſa obviam. Solvam tantum difficultates, quas mireris exurgere contra tantam evidentiam, ut contingit continuò.

Conimbr.

d.1.q.7. num.43. Quodl.3. a.4.d.16. §.2.n.7. 6d.1. §.2.&c.

3. In primis enim ſi dentur entia rationis, ſequitur dari duo contradictoria ſimul vera, ſcilicet eſſe ens rationis, & non eſſe: Negatio enim entis rationis poteſt cognoſci; at verò ipſo facto quod cognoſcitur, fit ens rationis, quùm ſit objectivè in intellectu, ergo jam ſimul eſt ens rationis, & entis rationis negatio: Per hanc objectionem Dom. Sotus dicitur in eas anguſtias redactus, ut putaverit concedendum quòd duo contradictoria in hac materia poſſint eſſe vera, quod ſane valdè mirum eſt, & vix credi poteſt, quùm ratio non urgeat; nam ens rationis quod fit cognitâ illâ negatione, non eſt contradictoriè oppoſitum enti rationis, quùm ſit poſitivum quid: negatio autem ipſa quæ propriè opponitur contradictoriè enti rationis, poſito ipſo ente, aufertur. Huc referri poſſunt objectiones ſuprà primo & ſecundo loco poſitæ contra reſolutionem Act. præcedentis: ſed etiam ſolutæ ſunt ibidem: Utriuſque ſummam ponam hac quarta.

Compl.

Object. Actus ſemper præſupponit ſuum objectum, ergo non poteſt objectum accipere eſſe ab actu, niſi dicamus cauſam accipere eſſe ab effectu, adeoque denique ens rationis non poteſt fieri eo actu quo cognoſcitur, quia illius actus eſt objectum. Hoc argumentum putavit ſe evaſiſſe quiſpiam entium rationis advocatus, adferendo inſtantiam Dei qui ſe cognoſcit, non tamen eſt prior ſua cognitione: ſed fruſtra, nam divina cognitio non cauſatur ab objecto, imo nec ab ullo. Et, ut videat ille ſe nihil adferre, etiam in divinis major eſt vera, nam cognitio Dei quùm ſit quaſi actus ſecundus, præſupponit ſubſtantiam Dei, etiam intellectum aliquo modo qui eſt actus primus. Duæ ergo ſolutiones, aut ex duabus una huic argumento adhibenda eſt. Una quòd major ſit vera de objecto motivo, non verò de terminativo, cujuſmodi in propoſito eſt ens rationis. Altera quòd iterum non ſit vera major in actibus practicis, per ipſos enim fiunt obiecta eorum; ut conſtat in artefactivis, v.g. in fabro, qui fabricat domum, in ſartore, qui veſtem compingit. Ex duabus tamen hæc ſecunda ſolutio videtur debilior: Concedit enim illa quòd ſaltem in ſpeculativis actibus obiectum debet præcedere; at verò iſti actus de quibus nos hic, ſunt ſpeculativi, ſunt enim cognitiones huiuſmodi entium; nam illa cognoſcendo fiunt; (ut ſic loquar,) adeoque.

3 Iam ad reſolutionem quæſiti in verò ac proprio ſenſu, in primis oſtendam quòd non ſim ſolus, quamvis videar utcunque novus in aſſertione huiuſmodi entium irritorum; ſive eorum quæ ab intellectu non ſint, nec in illo; ſic enim ante me cenſuit *Petr. Fonſeca*, in Comment. Metaphyſicæ, qui quum Ariſtotelem explicet, utique eadem hæc veritas erit Peripatetica & *Ariſtotelis*. Item idipſum cenſuit *Dominicus Bann. Ludovic. Molina*, &c. quos equidem libenter habeo itineris ſocios; ducem enim habeo Doct. qui apertè ait *Ens rationis non dici omne quod habet eſſe in anima tantùm*; & tamen iſta antiqua ſecundum ſuos authores habent eſſe in anima tantum, quia in ſolo intellectu. Item 1. diſt. 36. talia non vocat entia rationis, ſed *entia diminuta*, & alibi, *irrita*. Clariſſimè autem pro hoc facit 3. diſt. 26. docens voluntatem etiam facere huiuſmodi entia quæ proinde non poſſunt eſſe rationis in ſenſu adverſariorum: *Omnis enim potentia collativa poteſt obiectum ſuum comparare ad aliud, & in eo ſic comparato cauſare reſpectum rationis*; ſcribit phraſi antiquorum, non tamen ſentit, quum ſubdat explicationem: *Qui non eſt*

ex natura rei, &c. *& ſic voluntas comparando objectum*, &c.

Ex his accingor ad probationem, quam ex verbis Doctor. hic & alibi, nominatim in 4. diſt. ... & quæſt. ... ſic multiplicem formo: In primis enim nulla eſt ratio, ſed ſolummodo liberum horum arbitrium, cur voluntas non faciat entia irrita; ſi autem faciat, iam res in tuto poſita eſt, illa enim non erunt entia rationis propriè. Maiorem probo pluries, quamvis etiam ſupra ſit à me probata: quum enim Deus in hoc mundo aliquid fieri vult, & revera facit, v. g. quum legem fert, ſicut Exod. 20. & Deut. 5. tulit decalogum, ac toto ferè Pentateucho legalia præcepta, hoc eſt iudicialia & ceremonialia, aliquid extra fecit, non enim nihil, quum nihil fruſtra faciat: Certum eſt autem quòd nihil reale aut phyſicum, ergo aliquid diminutum ſeu irritum aut irreale, atque ita datur aliquid tale. Et ne fortè quiſpiam tentet hæc evadere, volendo quòd quidem id difficile foret, Deo tamen concedendum, accipiamus legiſlatorem creatum v. g. hominem: hic quum fert legem, aut præcipit, aliquid facit, nam reddit ſubditum obligatum ad hoc aut illud faciendum: atqui certiſſimè hic nihil reale facit, quum agens creatum non poſſit per has potentias internas aliquid extra producere; unde & ipſæ potentiæ dicuntur immanenter agentes. Simile eſt quum alia favorabilia faciunt, v. g. quum D. Deus fecit Saul Regem, quum Aaron ſacerdotem; certum eſt enim quòd Aaronicum ſacerdotium non impreſſit characterem, & multò minus prophanus magiſtratus Saulis. Simile etiam eſt de debito pœnæ remanente in peccatore poſt actum; hoc enim non eſt reale quid ſecundum omnes, & tamen aliquid eſt, non rationis, id eſt non intellectuale, ut intelligunt adverſarii, & nihil minus quàm fictum, quum re veriſſima ille pœnam ſuſtinere debeat, & revera paſſurus ſit niſi aliter ſatisfaciat, ergo. Denique idem eſt de macula ipſa peccati, quam nunc, id eſt in loco non ſuo, ſuppono cum pluribus eſſe carentiam gratiæ aut iuſtitiæ debitæ; hæc enim non eſt merum nihil, adeoque aliquid. Subſumptum huius in quo eſt vis, patet ex terminis, nam licet carentia gratiæ ſit mera privatio, tamen eſſe debitam illam non eſt mera talis; at vero quidquid ſit illud, & cætera omnia, eſt ſine figmento, aut cogitatione intellectus; ſi enim ex figmento aut cogitatione intellectus haberet eſſe, poſſet deleri per aliud ſimile, quo nihil minus eſt verum, adeoque.

Non ſubdo plura, quum hæc abundent, ſubdo tamen rationem horum à priori, quæ eſt iſta: Nihil poteſt tranſire à contradictorio in contradictorium ſine mutatione in aliquo; atqui contradictoria ſunt eſſe & non eſſe obligatum, eſſe & non eſſe ſacerdotem aut Regem, eſſe & non eſſe debitorem, ergo nihil poteſt tranſire de uno extremo horum in aliud ſine mutatione in aliquo, atque ita vel perdet aliquid vel accipiet. Clarum eſt autem quod ad has non eſt opus perdere, quum non ſint denominationes privativæ ſed poſitivæ, ergo quidquid ſubit de novo aliquid horum, habet formam novam; Tum ſic: ſed non realem & veram, ut cuique patet, & iam probatum eſt, ergo irritam & irrealem, ſive, (aliorum phraſi,) rationis.

5. Quæ ratio ſola ſufficit, ſi muniatur contra aliorum inventiones, ut facilè fiet: duo enim invenerunt illi ut retardarent curſum argumenti; una eſt paritas Dei, qui quotidie accipit novas denominationes, nec tamen quotidie mutatur; dicitur enim quotidie Deus creator, illuminator, annihilator, prædeſtinator, &c. & interim tamen nunquam mutatur, adeoque. Alterum eſt, quòd in his fiat mutatio, non irrita tamen aut rationis, ſed realis, eſtque in illo qui obligat ad legem, ad pœnam, ad culpam, &c. qui inſtituit ſacerdotem, Regem, hic enim habet actus non fictos, ſed verè ratos ac reales, qui proinde ſufficiunt iſtis denominationibus multò magis quàm formæ illæ phantaſticæ quas nos hic imaginamur.

Quamcunque harum poſſem hic negligere, quia quælibet aliò ſpectat; prima ad Theologiam, cujus eſt decidere quomodo D. Deus dicatur & ſit de novo Dominus, legiſer, &c. alterum hic infra, non enim auferri, ſed differri tantum poteſt; eſtque non eſſe Chriſtiano Philoſopho dignum, pro frivolis his formis ſtatim allegare Deum, & exigere ab eo paritatem cum creaturis, adeoque ſi aliter illi non poſſint evadere, argumentum cenſendum eſſe inſolutum: Secundum eſt per allata, ab ipſis oſtendi quidem quòd detur mutatio aliqua, ſed non ad propoſitum hoc noſtrum; nam quæ ab ipſis allegata eſt, afficit aliud ſubjectum ab eo quod denominandum eſt noviter, eſt enim in creatura, & tamen in ea eſſe non debet, quùm illa non denominetur de novo denominationibus à me allegatis.

6. Sit quarta probatio ad homines Scotiſtas, imo ad omnes abſolutè: Diſtinctio formalis ſine dubio datur; hæc autem non eſt rationis, neque tamen eſt in entitate ſua realis, quùm ſit inter extrema indiſtincta realiter, v. g. inter animal & rationale in homine. Item duo entia rationis ſunt ſimilia; vel ſi non, ſaltem ſunt diſſimilia: hæc autem diſſimilitudo certè non eſt realis & rata, erit ergo irrealis, nam rationis non eſt, quùm à ratione non fiat, ergo.

Abſolvam ultimò hoc, quod erit de privatione, hæc enim non eſt merum nihil, ſed *quid* ſuo modo: at verò quidquid ſit eſt extra animam, eſt extra fictionem, nec enim dependet ab intellectu quòd ſit aut non ſit in aliquo ſubjecto privatio, ergo jam datur quid irreale, & quod non ſit rationis. Probatio aſſumpti eſt duplex; prima, quia privatio eſt principium, at verò eſſe principium eſt *eſſe*, ergo. Iterum ſic, quia privatio non eſt ſimplex carentia, ſed cum moderamine in ſubiecto apto nato; patet autem quòd ſubiectum, quòd aptitudo, & connotatio aut ordo horum *ſit*, hoc eſt reputanda ſit entitas aliqua, adeoque.

Dices contra primam probationem: Ipſa privatio dicitur eſſe in ſubjecto, vel, (ut abſtrahamus à controverſiis,) ipſa carentia, abſentia, defectus dicitur ineſſe, & tamen clarum eſt, quòd hæc ſint mera nihila, quidni ergo idem dicatur de principio. Reſpondeo, ita dici quidem vulgo Logicorum, ſed non eſſe ita dicendum, re vera enim illa habent non eſſe, ſive, non habent eſſe, & ſic eſſerenda eſt eorum natura per negationes ſeu negativas propoſitiones, & nequaquam per affirmativas. Aliæ probationes ſupra à me poſitæ ſunt Act. 2.

7. Contra

Digitized by Google

7. Contra hæc tamen tria adferri poſſunt; aliqua ad hominem, aliud etiam abſolutè: Ad hominem me objici poteſt Scotus, qui pleriſque locis ſuprà me adductis, ut Quodlib. 3. ait, hujuſmodi Ens ſola conſideratione intellectus fieri ſive *praciſè habere eſſe in intellectu conſiderante*: Reſpondeo hæc non improbare ſecundam concluſionem, ſed probare primam; idipſum enim ego dico; ſcilicet Ens *rationis* fieri ab intellectu; quis enim hoc neget, niſi qui neſcit intellectum eſſe rationem: at vero ultra hoc ſunt alia entia, adeoque:

Altera oppoſitio eſt Ariſtoteles, qui perpetuo diviſit Ens in illa duo, ſcilicet Ens in animâ, & ens extra animam: certum autem eſt quod per Ens extra animam intellexerit ille Ens reale, ergò jam oppoſitum realis non eſt niſi in anima, atque ita Ens rationis. Reſpondeo primò hanc ultimam conſequentiam non tenere; nego enim Ens in animâ eſſe ſtatim Ens rationis, quum in animâ non ſit ſola ratio ſive intellectus, ſed etiam voluntas; &, (quia hæc prætendi poteſt utcunque ſpectare ad rationem) etiam imaginatio, quorum quodlibet facit Ens irreale. Deinde Ariſt. 6. Metaph. text. 8. Ens in anima appellat Ens diminutum, ut teſtatur D. Thomas 4. diſt. 1. q. 1. art. 4. quæſt. 2. quod eſt plane noſtrum irritum: aut irreale & à Scoto etiam eodem nomine paſſim vocatur, puta diminutum: unde jam non eſt certum quod apud Ariſtotelem Ens in anima ſignificet ſolum ens rationis: *Huiuſmodi entia conſueverunt intentiones vocari, & habent aliquid ſimile cum ente quod eſt in anima, quod eſt ens diminutum, ut dicitur 6. Metaphyſica &c.*

8. Objicio ultimò rationem: Ens huiuſmodi irritum non habet cauſam ergò non eſt. Conſequentia patet, & oſtendo antecedens, quia ſi quum haberet, eſſet Ens reale, (nec enim negotium poteſt incipere ab entibus rationis: ſic enim ultra alia abſurda daretur Deus rationis; ſive ille qui eſt, eſſet Ens rationis aut irritum, vel irreale;) at verò Ens reale non poteſt habere pro cauſâ, quia cauſa realis realiter cauſat, id eſt actione reali: at verò Ens irreale non poteſt produci actione reali, quum realitas actionis proveniat ex realitate termini. Reſpondeo primò, hoc argumentum non poſſe moveri ab Adverſariis meis in hac materiâ, id eſt ab aſtruentibus entia rationis ſive intellectualia, & negantibus alia; nam etiam de illis currit ratio, quomodo intellectus qui eſt agens reale, & agit actione reali cauſet entia illa rationis: utriſque ergò cavendum eſt; aliorum evaſio apud ipſos videatur: Ego ſic reſpondeo, & dico Ens hoc irritum habere cauſam ratam ac realem, quod facilè credi poteſt. Eſſet quidem paradoxum & difficilè creditu ſi diceretur Ens reale produci ab ente rationis vel ratum ab irrito, at verò quod imperfectius producatur à perfectiori, non eſt magnum myſterium, ſed quotidiè contingens. Ad rationem autem dubitandi in argumento poſitam, quæ non eſt contemnenda, dico per actionem realem produci poſſe quid irritum, vel ens rationis tanquam terminum ſecundarium, non vero tanquam primarium, quod concedendum eſt argumento, propter rationem ibi adductam. Hoc autem non fruſtra aut falſo dici perſuadet tam ratio quam exempla, nam realitati actionis ſatisfactum eſt per realitatem termini primarii quem per ſe reſpicit; ſecundarium autem non niſi per accidens. Sic producens rem aliquam, v. g. ſubſtantiam, aut quantitatem, neceſſariò producit *ubi* eius, quum non poſſit res produci niſi alicubi. Item producens hoc ipſum *ubi*; neceſſario producit propinquitatem aut diſtantiam ejus ad alia. Et fortè exactius exemplum huius eſſet, ſi dicerem quod producens corpus aliquod in lumine, producit umbram eius, nam Ens irritum eſt umbratile, & propè nihil.

* * *

ACTIO IV.

Vtrum inter hæc Entia irrita cenſendæ ſint denominationes quas vocant extrinſecas, nec ne?

Breviarium.

N. 1. *Exponitur titulus: & mens Scoti expenditur.*
2. *Negandas eſſe omninò denominationes extrinſecas. Prima ratio benè Metaphyſica.*
3. *Secunda: Forma oppoſita tribuunt ſibi denominationes apud Adverſarios.*
4. *Objectiones: prima ex Scoto: ſolutâ: Diſcrimen quarundam denominationum, puta paſſionum à ſenſu, & aliarum.*
5. *Altera, & tertia: à ratione: An in Incarnatione contigerit denominatio extrinſeca?*
6. *Denominationes etſi darentur, non eſſent Entia rationis vel irrita.*
7. *Vltima Objectio: an poſſit eſſe entis irriti rata aut realis cauſa &c.*

1. Hic videre eſt authores magno impetu in diverſa abreptos: aliqui totum his denominationibus tribuunt, alii nihil; ad quos hinc inde intelligendos operæ pretium erit cum ipſis notare denominationem hic accipi pro ſuo ſignificato, id eſt pro effectu formæ quæ dicitur denominate; denominatio enim eſt quaſi nominis ratio, eſtque duplex, intrinſeca & extrinſeca; illa eſt quæ provenit à formâ intrinſecâ, ſive inhærente ſubjecto denominato, aut illi phyſicè affixo; ſic paries ab albedine eum afficiente denominatur formaliter & intrinſecè albus: neque verò neceſſe eſt, (quod quidam ait) formam eſſe phyſicè immutantem ſubjectum, quum aliquæ tales formæ proveniant ab ipſis eſſentialibus ſubjecti, quæ proinde non mutant ipſum, ſed potius conſtituunt: ſic enim Deus dicitur infinitus, homo rationalis &c. Extrinſecæ è contra ſunt quæ proveniunt

Digitized by Google

niunt à forma non afficiente ſubjectum denominatum per ipſas ſed aliud: quo loco etiam notari poteſt quod contingere poſſit denominatio extrinſeca à forma intrinſeca; quum enim intellectus cognoſcit ſe, ille eſt cognitus: & licet cognitio quà talis dicitur ſit ei intrinſeca, interim tamen denominatio eſt extrinſeca, quia per accidens eſt quod forma illa afficiat ſubjectum, & quoad ſe, ſive ordinarium concurſum deberet eſſe externa. Simile eſt de oculo qui in ſpeculo ſe ipſum intuetur, & de philautiâ ſive amore ſui quo quis in ſe fertur &c.

His præmiſſis duo nobis ſcilicet ſoliti poli præ oculis ſunt habenda, veritas, & Subtilitas, id eſt res ipſa & mens noſtri Scoti. Cæteroqui quoad alios authores, res eſt diviſa, & quælibet pars habet ſuos patronos, non ſolum quoad *quid eſt* denominationum, ſed etiam quoad *an eſt*? Nec eſt nimis verum quod ait noſter Poncius hic communiſſimum eſſe in omni ſcholâ quod dentur denominationes extrinſecæ exceptis paucis Scotiſtis; nam eas omninò negat Petr. Fons. lib. 5. Metaphyſic. cap. 7. quæſt. 6. & alii apud Compl. hic. Cæterum exploranti mihi mentem Subtilis noſtri ſemper viſus eſt ille in eam partem pendere, quæ hujuſmodi denominationes negat: nam 1. d. 32. q. 2. n. 5. negat ædificatorem ædificio ædificare, quia nimirum ædificium eſt ei externum &c. & in 4. diſt. 13. q. 1. num. 9. quum propoſuiſſet doctrinam Philoſophi, ex 3. Phyſic. quod actio ſit in paſſo, quia utraque fundatur in motu, motus autem eſt in paſſo, ſubdit de ſuo: *Sed contrarium videtur*: tam averſus fuit ab huiuſmodi denominatione, cujus rationem ibidem aſſignatam hic libet deſcribere, quia aperit ipſius mentem per omnia: *In quocunque eſt forma aliqua, illud eſt ſimpliciter tale ſecundum formam illam, omnino enim irrationabile videtur, quod forma ſit in aliquo & non conſtituat ipſum informatum ſecundum ipſam, ergò ſi actio formaliter in paſſo, paſſum erit formaliter agens*: ut ſupra in Them. Quid clarius, quid fortius contra denominationes? Nec refert quod aliquando dicat Deum dici intelligentem vel dominum à formâ quæ eſt in creatura, quia (ut jam monui) divina non ſunt trahenda in exemplum quum ſint ſupernaturalia.

Habet tamen ille aliqua loca quæ in ſpeciem procedunt pro tali aliqua denominatione: nam in prim. citat. meminit cujuſdam formæ ab extra denominantis, ſed ſi attendatur ibi eſt in oppoſitum, caſus enim eſt de veſtimento à quo quis dicitur veſtitus; hæc autem forma, ſcilicet veſtis, clarum eſt quod debeat conjungi ſuo modo ei qui denominandus eſt, nam nunquam ſufficiet ſi ſit in alieno ſubjecto, alioqui nudus poſſet dici veſtitus. Simile eſt de eo quod ait eſſe infinitatem quandam in meritis Chriſti, ipſe enim ſe explicat, quùm dicit quod *Loquutio videtur hyperbolica*: Propter quæ, &c.

2. Dicendum omninò eſt non dari has denominationes extrinſecas, & multò minus eas eſſe entia irrita ſive rationis: Eſt plurium, maximè Scotiſtarum, & mihi quaſi à teneris placuit; illam Romæ docui quum dictatem in ſcholis, & adhuc proſequor. Videtur quidem habere Ariſtotelem adverſum, quia is docet actionem eſſe in paſſo: ſed præterquam quod ille ubique obſcurus eſt, & plerumque ut prolypus occultat ſententiam ſuam habet etiam nonnulla pro nobis. Nam lib. de moribus palam docet quod honor eſt in honorante qui tamen deberet eſſe in honorato ſi actio eſſet in paſſo. Sed quia hoc eſt morale, magis metaphyſicè producetur ex lib. 5. hujus operis ubi definit potentiam activam quod ſit *principium transmutandi aliud* (nota) *in quantum aliud*, adeoque apud ipſum, paſſum debet omnino, etiam reduplicativè eſſe aliud ab agente. *Ariſt. c. 3.* Tex. 17. Libris 5. & 9. Metaph.

Rationes pro hac ſententia ſic inſtruo: Cauſa formalis ex genere ſuo eſt intrinſeca, ergò repugnat dicere cauſam formalem, & dicere extrinſecam. Conſequentia omnibus patet; antecedens autem philoſophis apud quos quatuor cauſæ ex æquo dividuntur in intrinſecas & extrinſecas; ſub extrinſecis conſtituuntur efficiens & finis, ſub intrinſecis materia & forma, adeoque ſicut repugnat idem eſſe efficiens ſui, aut aliquid eius, ita etiam repugnat aliquam formam eſſe extrinſecam; Item ſicut repugnat materiam ſuam ulli eſſe externam, ſic &c. Confirmo efficaciter argumentum, quia iterum eſt implicantia in adjecto, nam effectus formalis non eſt aliud ab ipſa formâ unitâ, ergò repugnat formam denominare ſeu dare effectum ubi non eſt unio inter ipſam & ſubjectum, adeoque implicabit denominatio. (Loquor de reali, non de nominali tantum) id eſt communicatio effectus formalis quando forma eſt extrinſeca & ſeparata ut in propoſito. Patet aſſumptum tum ex ſe, & communi voce philoſophorum, nam in hoc etiam eſt oppoſitio cauſæ efficientis ad formalem quod efficientis effectus ſemper ſit aliud ab ipſo, quum nihil poſſit efficere ſe, formalis autem non, quia hæc cauſat exhibendo ſe; Tum experimentis ſive diſcurſu facto per tales cauſas; verbi gratia eſſe album non eſt aliud quam habere albedinem unitam, eſſe doctum eſt habere doctrinam &c.

3. Secundò ſic argumentor, quia licet per impoſſibile contingeret hoc monſtrum, ſcilicet oppoſitum rationis præcedentis, ut aliquid haberet effectum formalem alicuius formæ quod non habet ipſam. Adhuc tamen non haberentur denominationes extrinſecæ prout ab Adverſariis cogitantur, quia incurritur adhuc alia implicantia quæ eſt formam aliquam dare effectum quem non habet, imò oppoſitum ſui: dicunt enim illi in præſenti parietem verbi gratia eſſe viſum, & ſic denominari à viſione quæ eſt in oculo; at verò in oculo eſt viſio activa, non autem paſſiva, adeoque ſecundum ipſos denominatio paſſi habetur ab actione. Proſequor hoc ſecundum, quia relatio eſt in eo in quo eſt fundamentum eius; Fundamentum autem actionis eſt potentia activa, ergò jam in eo eſt relatio actionis in quo eſt potentia activa; hæc autem certum eſt quod ſit in agente; non in paſſo: Sit enim calefactio quâ aqua immutatur ab igne, certum eſt quod vis calefactiva non eſt in aquâ, ergò neque calefactio ipſa adeoque falſum eſt, & contra fundamenta ipſa philoſophiæ quod actio ſit in paſſo. Hanc rationem aptius proponere non poſſem quam verbis

Digitized by Google

bis Subtilis, qui bis eam repetit, (tanti æſtimavit) ſcilicet 4. diſt. 13. & in 1. diſt. 30. quo loco quum præmiſiſſet (ut jam notavi) Ariſtotelem in eo eſſe quod actio ſit in paſſo, ipſe præter morem ab eo recedit; illis: *Contrarium videtur, quia in eodem eſt relatio & fundamentum (ratio fundamenti hoc oſtendit) ſed potentia activa quæ eſt fundamentum actionis eſt in agente*, ergo.

Proſequor cauſam adhuc, & inſtruo tertiam rationem ex eodem ibidem; *In eodem non ſunt reſpectus oppoſiti, ſaltem ad idem, nec univerſaliter neceſſario ſimul; paſſio autem vel reſpectus paſſionis univerſaliter eſt in paſſo, non ergo neceſſario in eodem eſt reſpectus oppoſitus actionis. Item*

Denique inſtruo ultimam hanc rationem, quæ reducit rem ad experientiam quandam: In aliis mutationibus paſſio eſt in paſſo & actio eſt in agente, verbi gratia quum quis alterum verberat, ut quum Judæus miniſter Pontificius impegit alapam Chriſto Domino, labor fuit in feriente; rubor & dolor in Chriſto Domino: item quum quis loquitur alteri, motus aëris eſt in loquente, excitatio ad audiendum eſt in audiente: idemque eſt de guſtu & odoratu; quidni ergò in viſu? Fateor eſſe diſcrimen quod in tactu & guſtu &c. Paſſio ſit realis, in viſione non, ſed intentionalis, vel irrita, ut hic loquor, aut rationis, ut alii: at vero quod paſſio ſit in paſſo, quæcunque demum illa ſit, non datur diſcrimen, nec dabitur, quia neque eſt, ergò. In quo videre eſt debilitatem Adverſariorum qui pro ſe habent inviſibilia (ut dicam) argumenta, id eſt quæ non ſubeunt experimentum, quale eſt viſum eſſe, cognitum eſſe, &c. Quæ non apparet ubi aut quid ſint; contra autem habent inſtantias ſenſibiles & experimentales. Sunt tamen tam evidentes rationes pro concluſione allatæ ut non potuerint latere Adverſarios, qui proinde conati ſunt aliquid invenire reſpondendum. Ad primam ergo probationem qua dicebam effectum formalem formæ eſſe ipſam formam communicatam ſubjecto, reſpondit quidam advocatus denominationum, hoc quidem verum eſſe, ſed intelligendum de communicatione etiam extrinſecâ, ſed quis non videat anguſtias & improprietatem loquendi huius, quum eſſe extrinſecum ſubjecto & eſſe communicatum, deſtruant ſe invicé apertè, & eſſe extrinſecum alicui ſubjecto ſit plane non eſſe communicatum? alioqui licebit etiam nobis abuti vocibus & dicere quod forma communicata ſubjecto, verbi gratia albedo nivis ſit ei extrinſeca; quo poſito interrogandus eſt ille quænam forma in rebus ſit ulli extrinſeca? Habet tamen ille pro ſe quæ cauſam eius juvent.

Ponc. diſp. 1. Log.

Argumenta in oppoſitum mota & ſoluta.

4. Objicit enim in primis Scotum qui docet Deum denominari producentem à relatione productionis paſſivæ quæ eſt in creatura: Et quum jam audiverit Deum non eſſe trahendum in exemplum, neque conſequentiam ab illo ad nos toto cœlo trahendam opponit eundem alibi dicentem quod opus ab homine factum dicatur humanum.

Poſſet etiam objicere ipſum dicentem quod columna aliquando ſit dextra, aliquando ſiniſtra ob dextram & ſiniſtram manum hominis quæ ei applicatur. Ad quæ ambo unum reſpondeo, eſtque denominationes illas eſſe veriſſimas, ſed non proprias, non enim ſignificant quod ſonant, ſaltem non logicè, ſed vulgò; non enim eſt ſenſus quod opus ſit affectum humanitate, ita ut fiat concretum ex illa formâ & hoc ſubjecto in recto, ſed forma accipienda in obliquo, ut ſit idem ac, opus hominis.

Bona, ſed periculoſa ſolutio; ſtatim enim contra me reſilit, nam Adverſarius poterit ſimiliter dicere de *eſſe viſum*, quod ſcilicet non ſignificet logicè, & non ſit concretum, ac ſimilia; ad quæ reſpondeo hac diſparitate utriuſque quam in ſolutione cœpi, & eſt evidens; non enim rectè ſignifices hic quodvis, dicendo: paries viſionis ut explices τὸ paries viſus, ſicut ibi rectè dicis opus hominis, ad explicandum τὸ opus humanum: licet hic ponere formam in obliquo, ibi non licet, ſed tantum in recto, tametſi per modum formæ interim, ſcilicet adjacenter. Iterum do aliud diſcrimen: nam clarum eſt *paries viſus* eſſe talem denominationem qualis eſt, *paries tactus*, vel ſi foret odoratus aut guſtatus de mente eorum qui nomina impoſuerunt, ſed clarum eſt quod paries tactus ſignis de mente imponentium ſignificet aliquam mutationem ſe habentem intro in ipſo pariete; ergò & paries viſus.

5. Objicit ergò rationem: Prima eſt paritas Verbi quod eſt unitum naturæ humanæ in Chriſto, nec tamen eſt in eo ulla unio, ſed ſolum in humanitate. Et quia hæc inſtantia poſſet repelli juxta jam dicta, quoniam Divina eſt, ipſe eam proſequar in creatis; etenim in iſtiuſmet ſecundum plures Metaphyſicos, ut ſuo loco viſum, inter partes componentes non datur duplex unio, ſed una tantum; quo poſito neceſſe eſt unam partem uniri quæ non habet in ſe unionem, atque ita denominari, imo & reddi talem, per formam quæ in alio eſt, puta materiam unitam per unionem quæ eſt in forma, quod denique eſt extrinſecè denominare. Æſtimo argumentum, eo magis quod ipſe in phyſica reſolvi, tametſi dentur in compoſito duæ uniones, tamen ſufficere unam: & tum dico, quod argumentum non concludat, ſed procedat ex errore qui multos hodie occupavit; putant enim plerumque τὸ *unitum* fieri per unionem ſolam, id eſt per illam relationem aut modum qui cogitatur interpoſitus extremis hinc inde; id autem licet ex parte ſit verum, at non ex toto, non enim totaliter id habetur ab illa formâ mediâ, ſed etiam ſeu in parte ab extremis. Agatur de unione materiæ ad formam, & viciſſim: dico tum, hoc quod eſt formam uniri non haberi plenè ab unione ſed ab ipsâ formâ; nam ſi per impoſſibile ille modus qui ſecundum aliquos eſt abſolutus poneretur ſine formâ, certè non redderet formam unitam, neque aliud quidquam, adeoque reddere unitum non habetur totaliter à formâ illâ mediâ, ſed etiam ab extremo. Iterum ſi poneretur forma ſubſtantialis affixa materiæ ſine modo illo, ut quidam putant fieri poſſe, eſſet unita illa non

tamen haberet unionem, id eſt formam mediam accidentalem, adeoque jam hallucinantur qui in hoc ſe fundant: Inter corpus & locum datur unio quæ vocatur *ubi*, interim tamen corpus loco eſt locatum &c.

Objicio tertiò ratiunculam quæ videtur convincere: nam non poteſt negari quin aliqua de novo denominentur ſine formâ novâ; hoc autem eſt ipſo ipſa denominatio extrinſeca, ergo. Vis eſt in majori quam ſic probo, maximè ad homines contra Scotiſtas qui à Scoto didicerunt relationem terminari ad abſolutum ſui correlativi & nequaquam ad correlationem: quo poſito inſtantia contra concluſionem eſt iſta, nimirum hoc extremum ſimilitudinis, puta hoc album A. terminat ſimilitudinem albi B. ſine ulla formâ tunc accedente, forma enim quæ accedit eſt relativa, ſcilicet correlatio aut conſimilitudo, illud autem non terminat per ſimilitudinem, aut ullam omninò relationem, ſed per ſuum eſſe abſolutum, puta per eſſe album; quod ſane non debet eſſe novum quotieſcunque aliquid refertur ad ipſum; adeoque. Hoc videtur nocere nobis, ſed videtur tantum; quia non aſſumit vera, ſed apparentia, aut impropria; non enim rectè dixeris; hoc album terminat ſimilitudinem, vel aliud; ſed ſic; Similitudo aut alia relatio terminatur ad hoc album: quia nimirum album A. in eo caſu nihil agit, imò nec patitur, ſed ſolum fit ſimilitudinem B. ferri ad ipſum: id autem non eſt mutari ullo modo A. ſed aliud puta B. Sit Exemplum: qui vadit hinc Romam, & pervenit ad portas, nec intravit, huius inquam iter terminatum eſt à Româ, & proinde ille motus eſt, Roma autem immota; ita hic, & alias ſæpè, in quibus caſibus verba imponunt audienti, quia ſignificant actionem aut mutationem eſſe ubi non eſt.

6. Dixi in ſecunda parte concluſionis, denominationes extrinſecas, quantumvis forent in rebus, adhuc non fore entia rationis, & jam probo quia eſſent realia, ſupponimus autem realia non eſſe rationis. Antecedens oſtendo, quia concretum cuius omnes partes ſunt reales, ipſum eſt reale; quid enim erit reale ſi hoc non ſit? huius autem omnes partes ſunt reales, ergò & ipſum totum.

Probatio Minoris eſt in promptu, accipiatur enim ipſum concretum, aut compoſitum, quod eſt eſſe viſum, verbi gratia: hoc conſtat ex viſione activâ & objecto puta muro: atqui horum ſingula ſunt realia, ergò. Neque dicas unionem eorum non eſſe realem, primò, quia verum quidem id eſt, ſed non nocet, quia neque eſt rationis, quum nulla omninò unio ſit, eo quod ſupponatur forma eſſe extrinſeca, qualis non eſſet ſi intercederet unio: Deinde ſi ulla unio ſit & requiratur, certè eſt realis, quia nullius fictione, aut reflexione vel ratiocinatione opus eſt ad hoc ut paries ſit viſus. Jam verò quomodo totum erit rationis cujus nulla pars, ne conditio quidem aut unio partium eſt rationis? Nonne hoc eſt vim inferre rebus, & negare ipſam nominum impoſitionem? Confirmo efficaciter, quia idem eſt murum à me videri, & me videre murum: atqui me videre murum eſt quid reale & ſolidè tale, ergò etiam hoc quod eſt murum à me videri. Utraque præmiſſa eſt adverſariorum, ut neſcias quomodo fugiant conſequentiam, aut quomodo ſe tueantur, niſi fortè hoc, quod ipſe ego

7. Objicio pro ipſis, quia eſſe viſum ab oculo producitur ſine dubio, & eſſe cognitum ab intellectu, volitum à voluntate &c. ſecundum nos; atqui hoc eſſe non poteſt, ergò nec illud, adeoque tales formæ non ſunt in verè paſſis; ex quo denique ſequitur quod ſint ibi ſola ratione, ut adverſarii intendunt. Vis eſt in majori, quam ſic ſuadeo: intellectus, & oculus, & voluntas ſunt potentiæ immanenter agentes; hæ autem nihil poſſunt extra ſe producere, alioquin eſſent tranſeunter agentes, cuius oppoſitum ſupponimus. Reſpondendum tamen eſt huic ſicut ſupra Act. 3. ultimo argumento, negando primi ſyllogiſmi Minorem, & diſtinguendo illam ſecundi ſic: potentiæ immanentes non poſſunt extra ſe aliquid producere, reale concedo, irritum nego. Sic ſupra dixi actione reali debere produci terminum realem; ſi agatur de termino primario; ſi autem de ſecundario &c. nequaquam, quod etiam ibi explicavi.

Una tantum replica de hoc mihi facit difficultatem; eſtque quod ſic diſcurrendo dicendum ſit cauſam aliquam fortius agere actione ſecundaria quam primariâ, cujus oppoſitum ex ipſis terminis ita patet ut non poſſit perſuaderi novâ ratione: Sequela probatur, quia paſſionem hanc irritam poteſt agens quaſi in infinitum tranſmittere; poſſum enim videre cœlos & ſtellas firmamenti quæ in immenſum à me diſtant; poſſum amare Deum qui etſi ſit præſens, tamen etiam eſt infinitè diſtans; aut ſi non ſit. ponatur eſſe, nihilominus amabitur &c. Ex quibus ſequitur aliud paradoxum hic, quod ſcilicet cauſa aliqua creata ſit quæ non habeat ſphæram activitatis: Et ſane, citra ſpeculationes, valde mirum & quaſi obſtans authoribus eius eſt quod cauſa ſummè arcta & alligata ad agere in propinquû, ſit ſummè apta agere in diſtans; nam potentiæ immanenter agentes debent terminum ſuum in ſe continere, nec poſſunt ultra extendere, & tamen ſi verum ſit dari huiuſmodi paſſiones quas nos ponimus in objectis, extenduntur ultra omnem limitem & modum ergò &c. Reſpondeo tamen hic minus eſſe difficultatis quam videtur, utique enim facilius eſt tranſmittere in longinquum quod levius eſt quam aliud eo magis grave. Non eſt ergò mirum, quod paſſiones intentionales, & entia irrita in tam diſtans emittantur: neque tamen verum eſt quod in infinitum vadant, quia agens immanens, ſive immanenter agens habet etiam terminum ſive ſphæram ſuæ activitatis; non enim poſſum in quacunque diſtantiâ audire, multò minus tangere aut guſtare. Dices, ſaltem poſſum cognoſcere & amare. Verum eſt ſed in primis per cognitionem &c. non patitur res ipſa extra propriè, ſed ut eſt objectivè in mente, poteſt enim cognoſci res quæ jam deſtructa eſt, vel etiam quæ nunquam fuit, loquendo de cognitione abſtractivâ, loquendo autem de intuitivâ quæ faceret ad propoſitum, nego eam poſſe in quamcunque diſtantiam ferri. Et denique quid ſi dicam has paſſiones non produci ſed reſultare? tum enim in quacunque diſtantiâ

Digitized by Google

tiâ provenient, nam reſultantiæ relationum non eſt poſitus limes aut terminus: album Hybernicum eſt ſimile Romano, imo etiam Indo.

ACTIO V.

Vtrum inter hæc entia irrita numeranda ſint ſpatia?

Breviarium.

N. 1. *D. Thomæ, & ſuorum enumeratio entium rationis; manca.*
2. *Dari ſpacia tam poſitionis quam durationis irrita, probatur valenter.*
3. *Evaſiones Recent. indignæ ipſis: num Deus poſſit trudere Mundum alio?*
4. *Spacia hæc non poſſe eſſe negationes.*
5. *Nec entia rationis.*
6. *Non aliquid reale; & multo minus ipſum Deum.*
7. *Objectiones aliquæ contra rationem entis irriti in his ſpacijs motæ & ſolutæ: Locus an quid reale?*

Suar. in Metaph. q. 21. de rati.

1. Mirum eſt Recentes, atque etiam aliquos ex antiquis tam arctos cancellos dediſſe ſuis entibus rationis, ut voluerint ad ipſa, non niſi tria tantum pertinere, puta, privationes, negationes, relationes: Imo D. Thomas duo tantum concedit, negationem & relationem, quum tamen figmenta & cognitiones per quæ illi volunt ſua entia fieri, non habeāt terminum. Relictis ergo inanibus his tam inconſequenter dictis, ſolvam aliquid ſolidi de ſpatiis rerum, num ad hujuſmodi irrita entia pertineant? ſuppono autem duplex eſſe ſpatium in quo res extendatur, loci ſcilicet & temporis, de quibus etiam addo quodlibet ex illis poſſe ac debere & realiter, & etiam aliter ſumi. Nam incipiendo à primo, ſpatium loci, ut vides in Ariſtotele, eſt ſuperficies ultima corporis continentis, quam non eſt dubium eſſe realem. Tempus etiam apud eundem eſt ipſe motus realiter, unde nec eſt ens irritum, ſed revera ratum. At enim, ut ſuo loco in phyſica dixi, dicturus etiam in Theologiâ, occaſione divinæ immenſitatis, hæc realia non ſunt vera ſpatia, nec prima, quùm ipſa etiam egeant aliis ſpatiis in quibus ſint: nam & ſuperficies aliqua alicubi eſt, & motus alicubi eſt, & motus aliquâ horâ aut die exercetur.

2. Dicendum ergo quod hæc ſpatia tam poſitionis quam durationis ſint in entibus, & ex ipſis, ſed irritis, quæ ut non ſunt realia, ita nec ſunt rationis. Primam partem hujus videntur omnes admittere, quia nimirum conantur explicare quid ſint? & in quo conſiſtant: ſed non deeſt ex noſtris qui neget ea: expreſſe autem tenent eam Barth. Amic. Raphaël Averſa & alii, ego autem hic ulterius, probare eam non cogor, quia & id feci in Phyſica, & ſum facturus in Theologiâ. Unicam tantum ratiunculam in tranſitu diſponam, quam non memini à me locis citatis tactam, eſtque ad homines omnes omnino, qui ſcilicet Peripateticam philoſophiam profitentur, quia nimirum illi cum Ariſtotele tenent locum eſſe immobilem, definitur enim ab ipſis, *ultima ſuperficies corporis continentis locatum immobilis primùm*, hoc eſt, primò ac per ſe immobilis, & à quo immobilitas ad cætera derivatur: at vero nec locus, nec locatum eſt immobile hoc aut illo modo, niſi admittantur hujuſmodi ſpatia, dico neutrum eſſe immobile, ſive primò, ſive ſecundò, ſive per ſe, ſive per accidens: quod ſic deduco: omne per accidens tale debet reduci ad aliquid quod eſt primò tale, neque enim quidpiam poteſt incipere ab aliquo imperfectè aut æquivoce tali: ſi ergo detur aliquid ſecundariò, & ratione alterius immobile, debet dari aliquid per ſe primò immobile: locus, id eſt ſuperficies eſt immobilis (ac proinde etiam ſuo modo locatum quamdiu in illo eſt,) non eſt autem immobilis primò, ſive per ſe & formaliter, nulla enim ſuperficies eſt quam Deus non poſſit alio transferre, & ineptia eſt quod quidam cogitant polos eſſe immobiles, quia ſunt extremitates axis ſuper quem movetur mundus, id eſt orbis cæleſtis, itemque centrum, eo quod videamus in globo moto centrum quieſcere; dico hoc eſſe indignum philoſopho, maximè autem Chriſtiano; nemini enim dubium eſſe poteſt quin Deus poſſit orbem hunc univerſi parum alio trudere puta ſurſum vel deorſum, antrorſum, retrorſum: valdeque improbabile eſt quod quidam Rec. apud aliquem ipſorum ſuppreſſo nomine citati dicere auſi ſunt, mundum non poſſe à Deo motu recto moveri ſed ſolum circulariter intra ſuos cardines; quis enim ligavit ei manus? quum potuerit hunc qui dieſt majorem feciſſe, quo caſu poli & cardines non eſſent ubi jam ſunt, ſed alibi, etiam per lineam rectam: Quod idem contingeret ſi feciſſet eum, ut potuit, minorem. Unde denique concludo ſpatium omne reale eſſe mobile, adeoque ut detur aliquod immobile ſimpliciter, debere dari ſpatium quod non ſit reale, & ecce intentum. Quo loco adverto multam invidiam conciliatam his ſpatiis per τὸ *imaginaria*, quia ſcilicet hactenus communiter appellata ſunt ſpatia imaginaria, & fortaſſe hanc nomenclaturam quoſdam philoſophos nimis nominales traxiſſe ad ea neganda, ſicut aliqui inducti ſunt ad cenſendum quod entia irrita de quibus hic interim agimus, non fiant niſi per intellectum, quia nimirum illa conſueverunt vocari entia rationis, id eſt, (illorum commentario) intellectus.

Lib. 4. phyſ. c. 4

Similis, ſi non eadem ratio perſuadere debet ſpatia durationis, ſine dubio enim Deus potuit mundum hunc creaſſe prius uno anno, ita ut ſi jam à creatione ejus fluxerint anni 1662 effluerent

rent anni 1663. ſicut etiam potuit producere eun- dem uno, imo mille annis poſterius, atque hoc eſt veritas infallibilis, propter quod inevitabile eſt id cui innititur, & ſine quo non poteſt ſtare; non poteſt autem ſtare, aut intelligi niſi ponendo ſpa- tia temporis, vel ſaltem durationis imaginaria, ergo: Ita ego pro his ſpatiis pugnavi loc. citat. quia eſt proprius materiæ. Hic obiter expugna- bo quæ Adverſariorum aliqui ad hæc ſolvenda excogitarunt; ſunt autem duo, & ſignifico ea procedere de ſpatio loci, aut quaſi loci, nam ſpa- tia durationis vix ullus negat.

3. Duo ergo dicunt, unum eſt *ubi* ſive ubi- cationem eſſe formam abſolutam, (non vero re- ſpectivam ut nos cogitamus.) adeoque non re- quirere terminum, qui eſt ſpatium quod imagi- namur. Alterum eſt rem poſſe abſolvi ab omni *ubi*, adeoque non ſequi tam pertinaciter iſta ſpa- tia, neque inferri ex rebus extra productis. Utra- que aliquid acuminis habet, atque etiam novita- tis quæ plerumque Rec. ſapit, non alio titulo ſub- inde commendata. Sed primum horum latè de- vaſtatum eſt à D. N. & ſuis, (ex quibus ego tomo pr.) ubi oſtendunt ſex ultima prædicamenta eſſe relationes: & certè ſi *ubi* non ſit relatio, nulla erit omnino in orbe, quum illud ſit ad alterum, non minus, ſed paulo magis quam ſimilitudo: etenim relationis conceptus eſt ad alterum ſe habere, ta- le autem eſt *ubi*, quod eſſentialiter includit τὸ *in*; ſenſus enim quæſiti, *ubi eſt*? eſt, in quo loco? *ibi*, in illo loco, &c. Confirmo: Relativa ſunt quo- rum totum eſſe eſt ad aliud ſe habere; atqui *ubi* plus eſt ad aliud quam ſimilitudo, quod ſic ſua- deo: τὸ alterum in hac definitione ſignificat ter- minum, non vero fundamentum, relatio enim eſt ad terminum, non vero ad fundamentum: atqui *ubi* plus eſt circa terminum quam ſimilitu- do, nam *ubi* eſt totum *in* & ſic importatur ac in- telligitur; ſimilitudo autem non eſt tota ad ter- minum, ſed eſt partim *ad* vel circa ipſum ſubje- ctum, ſeu fundamentum, quod licet de *ubi* veri- ficetur, at non æquali jure ut patet cuique ex ſua apprehenſione, nam *ubi* eſt ipſe defæcatus, & pu- rus conceptus poſitionis vel locationis, unde ſæ- pe ſe ſolo ponitur in quæſtionibus & reſponſis, ſic quærimus paſſim: ubi? & reſpondetur, hic, vel, ibi, alibi, &c. unde videtur ſe habere ſicut τὸ *cui*? in caſu ſimilitudinis: non ſolemus autem, nec eſ- ſet rationabile dicere abrupte: *cui*? niſi addatur aut præmittatur, *eſt ſimile* adeoque. Augeo ar- gumentum, verè enim dicimus, hic fuit, talis res, v. g. Troja, per quod ſignificamus adhuc mane- re terminum relationis (tametſi non maneat fun- damentum) adeoque ipſa, atque ita *ubi*, quàm veriſſimè totaliter ad aliud ſe habet, quod eſt ipſa anima, & intimum eſſe relationis.

Alterum illud quod eſt poſſe rem abſolvi ab omni *ubi*, adeoque non eſſe neceſſaria ſpatia, aliò ſpectat: hic autem quia obiter rem tangi- mus, breviter dico me non æſtimare inventio- nem; non enim agimus nos de poſſibili, ſed de facto, & ſic ſtatui concluſionem quod ſint ſpatia illa, non quod poſſint eſſe: Hoc ergo quia fa- tentur Adverſ. jam non amplius adverſantur; at vero quod ſint, non poteſt nec à protervo nega- ri; ſi enim D. Deus, ut poteſt, deleret quidquid eſt intra latera hujus cellæ, certe nihilominus la tera ipſa diſtarent, ſicut priùs, atque ita interjacet illis aliquod ſpatium, omnis enim diſtantia eſt per interjectum tale, quod proinde vocatur in- tervallum; non interjacet autem ſpatium reale, alioquin retractamus ſuppoſitum de deſtructo omni reali, adeoque interjacet noſtrum irreale, aut irritum, quod proinde falſo aliquid vocant imaginarium.

Reſolutio explicatur, & proba- tur particulatim.

CÆterum aſſertio poſita tres habet partes, quarum ſingulæ ſeorſim probandæ ſunt: una eſt quod ſpatia hæc non ſint negationes: al- tera quod non ſint entia rationis: tertia, quod ſint noſtra irrita, quæ ultima pars habet quam maximè adverſarios eos qui dicunt ea eſſe ipſum Deum: Prima autem habet contra ſe Recent. aliquos (*a*) ſequutos Vaſq. 1. p. d. 29. ſecunda ſi- militer alios novos, (*b*) tertia vix alium quam Leſſium, niſi producamus innominatos apud Comp.

4. Primam ſic ſuadeo, quia propoſitiones quæ de ſpatio currunt ſunt poſitivæ & affirmati- væ; v. g. iſta, Petrus eſt hic, non eſſent autem ſi ipſum ſpatium foret negatio aut nihil, ut patet, ergo. Hæc tamen probatio patitur aliquid diffi cultatis, nam in propoſitione negativâ propriè negatio debet afficere copulam, non vero prædi- catum, at enim res eodem redit, quia affirmatio negationis, eſt negatio affirmationis Urgeo ite- rum Logice, quia tum prædicatio negativa eſſet affirmativa, v. g. iſta: Petrus non eſt hic: cau- ſa quia duæ negationes faciunt unam affirmatio- nem, ibi autem eſſent duæ negationes quia nimi- rum tam copula quam prædicatũ ſunt negativa, quoniam illud *hic*, ſecundum τε eſt negatio, quia ducitur à ſpatio, & alias clarum eſt quod τὸ *non* ſit negativum, quum ſit ipſa negatio.

(a) *Moncæus O- vied. Car- let.*
(b) *Faſol. Ariag.*
(c) *de per- fect. divin. lib. 2.*

Adhuc in idem phyſicè, & adverto adver- ſarios non loqui de negatione in genere, aut in aëre, ut dici ſolet, ſed de determinata, volunt enim ſpatium hoc eſſe negationem rei, puta cor- poris vel ubicationis ejuſdem, contra quod ſic arguo: res ubicata eſt præſens ſpatio, ſed nulla res eſt præſens negationi ſui, ſic enim in eodem ſpatio eſſet ſimul & non eſſet. Confirmo: ſpa- tium imaginarium eſt immobile ac fixum, ac nul- la videlebile; non eſſet autem tale imo de facto tolleretur ſi foret ejuſmodi negatio; quia poſitâ re cujus eſt, puta corpore vel ubicatione ejus tol- leretur, quia ſicut ipſa eſt ablatio corporis, ita corpus eſt ablatio ejus. Sed hæc probatio Rec. incidit in priorem, quia tamen res eſt evidens, ſingulæ ſufficiunt.

5. Altera pars de ente rationis id eſt intel- lectus, eſt etiam evidens, quia nullo fingente res eſt in ſpatio tam temporis quam loci, & oppoſi- tum videtur prope inſaniam; at vero entia ra- tionis non fiunt niſi per fictionem rationis ſeu in- tellectus. Secundò, quia ab æterno fuerunt hu- juſmodi ſpatia; ſed ab æterno nullus fuit intelle- ctus qui fingeret; non enim fuit alius quam di- vinus qui non poteſt fingere aut fallere, ullum & multo minus ſe ipſum. Deinde intellectus fin- gens hæc aut alicubi eſt aut nullibi; ſecundum, jam impugnatum eſt ut impoſſibile; primum autem evidenter convincit intentum hic, nam quod per fictionem habet eſſe eſt poſterius ipſâ, ſpatium

Digitized by Google

ſpatium autem non poteſt eſſe poſterius quum ſit prius & requiſitum ad ipſius fictionis poſitionem; ergo. Ad hæc, Deus eſt in ſpatiis iſtis, ut ſuo loco demonſtro; ſed non eſt in figmentis, aut throno aliquo ficto, eſt enim illa nimis fragilis ſedes, & nimis tenuis pro tantâ majeſtate, non minus, ſed plurimo magis quam ſi eſſet ex telà aranearum, ergo. Denique entia rationis, ut eorum authores intelligunt, ſicut incipiunt cum figmentis illis, ita deſinunt; at vero ſpatia hæc non poſſunt deſinere per ullam potentiam, & omnium minimè per fictitiam illam.

6. Hæc & ſimilia videntur fuiſſe cauſa quæ quoſdam impulit ut putarent ſpatia hæc aliquid reale eſſe; alios ut crederent ea rem realiſſimam eſſe, ſcilicet ipſum Deum: ſed utrumque explodendum eſt; primum propter fidem, alterum ob rationem: ſpatia hæc ſunt æterna, nihil autem eſt æternum extra Deum: Deinde omne aliud à Deo eſt delebile & deſtruibile per ipſum; ſpatia hæc non ſunt delebilia aut deſtruibilia etiam ab ipſo Deo, & alia ſimilia quæ, ut jam monui aliquos coegerunt ut putarent hæc ſpatia eſſe ipſum Deum, quod etſi non ſit exploratum eſſe contra fidem, eſt tamen exploratum eſſe contra rationem, quam in ipſum ſic formo: intelligunt authores hujus imaginationis quod D. Deus licet ſit realiter ſimplex, eſt tamen virtualiter multiplex, & diverſus pro ſingulis quibuſque etiam minimis partibus ac punctis ſpatii, unde rem poni in ſpatio hujuſmodi imaginario, eſt eam poni ſive correſpondere ejuſmodi virtuali extenſioni immenſitatis divinæ: at vero hoc directe pugnat rationi, & veræ philoſophiæ, nam omne virtualiter tale eſt, tale per ordinem & participationem alicujus quod eſt formaliter tale, quæ veritas eſt evidens, cuivis etiam mediocriter metaphyſico: ſi ergo Deus eſt virtualiter diviſibilis in ratione ſpatii, debet eſſe aliquid formaliter diviſibile in eo genere, nihil autem eſt niſi hujuſmodi ſpatium, alioquin aſſignetur. Confirmo ex verbis explicationis, quod ſit *diviſibilis pro ſingulis partibus ſpatii*, ergo jam ſpatium habet partes diſtinctas ab illis Dei. Iterum ſic: nihil poteſt coextendi niſi coextenſio: Deus coextenditur ſive commenſuratur ſpatio illi, ergo ſpatium illud, in ſe eſt extenſum. Adhuc tertiò ad homines, iſti enim volunt attributa divina eſſe virtualiter diſtincta, quia æquant ea quæ apud nos ſunt propriè & actu diſtincta, v. g. ſapientiam & bonitatem, quia iſta apud nos ſunt plura, & niſi talia eſſent, non daretur diſtinctio illa virtualis in divinis, ergo jam niſi ſpatium ſit in ſe diſtinctum non poterit in Deo dari virtualis diſtinctio, at vero ſi ſpatium cum ſuà diſtinctione detur, fruſtra coëgerunt illi Deum ut fieret rebus ſpatium, atque ita imaginaria eſt hæc explicatio ſpatii; quod magis apparet in ſpatio durationis, nam diviſibilitas hujus eſt ſucceſſiva, Deus autem quidquid habet ſive diviſibile, ſive indiviſibile eſt permanens: ſtet ergo & approbetur quod ſpatia tam poſitionis, quam durationis quæ vocantur imaginaria non ſint talia, neque tamen realia ſunt, (quùm à Deo efficienter non prodierint,) ſed irrita, quod erat aliis verbis, ea nec entia rationis eſſe, iſta enim ſunt imaginaria, & ficta ſecundum eorum authores; nec rei entia, hoc eſt exiſtentia aut potentia exiſtere, ſed noſtra irrita, & irrealia entia, quod fuit probandum. Habeo tamen ipſe unam difficultatem contra partem propriam hujus loci ſive irrealitatem horum ſpatiorum, & redundabit illa una illa in tres, quas ſic

7. Objicio; locus debet ab omnibus concedi quod ſit quid reale; atqui verus locus eſt illud ſpatium poſitionis ut partim ex dictis hic conſtat, partim & fuſius ex Tom. 2. ſuperiori, ergo ſpatia hæc non poſſunt non eſſe realia. Tum ſic; *ubi* ſicut prædicamenta omnia ſunt realia, at vero *ubi* eſt in ordine ad hujuſmodi ſpatium vulgo imaginarium, nobis irritum, non autem reſpectu vel in ordine ad ſpatium reale. Et augetur ratio ad homines; quum enim *ubi* & cætera ſex poſteriora prædicamenta ſint relationes haud dubie reales, debent earum termini eſſe reales, hoc enim eſt quod facit relationem eſſe realem, ſi habeat extrema, id eſt terminum & fundamentum realia: terminus autem hujuſmodi *ubi* eſt hoc ſpatium, adeoque hoc neceſſariò debet eſſe reale. Denique redit ratio in motu locali, nam hujus terminus eſt aliquid hujuſmodi ſpatii, non vero ſpatii realis, ut ex dictis conſtat: atque hæc ratio poteſt latior fieri, & procedere de ſpatio durationis, nam omnis motus propterea motus, ſive ſucceſſivum quid eſt, quia extenditur hujuſmodi ſpacio, intelligo durationis ſive temporis, ergo denique ſpatium illud reale erit, alioquin non erit realis, aut non realiter ſucceſſivus ullus motus.

Ad hæc tamen dicendum eſt, ad primum, quod quidem locus vulgo non ſolum populi, ſed phyſicorum ſit realis, quia nimirum eſt ſuperficies, in rigore autem & rei veritate non eſt talis, ſed inanitas & levitas hæc quam explicamus, paucis agnitam, ſed quamvis paucis, non potuit illis deeſſe Subtilis, qui bene rem advertit, ſive quantum imaginatio vulgi differt à rei veritate. *Ad aliud*, ait ille 5. Metaph. q. 9. (& notent Scotiſtæ,) *quod locus non eſt in genere quantitatis, & ideo non dividitur niſi ad diviſionem ſuperficiei, & ſic dividitur per accidens, imo punctus poteſt locari, & quæ philoſophus dicit in prædicamentis de loco non ſunt vera, nec loquitur ſecundum intentionem propriam, ſed famoſè ſecundum opinionem aliorum.* Ad alia illa ſæpius reſponſum eſt in hoc opere, canones illos de realitate extremorum requiſitâ ad realitatem relationis veros eſſe de relatione indefinitè ſumpta, non vero univerſaliter; procedunt enim de relatione intrinſecus adveniente, ſive, (ut intelligamur ab aliis) tertii prædicamenti *ad aliquid*, non vero de ultimis prædicamentis, ex quibus ſunt *ubi*: & *quando*: & in promptu ratio eſt quia cauſa illarum extrinſecus venientium ſunt extrema, illis enim poſitis reſultant, at vero harum non, ſed ipſæ terminant actionem propriam productivam, quæ proinde attendenda eſt in hoc genere, num ſcilicet ſit realis, necne? non vero attendendæ ſunt extrema: *ubi* v. g. producitur actione ad ipſum terminata, ſimiliter ſitus, habitus, &c. Atque ut videatur res vera eſſe, etiam evidens, repeto exempla horum quæ alibi dedi; corruptio eſt relatio, & tamen non habet terminum realem, quum terminetur ad non eſſe: Generatio ſimiliter incipit à non eſſe, atque ita habet fundamentum non reale, &c.

ACTIO VI.

Digitized by Google

ACTIO VI.

De cauſis Entis irriti.

Breviarium.

N. 1. *D. Deus facit ſeipſo entia irrita.*
2. *Non tamen ut Recentes imaginantur.*
3. *Cognoſcit etiam illa quæ non facit: probatio.*
4. *Arguitur contra probationem. An omnis actus intellectus ſit imago objecti?*
5. *Fiunt ab omni potentia vitali.*
6. *Quomodo in hoc ſingularis ſit imaginativa?*

1. SUb meo irrito comprehendo etiam illa (antiquorum) rationis: atque ut deſumam quod ajunt

A Iove principium.

reſolvam breviter rem fuſiſſime, & multis rixis à Recent. implicatam; an Deus faciat entia rationis? adeo ſi nos fecimus Metaphyſicam rationis, fecerunt illi Theologiam.

Dico ergo Dominum Deum poſſe & ſolere facere entia noſtra irrita. In pleriſque harum aſſertionum, ego ut primus ſum, ita ſum ſolus; neque vero teneor ad probationem hujus, quippe quam ſupra attuli de Deo ferente leges, & diſponente aliquid in Republicâ, ut quum fecit Saul Regem, Aaron, & Moyſen ſacerdotes; nam certum videtur quod illud ſacerdotium non imprimebat characterem; & quamvis id faceret propter unctionem, tamen Moyſes non fuit unctus. In lege etiam eſt evidens, obligatio enim quæ reſultat in ſubditis eſt quid mere morale, (adeoque irreale,) ut omnes fatentur, ſtando etiam in hoc negotio legis, libet expendere inſtantiam ferri ſolitam de remiſſione peccati contra ipſam, an Deus tum faciat ens irritum? videtur enim quod non, quia remiſſio illa etiam ex parte creaturæ fit per formam realem inhærentem, ſcilicet per gratiam, adeoque hic non eſt denominatio extrinſeca, aut ens irritum, vel rationis, ſed verè ratum ac reale.

Puto tamen probationem ſeu inſtantiam validam eſſe, idque tam de facto quam de poſſibili; quorum utrumque videtur rigidos Thomiſtas impugnare. Et quoniam pars illa de poſſibili & ex ſe videtur evidens, & à noſtris ſæpiſſime ſuo loco probata, quod ſcilicet Deus poſſit remittere peccatum ſine forma inhærente, probo priorem; nam quantumcunque Deus infundat habitus & diſpoſitiones, & quæ alia excogitari poſſunt, niſi ipſe habeat animum & actum redeundi in amicitiam cum tali, certe ille talis nunquam erit ei gratus, & oppoſitum eſſet cogere Deum ad amicitiam: quam illationem ſic ſuadeo; ſi enim ponamus per impoſſibile duos Deos, certe ſecundus poterit producere illum habitum, quicunque ſit, alioquin non erit omnipotens, atque ita nec Deus: demus ergo quod producat invito primo, num Petrus peccator qui accepit eum erit in gratia primi; nihil minus, adeoque jam non ſufficit quidpiam ſine actu ipſius Dei, & proinde quando etiam infundit habitum, adhuc habet actum amandi, vel acceptandi in amicitiam Petrum, v.g. huic actui dico ego reſpondere paſſionem meam, id eſt irritam ac irrealem, nam paſſio realis reſpondet actui productivo gratiæ, atque ita denique per Deum fit hujuſmodi ens irritum, &c.

2. Dico etiam ſecundo, entia rationis vera ſive Recent. ſive antiquorum non fieri à Deo ut illi imaginantur. In hac habeo inimicos, etiam amicos Recentes: nempe inter ſe illi digladiantur de hac lanâ caprinâ acerrimè: aſſerunt fieri Fonſec. Gill. Molin. at vero Gabriel Vaſq. tam odit aſſertionem, ut potius neget ea cognoſci à Deo quam concedat fieri.

Ego autem dictum ſuadebo ſingulari medio, quia nimirum entia hujuſmodi ex mente ponentium ea fiunt per hoc quod in intellectu, & actu fingentis, &c. habent eſſe repræſentatum ſeu expreſſum, eo quod omnis actus intellectus ſit imago rei extra, &c. atqui hæc in Deo non currunt, nam intellectio Divina non eſt expreſſio, aut imago omnium quæ intelligit, ſed unius, ſcilicet ſuæ eſſentiæ, cæterorum autem non; abſit enim; quia illo indignum, ut illa pretioſiſſima tela his imaginibus pingatur, ſicut nos optima tantum objecta in ſummis tabulis, aut ſumme pretioſis adumbramus. Ratio autem à priori negotii eſt, quia hoc quod eſt exprimi & repræſentari, habere imaginem ſui in actu, &c. veritatem habent & intelligenda ſunt de objecto motivo, non de quocunque, puta terminativo tantum & ſecundario, &c. at vero creaturæ omnes quantumcunque ratæ ac reales (quanto magis irritæ) ſunt tantum objectum ſecundarium, & terminativum intellectus Divini, ut ſuo loco oſtendam, adeoque nulla earum habet imaginem ſui in actu intellectus divini.

3. Quia tamen nulla veritas obſtat veritati, proinde adhuc tenendum eſt hæc omnia cognoſci à Deo, etiam quæ non facit. Cauſa jam allata eſt, quia non eſt neceſſe facere aut formare ad cognoſci, adeoque poterunt illa cognoſci à Deo etſi non fiant ab illo. Dices, licet non fiant illa quæ cognoſcuntur, fient tamen alia, atque ita adhuc neceſſe eſt vel aliqua entia rationis fieri à Deo, vel nulla cognoſci: Reſpondeo nec hoc eſſe neceſſarium, idque propter rationem datam, quia entia rationis fiunt

per

Digitized by Google

per hoc quod cognitione ipſâ exprimantur; at vero Divina cognitione non exprimuntur, adeoque. Abſoluta autem veritas hujus aſſerti, quod ſcilicet Deus ea cognoſcat, patet; quam enim egregiè eſſent res compoſitæ, ſi ego plus Deo intelligerem? ſi aliquid Deum lateret? ſi diſputante me cum his Recent. de ente rationis Deus non intelligat quid loquamur: unde formari poteſt ratio, quia Deus omne cognoſcibile cognoſcit; illa ſunt cognoſcibilia, alioquin quomodo cognoſcuntur à nobis? Adhuc amplius, ſaltem omne reale novit, atque ita actus meos quibus fingo, aut utcunque compono ens rationis; hic autem actus & cognitio ejus involuit cognitionem entis rationis, quia involuit cognitionem objecti, quod ſupponimus eſſe ens rationis. Confirmo, quicunque cognoſcit imaginem debet noſſe imaginatum, ſive prototypum quod eſt objectum ejus, actus qui eſt cognitio entis rationis eſt cognitio ejus & ipſum ens eſt objectum ejus, ergo quicunque novit actum novit ens, &c.

4. Habeo tamen ipſe contra hæc unicam difficultatem, eſtque quod hæc philoſophia de eo, quod actus intellectus ſit repræſentatio & imago objecti, &c. accipienda non ſit univerſaliter, & de omni, ſed indefinite imo determinate de aliquo, & de tali, puta de actu ſpeculativo, non de actu practico, ſive eo per quem fit objectum; hic autem actus per quem fit ens rationis, haud dubie eſt practicus, quum ſit factivus, ergo non repræſentat illum, nec eſt imago ejus, adeoque non ſequitur Divina cognitio de entibus rationis licet detur de actu fingente ea. Propoſitio, ſive major hujus attendenti patet, quia nemo dicet videri à me calceum, v. g. quando video motum, quo manus ſutoris movetur quando format eum, nec calorem corporis quod movetur, licet motus ſit cauſa, imò cauſatio ipſa caloris, & alia ſexcenta, adeoque ipſa ſolum cognitio eſt actus expreſſivus, & imago rei: cujus adhuc cauſa anterior aſſignari poteſt, quia nimirum illa fit per ſpecies quæ ſunt repræſentationes rei; alii practici actus non. Reſpondeo hæc omnia tam fundatè dicta eſſe ut negari non debeant, ſed accommodari propoſito: Dico ergo hæc cognoſci à Deo in actu illo licet ſit practicus, quia eſt ſuo modo ſpeculativus: nempe facio ego chymæram, v. g. homocervum, cognoſcendo & cogitando hominem & cervum, atque eorum unionem, ſive utrumque per modum unius; ecce quomodo idem actus qui eſt practicus, eſt etiam ſuo modo ſpeculativus: Proſequendo jam meum intentum.

5. Dico entia irrita fieri ab omni ferè potentiâ vitali: patet in ſenſationibus paſſivis, v. g. videri eſt ens irritum, audiri, & odorari, &c. quam veritatem, quia ſupra probavi, hic relinquo intactam. Dices, quidquid ſit de his, ſaltem tactivam potentiam non facere ens irritum, ſed ratum, quia paſſio correſpondens tactui eſt vera ac realis; v. g. quam impingo colaphum alicui, percuſſus experitur vim veram, & paſſionem nimis violentam, ergo. Reſpondeo non fruſtra poſui illud *ferè*, quin ob hoc ipſum, adeoque replica non impugnat concluſionem ſed confirmat. Reſpondeo etiam ſecundo concluſionem ſtare, non obſtante replicâ, & ablatione ly *fere*: Cauſa, quia tactus ſenſitivus non eſt ſolum phyſicus, ſed intentionalis, & aliquid altioris ordinis ac vitalis: paſſio ergo illa violenta reſpondet tactui phyſico; paſſio autem intentionalis eſt alia, & poteſt defendi non eſſe ita realis. Diſcurſus factus patet paſſim; nam ſi ſimiliter palmo manus feriam lignum, aut cadaver, facio paſſionem realem, non facio intentionalem, adeoque paſſio intentionalis eſt alia ab eo quod apparet.

Puto tamen veriorem eſſe oppoſitam partem, (& relinquendum ly *fere*) ſcilicet paſſionem etiam intentionalem hic eſſe realem, quia nimirum eſt dolor quem ſentit percuſſus, & qui cauſatur à paſſione intentionali, ſi non etiam ſit ipſe, hoc nimis efficaciter ſuadet.

Addo aſſertioni & dico hujuſmodi irrita aut inania entia haberi etiam ſine ullis cauſis, ſive, ſeipſis; intellige de efficientibus cauſis & propriè ſumptis, nam ſine omni omnino causâ non ſunt. Probatio aſſerti ſunt relationes rationis quæ ſeipſis ſurgunt: v.g. ſimilitudo quæ eſt inter duo entia rationis, quis enim hanc auſit negare? quum autem conceſſerit, quis audebit dicere eam eſſe realem?

6. Redeundo jam ad entia rationis, in controverſiâ illâ quæ valdè vexat Recentes, tanquam de finibus & lege agrariâ agatur, circa imaginativam potentiam & voluntatem, ſi cui libet ex me audire, cenſeo voluntatem facere verum ens rationis, imaginativam autem facere etiam proprium; & ſemper ſto in acceptionibus adverſariorum, nam de meis, jam dixi. Moveor quia clarum eſt ex dictis à me voluntatem facere entia irrita, ſive quæ realia non ſint; quæſtioni ergo relictum eſt decernere an hæc entia irrita vocanda ſint rationis? ego affirmo & probo, quia ipſa voluntas eſt aliquid rationis; non enim ratio propriè & plenè eſt ſolus intellectus, ſed etiam voluntas, quia differentia hominis quæ eſt rationale, utramque potentiam dicit, quum homo à brutis differat non ſolum intellectu, ſed etiam voluntate.

Antequam alteram partem de imaginativâ probem, proferam fundamenta Recent. in oppoſitum, eſtque iſtud, quod ſcilicet imaginativa non percipiat niſi externa accidentia, v.g. albedinem, longitudinem hirci & hominis quæ nihil vetat convenire in unum & uniri: rationes autem ſubſtantiæ rationalis, &c. inter quæ eſt oppoſitio non percipiat, adeoque nec verum ens rationis: Hanc dico non ſufficere probationi & me deinde oppoſitum eſſe probaturum. Primum ſic oſtendo, quia ſi ſenſus neque internus, neque externus aliud percipit quam accidentia, quæro unde intellectus didicit amplius, quùm nihil ſit in intellectu quod prius non fuerit in ſenſu.

Secundum autem, quod eſt poſitivè oppoſitam reſolutionem probare de imaginativa, ſic præſto. Intellectus facit verè ens rationis, v. g. hircocervum, ergo & imaginatio: cauſa conſequentiæ, quia intellectus pro nunc nihil facit niſi coagente imaginativa; unde illud Ariſtotelis, *oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari*. Si dicas imaginativam non poſſe ſequi intellectum quocunque, quia intellectus verſatur circa univerſalia ſenſus & imaginatio non: nihil id nocet, quia factio omnis circa ſingularia verſatur, & nobis ſufficit ſi imaginatio faciat hoc numero monſtrum quod ſit ens rationis, licet non faciat monſtrum ut ſic.

Digitized by Google

ACTIO VLTIMA

De intentionibus.

Breviarium.

N. 1. *Quid prima & ſecunda intentio formalis: item quid objectiva: nec rectè dictas eſſe intentiones.*

2. *Neutram eſſe denominationem extrinſecam, idque ex Scoto contra Scotiſtam oſtenditur.*

1. NEmo neſcit quid ſit intentio, & intendere, quæ quiſque in ſe experitur; unde neque ea hoc loco docendus eſt, ſed aliam horum nominum impoſitionem, quam Logici nobis cuderunt, qui tamen prius audiendi ſunt diſtinguere quam definire. Itaque duas intentiones ponunt primam & ſecundam, & utramque dividunt in duas, objectivam & formalem, prima intentio objectiva ſunt res ipſæ prout naturis ſuis conſtant, v.g. homo, Petrus, &c. Secunda objectiva ſunt res, non prout in ſe naturales, ſed prout ſubeunt denominationem, aut minus aliquid beneficio intellectus accommodantis illas res artibus: ſic ly *homo*, apud Grammaticos eſt nomen, apud Logicos eſt ſpecies, ſicut etiam Petrus eſt individuum: Homo ergo & Petrus ut extra animam ſe realiter habent ſunt termini primæ intentionis; ut ab anima applicantur, & ſubeunt denominationes talis aut talis artefacti, ſunt termini ſecundæ intentionis, quæ omnia veriſſima dicta ſunt; quanquam neſciam cur ita dicantur, ſive appellentur intentiones, quum omnia hæc longe diſtent ab intendendo, etiam illa ſecunda; nam intentio ad voluntatem ſpectat, hæc autem ad intellectum; unde melius diceret qui minus diceret, & vocaret hæc omnia tentiones. Intentiones autem formales ſunt actus intellectus qui tendunt in illas objectivas, quod ſufficit de iſtis ſcire, ex me ſaltem qui dudum jam ſtatui Summulis tradendis abſtinere.

2. Illud tamen nolo tacitus prætererire, per hæc quæ tritiſſima ſunt & ab omnibus fere recepta expugnari eorum phantaſma qui putant ſecundas intentiones eſſe denominationes extrinſecas: etenim, ut jam innui, omnium confeſſione, ſecundæ intentiones ſunt entia rationis, luſus ac ludibria intellectus qui nihil mutat in rebus extra; non eſſent autem ſi forent denominationes extrinſecæ, hæ enim manifeſtè ſunt reales, ut jam ſupra ſuo loco oſtendi. Perſequar adhuc inimicum; ſecundum ipſum & alios quoſque intentiones formales ſunt reales, utraque inquam; ſed apud ipſum ſecunda intentio objectiva eſt ſecunda formalis, alioquin non eſſet denominatio extrinſeca, ergo. Sed quod huic homini nocet quam maxime eſt deſertio ſui Doctoris; quid enim ſæpius, quid ſolemnius auditur apud Scotum quam ſecundas intentiones eſſe entia rationis? legatur in 1. d. 23. n. 2. & in 4. diſt. 1. q. 2. & alibi, quæ omnia confirmantur ex doctrinâ ejus & ſuorum ſemper: nam apud ipſos objectum Logicæ eſt ens rationis, objectum autem illius eſt ſecunda intentio; ex quo quid ſequitur niſi quod ſecunda intentio ſit ens rationis. *Ponc. diſp. 1. Logic.*

De his juvabit conſulere

ARiſtot. 4. *Metaph. cap.* 2 *& l.* 5. *c.* 7. *&* 6. *c.* 6. D. Thom. 1. *p. q.* 15. *& opuſc.* 42. Aver. 6 *Metaph. comm.* 3. Alb. Magn. *in Prædicam ad aliquid c.* 1. Franc. Mayron. *quodl. quæſt.* 7. Bern. Miraldul. *in expoſit. prædicam.* Paul. Venet. *q.* 4. *procem. Logic.* Ferrar. *l.* 3. *cont. Gent. c.* 19. Conymbric. *qu.* 6. *in præf. Porphirii.* Soncin. 6. *Metaph.* Fonſecam *eiuſdem lib.* 5. Mart. Meuriſſe *lib.* 1. *Metaph. q.* 3 Joan. Ponc. *diſp.* 1. *Logic.* Rod. Ari. *diſp.*.... Franc. Suar. *diſp. ultima Metaph.* Compt. Carlet. *diſp.* 7 *Log.* Joan. Meriner. *q.* 1. *in lib.* 4. *phyſic. diſp.* 1. *& in Log. diſp. de Ent. rat.*

APOLOGIA

Digitized by Google

APOLOGIA METAPHYSICAE INCIDENTALIS SECVNDA AC VLTIMA

De negationibus & impoſſibilibus.

ACTIO I.

An dentur negationes?

ACTIO II.

Quomodo dandæ, aut negandæ ſint negationes?

ACTIO III.

De impoſſibilibus: An? & *quomodo* dentur?

Scotus 2. *diſt.* 3. *q.* & *num.* 2.

NIhil ſimpliciter repugnat alicui enti per ſolam privationem in eo, ſed per aliquid poſitivum in eo, igitur dividi in partes ſubjectivas non repugnat huic lapidi in eo quod eſt quoddam ens per aliquas negationes. Probatio antecedentis, quia quantumcunque negatio tollat potentiam proximam ad agere & pati ut per hoc idem ens in quo eſt negatio careat potentia proxima ad aliquid, non tamen ponit formaliter repugnantiam illius entis ad aliquid, quia per poſſibile vel impoſſibile circumſcriptis illis negationibus, (quum non ſint) ſtaret tale ens cum oppoſito illarum negationum, & ita cum illo cui dicitur repugnare per te, quod eſt impoſſibile,

Idem 1. *diſt.* 43. *quæſt. un. num.* 2.

NIhil eſt ſimpliciter impoſſibile niſi quia ſimpliciter ſibi repugnat eſſe; cui autem repugnat eſſe repugnat ei ex ſe primò, & non propter reſpectum aliquem, affirmativum vel negativum ejus ad aliquid aliud: probatio; repugnantia enim quæcunque extremorum eſt ex ratione ſua formali & per ſe eſſentiali circumſcripto quocunque alio reſpectu utriuſque extremi poſitivo, vel negativo ad quodcunque aliud, ſicut album & nigrum per ſe ex ſuis rationibus formalibus contrariantur & habent repugnantiam circumſcribendo per impoſſibile omnem reſpectum, &c. ex quo apparet quod falſa eſt imaginatio quærentium impoſſibilitatem quaſi in aliquo uno, &c.

Digitized by Google

ACTIO I.

An dentur negationes.

Breviarium.

N. 1. *Aſſeritur non dari negationes (ut communiter intelliguntur vulgo philoſophorum) idque Scotiſticè.*

2. *Prima ratio : quia oppoſitum confundit affirmationem negationi.*

3. *Alia pro eodem : ſequitur enim duas contradictorias verificari.*

4. *Objicitur ſcriptura : & Reſp. quomodo illa aſſerit tenebras, &c.*

5. *Objicitur ratio, nec inepta & Reſp negatio an ſenſu percipiatur adductus & expoſitus Ariſtoteles ibid. ex 1. poſt. 2.*

6. *Alia duo objecta : Præcepta negativa quid imperant?*

1. POſt tam minuta entia quid expectares niſi nihila aut negationes? & ecce ipſas: quanquam de hoc ipſo ſit diſputandum. Hactenus quidem apud veteres invaluit aſſertio aut ſuppoſitio potius negationum, ut nemo tentaverit ea probare; ſed hodie non deſunt qui negent negationes : ex quibus fateor me utcunque fuiſſe jam olim, prius etiam quam ſcirem me habere complices; habui tamen haud ignobiles, Aureol. Gabriel. Scotum, & deinde Moncæum : quanquam non ſimus per omnia Synonimi. Illi negant omnino negationes, & undique proſcribunt, ego non, ſed

Dico eas non dari in ſubjectis ut communiter intelliguntur eſſe; v. g. non dari in aëre tenebras, in oculo cæcitatem, & ſimilia. Hæc videbitur paradoxum; & ſine dubio eſt contra ſenſum vulgi etiam philoſophorum, apud quos oppoſitum videbitur ex terminis notum, & pro ſe ipſo clamare. Timendum eſt etiam à Scoto, ne interim eum offendam verius quam defendam, paſſim enim & paginatim ille negationes ac privationes aſſerit, dividit, diſtinguit, ut non ſit pretium operæ præferre ex ipſo locum. At enim ego necdum negavi negationes ſimpliciter & abſolutè, ſed tantum quoad modum, de quo apud ipſum non eſt facta deciſio, quia ſemper ſupponit modum loquendi vulgarem; unde poſſumus ei regerere quod ipſe nuper de Ari-
e· ſtotele dixit : *non loquitur ſecundum intentionem*
9. *propriam, ſed famoſam, ſecundum opinionem aliorum.* Cæterum habet etiam ille nonnulla, quæ probant placuiſſe ei hanc viam; nam 2. d. 3. q. & num. 2. *negatio (inquit) non ponit formalem repugnantiam illius entis ad aliquid, quia per poſſibile vel impoſſibile circumſcriptis illis negationibus quum non ſint, &c.* ut ſupra in themate. Vides eum palam dicere quod negationes non
. ſint. Similiter D. Thomas deprehenſus eſt à
1. ſuis, veluti virtualiter negaſſe illas : nam, ut
t. alia omittam, docet in Deo non dari ideas ne-
2. gationum, darentur autem ſine dubio ſi negationes ipſæ darentur; ſimilia leges apud Ariſtotelem, nam 1. Elenchr. cap. 13. *Quoniam autem ſunt multa quidem hæc, non talia ut natura quædam ſint, & genus, ſed ut negationes.* Ecce renuit date eſſe negationibus. Auguſtinus etiam; nam lib. de natura Boni. *Neque audienda ſunt (inquit) deliramenta hominum qui nihil, &c. aliquid intelligendum putant, &c. ſenſum enim perdiderunt ſtudio contradicendi.*

2. Rationes quibus mihi hanc partem perſuadeo ſunt iſtæ; prima & princeps, quoniam oppoſitum hujus prima principia Metaphyſicæ, imo etiam ipſius rationis, negat; confundit affirmationem negationi, & aſſerit eſſe quæ non ſunt, ſive ipſum *non eſſe* eſſe: ſcimus enim affirmationem dicere *eſſe*, contradictorium ejus, ſive negationem *non eſſe*: at vero in hac viâ negatio eſſet; dicunt enim illi negationem dari ſeu eſſe, ac non tantum res ipſas eſſe, ſed earum oppoſita contradictoria. Explico & confirmo, utique enim implicaret in adjecto ſi quis diceret negationes affirmare; atqui oppoſitum tenentes iſta dicunt; dicunt enim *non eſſe* eſſe; ſcimus autem quod *eſſe* ſit poſitivum, atque ita affirmativum quid, *non eſſe*, ſive negationem negativum.

Secunda hæc, quia eo modo omnia eſſent plena negationibus : v. g. hæc ipſa camera in qua ſcribo, in eâ enim ſunt negationes omnium & ſingulorum quæ extra ipſam ſunt, at vero extra ipſam ſunt fere res omnes mundi, quum pauciſſimæ ſint intra eam; imo cum ex mente Adverſariorum non modo dentur negationes exiſtentium ſed poſſibilium, ſequitur quaſi infinities infinitas in ea eſſe : at vero indignum eſt philoſopho recurrere ad infinitates quas natura ipſa horret, & vulgus ridet. Et plane hic locum habet placitum illud Platonis, qui (deſcendentes ab univerſalibus ad ſingularia jubebat quieſcere, quia nimirum iſta multiplicari poſſunt non tot quin plura.

Nec numeri numerus. Virgil. Aſt. 2.

Hanc tamen non tanti æſtimo, quia quodammodo recurrit contra me, qui pono negationes licet aliter ut infra num. 3. unde aut permittenda eſt hæc multitudo ac plenitudo, aut omnino negandæ ſunt negationes. Arguo ergo magis

magis ſolide ſic; modo illo adverſariorum qui ponunt dari negationes ut loquuntur illi, ſequitur propoſitionem negativam eſſe affirmativam, quo nihil abſurdius dici poteſt in eo genere, eſt enim ex diametro contra canones Logicos, ac proinde proxime contra lumen ipſum naturæ; ſed probo ſequi; pono enim exemplum in iſtâ; *negatio lucis eſt hic*, loquendo de loco tenebroſo, hæc manifeſte eſt affirmativa, quia copula eſt libera & nullo negativo affecta: probo autem eſſe affirmativam, quia affirmatio negationis eſt negatio, hæc eſt affirmatio negationis, ergo ipſa negativa. Vis eſt in majori quam ſic ſuadeo duabus inſtantiis, una eſt iſta, quia nimirum hæc: *nullus homo currit*: eſt negativa, eo quod in ly *nullus* implicite contineatur negatio, ſi enim negatio implicita facit propoſitionem negativam quanto magis expreſſa ipſa & in abſtracto poſita. Secunda inſtantia erit adhuc expreſſior, iſta enim eſt clariſſime negativa, *lux non eſt hic*, & tamen per hanc aſſero abſentiam ſeu negationem lucis, ergo jam affirmatio negationis eſt oratio negativa, quod fuit probandum.

3. Non eſt etiam contemnendum illud Recent. cujuſdam argumentum quo negationes impugnavit; quia (inquit) ſi res ſicut ſuum habet per ſe ſine ullo addito, ita & non-eſſe ſuum non habeat per ſe, & nullo ſuperaddito ſequitur duas propoſitiones contradictorias eſſe ſimul falſas, nempe iſtam: *Iudicium univerſale*, v. g. *jam eſt per ſe ſine ullo ſuperaddito*, & iterum iſtam; *Iudicium univerſale iam non eſt per ſe ſine ullo ſuperaddito*: ex his enim prima eſt aperte falſa ſecundum omnes: ſecunda autem ſecundum adverſarios, quia nimirum judicium non habet ſe ipſo *non eſſe*, ſed per formam ſuperadditam, tametſi negativam: at vero tam impoſſibile eſt duas contradictorias eſſe ſimul falſas quam eſſe ſimul veras, quia utrumque eſt contradictio, ergo. Conatus eſt quidam evadere hunc nodum, ſed conatus tantum; diviſit ſecundam propoſitionem in duas, ſed cur non diviſit ſimiliter primam, quum utraque conſtet iiſdem terminis, atque ita nulla æquivocatio poteſt eſſe in ſecunda quæ non ſit in primâ. Cætera non proſequor, quia etiam petit principium, & tranſit à concretis ad abſtracta: proſequar ergo probationes hoc ultimo & valenti argumento.

Ut contradictio fiat neceſſe eſt utramque partem ejus, hoc eſt affirmationem, & negationem eſſe de eodem objecto, non quomodocunque ſed formaliter & quaſi reduplicative ut notum eſt, debent enim eſſe de eodem ſecundum quod idem: ſed ſi propoſitio negativa habet pro objecto negationem, & affirmativa quid poſitivum, patet quod non ſint de eodem objecto, quum nulla magis differant quam poſitivum & negativum. Exemplum eſt obviam; *Baro ſcribit*, *Baro non ſcribit*, patet primam habere pro objecto poſitivum quid, ſcilicet ſcriptionem: ſi ergo ſecunda neque illud, neque aliud ſimile habet, ſed toto cœlo diverſum; quomodo ambæ erunt de eodem? Hoc mihi videtur vix expugnabile telum, eoque magis æſtimandum, quod quum totum procedat, & formetur exterminis ſimplicibus & quaſi primoprimis, non relinquit locum diſtinctionum evaſionibus, per quas nunc dierum conantur homines ſe ſubducere difficultati. Antequam me aperiam in reliquis de naturâ negationum; objiciam quæ mihi videntur obſtare primæ parti hujus meæ reſolutionis, & primo loco, ut par eſt ſcripturam.

4. Nempe illa expreſsè aſſerit quod ego expreſſè negavi, ſcilicet dari tenebras, dari cæcitatem. Gen. 1. *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*: quid clarius? ſimilia habet de cæcitate morte, peccato, &c. Rom. 11. *Cæcitas ex parte contigit in Iſrael donec*, &c. adeoque Reſp. ineptum eſſe eum qui vellet ullam harum partem ex ſcripturâ elicere, quum illa nihil minus ſoleat quam determinare Metaphyſicas difficultates. Loquitur ergo vulgari more hominum, quod etiam Metaphyſici ipſi faciunt quando ſunt extra ſcholam. Similia dic ad Ariſtotelem, qui quarto Metaphyſicæ: *non eſſe* (ait) *eſſe dicimus*: qui locus quamvis in ſpeciem ſit pro adverſariis & aſſertoribus negationum, re tamen verâ contra ipſos eſt, ſignificat enim expreſſe philoſophus ibi ſe & alios iſta dicendo, improprie loqui, & cogi ad hæc ex penuriâ verborum, adeoque ſecundum ipſum, veritas & proprietas ſtant ab alterâ parte, ideſt à noſtrâ.

5. Objiciam ergo rationem, in primis omnium quæ mihi apparuerunt optimam, eſt enim ab experientiâ; quum quis v. g. ingreditur aulam tenebroſam, ſtatim ſcit ibi non eſſe lucem; idemque eſt quum locum tranquillum intrat, ſtatim enim novit ibi non eſſe ſtrepitum, ex quo ſic arguere licet: objectum ſenſus, ſaltem objectum ſenſationis eſt, ſive exiſtit quando fit ſenſatio; ſed negationes ſunt objecta ſenſationum, nam oculus ſcit eò loci non eſſe lucem, & ſimiliter auris non eſſe ſtrepitum, idque ab ipſis diſcit intellectus ergo hæc ſunt, ſivè dantur, adeoque denique negationes & privationes ſunt & dantur, quod eſt oppoſitum concluſionis, & fuit probandum: Poſſem Ariſtotelem pro eodem adferre ex 1. poſt: 2. ſed in tanta evidentiâ rationis & experimenti quid faciet authoritas & fides dicentis, *viſum etiam eſſe tenebrarum*. Major hujus apparet vel leviter animaſtico manifeſta, ſenſus enim externus non habet actus abſtractivos, ſed omnes intuitivos qui requirunt non ſolum exiſtentiam ſed præſentiam objecti: Minor autem tam nota eſt quam notitia ipſa adeoque. Huic tamen videtur dupliciter reſponderi poſſe; primò quod mihi viſum eſt, dicendo axiomata illa & ſimilia de exiſtentiâ neceſſariâ in objectis ſenſuum, &c. intelligenda eſſe de actibus poſitivis, non vero de negativis: ſic quum dicitur bonum eſſe objectum voluntatis, verum intellectus; (propter quod iſta ponuntur eſſe paſſiones entis ut ſic,) hæc inquam intelligenda ſunt de actibus poſitivis ac proſequutivis, non vero univerſaliter, vel de actibus etiam adverſis, ſeu fugæ; clarum eſt enim voluntatem ferri in malum actu fugæ, intellectum in falſum, ſed diſſentiendo, cur ergo non poſſit

Digitized by Google

exponi axioma de objectis ſenſuum ſimiliter? Aliter cum communi dici poteſt ſenſum non videre hæc, ſed ex defectu actus tendentiæ occaſionem præbere intellectui ut judicet non adeſſe ibi objectum ſenſibile puta lucem aut ſonum. Addo tertiam quæ videtur vicina noſtræ reſolutioni infra num 3. ubi dicetur negatio eſſe res deſinens ſeu deſita, & ita in caſu poſito ſentiri non tenebras præſentes, ſed lucem eſſe abſentem. Quæ omnes ſolutiones habent aliquid probabilitatis. Sed etiam aliquid periculi, In prima enim illud de actu negativo, ſi intelligatur quod actus non ſit realis in entitate, eſt durum, quùm nullus talis dari poſſit; ſi autem intelligatur de negatione ex parte objecti, jam argumentum vicit. Secundæ ſolutioni obſtat primò quod cognitio tenebrarum in homine tunc videtur ſimplex apprehenſio, & ex terminis nota, ſive ſeipsâ, adeoque non per diſcurſum: quod confirmatur, eò quod inſani, imo etiam bruta tunc norunt non eſſe ibi lumen, aut ſtrepitum, & juxta hæc operantur, unde falluntur ab hominibus qui adſunt, & non faciunt ſtrepitum, putantur enim abeſſe; & tamen certum eſt nullos tales diſcurrere. Tertia ſolutio inde feritur, quia ſenſus fertur in aliquid quod ibi eſt, at vero lux abſens ibi non eſt, ergo. Vides emphaſin argumenti, ob quam exiſtimo relinquendam ſolutionem mediam quæ communis eſt, & ex meis duabus unam conflandam, qua dicatur ſenſum tunc habere actum vere poſitivum qui tamen feratur in negativum id eſt rem deſitam ſeu deſtructam, aut (quod idem hic eſt) deſtructa: neque admirandum, nam actiones reales & naturales habent pro termino & objecto aliquando iſtiuſmodi deſtructa, quanto magis actiones intentionales, cujuſmodi ſunt illæ ſenſuum, patet aſſumptum in corruptione, in annihilatione, &c.

6. Objicit jam ſecundò author Phatl: Præcepta negativa, tam divina quæ magis urgent, quam etiam humana, hæc enim obligant ad aliquid haud dubie, obligant autem ad negationes, ergo illæ ſunt, & ſunt aliquid ſive poſitivum ſive privativum: Causâ exempli, illud Exod. 20. *Non occides.* Hoc tamen argumentum quia quoad humana præcepta eſt Ethicum, quoad divina Theologicum, hic omitto, aut potius remitto in ſuum locum, præſentem occupans naturalibus, ſive Metaphyſicis aut Logicis, ex quibus

Objicio iſtud acrius: omnis oppoſito debet habere plura extrema (nihil enim ſibi opponitur,) & omnium maxime omnium maxima: Contradictoria omnium confeſſione eſt omnium maxima, ergo debet habere extrema: unum autem horum eſt quid ſeu ens, adeoque alterum debet eſſe non ens, ex quo ſequitur quod non ens, ſive negatio entis detur. Reſpondeo diſtinguendo majorem ſingulariter, & contra vulgi ſenſum: omnis oppoſitio debet habere plura extrema in abſtracto nego, in concreto concedo, quod ſi verum, (imo quia verum) eſt, non dabitur negatio ullius rei, ſed ipſa deſtructa erit, v. g. dico non dari mortem, ſed corpus eſſe exanimatum. Sed contra hanc veritatem facit hæc Metaphyſica; ſi extrema hujus oppoſitionis ſic ſint accipienda, ſequitur illa non eſſe extrema, ſive non eſſe plura, quod tamen eſt contra communem Logicorum canonem jam productum: ſequela probatur, quia idem exiſtens & deſtructum idem eſt, alioquin non ipſum eſſet deſtructum ſed aliud, ergo ut habeatur vera oppoſitio & pluralitas extremorum accipienda ſunt illa in abſtracto ut volunt adverſarii, & ita ipſa negatio erit extremum, adeoque erit ſimpliciter, ſivè dabitur quod eſt negatum: huic tamen acumini reſpondeo per aliud, retorqueo enim argumentum, idque ex Ariſtotele ſic: *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*: quod etiam ſine ipſo veriſſimum eſt, & notiſſimum; inde autem infero, ergo idem opponitur ſibi: quia eſt ſub *eſſe* & ſub *non eſſe*, nihil enim obſtat convenientiæ niſi aliqua oppoſitio. Dices propterea non eſſe idem. Sed contra, ideo non ſunt idem quia opponuntur, ergo jam datur oppoſitio inter quodlibet eſſe & non eſſe, ſola enim oppoſitio impedit ne coaleſcant in unum. 4. Met.

Itaque relictis his acuminibus Reſpondeo ultimate quod res eſt, dici quidem in ſubſtantia verè quod importatur illa minori, & regulâ Logicali, ſed non æque benè: vel ſic, inter iſta non eſſe rigidam oppoſitionem; ſive, non eſſe exercitè, ſed ſignatè. Cauſa eſt quia nunquam exercetur illa oppoſitio, quum oppoſita illa nunquam ſint, nunquam enim eſt res, & ejus negatio. Logici tamen non potuerunt ſignificare nobis quod hic geritur niſi iſto modo. Et omnium optime Metaphyſicus hanc oppoſitionem expreſſit illo axiomate: *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*; quæ propoſitio veriſſima eſt, quum interim contineat omne quod circumfertur titulo oppoſitionis contradictoriæ: quæ de hoc pro nunc ſint ſatis, ut ſit.

(***)

ACTIO II.

Digitized by Google

ACTIO II.

Quomodo ergo dandæ, aut negandæ ſunt negationes?

Breviarium.

N. 1. *Quomodo author ab aliis differat in admittendis negationibus?*
2. *Aſſignatur unus modus eas admittendi.*
3. *Negationes non eſſe modis omnibus negandas.*
4. *Reprobatur aſſertio negationum ut ab aliis communiter fit, primò authoritate, tum ratione.*
5. *Alia ratio ejuſdem fruſtra à Recentibus vellicata.*
6. *Objectiones motæ in oppoſitum; & ſolutæ: Objectum propoſitionis negativæ quodnam ſit? ubi alia notanda.*

1. DEdi jam unum modum negandi eas, non dedi omnem. Negavi eas communiter, ſive vulgari modo quo ponuntur ab aliis, ut ſcilicet ſint carentiæ rerum veluti poſthumæ & ſuccedentes illis; ſic enim illi intelligunt, ut ablatâ hinc re, ſive per deſtructionem, ſive per translationem ſtatim incipiat hic eſſe eius negatio. Quid autem agendum ſit de illis alias? utrum omni modo auferendæ, an aliquo ſtatuendæ ſint ut ſalventur propoſitiones negativæ? Fateor

2. In primis probabile mihi viſum quod dicerentur dari utcunque, at non extra res, ſed in ipſis; Sic enim videbar mihi evadere abſurdum quod ipſe ſupra primâ probatione. Act. præcedentis intuli contra alios ponentes illas extra res: verbi gratia quùm Petrus abit hinc, dicunt ſuccedere illi negationem; quod ego dixi abſurdè dictum eſſe, quia eſt implere Mundum omnem negationibus, nam abeunte Petro ex hac aula, abſentia aut negatio eius non eſt tantum in una parte aulæ quam reliquit, ſed in totâ illâ, quia tota caret Petro, & proinde etiam totus Mundus præter unum loculum, atque ita negatio Petri occupat totum Mundum: quod ſimiliter de omni alio dici poteſt, ut jam innui, adeoque. Volui ergò ad vitandum abſurdum ponere negationem in ipſo Petro, dicendo, quod Petrus non eſt in hac aulâ, & nequaquam dicendo quod negatio eius ſit ibi. Cui placet inventio proſequatur: Video quidem prius abſurdum ei redire, ſed mitius; (quis autem omnia vitabit?) & tantum ex parte aliquâ aut ſegmento: nam Petrus ſaltem erit plenus talibus formis, quia de ipſo formati poſſunt tot propoſitiones negativæ quot ſpacia Mundus habet; verum enim eſt quod Petrus non eſt hic Pariſiis, non eſt Romæ, non eſt Clonmeliæ, & ſic de cæteris urbibus &c. uſque ad unam: At enim nemo non videt tolerabilius hoc eſſe de Petro aſſerere, quam de univerſo Mundo, adeoque.

3. Quia tamen hoc ipſum habet aliquid monſtroſi, & videri poſſet non imminuere negationes, ſed transferre, puta à Mundo ſive ſpaciis ad Petrum &c. proinde puto Metaphyſico dignius ſi dicat negationes non dari; quod & ego hic ajo. Sed quoniam Adverſariorum judicium licet ſit falſum, non tamen eſt temerarium, ſed cum fundamento, non omninò illud rejicio, ac proinde hic expono in quo ab aliis diſcrepo: Eſt autem non ſubſtantia rei, ſed modus; naam & ego aliquid negativum pono, ſed aliter: Illi ponunt abſtractum, ego concretum; dicunt illi negationem, ego non, ſed negatum: Illi ponunt ſimplex aliquid tale, ego complexum: Denique (quod caput eſt) illi affirmant negationem, ego nego affirmationem. Exemplum & praxis totius: quum homo verbi gratia eſſe deſinit, dicunt illi dari mortem & corruptionem hominis; Ego non ſic loquor, ſed dico hominem mori, & corrumpi: apud ipſos ergò negatio eſt abſtractum & ſimplex quid: apud me non, ſed integrat tantum propoſitionem cum alio cuius eſt affectio. Illi poſitivas & affirmativas enuntiationes formant de ipſo defectu, & nihilo illo ſuæ negationis: Ego omnia illa odi, & volo tantummodo formari poſſe propoſitiones negativas poſitivi, ſic verbi gratia: Homo moritur aut corrumpitur; non autem ut illi, ſic dicendo: Corruptio hominis eſt; hæc enim quum ſit alicujus noneſſe, nequaquam ipſa eſt.

4. Ex his ſuadeo in primis ſuppoſitum, quod ſcilicet negatio non ſit omni modo neganda: quia intolerabile eſt quin dentur propoſitiones negativæ, & quidem veræ: hæ autem quum ſint negationes formales neceſſariò habent aliquas objectivas, quibus conformari debent, adeoque veritas harum exigit neceſſariò negationes aliquas extra, imò & falſitas, nam falſitas conſiſtit in difformitate ad objectum quæ ſine ipſo haberi non poteſt.

5. Jam verò permiſſâ ſubſtantiâ reprobabo modum, in primis authoritate Philoſophi, qui (ut jam monui) Metaph.... inter abuſus loquendi ponit quod de nihilo affirmativè loquamur: unde ſignificat quod vel ex pravâ conſuetudine, vel ex penuriâ vocum, *ipſum non eſſe eſſe dicimus*; hic autem eſt ipſiſſimus tenor loquendi Adverſariorum, qui tamen abſurdiſſimus eſt in philoſopho, non propter ſententiam illam Ariſtotelis, ſed propter rationem in eâ incluſam, quia ſcilicet confundit ex diametro diverſa, eſſe, & non eſſe, & invicem miſcet ac prædicat &c. ut ſupra Action. præcedent. & nihilominus quia repetivi aſſertionem illam hic, atque etiam auxi, augebo etiam probationes,

ſed breviter pro objecti naturâ, *ut nobis res abſurdiſſima contingat ut immoremur &* nihil *ſit quod nos retardet.* Unde, quia ſupra poſitivas probationes attuli, hic aliquas ab abſurdis addam.

Nempe advocati negationum impingunt: Tritum eſt, & omnium calculis receptum non dari negationem negationis, ſed ſtatum eſſe in primâ, quia nimirum negatio eius non eſt negatio ſed forma, & hæc ſola poteſt illam auferre. Abſentia Petri per ipſum Petrum hic præſentem tollitur, & per nihil aliud cogitabile, multò minus per aliam abſentiam: At verò hoc tam receptum axioma coguntur illi deſerere, vel iterum aliud, quod eſt, ubique loci ac temporis eſſe aut formam aut negationem eius. Utrumque oſtendo: ad quod ſuppono cæcitatem, verbi gratia, eſſe carentiam viſionis, aut rectius viſivitatis, ſunt enim iſta lux & tenebræ intentionales: quo poſito ſic arguere incipio: Manus hominis non habet viſivitatem, & interim tamen manus hominis non habet cæcitatem, ergò jam aliquod ſubjectum eſt quod nec formam, nec negationem eius habet, ſcilicet manus quæ nec viſivitatem habet, nec cæcitatem. Video Adverſarios ruere ad devorandum argumentum; ſtatim enim apud ſe murmurant quod erraverim in exemplo, dicent quippe quod cæcitas non ſit negatio viſivitatis: quod etiam ego dico accipiendo negationem ut contradiſtinguitur à privatione, re enim verâ eſt privatio: ſed quid proficiunt per hoc Adverſarii? an non privatio eſt abſoluta negatio, id eſt carentia, defectus, & non-eſſe? quo poſito ſic inſtituo argumentum: Ubicunque non eſt forma ibi eſt negatio eius, atque ita datur negatio negationis, id eſt abſentia abſentiæ, carentia carentiæ, nihil nihili, quorum oppoſitum pronunciatur illo axiomate, & eo minus poſſunt evadere Adverſarii quod probe ſciunt, quoad hoc negationem & privationem eſſe ſynonyma: *Rem vel formam non eſſe, eſt privationem illius, negationem ſeu carentiam (hic enim promiſcuè pro eodem accipimus) eſſe:* ajunt nuperi plerique, qui utique priores probè intellexerunt.

6. Proſequor aſſertum alio abſurdo quod Adverſarios comprehendit: Antichriſtus jam non eſt; ponamus autem eum cras creandum, idque Hieroſolymis, (propè enim, id eſt alicubi in Palæſtinâ naſcetur,) aut negatio eius in Hybernia tum remanet, aut non: ſi non, ergò ipſe Antichriſtus cras in Hybernia (& ſimul Hieroſolymis) erit; neceſſe eſt enim formam quamlibet vel ejus negationem ubique eſſe: Si autem ſit negatio eius in Hybernia, ergò Antichriſtus ſimul erit & non erit, ſive erit ſimul ipſe & nihilum ejus; negatio enim per quam ille, (ut ſic dicam) ad nihilum redigitur durat in Hybernia. atque ita ſimul coexiſtunt Antichriſtus, & nihil Antichriſti; quod ſine dubio cavendum eſt; quia licet non ſit idem locus utrobique, eſt tamen idem tempus; at vero impoſſibile eſt formam & negationem eius eſſe ſimul, non ſolum loco ſed tempore: ſciendum eſt enim quod argumentum procedat non de negatione ubicationis, ſed de negatione exiſtentiæ, quam ſine dubio Antichriſtus habet in Hybernia antequam creetur, alioquin ut dixi haberet ipſam exiſtentiam ibi antequam crearetur.

Viſa ſunt hæc nonnulli ex novis, qui etiam evadere tentavit, & proinde diſtinxit negationes in contradictorias & contrarias, atque etiam diſparatas, ut duæ negationes opponantur inter ſe ſicut Petrus & Paulus, ſcilicet diſparatè; unde dicit in manu eſſe negationem contrariam aut diſparatam cæcitatis, non verò contradictoriam. At enim, niſi erro, hoc eſt in limine errare, omnis enim negatio eſt contradictoria ei cuius eſt negatio. Poterat dixiſſe ille quod negatio aliqua diſparatè opponeretur alteri, ſed non potuit dicere quod eſſet negatio illius alterius. Sic etiam una relatio diſparatè tantum opponitur alteri, verbi gratia paternitas ſimilitudini, ſed non poteſt dici quod illa relatio ſit correlatio alterius, adeoque nec relativè oppoſita, ita hic, adeoque. Non deeſt tamen quod dicatur pro Adverſariis.

Objici enim poteſt quod ſi non dentur negationes, jam omnia erunt poſitiva, nam inter hæc non eſt medium cum contradicant: Tum autem ſequitur quod idem ſit & non ſit ſimul, nec unum aliquid, ſed omne, & quidem ſemper; Ecce quomodo: dico enim Petrum verbi gratia ſimul eſſe & non eſſe, dum enim exiſtit dico eum non exiſtere, & probo, quia ad non exiſtendum vel eſt opus aliquo præter entitatem Petri: vel non eſt opus; ſi ſit, habetur intentum, nam illud ſine dubio erit quid negativum, atque ita datur aliqua negatio: ſi non, ſed ſeipſo Petrus eſt non-exiſtens, ergò dum exiſtit eſt non-exiſtens, quia exiſtens habet ſe ipſum, atque ita id à quo formaliter eſt non-exiſtens. Solvam hoc cum alio iſto quod

Objicio ſecundò: eſtque fundamentum primæ partis à me ſupra adductum, nam à parte rei debet eſſe objectum propoſitionis negativæ, ſaltem illius quæ vera eſt; ſed objectum illius eſt negatio, ergò à parte rei erit negatio. Confirmo explicando, quidquid enim eſt in propoſitione formali habet aliquid ſibi reſpondens in objectivâ, quum illa ſit imago hujus, atque ita ſicut neceſſe eſt omnia membra eſſe quæ homo ipſe ſua umbra deſcribit, ita neceſſe eſt omnia illa eſſe in re quæ in propoſitione formali, (vera ſaltem) exprimuntur: Tum ſic; ſed in negativâ tam mentali quam vocali expreſsè eſt negatio: verbi gratia hac; *A. non eſt B.* ergò. Explico iterum & confirmo, nam quùm dico: paries eſt albus; ſi verum dico, à parte rei extra debet eſſe non ſolum quod importatur per τὸ *paries*, & per τὸ *albus*, ſed etiam quod importatur per τὸ *eſt*. ergò ſimiliter. At enim hæc à me ſupra præventa ſunt, nedum ſoluta, dixi enim à me non negari omnia negativa, ſed commentum illud imaginantium negationes tanquam formas abſtractas ſic ut dum in re habent negationes, in mente volvant formas ac habitus, & neſcias quas nigredines aut umbras, unde & aliquando ab ipſis dicuntur formæ negativæ. Itaque in formâ. primo horum concedo primam ſequelam, nego autem ſecundam, & ad probationem dico non opus eſſe aliquo præter entitatem Petri, ipſam tamen adhibendam eſſe deſinentem vel deſitam, aut corruptam, ſeu deſtructam ut voles, non autem exiſtentem & productam. Et verò ſi Petrus non ſufficiat, adhuc nihil aliud eſt adhiben-

Digitized by Google

bendum, quia quod additur Petro eſt *nihil*, & quidem ipſius Petri. Illud ergò decipit Adverſarios, quod velint negationem habere tanquam aliquid & formam poſitivam quæ præſtet hunc effectum formalem, &c. quæ ſunt abortus ingeniorum in hoc ſibi vim inferentium ut credant eſſe quæ non ſunt.

Secundò autem argumento nego Minorem, ſed eſt non-eſſe A. ſive rectius A. non eſſe; ille enim dicit A. non eſſe. Itaque, ut dixi, iterum hic hallucinantur adverſarii volentes habere negationes in abſtracto, quùm ſemper ſignificentur concretè: non enim propoſitio illa ait eſſe negationem A. ſed ipſum A. non eſſe; propter quod etiam incurrunt illud ultimum malorum affirmandi negationes, quum deberent negare poſitionem; ſive, ſic loqui ut velint poſitiva auferri, non verò negationes aut nihila poni.

* * *

ACTIO III.

De Impoſſibilibus. An? & quomodo dentur?

Breviarium.

N. 1. *Nullum ſimplex eſt impoſſibile.*

2. *Compoſitum non eſt impoſſibile, cuius partes & unio ſunt poſſibiles.*

3. *Impoſſibilitas totius proximè oritur ab unione, fundamentaliter autem & primariò à naturâ compoſiti.*

4. *Impoſſibilia non eſſe aliquid, ſed merum nihil.*

1. QUod ajunt lineam rectam eſſe breviſſimam, hic experimur; quotquot enim, ut par erat, negationes negavimus, à multis ambagibus liberamur, quibus alii hic detinentur. Non enim cogimur reſolvere diſtinctiones ſpecificas, non numericas negationum, non multiplicationem eorum cum ſubjectis, &, an formis poſitis illæ prorſus pereant? ac ſimilia, quale eſt illud de negatione negationis &c. ſed truncavimus telam omnibus his excurſibus quum ipſaſmet excidimus Laconicâ ſecuri ad radicem earum impactâ quomodo enim diſtinguentur quæ non ſunt? quomodo tollentur?

Quia tamen deinceps de veris, id eſt realibus agemus, placuit interponere impoſſibilia quæ videntur quodammodo mediare inter negationem ſeu merum nihil & aliquid ſeu Ens ratum. Etenim hæc fictitia videri poſſunt medium inter utrumque. In hoc autem genere aliquis Novorum putavit ſe rem magnam facturum ſi aſſereret dari aliquod impoſſibile ex poſſibilibus compoſitum: Ego autem puto non poſſe dari niſi tale, id eſt ex poſſibilibus conſtans: Quam opinionem à me conceptam confirmavit in me Subtilis, qui oppoſitum opinantes irridet, 1. diſt. 43. *apparet* (inquit) *quod falſa eſt imaginatio quærentium impoſſibilitates aliquorum quaſi in aliquo uno*, &c. ut ſupra in Themate. Cauſa, quia nullum ſimplex implicat, (imò neque omnia compoſita ut conſtat.)

Dices aſſumptum eſſe falſum; & tale apparere in hoc: *Secundus Deus*; hic enim eſt impoſſibilis, & tamen ſine dubio eſt ſimplex, imò ſummè talis. Reſpondeo debere illum eſſe ſimplicem, ſed non fore, quia conſtat ex deitate & alio quod importatur per *τὸ Secundus*. Sed inſtari contra hoc poteſt quod non ita ſit, nec foret, quia τὸ primus Deus eſt tam compoſitum, quam τὸ ſecundus Deus, ut patet ex terminis; & tamen eſt ſimplex, eſt enim noſter qui jam eſt, ergò.

Reſpondeo replicam non eſſe malam, ſupereſſe tamen ei ſolutionem & diſparitatem; dico enim in re non dari primum Deum; qui enim eſt, non eſt primus ſed ſolus. Et certè, ſi hic eſſet primus, ſecundus non eſſet impoſſibilis ſed neceſſarius, quùm omne primum ſit reſpectu ſecundi. Itaque hic Deus eſt unicus quia abſorbet in ſe omnem poſſibilem deitatem, & propterea eſt infinitus, nec poteſt aliquid divinum extra ipſum inveniri. Secundus ergò non eſſet ſimplex ſed complexus ex deitate & aleitate, ſive diverſitate ab hoc, quæ duo quia non poſſunt conjungi, propterea complexum implicat.

In propoſito noſtro patet veritas aſſumpti, omnia enim quæ aſſignantur in exemplum talia ſunt, ſcilicet hircocervus, & cervocentaurus, mons aureus &c. patet enim partes horum eſſe poſſibiles, ſcilicet hircum, cervum, aurum &c. Et quoniam probatio à priori eſt, ſtat enim in veritate illius aſſumpti, ſic illud adſtruo: Implicantia omnis vel eſt ad exiſtere, vel eſt ad conjungi; illa ad exiſtere quum ſit prima nulli competit niſi nihilo ſicut poſſibilitas ad exiſtere competit enti: at verò *nihil* eſt terminus ſimpliciſſimus, quum reſpondeat è diametro Enti, ergò. Si ſit ad conjungi: patet non fore niſi in compoſito, quia conjungibilia debent eſſe plura, quùm nihil poſſit conjungi ſibi.

2. Dico jam iterum contra eundem. Impoſſibile non poteſt eſſe ubi partes componentes & earum unio ſunt poſſibiles. In promptu cauſa eſt, quia hæc ſunt quæ reddunt aliquid poſſibile; ſi enim quæratur cur homo, verbi gratia, ſit poſſibilis? non poteſt alia reddi niſi quia partes componentes eius ſcilicet anima & corpus, atque earum unio eſt poſſibilis: dico hanc eſſe unicam

Digitized by Google

unicam reſponſionem & optimam ad quæſtionem, quia nimirum eſt per cauſam formalem, & quidem totalem; nam quamvis una pars eſſet poſſibilis, non proinde totum eſſet poſſibile, ſi altera pars non eſſet talis; & licet utraque foret poſſibilis, niſi unio eſſet talis, adhuc totum non eſſet poſſibile, ergò jam plena & formalis cauſa poſſibilitatis ſunt iſta, atque ita implicat hæc inveniri niſi in aliquo poſſibili; quare ſi conveniunt huius hominis monſtris jam impoſſibile erit poſſibile.

Proſequor & confirmo practicè intentum: ſi enim poneretur realiter & exercitè unio inter partes, certè redderet & realiter & actu totum, verbi gratia poſita unione corporis & animæ ſtatim fit homo, ergò poſita poſſibilitate unionis horum, & quorumcunque ponitur poſſibilitas totius, atque ita implicat tale quid eſſe impoſſibile cuius partium unio eſt poſſibilis.

Objicies ſicut homo & cervus ſunt poſſibiles, ita etiam multæ uniones, ergò omnia tria poſſibilia: Quod confirmatur, quia de facto totus homo unitur Verbo, & tamen implicantia unionis ad extrinſecum in homine eſt ex eo quod homo ſit totum, ſive completum, ergò. Reſpondeo hic hallucinari homines, etiam qui videri volunt ſpeculativi, ut ſtatim infra oſtendam, num. 3. ubi argumentum ſolvam per omnia: Interim

Objicio ut probem poſſibile eſſe hoc impoſſibile: In iis etiam quæ poſſibilia ſunt, imò etiam in iis quæ ſunt facta unio non eſt eſſentialis rebus, nec omninò pars ſed conditio, ergò dummodo partes ſint poſſibiles ut hic contingit, ipſum totum, id eſt impoſſibile, eſt poſſibile; Suppono antecedens ex ſuo loco, ſequentia ſequitur, adeoque. Reſpondeo. Antecedens apud me quidem eſſe verum, ſed apud plures falſum, apud omnes controverſum; pro nunc tamen placet amplecti partem affirmativam, non quia vera, ſed quia adverſa nobis in præſenti, quod ſcilicet unio non ſit eſſentialis compoſito, quocunque te vertas, partes unitæ erunt eſſentiales ei, nam planum eſt quod ſeparatæ non ſufficiant ergò deficiente unione ſive ob impoſſibilitatem, ſive ob eventum, neceſſario debet deeſſe compoſitum.

Objicio ſecundò: Homo & hircus excludunt ſe eſſentialiter, ſicut etiam mons & aurum, quidquid vulgus ſomniet, ergò per ſe uniuntur impoſſibiliter, aliter autem uniri non poſſunt, ergò, jam adeſt omnis unio quæ poterat exſpectari, atque ita jam denique impoſſibile illud non ſolum eſt poſſibile, ſed factum. Reſpondeo homo & hircus, mons & aurum unita impoſſibiliter non ſunt impoſſibile, ſed neceſſarium, adeoque debemus alio cogitationes vertere ut habeamus monſtrum, ſive impoſſibile quod tractamus: Quod ergò deeſt illis ad aliquod complexum, eſt vera unio ac realis qualia ipſa ſunt.

3. Dicendum eſt ergò abſolutè quod impoſſibilitas horum refundenda ſit in unionem. Cauſa patet quia cætera omnia & ſingula adſunt cum ſua poſſibilitate. Confirmatur, quia in facto defectus unionis ſive ſubtractio eius deſtruit actuale compoſitum licet alia adſint, ut patet in homine qui revera deſinit deſtructâ unione animæ ad corpus, licet ipſa anima & corpus ſuperſint.

Objiciam tamen contra: Gratis dicitur ipſa unio eſſe impoſſibilis, quod ſic oſtenditur: nulla relatio eſt talis ſicut nec poſſibilis, aut omnino realis niſi ratione fundamenti vel termini: hic autem tam fundamentum quam terminus ſunt poſſibilia, ſcilicet hircus & homo, mons & aurum, ergò & unio, alioquin aſſignetur unde proveniat unioni impoſsibilitas, puta ab homine, an ab hirco; non ab homine, quia patet multas relationes poſſe incipere & terminari in homine, idemque eſt de hirco, de monte, auro &c. Propter hæc exiſtimo, proximè quidem difficultatem, ſive impoſsibilitatem provenire ab unione quæ etiam ipſa proximè influit in compoſitum, ſed originem primo-primam eſſe ab ipſo toto ſive complexo, aut natura tali quæ implicat. Ratio huius cæpit aſsignari in objectione, & extenditur hic in hunc modum; quia non poteſt negotium poſsibilitatis rerum incipere à relationibus aut modis, ſed debet incipere ab ipsâ ſubſtantiâ quæ omninò præſupponi debet his quæ ſunt illius *entis entia*, ut loquitur Ariſtoteles. Deinde poſsibilitas aut impoſsibilitas eſt primum, aut quaſi primum prædicatum quod convenit cuique, eſt enim ipſa entitas vel realitas cujuſque; conſiſtit enim realitas (ut ſuo loco viſum eſt) in eo quod eſt poſſe accipere exiſtentiam: Et denique quod aliquid implicet aut non implicet, ratio reddenda eſt quia hoc eſt hoc, & illud eſt illud; hæc enim reſponſio alicui quæſtioni de quolibet adhibenda eſt, alioquin ibimus in infinitum in quolibet, nulli autem magis quam huic, quia neque in ipsâ re eſt aliquod prædicatum prius poſsibilitate, & in oppoſito impoſsibilitate, ut patet, adeoque.

4. Dico jam ultimo: hæc monſtra rerum licet videantur aliquid, & ſic concipiantur, re tamen vera ſunt nihil, quantumcunque omnia integrantia ſint poſitiva. Cauſa aſſerti eſt, quia exiſtentia nulli repugnat niſi nihilo, repugnat autem his impoſsibilibus ut ex terminis, & jam dictis liquet: alioquin impoſsibile eſſet poſsibile.

Addo etiam illa non ſolum eſſe nihil exiſtentiæ, ſed etiam eſſentiæ, neque facere quid, aut definitionem intellige objectivam extra. Patet, quia ipſorum eſſentia conſiſteret in compoſito illo reſultante ex duobus, at vero illa duo invicem convenire aut counire non poſſunt. Illuſtravit accuratè hanc veritatem S. Bonaventura applicato illo Luc. cap. 2. *Non erit impoſsibile apud Deum omne Verbum*: quem etiam Carthuſianus ſequutus eſt, & tetigit id ipſum Angelicus Aquinas, qui omnes per *Verbum* intelligunt non vocem ut opponitur rei, ſed conceptum aut ſpeciem quidditativam intro formatam, ut omne tale fieri poſsit & quidquid fieri non poteſt, nequaquam ſit tale, quum ergo impoſsibile fieri non poſsit, non erit verbum.

Ex quibus vides non ſatis aptè explicaſſe Recentiorem, quendam impoſsibilia hæc per aſſenſum

ſenſum & diſſenſum, vel per duos Deos, nam tametſi darentur duo Dii, quod eſt certiſsimè impoſsibile, tamen primus non eſſet aliquid illius impoſsibili, quum ſit ſummè poſsibilis; & ſimiliter illi actus licet exiſterent, tamen non facerent unum.

Impoſsibilitas autem hujuſmodi monſtri eſt ut ſit quid unum, clarum eſt enim plura illa eſſe ſeu exiſtere poſſe. Vocavi autem monſtrum, & jure vocavi, quia ſumme tale eſt, id eſt reſpectu potentiæ authoris omnium extraordinariæ, ſunt alia ſunt monſtra; aut miracula reſpectu potentiæ eius ordinariæ verbi gratia homo ſepticeps, ſerpens loquax, &c. quæ non poteſt efficere de potentia ordinariâ, hæc enim noſtra non poteſt nec de extraordinariâ quidem.

Itaque horum fabrica rebus omnibus erepta, relicta eſt rationi, unde & rationis entia dici poſſunt, & à me cœperunt dici entia etiam imaginationis, quia revera etiam per imaginationem fieri poſſunt, ſive quando illa dementata eſt in vigiliâ, ut in ſtultis, & ebriis; ſive quando in ſomno, ut in dormientibus, qui ſummâ facilitate, nullo fundamento rerum imagines tumultuariè invicem componunt.

In fine diſcurſus moneo lectorem duorum; unum eſt non ſemper requiri complexionem propriè dictam; ſive unionem expreſſam duorum aut plurium ut habeatur aliquod impoſsibile, nam quarta unitas in ternario eſt impoſsibilis, & tamen non uniretur ei; tametſi daretur, alias ille non eſſet numerus ſive quantitas diſcreta ſed continua: Idem eſt de ſecundo Deo qui non deberet uniri Deo primo realiter &c. Alterum eſt de eo quòd ultimo dixi productionem & eſſe horum entium fieri ab intellectu; id enim verum eſt, ſed indefinite de monſtris illis complexis, ſive de compoſitis ex pluribus inunibilibus, & incompatibilibus quales ſunt homo & leo, hircus & cervus, mons & aurum &c. Univerſaliter autem non eſt neceſſaria veritas, nam licet nullus unquam de hoc cogitaret, ſecundus Deus eſt impoſsibilis, item quarta unitas in ternario, motus permanens ſive tempus conſiſtens &c.

Augeri poſſunt hæc ex

S. Auguſtin. *lib. de nat.* Bon. *cap.* 15. *interpretibus Ariſtotelis in lib. Periherm. & in cap. de oppoſit. & in* 1. *Phyſic. item ex noſtro* Subtil. *locis in them. cit. & præterea* 1. *diſt.* 28. *q.* 1. *num.* 4 *& Quodlib.* 1. *&c.* Aureol. Grabr. Soſ. *& aliis apud* Moncæum *diſput.* 1. *cap.* 3. Gabr. Vaſquez 1. *p. diſput.* 6. Cajet. 1. *p. q.* 48. *art.* 2. Ferrar. 3. *cont.* Gent. Soncin. 10. *Metaph. q.* 15. Joan. Poncio *diſp.* 12. *& diſput.* 17. *ac* 18. *Phyſ.* Roder. Ar. *diſput.* 11.

Digitized by Google

INDEX APOLOGIARVM ET ACTIONVM,

APOLOGIA PRIMA INCIDENTALIS.

De Ente irrito, quod vulgo vocant rationis.

ACTIO I.
Quid ſit hoc ens irritum aut Rationis? 177

ACTIO II.
Vera Reſolutio & Definitio Entis irriti. 181

ACTIO III.
Utrum dentur in rebus Entia irrita, nec ne? 183

ACTIO IV.
Utrum inter hæc entia cenſendæ ſint denominationes quas vocant extrinſecas, nec ne? 185

ACTIO V.
Utrum inter hæc entia irrita numeranda ſint ſpatia. 189

ACTIO VI.
De Cauſis Entis irriti. 192

ACTIO VII.
De Intentionibus. 194

APOLOGIA II. AC VLTIMA INCIDENTALIS.

De negationibus & impoſſibilibus.

ACTIO I.
An dentur Negationes? 196

ACTIO II.
Quomodo dandæ aut negandæ ſint negationes? 199

ACTIO III.
De impoſſibilibus. An? & quomodo dentur? 201

Digitized by Google

APOLOGIÆ SCOTISTICÆ

In libros Ethicorum Ariſtotelis.

MAle mihi meriti videntur de natura, ejuſque ſcitu quotquot Philoſophiam profitentur & Ethicam omittunt, tanquam hæc nihil illius foret. Ita enim aliqui integram illam ſtatim à principio promittunt, qui Ethicam nequidem particulâ aliquâ tractatus, quaſi angulo domus dignantur. Quem errorem alii correxiſſe videntur, qui hanc diſciplinam ſedibus ſuis avulſam, totam in Theologiam traducunt: ibi enim nunc temporis diſputatur de actibus humanis, de Juſtitia, & Jure, de legibus, &c.

Enat.lib. 1. Ariſ.

> *Vt ſi forte ſuas repetitum venerit olim*
> *Grex avium plumas moveat cornicula riſum*
> *Furtivis nudata coloribus.*

Nempe deme hanc Theologiæ, deme materiam de Angelis, illam de Ultimo fine ex parte, & ſi quæ ſint aliæ, (ſunt autem aliquæ,) quantum detumeſcet illa moles Theologiæ: ſtat ergo ſuo quodque non tempore tantum, ſed loco tractate. In quo tamen debeo lectorem de duobus monere: unum eſt, tractatum hunc magis ſuccinctum fore, quam fuerint aliqui ſpeculativi hactenus: Alterum non expectandam eſſe hic tam rigidam apologiam, ſeu defenſionem Scoti, quia ille, quùm parcè hæc tractaverit, nec niſi obiter, & ſparſim, vix habet cum aliis controverſiam.

Dividitur tractatus juxta diviſionem objecti: ſicut enim homo debet abſolutè ſecundum ſe regi. Item ut eſt membrum Reipublicæ, ac denique ut eſt privatus in ordine ad familiam, ita alia eſt Ethica quæ dirigit actus ejus abſolutè, & abſtrahendo à quacumque Societate, cujus eſt pars, alia item eſt politica, quæ dirigit eum, ut membrum Civitatis, & alia denique œconomica, quæ dat leges familiæ gubernandæ.

Ex quibus patet dignitas Scientiæ, cum cæteræ omnes habeant ordinari ad ipſam, ſicut intellectus ordinatur ad voluntatem, atque ita immerito negligi ab illis qui tam fuſe dictant ſpeculativas. Illæ verum hæc bonum attendit. Deniq; non parum exaltat hanc ſcientiam, quod ait *Ariſtoteles Moral. Nicomch. l. 1. c. 3.* juvenes non eſſe auditores idoneos huic ſcientiæ: & quod addit ipſe: *Culpam non eſſe penes tempus*, ſed quia juvenes plerumque cupiditates ſuas in temperanter ſequuntur vel ut loquitur ipſe, quia *ſecundum affectum vivunt & perſequuntur ſingula*, atque ita demum illi Soli ſunt apti huic diſciplinæ qui cupiditatibus ſuis ratione moderantur. Ari

DVBIA PROLOGOMENA

PRIMUM.
De objecto Ethicæ.

SECUNDUM.
Utrum Ethica ſit ſcientia, an potius ſit ipſe habitus prudentiæ?

TERTIUM.
Utrum certum ſit Ethicam eſſe practicam?

DVBIVM PRIMVM.

De objecto Ethicæ.

SCis enim lector omnium ſcientiarum objecta eſſe controverſa, quæ deberent eſſe certiſſima. Hic plurimorum doctrina eſt hominem eſſe Ethicæ objectum non utcumque, ſed ut libere agit, atque ut poteſt bonis moribus excoli: ita nominatim Conimbric. hic non tam aſtruunt, quam ſupponunt; videtur enim illa fuiſſe antiquorum traditio.

In proœm. Ethica.

Sed non placet: Primo, quia hæc doctrina æquè pertinet ad Angelos, atque ad homines; ſecundo quia hoc modo ponitur homo eſſe objectum materiale Ethicæ; atque non eſt, quod probo, quia objectum materiale influit in paſſiones, & ejus definitio eſt inſtrumentum demonſtrandi eas; atqui nec homo, nec ejus definitio influit in paſſiones demonſtratas ab Ethica, nulla enim concluſio practica poteſt deduci ex definitione hominis; quin ad has illa omnino eſt impertinens. Confirmo & explico, nam objectum materiale in ſcientia non eſt ſicut ſubjectum reſpectu accidentis, v. g. paries reſpectu albedinis, aut actionis illius, quia diſgregatio viſus à ſolâ albedine eſt pariete nihil efficiente, ſed eſt quid realiter influens, licet ſecundum determinatam virtutem, quod explicari poteſt inſtantiâ inſtrumenti, v. g. ſecuris; in hac enim proxima ratio ſecandi, eſt forma, & acies quam habet, non tamen tota ratio, nam etiam materia ipſa,

Digitized by Google

ipſa, tum per ſe, tum per ſuam gravitatem concurrit, ita hic

Objicies diverſæ ſcientiæ inventæ ſunt ad perficiendum hominem ſecundum diverſas rationes formales in ipſo homine inventas, erga ipſe homo erit objectum materiale in omnibus. Confirmatur ſpecialiter inſtantia Medicinæ cujus objectum eſt homo ut ſanabilis, intellige ſecundum corpus. Atqui ſic verſatur Ethica circa animam hominis quomodo medicina aut chirurgia circa corpus, ergo. Reſpondeo, tamen hoc ſolutum eſſe à me in prima probatione: nam Medicina & Chirurgica non magis circa hominem verſantur quam circa beſtias ut videmus in praxi; &, ſi quid deeſt oritur ex defectu ſermonis in brutis.

Reſpondeo ſecundò aliâ inſtantiâ artificiali & quæro objectum mechanicæ artis; v. g. ſutoriæ; num ſit homo? debent tenere quod ſic adverſarii, & dicere hominem ut calceabilem eſſe objectum ſutoriæ: at hoc eſt ridiculum, ut quiſque videt, cum ille ſutor nihil debet ſcire de homine niſi pedes, ut alia omittam.

Sed inquies; quod ergo eſt objectum medicinæ? &, ſi ſit homo, cur idem non erit objectum Ethicæ? noſter Moriſanus ad fugiendam inſtantiam hujus argumenti, reſpondit objectum medicinæ eſſe morbos & vulnera. Sed non placet, primò quia medicina habet exercitium ſuum ſine ullo morbo in tuendâ ſanitate. Secundò quia ſcientia practica facit ſuum objectum: Id autem eſſet egregium ſi medicina produceret nobis morbos, idque ex profeſſo &, quod ajunt ex officio. Cenſeo ergo dicendum quod objectum medicinæ ſit ipſum animal; neque hoc quidquam juvat adverſarios; diſparitas enim aperta eſt iſta, quia effectus & finis medicinæ inducitur immediate & proprie in totum ipſum animal ſcilicet ſanitas; at vero effectus Ethicæ ſcilicet rectitudo, non, ſed in operationes eius. Adeo

Dicendum eſt obiectum Ethicæ eſſe operationes *honeſta & juſta de quibus eſt civilis conſideratio*, ait Ariſtoteles, & Doctor Subtilis q. 4. prol. n. 11. renuit affirmare hominem eſſe obiectum Ethicæ aut Medicinæ. Unde neſcio cur id ei appinxerit in margine Cavellus. Probo quia obiectum ſcientiæ practicæ eſt aliquid factibile per eam; operationes ſunt tales, homo non eſt talis, ergo. Hæc coincidit cum aliâ iſtâ, quod ſcilicet in practicis finis & obiectum ſint idem; at vero finis Ethicæ eſt operatio recta hominis, ergo & obiectum. Neque vero aliud argumentum quęrendum eſſet ad hoc quam ipſe titulus; nam Ethica dicitur ἀπὸ τοῦ ἤθους, ideſt à more: unde dicitur latine moralis ſcientia; clarum eſt autem morem eſſe operationem hominis, non vero ſubſtantiam aut eſſentiam.

Dices operationes intellectus non ſunt obiectum Logicæ, ergo nec operationes voluntatis obiectum Ethicæ: Antecedens eſt Scotiſtarum communiter. Reſpondeo primo in re obiectum Logicæ, etiam ſecundum Scotiſtas, eſſe operationes intellectus; eſt enim ſyllogiſmus qui nihil aliud eſt quã plures operationes intellectus ordinatæ.

Reſpondeo ſecundò licet id negaretur de operationibus intellectus in Logica, non proinde eſſe negandum hic de operationibus voluntatis, quia magis pertinent ad Ethicam quam illæ ad Logicam. Logica enim non eſt ſollicita de ſubſtantia operationum quomodo eliciendæ ſint, ſed quomodo elicitæ ſint ordinandæ: Ethica autem docet eligere eas ſic vel ſic, v. g. actum amoris impendere conſanguineis, gratitudinem benefactoribus &c. adeoque. Eſt qui dicat felicitatem naturalem eſſe Ethicæ obiectum; quod mirum eſt ſi legerit Scotum cum ſit Scotiſta. Videatur D. q. 4. prol. num. 11. ratio contra ipſum eſt quia fælicitas aut conſiſtit in actibus virtutum, aut non. Si primum, tum hæc via non recedit à noſtrâ ſed incidit in ipſam: ſe ſecundum, patet aſſertum illius eſſe falſum: quia Moralis non agit de alio aliquo: v. g. ſi requirantur divitiæ aut voluptates ad felicitatem, clarum eſt moralem non agere de illis ne reductive quidem, niſi forte ut contemnantur. Altera ratio contra hunc continetur in verbis D. citatis quam ſic formo: ſi obiectum Ethicæ eſſet felicitas, ipſa Ethica non eſſet practica: eſt autem practica, immo in rigore ſola talis, ergo non habet obiectum felicitatem. Sequela probatur quia felicitas eſt ſpeculatio ex Ariſtotele 10. Ethic. at vero ſcientia practica non poteſt habere pro obiecto ſpeculationem, ſed debet habere praxim.

DVBIVM SECVNDVM

Vtrum Ethica ſit ſcientia: an potius ſit ipſe habitus Prudentiæ?

NUllus fere de hoc dubitat ſed omnes aſſerunt eam eſſe ſcientiam. Dabo tamen rationem dubitandi ſcientia: demonſtrat paſſiones de ſuo obiecto, id non facit Ethica, hoc enim eſſet ſpeculari ipſa autem non eſt ſpeculativa ut ſuppono ſed practica. Reſpondeo nihilominus ipſam eſſe ſcientiam: Ratio, quia eſt demonſtrativa; plurima enim efficaciter probat, ut v. g. quod merces reddenda ſit operario: ſic, cuique ſuum reddendum eſt, merces operarii eſt ipſius, ergo ei reddenda.

Ad rationem dubitandi, dico eam probare quod Ethica non ſit ſcientia ſpeculativa, non vero quod abſolute talis non ſit: unde fruſtra fatigantur qui quærunt definitiones & paſſiones in obiecto Ethicæ, ut hæ ex illis inferantur, cum iſta talia ad practicã ſcientiam omnino non ſpectent.

Obiici ſecundo poteſt inſtabilitas negotii morum, cum tamen materia ſcientiæ debeat eſſe fixa & immobilis. Totum id oritur ex eo quod qualitas obiecti ſciti ex natura rei provenit, morum autem non ex naturâ, ſed ex opinione; nam ſi ex naturâ proveniret eadem eſſent iuſta apud omnes gentes; at vero non eſt ita, ſed quæ apud aliquas decora ſunt, apud alias ſunt turpiſſima. Perſæ filias ſuas in uxores ducebant, quod apud Græcos eſt nefandum. Maſſagetæ & Platonis Reſpublica promiſcua connubia & communes uxores habebant, cum tamen alibi adulteria eiuſmodi morte luantur. Spartæ furtum laudi vertebant, & alia id genus, ergo. Reſpondeo ut hæc omnia concedam non confici inde quod Ethica

non

Digitized by Google

non ſit ſcientia, ſed quod omnes concluſiones non ſciat; quod ſi requireretur, nec Logica nec Phyſica eſſent ſcientiæ. Cur autem illa quæ habet aliquas concluſiones demonſtratas, alias topicas tantum ſit abſolutè ſcientia, vide ſi placet quæ diximus tom. primo Apolog. Aċt. Redeundo ad argumentum nego materiam morum totam ex opinione pendere; ſunt enim aliqua ideo vetita quia mala, licet alia ideo ſint mala quia vetita. Neque ſufficiunt arguenti inſtantiæ, non enim deſinebant illi abuſus eſſe peccata apud iſtas gentes, maxime primum illud, cum ſit contra naturam, licet fortaſſis à barbaris illis neſcirentur eſſe talia. Reſtat tamen adhuc aliquis nodus hic; nam demonſtrationes & ſcientiæ procedunt ex neceſſariis; Ethica autem non, ſed ſemper ex aliquo contingenti: tale enim eſt ſemper ſubſumptum in ipſa, ut patet in demonſtratione à me ſupra adducta de mercede operarii; quod enim hic homo ſit operarius, aut laboraverit, eſt mere contingēs, ut vides. Reſpondeo propter hæc exiſtimo (ſalva aliorum exiſtimatione) illud *ex neceſſariis* non eſſe neceſſarium ad ſcientiam, ſed ſufficere evidentiā, alioquin ſylogiſmus expoſitorius (qui quodammodo melior eſt demonſtrativo, quia magis reſtrictus, & minus vagus) nihil conficeret.

Diſcedo etiam ab illis qui Ethicam cum Prudentiâ confundunt: puto enim eas late differre quod hic dupliciter ſuadeo, utroque medio ex Ariſtotele delumpto, quamvis ille utrumque obſcurè ſuo more proponat. Ait ergo is lib. 5. c. 6. Periclem & ſimiles dici prudentes, puta Themiſtoclem, Ariſtidem, & ex noſtris Catonem, Senecam Jab. Maximum: at vero Euclidem, Anaxagoram, Galenum doctos & ſapientes, non tamen prudentes dici, adeoque jam non coincidit ſcientia aut ſapientia cum prudentia. Iterum ſic, quia prudentia per intemperantiam corrumpitur, ſcientia autem non corrumpitur, ergo jam prudentia non erit ſcientia. Dici quidem poteſt nec prudentiam cōrrumpi magis quam ſcientias ſpeculativas, nam etiam intemperans novit voluptatem eſſe fugiendam licet eam non fugiat. Reſpondendum tamen eſt hoc dictamen non eſſe prudentiæ ſed ſapientiæ, quia eſt univerſale: ille vero habet dictamen pravum particulare; ſcilicet hic & nunc amplectendam eſſe voluptatem quando ipſe eam admittit. Alias etiam nō eſt dubium quin paſſiones obumbrent & offuſcent judicium de agibilibus; quod eleganter ſuo more proſequutus eſt eloquentiſſimus martyr Severinus Boëtius infra à me producendus.

DVBIVM TERTIVM
Vtrum certum ſit Ethicam eſſe practicam?

Reſpondebunt tibi uno ore omnes quod ſic. Audiant tamen hanc rationem in oppoſitum: ſyllogiſmus Ethicus tam conſtat ſpeculativis principiis quā practicis: non ergo aſſerendum eſt eam eſſe practicam magis quam ſpeculativā. Antecedens patebit reſumendo illum, quem ſupra adduximus pro probanda ratione ſcientiæ in ipſa Ethica ſic: cuilibet reddendum eſt ſuum &c. atque etiam ex iſto magis communi: ſummè pulchrum eſt ſummè amandum; Deus eſt ſumme pulcher, ergo ſumme amandus: hic enim ex duabus præmiſſis una eſt ſpeculativa; nam ſi major ſit practica, minor eſt ſpeculativa; ecce æqualitatē. Nolo hic immorari: videri poſſunt dicta à me ſuo loco Apol. in lib. Analyt. Aċt. Reſpondeo tamen primo totum diſcurſum non efficere, quin Ethica ſit ſcientia practica, nam ſcientia conſiſtit in concluſione, concluſio autem eſt practica ibi, ut vides. Deinde non ſit in ſola concluſione ſed etiam in præmiſſis, ſi concluſio & una præmiſſa ſint practica, ſyllogiſmus abſolute potius dicendus eſt talis quam ſpeculativus ratione unius ſolius præmiſſæ ſpeculativæ.

Inſtare tamen poſſum adhuc ex dictis à me loco cit. ſic: vis inferendi eſt in illa minori, quod Deus ſit ſummè pulcher: nam illa major eſt impertinens quodammodo, non enim refert qualia ſint omnia, ſed quale ſit hoc. Et revera objectum pulchrum rapit nos in amorem ſui etiam quando proponitur nobis ſe ſolo, licet nihil cogitemus de aliis in univerſali. Hic autem ſunt paria omnia inter praxim & ſpeculationem, nam ſi una propoſitio ex duabus eſt practica, alia eſt ſpeculativa. Reſpondeo, pro hoc repetenda eſt prima ſolutio ſupra.

Supereſt adhuc unum contra, quod ſcilicet denominatio debeat ſequi debiliorem partem, ſi ergo ex duabus partibus una ſit ſpeculativa altera practica, jam denominatio totius debet ſequi debiliorem partem quæ eſt ſpeculatio. Ad hoc expediendum reſolvenda foret lis inter ipſas ſcientias practicas & ſpeculativas utra ſit nobilior? argumentum poſitum ſupponit deteriores eſſe ſpeculativas, alioquin enim nihil proficit ut vides. Et ratio adferri poteſt in noſtrâ Scotiſtarum doctrinâ, quia ſcientia practica pertinet ad voluntatem, cujus dirigendæ causâ quæritur & habetur; ſpeculativa autem ſiſtit in intellectu, adeoque tanto intervallo debet practica præcedere ſpeculativā quanto ipſa voluntas intellectū.

Teneo tamen oppoſitum hoc non obſtante; ſolvo autem ipſum, quia uſus proprius hujus argumenti eſt probare quod habitus voluntatis præſtet habitui intellectus, at vero ſcientia quantumvis practica non eſt habitus voluntatis ſed intellectus. Ratio autem oſtenſiva reſolutionis eſt, primo quia ſcientiæ practicæ ſunt de contingentibus, ſpeculativæ de neceſſariis: clarū eſt autem neceſſaria meliora eſſe contingentibus, adeoque ſpeculativas practicis ex objecto. Secundo quia ſpeculativa eſt ſui cauſa, practica alterius: nobilius eſt autem in ſe exiſtere quam ordinari ad aliud, quia hoc habet aliquid ſervile.

Dic ergo moralem eſſe practicam revera, alioquin diviſio ſcientiæ in practicas & ſpeculativas ruet; nulla enim alia eſt potius aut æque practica. Deinde à priori, quia eſt directiva praxis.

Contra hanc tamen reſolutionem meam occurrit hæc ratio: quia ſcilicet dictamina moralia non neceſſario ſunt practica, ſed poſſunt eſſe ſpeculativa: v. g. hoc: Parentes ſunt honorandi; eſt quidem practicū, quia dictat de agendo, & præſcribit mihi actionem moralem, ac legitimam & obſervantiam ejus. Poteſt tamen accipi ſpeculative ut ſenſus ſit, quod parentibus tamquam ſubjecto inſit illud prædicatum: honorandos eſſe.

Digitized by Google

Item ſic, ut idem ſit ac: ego teneor honorare, & ſignificat mihi ineſſe obligationem, quæ eſt quædam veritas ſpeculativa non procedens de actu ſecundo, ſed de actu primo, qui jam impletus eſt.

Ad hoc juxta Subtilem debeo reſpondere concedendo totum, ſcilicet poſſe hæc accipi ſpeculative, ſicut Adverſarius habet concedere poſſe ea accipi practice, quod ſufficit; ſic enim accipiuntur in præſenti, & in tota Ethica. Vide d. q. 4. prol. ubi diſtinguit hæc occaſione Divinæ ſcientiæ, & dicit aliquam ſcientiam de agibilibus eſſe directivam, & hanc eſſe verè practicam, aliam oſtenſivam tantum ut in Deo.

APOLOGIA PRIMA

De voluntario.

ACTIO I.

In quo conſiſtat moralitas actus?

ACTIO II.

Spontaneum, & Voluntarium quid?

ACTIO III.

Expenditur amplius explicatio Voluntarii.

Scotus 2. *diſt* 7. *quæſt. unic. num.* 11.

DE primo dico quod ultra bonitatem naturalem volitionis, quæ competit ſibi in quantum eſt ens poſitivum, quæ etiam competit cuicunque enti poſitivo ſecundum gradum ſuæ entitatis magis & minus, præter illam eſt triplex bonitas moralis ſecundum ordinem ſe habens, prima dicitur bonitas ex genere: ſecunda poteſt dici bonitas virtuoſa ſive ex circumſtantiâ; tertia bonitas meritoria, ſive bonitas gratuita, ſive bonitas ex acceptatione Divina in ordine ad præmium. Prima competit volitioni ex hoc quod ipſa tranſit ſuper objectum conveniens tali actui ſecundum dictamen rectæ rationis, & non ſolum, quia eſt conveniens tali actui naturaliter ut ſoli viſioni; & hæc eſt prima bonitas moralis: quæ ideo poteſt dici ex genere, quia eſt quaſi materialis reſpectu omnis boni ulterioris in genere moris. Nam actus tranſiens ſuper objectum eſt quaſi formabilis, per quamcumque aliam circumſtantiam moralem; & ita quaſi potentiale non omnino extra genus moris ſicut fuit ipſe actus in genere naturæ: ſecundum in genere moris, quia jam habet aliquid de illo genere, puta objectum conveniens actui.

Idem 1. *diſt.* 10. *quæſt.* 1. *num.* 9.

AD ſecundum dubium de neceſſitate patet per idem, quia principium productivum perfectum poteſt dare producto omnem perfectionem, quæ ſibi non repugnat. Voluntas infinita eſt principium producendi perfectum; igitur poteſt dare producto ſuo perfectionem ſibi competentem: non autem repugnat ſibi neceſſitas.

ACTIO I.

In quo conſiſtat Moralitas Actus.

Breviarium.

N. 1. *Actio humana & libera, an Synonyma?*
2. *Actiones Angelicæ ſunt humanæ: an etiam Dei?*
3. *Eſſe morale quid? & unde deductum?*
4. *Actus non fit moralis per libertatem præciſe.*
5. *Neque per reſpicientiam operantis ad regulas rationis.*
6. *Aliorum viæ explicandi moralitatem, expenduntur.*
7. *Vltima cæteris præferenda, licet non undique perfecta.*
8. *Objectiones contra hæc, motæ & ſolutæ.*

1. NOtant omnes hic actiones humanas eſſe actiones liberas, quod proprium ſit homini ſic agere, & eſſe dominum ſuarum actionum: beſtiæ enim naturaliter agunt. Totum hoc ut verum accipi poteſt, eſt tamen quædam veritas ex inſtitutione, & hæc ſignificatio eſt ad placitum; nam ex natura rei quædam actiones etiam non liberæ ſunt propriæ homini, ut intelligere & diſcurrere. Itaque liberæ actiones ſunt humanæ non ſolæ tamen; nobis erunt etiam ſic humanæ, quia ſic accipi illas placuit, ut conveniamus cum communi in uſu terminorum.

2. Huic notæ addo duo: unum eſt actiones huma-

humanas hic non intelligi ſolius hominis, nam actiones ſpirituum ſunt humanæ (quando liberæ ſunt) in hoc ſenſu. Detur hoc ſcholæ ut poſſit fabrefacere ſibi nomina, certè autem ſignificationes nominum.

Itaque actiones Angelorum in re & ſe ipſis ſunt Angelicæ, nobis autem erunt hic interim humanæ. Actiones autem Dei in hoc ſenſu non comprehenduntur ſimiliter ſive æquo jure cum actibus hominum & Angelorum ſecundum aliquos, quia licet ſint liberæ, non tamen ſunt morales, id eſt laude vel vituperio dignæ. Sed non admitto hanc Ethicam Theologiam; in primis enim licet non eſſent morales erunt humanæ, quia ſunt liberæ; audiviſti enim ſtatim à principio actiones humanas definiri per libertatem. Item de altero puncto ſic cenſeo: quod actiones Dei ſint etiam morales, etſi non omnes; non fuerunt igitur univerſaliter excludendæ actiones Dei à numero moralium; in Deo enim actus miſeri-
Tob.12. cordiæ, libertatis, intentio & exequutio Incar-
Deu.3. nationis, retributio præmiorũ &c. ſunt laude di-
Pſal.148. gnæ, nam propter illas Eccleſia quotidie laudat
& 150. eum, & Scriptura docet eſſe laudandum. At vero
&c. aliæ actiones ad intra, puta generatio æterna Verbi, Spiratio Spiritus Sancti, non videntur morales, quia ſunt neceſſariæ, adeoque nec laude nec vituperio dignæ.

Sed huc redit ratio à me poſita, quia nimi-
In præfat. rum Deus etiam laudatur ob neceſſaria: *in Maje-*
SS.Trin. *ſtate adoretur æqualitas, quam laudant Angeli*; ait Ec-
In hym. cleſia. Et alibi: *Gratias agimus tibi propter magnam*
Aug. *Gloriam tuã*: & tamen tam majeſtas quã æqualitas ſunt neceſſaria, ſicut etiam ſine dubio eſt gloria. Reſpondeo, laudem poſſe impendi rei neceſſariæ ac naturali, imò etiam ipſi naturæ; utique enim natura Divina laudabilis eſt. Hic ergo cum deſcribitur actio humana per laudem aut vituperium, accipitur laus pro quodam ſtipendio, ſicut vituperium pro pœna & mulctâ. Certum eſt autem quod illa interna in Deo non ſint res, quæ reſpiciant præmium, non ſolum quia Deus non poteſt id admittere, ſed quia illæ non exigunt tale quid, cum non ſint propriè actus virtutum.

3. Jam ad determinandum de eo quod eſt eſſe morale, attendenda eſt primitiva vox unde provenit hæc derivata moralitas, eſtque latinè mos, græcè ἦθος quamquam Quintilianus lib. 6. c. 2. ſcribat τὸ ἦθος latinè uno verbo reddi non poſſe, quod eo omnes mentis habitus contineantur; innuens fortaſſe τὸ ἔθος græcum, latius patere quam ly *mos* latinè, quaſi hic ſolum unum genus, ſive bonum, ſive malum complectatur. Ipſe tamen poſtea affectus bonos & compoſitos ἦθος vocatos eſſe teſtatur, ſicut affectus concitatos πάθος. Certè Marcus Tullius l. 2. Tuſc. q. 4. ſoli honeſtati imponit nomen moris: *quis philoſophos ita moratos*, id eſt honeſtos aut probos, &c. Et hanc acceptionem ſcholaſtici ipſi videntur approbaſſe dum virtutes aliquas morales vocant, nulla autem vitia vocant moralia. Nihilominus tamen moralitas apud ipſos eſt quid complectens ambo illa tam bona quam mala. & de hac eſt lis in quo conſiſtat? & quomodo debeat explicari. Brevitatis cauſa referam opiniones refutando.

4. Dico autem primò, actum non conſtitui in eſſe moralis per libertatem adæquatè ſeu ſolâ: Eſt D. in 2. d. 40. q. un. ubi inter plura concurrentia numerat libertatem, adeoque apud ipſum libertas non eſt ſola cauſa. Ratio quia actus phyſicus poteſt eſſe liber etiam ut talis; utique enim voluntas habet libertatem etiam phyſicè operandi. Secundò, quia ſtante libertate poteſt variari moralitas; non poteſt autem moralitas variari ſtante aut in invariata moralitate, ergò jam aliud eſt libertas & aliud moralitas. Major hujus contingit quoties quis continuat actum quem cœpit, licet interim diſcat illum fuiſſe prohibitum. Tum enim variatur moralitas actus quia ex bono fit malus: non variatur autem libertas, quia hæc non dependet à lege aut cognitione eius. Tertiò, quia moralitas habet ſpecies ſuas & differentias, libertas non habet, ſicut nec neceſſitas: nam à Seculo non eſt auditum quod alia ſpecie ſit libertas in uno actu, alia in alio: aut quod in actibus intellectus dentur diverſæ ſpecie neceſſitates. In hoc argumentum incidit illud: *Diverſorum generum diverſæ ſunt differentiæ*: adeoque quorum diverſæ erunt differentiæ, ipſa erunt diverſa: Atqui diverſæ ſunt differentiæ moralitatis & libertatis: moralitas contrahitur per bonitatem & malitiam, libertas non: nec enim dicitur libertas alia bona, alia mala: ergò. Præterea negari non poteſt quin bruta habeant aliquam libertatem, ſi libertas rectè explicetur per potentiam ponendi vel non ponendi actum: nihil eo clarius, poteſtque probari eodem argumento quo utuntur Theologi ad probandam noſtram libertatem, puta quia Deus deterret nos pœnis à male agendo, id autem fruſtra faceret ſi nos non poſſemus deſiſtere à male agendo: nos enim quotidie deterremus beſtias propoſitione pœnarum, & invitamus eos ad nos objiciendo delectabilia, v.g. canem arces vibrando fuſtem, invitas autem offerendo cibum. Tum ſic; ſed apud omnes in confeſſo eſt beſtias nullam moralitatem habere: quod ideo dico quia ſaltem aliquam, etſi non plenam libertatem habent. Si ergo nec illa, nec alia moralitatem habent, ſequitur omninò aliud eſſe libertatem, & aliud moralitatem, licet illa ad hanc requiratur: & tamen ſi extra hoc vadas, vix invenies in quo conſtituas moralitatem. Ita, quæ facillima ſunt conceptu, difficillima ſunt explicatu. Nemo eſt qui non pleniſſimè ſciat quid ſit ſperare, gaudere, dolere: nec tamẽ ullus adhuc potuit exactè verbis explicare ſpem, gaudium, dolorem &c. non committendo circulum. Alius unus modus eſt de re propoſita dicere, quod moralitas conſiſtat in hoc, quod eſt, actum elici cum reſpicientia ad regulas rationis, nam tum actus ſequens erit moralis, Sed reſpuendus eſt etiam iſte, quid hic

5. Dico ſecundo & probo; quia dari poteſt actus elicitus cum reſpicientia ad omne quod dictat recta ratio, qui tamen non ſit moralis. ergo jam productio actus cum iſtâ reſpicientiâ non ſufficit ad moralitatem: conſequentia nil evidentius ſi probetur antecedens, quod tamen facile fiet inſtantia actus indifferentis: hic enim etſi fiat cum mille reſpicientiis non erit moralis, quia nec bonus, nec malus; moralitas adæquatè dividitur in bonitatem & malitiam ſecundum omnes. Itaque poſita poſſibilitate actus indifferentis hæc res videtur demonſtrata: Ipſam autem poſſibilitatem eius infra ſuo loco oſtendam. adeoque. Et hæc eadem ratio probat non ſufficere ad moralitatem actus quod procedat à potentiâ habente plenam cognitionem honeſti & turpis

Digitized by Google

nam ſi proponantur voluntati tres actus, bonus, malus, indifferens in eadem materia, & illa eligat indifferentem, recurrit tota vis rationis, ut vides, contra hunc caſum, facitque ne actus ſit moralis licet fiat cum cognitione & advertentiâ ad turpitudinem ac honeſtatem.

Dici poteſt moralitatem actus eſſe imputabilitatem eius; vel aliter: conſiſtere eam in eo quod eſt variare conditionem agentis. Cauſa utriuſque eſt, quia hic quærenda & aſſignanda eſt ratio aliqua communis bono & malo, quæ ſunt quaſi duæ medietates moralitatis adæquatè ipſam dividentes: ſed quodlibet ex his eſt tale, quia tam bonus, quam malus actus eſt imputabilis & variat conditionem agentis; nam bonus quum mereatur prœmium reddit illam meliorem: malus è contra merendo pœnam reddit illam deteriorem.

Ita quidem circumſcribunt utcumque actionem moralem, & convertuntur cum ipſa, ſuntque præferenda modis reſpondendi aliorum; non tamen exactè ipſam definiunt. Cauſa quia quolibet ex his datur aliquid prius in tali actu, poteſtque reddi ratio cur actus ſit imputabilis, & cur variet conditionem agentis: eſt enim iſta, quia ſcilicet eſt bonus: aut ècontra, quia eſt malus; bonitas enim & malitia ſunt quæ imputantur & quæ variant conditionem agentis adferendo ei prœmium & pœnam: neque actus ideo eſt bonus quia imputabilis, ſed ideo imputabilis quia bonus. Nam in inſtanti quo eſt imputabilis debet eſſe cauſa imputabilitatis; at verò hæc non poteſt eſſe aliquid phyſicum, reſtat ergo ut ſit aliquid morale, adeoque moralitas debet eſſe quid prius imputabilitate.

7. Dici ergò ul i no debet actus moralis eſſe actus bonus, aut malus, & moralitas eſſe bonitas aut malitia. Hæc quidem dicit id quod res eſt; non tamé obſervat canones logicales & rigorem eorum: explicat enim genus per differentias contrahentes quum deberet explicare ipſum per differentias conſtituentes. At enim præſtat habere ſubſtantiam rei, quam circumſtantias aut modum, quando utrumque non poteſt haberi. Deinde multa ſunt quæ non poſſunt explicari niſi per diſiunctum hoc modo: alioquin peto mihi exhiberi aliquod abſtractum à paritate, & imparitate. Reſpondebitur fortè eſſe τὸ *numerale*. Bene eſt, tum enim pergo & quæro quando numerus dicitur par aut impar, quid eſt illud tertium commune pari & impari? prædicetur de numero: tuo modo debet id fieri dicendo quod numerus eſt numeralis; vides quam ineptè: deinde quando propoſitio dicitur vera vel falſa aſſignetur aliquid commune utrique: nam ſi hoc inveniri poſſit per illud definienda erit propoſitio quod non eſt factum, ſed definita eſt per veritatem vel falſitatem. Item aſcendendo ad priora adhuc in propoſitione, quæ ſunt affirmatio & negatio, detur aliquid ab his abſtractum. Dedi ipſe ſuo loco, Tom. I. & dixi eſſe *judicium*, nam, tam affirmans quam negans judicat. Valeat quantum poteſt, & videatur loc. cit. Fortaſſis hoc loco fieri poſſet exceptio contra, quod ut hoc ſit verum debeat propoſitio negativa accipi infinitanter ac non neganter. Sed non deſunt alia exempla, nam Thomiſtæ, & quotquot ponunt ens non habere conceptum communem dicunt illud explicandum eſſe per diſiunctum, puta creatum vel increatum finitum vel infinitum: noſtra etiam ſchola non concedit aliquod abſtractum ab ente reali & rationis; quo ergo vadet cum non poſſit ſuprà ire, niſi infra per diſiunctum contrahens? &c.

Adhuc autem eſt hic particularis ratio cur non debeat expectari aliquid commune & contrahens, quia nimirum duo membra hic dividentia ſunt poſitivum & negativum, quibus nihil eſt commune: adeoque definienda erant per plura tametſi diſiunctim ſumpta.

Objici acrius poteſt Chriſtus Dominus, cujus actus atque etiam paſſio fuit ſine dubio bona, adeoque moralis, & tamen non fuit actus humanus, quia nec libera, non enim potuit omittere eam, quum fuerit impeccabilis; nam omittendo eam peccaret, quum conſtet eum habuiſſe præceptum ſubeundæ paſſionis. Hoc idem argumentum recurrit de Beatis & amore Beatifico ipſorum, hic enim eſt bonus quum ſit actus virtutis, nec tamen eſt humanus aut liber, quùm ſit neceſſarius ut ſuppono. Ad hoc ſecundum reſpondetur à quibuſdam actum beatificum eſſe beatis liberum ratione meritorum quæ liberè poſuerunt in hac vita ad illum habendum. Sed contra hos redit efficaciter inſtantia parvulorum, qui nulla merita poſuerunt: deinde facit inſtantia ipſius Chriſti D. qui Beatificatus eſt jam parvulus, imò in primo inſtanti conceptionis, & nec tunc nec alias poſuit ulla merita tanquam media ad hunc finem. Duo ad hoc dici poſſunt, unum eſt actum beatificum ſcilicet amorem non eſſe abſolutè neceſſarium eo quod finis ultimus etiam clarè viſus non neceſſitet voluntatem ad exercitium, ſed tantum ad ſpecificationem, ut ſignificat Subtilis 4. d. 49. q 6. Alterum eſt ſuppoſito quod ſit neceſſarius, quod non ſit actus moralis aut humanus niſi materialiter. Cœterum ad utramque inſtantiam aliter reſponderi debet tam acceptationem paſſionis in Chriſto Domino quam amorem & fruitionem in beatis eſſe actus morales ac proinde liberos, eorum autem libertas inde provenit, quia quamvis proximè ſint neceſſarii, tamen cauſa huius neceſſitatis liberè poſita eſt, ſcilicet beatitudo quæ eſt omnibus volita & accepta; ac proinde tale eſt omne quod ex ea ſequitur: eſt ergo hæc neceſſitas conſequens non vero antecedens, quæ ſola tollit libertatem. Pactum quod pepigit Deus cum Adamo cenſetur liberum poſteris omnibus, quia tanta felicitas quanta Deus tunc Adamo contulit meritò cenſetur ab omnibus acceptanda, quanto magis ipſa plenè beatitudo.

(***)

ACTIO II.

Spontaneum & Voluntarium quid?

Breviarium.

N. 1. *Definitum ſpontaneum: An actus voluntatis requirat pracognitionem.*

2. *An Spontan. coincidat cum voluntario? vel ſit quaſi genus eius?*

3. *Obiectio. Actus impreſſus voluntati an voluntarius?*

4. *Alia. Solvitur. Nolita an ſint volita & quomodo?*

Franciſc. Suar.

1. Mira eſt inconſtantia quorundam in definiendo & dividendo voluntarium. Dividunt voluntarium in id quod eſt tale per modum objecti; & in id quod eſt tale per modum actus, definiunt interim voluntarium: quod eſt à principio intrinſeco &c. quaſi verò objectū actus ſit à principio intrinſeco homini: v. g. volo pecunias, vel approbo homicidium ab alio factum: neque pecunia neque homicidium eſt à principio mihi intrinſeco: quomodo ergo erit voluntarium ſtante illa definitione S. Thomæ? itaque objecta illa & ſimilia ſunt potius volita quam voluntaria.

3. Ethic. cap. 1.

Dic cum Ariſtotele, *Spontaneum eſſe illud cuius principium eſt in eo qui agit particularia cognoſcente.* Hic credo definiri etiam Voluntarium, quia eſt ſpecies contenta ſub ſpontaneo, nec differt ab eo niſi differentia potentiæ, quod hæc ſit voluntas, illa non, ſed alius appetitus puta materialis. Senſus definitionis eſt, ſpontaneum aut voluntarium eſſe id quod procedit à facultate aliqua intrinſeca agenti, prævià cognitione, ſeu præſupponente cognitionem ad agendum. Unde vides voluntaria & ſpontanea debere procedere ab appetitu ſenſitivo, vel à voluntate, atque ita actus vegetativæ v. g. creſcere, nutriri &c. non eſſe ſpontanea, & multò minus motus locales elementorũ quantumvis fiant à principio intrinſeco puta à gravitate, quia non præexigunt cognitionem ut fiant.

Tamen hoc ipſum de prævia cognitione eſt ſupervacaneum in definitione voluntarii, quodlibet enim procedens à voluntate tamquam à principio, eſt voluntarium; nam cur non? hactenus ratio non eſt adducta niſi petatur principium dicendo voluntarium & liberum eſſe idem quod eſt falſum. Adfero autem ego pro hac parte unam; quia nimirum actus intellectus etſi fiant liberè ac ſpontaneè, tamen ſunt intellectuales; quidni ergò actus voluntatis quicumque erunt volũtarii, tametſi fiant neceſſario vel naturaliter? nonnego requiri cognitionem ad actum voluntarium, ſed dico ideo requiri eam quia actus voluntatis eſt, non quia voluntarius, quaſi ex aliqua differentia quam adderet actus voluntarius actui voluntatis ut ſic. Unde ſi per poſſibile voluntas poſſet operari ſine prævia cognitione certè operatio illa eſſet voluntaria.

2. Non credo tamen idem eſſe de ſpontaneo, quia ſpontaneum exprimit quandam libertatem, & quaſi electionem agentis; unde aliquo modo plus dicit quam voluntarium. Patet hoc tum ex uſu vocis tum ex Ariſtotele hic, qui opponit ſpontaneum invito, adeoque in ſpontaneo erit quædam quaſi electio aut determinatio ſui ad hanc partem, quia nimirum debet accipi cum omni oppoſitione ad invitum. *Cum igitur invitum ſit qud vel vi vel ignoratione agitur, ſpontaneum illud eſſe videbitur cuius principium eſt &c.* ut ſupra. Itaque non videtur ſpontaneum eſſe merè genus voluntarii, neque eſſe altera ſpecies correſpondens ei, quaſi *volitum à brutis*, vel *appetitu ſenſitivo.* Vocarem hoc τὸ *appetitum* derivatione ducta ab appetitu ſenſitivo, ſicut alterum illud dicitur volitum aut voluntarium derivatione ducta à voluntate, niſi hoc modo omitterem ea quæ ſunt quaſi nolita ab appetitu ſenſitivo; non enim dicuntur iſta appeti, ſed reſpui & rejici. Itaque laboramus inopiâ nominum: ego autem confirmo dicta, quia ſi per impoſſibile quis cogi poſſet ad volendum, certè proſequutio illius objecti eſſet illi homini voluntaria; nec tamen eſſet ſpontanea, ergò male cenſetur ſpontaneum eſſe quid coincidens cum ipſo, & adhuc pejus eſſe quid genericum commune homini & bruto. Minor ſola probanda eſt, quod ſtatim fit ex illo loco Ariſtotelis citato: *Cum igitur invitum ſit quod vel vi, vel ignoratione agitur*: Ecce quod fit vi eſt invitum, id eſt oppoſitum per diametrum voluntario. Sed quia eſt lis de nomine, loquendum eſt cum communi, & ſupponendum contrarium. Sed contra ad hoc

3. Objicies, ſi Deus imprimeret actum volitionis alicui circa aliquod objectum, ille actus eſſet ei voluntarius, nec tamen eſſet à voluntate, ſed ut maximè in voluntate eius, & à voluntate Dei, Ergò non rectè dicitur voluntarium eſſe quod eſt à voluntate.

Majorem probo ſic. quia objectum illius actus eſſet voluntarium illi homini, ſeu, rectius loquendo, volitum, ergo actus eſſet per ſe talis, nam propter quod unum quodque tale illud magis: ſi ergò objectum eſt voluntarium propter actum, multò magis ipſe actus. Ad hoc exiſtimo dicendum quod nec actus nec objectum in eo caſu ſit voluntarium, neque voluntas unquam proſequetur objectum merè paſſivè ſe habendo, ſicut nec quiſquam poteſt ferri ad locum & ſimul quieſcere. Itaque ad hoc ut voluntas illo actu feratur in objectum, & utrumque ſit illi voluntarium, debet ſaltem continuare illum actum, & ita influere in eum; tum autem actus ille erit voluntarius quia à principio intrinſeco &c.

2. Objicies ſecundò, aliquod involuntarium eſt à principio intrinſeco etiam cum cognitione, ergò non omne quod eſt à principio intrinſeco &c. eſt voluntarium, adeoque non rectè ſic definitur voluntarium. Probatio antecedentis eſt triſtitia, dolor &c. hæc enim ſine dubio ſunt involun-

[vo]ntaria, & tamen ſunt à voluntate. Imò argui poſſet de ipſa nolitione; aut enim hæc eſt voluntaria, aut non eſt voluntaria: ſi non eſt voluntaria, jam non omne quod eſt à voluntate eſt voluntarium: primum autem eſſe non poteſt, id enim foret dicere quod nolitio ſit volita, quo nihil ineptius quia deſtruit ſeipſum. Urgeo; ſi nolitio ſit volita, aut ſe ipsâ eſt volita, aut aliquo alio; aliud hic non aſſignatur: quod autem non ſit per ſe ipſam volita inde probatur, quia ipſa non eſt volitio ſed nolitio, non ergo præſtat ſibi eſſe volitum, ſed eſſe nolitum, niſi fortè volitum & nolitum tibi ſint ſynonyma. Ad primum reſpondent aliqui iſta non eſſe voluntaria per modum objecti, quia objectum triſtitiæ eſt potius nolitum; at vero per modum effectus eſſe voluntaria. Sed hoc eſt involvere rem verbis, & admittere peſſima quæque; nam pæna eſt ipſa triſtitia non vero objectum eius: ſi ergo ipſa in ſe & per modum effectus eſt volita aut voluntaria, jam pœna eſt voluntaria quod nemo dicet. Dicendum potius eſt triſtitiam & dolorem nullatenus eſſe voluntaria, quia non ſunt à principio intrinſeco, (intellige efficienter,) eo quod non ſint actus ſed paſſiones; non ergo procedunt à nobis ſed reſultant poſitis actibus fugæ aut nolitionis eorum; triſtitia enim (ait Subtilis) eſt de iis quæ nobis nolentibus accidunt. Sed hinc ipſum 4.d.44. q.2.n.5. ex Aug. 14. Civ.

Inſtari poteſt contra me, quod ſint voluntaria, quia nimirum nolitiones eorum ſunt voluntariæ, cum ſint actus immediati ipſius voluntatis, adeoque illa ſunt voluntaria ſufficienter, quia ſunt voluntaria in cauſa. Ad hoc exiſtimo dicendum quod cauſa horum non ſint nolitiones, ſed objecta earum; nam ſi cauſa triſtitiæ eſſet nolitio hominis, aut alius actus eius, poſſet quis ſe ipſum à triſtitia liberare omittendo actum quod eſt falſum. Itaque actus hic ſunt conditiones non vero cauſæ. Ad aliud dico nolitionem eſſe voluntariam, non tamen eſſe volitam, quæ duo confunduntur in argumento, ſed male, cum ſint toto Cœlo diverſa, nam eſſe volitum pertinet ad objectum, eſtque terminus actus; eſſe voluntarium eſt eſſe ipſum actum, de quo infra amplius.

ACTIO III.

Expenditur amplius explicatio Voluntarii.

Breviarium.

N. 1. *Quid apud Ariſtotelem* eſſe à principio intrinſeco?

2. *Liberum non auget rationem volumarii. Probatur*

3. *Obiectio pro D. Thoma retorquetur: alia ſolvuntur.*

4. *An Actus voluntatis ſint immediatè voluntarii, incertum.*

1. QUod Ariſtoteles ait, voluntarium aut, (quod idem pro nunc ſit,) ſpontaneum eſſe à principio intrinſeco, apud me, eſſe à voluntate, accipiendum eſt cum hac gloſſa, ut ſit à voluntate tamquam à potentia. Poteſt enim eſſe à voluntate, & non ut à potentia, ut cum ipſa voluntas movet intellectum eius, in quo eſt, ad cognitionem ſui: & fortaſſis movet ſe ipſum ad amorem ſui; illa enim motio intellectus licet ſit à voluntate non eſt voluntaria. Et amor ille quatenus à voluntate movente non eſt voluntarius, ſed tantum ut eſt ab eliciente.

Item non eſt diſtinguendum de voluntario perfecto, & imperfecto: Ratio quia in hoc conceptu omnia ſunt æqualia: &, ſi in aliquo differunt eſt aliud à ratione voluntarii.

Res exemplo declarabitur: quodlibet à Deo productū eſt opus Divinum; & licet res inter ſe differant in perfectione, tamen in hoc ſunt pares, v. g. Angelus eſt opus magis perfectum ſine dubio quam materia prima, tamen non eſt opus magis Divinum quam materia, unde expreſsè

Dico liberum non augere rationem voluntarii. Hæc directè impugnat communem ſenſum multorum de voluntario, quod volunt eſſe imperfectum quoties eſt neceſſarium; perfectum autem quando eſt liberum; vel cum indifferentiâ.

Ratio mihi prima ſit; quia eſſe *à* & eſſe *ad* ſunt correlativa; eo enim magis aliquid eſt ab alio, quo magis illud fertur in ipſum aut prorumpit in productionem ejus; ergò jam eò magis aliquid eſt à voluntate (in quo conſiſtit eſſe voluntarium,) quo magis aut fortius voluntas fertur in ipſum: Sed fortius fertur ſine dubio voluntas in id, in quod neceſſario fertur, quam in id in quod non neceſſario, ſed cum indifferentia & contingentia ſic fertur, ut poſſit etiam deſiſtere, ergo jam liberum, vel indifferentiæ illæ tantum abeſt quod augeant, ut potius quodammodo imminuant voluntarium.

Confirmo hanc rationem ad hominem; communiter enim tenetur, ut videbimus quod concupiſcentia auget voluntarium; ſed concupiſcentia adfert aliquid neceſſitatis, aut quaſi neceſſitatis; Utique non tollit indifferentiam voluntatis aliquo modo; & proinde opus eſt majori gratia ad vitandum peccatum tunc quam alias ceſſante concupiſcentiâ: ergò jam aliquid adferens neceſſitatem auget voluntarium atque ita ipſa neceſſitas quodammodo auget eam, adeoque non eſt cenſendum voluntarium magis perfectum, quod eſt magis liberum. Tertiò ſic, (ſi tamen ſit aliud à præcedentibus) nihil extraneum auget aliud extraneum peracceſſum ſui; v. g. quantitas non augetur per qualitatem, neque qualitas augetur aut intenditur per quantitatem. Atqui id à quo habetur perfectio voluntarii ſecundum Adverſarios, eſt extraneum illi; eſt enim cognitio major, ſcilicet actus intellectus; hic autem patet eſſe omninò extraneus actui voluntatis, & emanationi aut efficientiæ ejus, in qua conſiſtit ratio voluntarii: ut vidimus.

Ulti-

Digitized by Google

Ultimo exemplis, quia in Deo amor eſſentialis quo ſe ipſum proſequitur eſt voluntarius & tamen neceſſarius: ergo jam neceſſitas nihil diminuit de ratione voluntarii, quam conſequentiam probo: quia voluntarium in Deo eſt ſummè tale, & perfectiſſimè tale; non enim reperitur in Deo aliquid intra ſummum; ſi ergo eſt in eo voluntarium, illud eſt perfectiſſimum: quum ergo non ſit liberum, ſequitur voluntarium perfectum non eſſe voluntarium liberum. Eadem ratio redit de productione Spiritus Sancti, hæc enim in Deo voluntaria eſt, adeoque ſummè talis & perfectiſſimè talis, & tamen non libera ſed neceſſaria; & quaſi naturalis. Idemque eſt in re de amore Beatifico creaturarum; ſi ſit neceſſarius ut communiter tenetur; quod enim ſit voluntarius, non eſt dubium: denique aliqua inſtantia huius invenitur etiam in actibus viæ; nunc enim in via magis volũtariè amatur finis, quam media, nam propter quod unumquodque tale illud magis tale; & tamen major eſt libertas circa media, unde dicuntur illa eligi, quia unum ex pluribus accipitur; finis autem non item: liberum eſt mihi quodlibet medium rejicere, finem autem non.

Redeundo ad priores inſtantias, quæ plus virium habent, formo rationem à priori ſic: non eſt perfectionis poſſe recedere à bono; ſed libertas conſiſtit in poſſe recedere; ergo non eſt perfectionis; adeoque voluntarium liberum non eſt perfectius voluntario non tali; ſed hic objicit nobis aliquis pro D. Thoma: Quod eſt proprium naturæ rationali eſt perfectionis ſed operari voluntariè liberè eſt proprium naturæ rationalis; ergò erit perfectionis, atque ita ex duobus voluntariis, quorum unum eſt liberum, alterum non, perfectius eſt voluntarium liberum. Vis eſt in majori, quum ſic adſtruo; homo differt à bruto tamquam ſpecies perfectior ab imperfectiori; ergo comparando adinvicem illa, quæ propria ſunt, & quæ bruti, illa hominis erunt perfectiora. Reſpondeo retorquendo argumentum, utique enim Deus differt ab homine tamquam perfectius ab imperfecto, adeoque Divina erunt perfectiora humanis; ſed voluntarium Divinum ut vidimus eſt neceſſariũ: & licet Deus etiam habeat voluntarium liberum ad extra, id non præjudicat valori argumenti; nam Divina ad intra ſuo momodo excedunt illa ad extra. In re concedo libertatem eſſe perfectionis, at non univerſaliter, ut fateri habet ipſe adverſarius, ſed tantum circa quædam objecta, adeoque non rectè dictum eſt ab illis univerſaliter voluntarium liberum eſſe perfectius, quod fuit nobis intentum.

Objicio ſecundò; ſi ſufficit quod quidpiam ſit à voluntate abſolutè ad hoc ut ſit perfectè tale, neque opus eſt libertate aut indifferentia, ſequitur determinationem ad ſpecificationem actus æquè eſſe voluntariam potentiæ ac determinationem ad individuationem actus univerſaliter; hoc autem eſt falſum, quia in quibuſdam actibus voluntas non habet ſpecificationem ſub poteſtate ſua, ſed tantum exercitium: v. g. non poteſt optare miſeriam, aut fugere felicitatem, nec odiſſe ſummum bonum clarè viſum. Sequela patet, quia totus actus eſt à voluntate tam quoad individuationem, quam quoad ſpecificationem. Imò ſequitur hinc voluntarium eſſe ei quod non eliciat intellectiones ſed volitiones: hæc enim eſt quædam ſpecificatio actuum. Reſpondeo breviter negando ſequelam, niſi forte ſermo ſit de voluntate ut natura, non vero de ipſa ut potentia eſt: à natura enim eſt determinata ad hos vel illos actus in ſpecie: unde ad probationes ſequentes dico, aliud eſt ſpeciem actus eſſe à voluntate, aliud eſt determinationem ad ſpeciem actus eſſe ab illa. Primum eſt verum, ſecundum non, niſi quomodo jam explicavi: de quo amplius videri poſſunt dicta 2. Phyſic.

4. Dico jam ultimò circa verum voluntarium & ſubjectum ejus, ambiguum eſſe num actus voluntatis ſint immediatè voluntarii an non: eſſe autem probabile quod ſic. Dixi ſupra objecta non eſſe voluntaria ſed volita, neque alienos actus quamvis approbentur, v. g homicidium patratum à Petro, licet ergò in illud conſentiam, non proinde redditur mihi voluntarium. Jam de ipſo actu proprio operantis.

Probo aſſertum, quia ſi actus voluntatis, puta amores, producantur per actiones diſtinctas, quæ ſunt ſpirationes, ſicut dicuntur actus intellectus produci per dictiones ſuperadditas, tum actus voluntatis non erunt immediatè voluntarii, quia non dependebunt immediatè ab ipsâ voluntate in qua dependentia aut emanatione conſiſtit voluntarium ut vidimus. At verò adhuc ſub judice lis eſt, an non ita fiant iſti actus, ergo.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia iſti actus probabiliter loquendo non poſſunt ab alio fieri quã à voluntate: quod ſi ita ſit jam ſe ipſis fiunt & egrediuntur ab illa, atque ita ſe ipſis ſunt voluntarii. Quod non poſſint ab alio fieri ſuadetur, quia illi actus ſunt vitales eſſentialiter: at verò quod eſt vitale exigit fieri à principio vivente qua tale; ſed vivens qua tale eſt operativum immanenter, ergo jam iſti actus non poſſunt aliter fieri quam immanenter; atque ita non poſſunt fieri ab extrinſeco agente in mea voluntate

De his:

ARiſt. 1. *Ethic.* 1. Damaſc. *lib.* 1. *de fide c.* 24. Gregor. Nyſen. *lib.* 5. *Philoſ.* Roffen. *art.* 31. *&* 32. *contra Luther.* Victor. *re lect. de puer.* Ant. Preſ. *lect.* 1. *exam.* Almain. *tract.* 4. *Moral.* Gabr. Vaſq. 1. 2. *diſp.* 23. Azor. *lib.* 2. *Inſtit.* Cavel. *diſp.* 3. *de Anim.* Rober. Bellar. *tom.* 3. *lib.* 2. *de Amiſſ. grat.* Staplet. *de Iuſtificat.* Corn. *de Act. human. diſp.* 1. Salas *tom.* 1. *in* 1. 2. *tract.* 7. *diſp.* 1. Ægid. Conynck *diſp.* 1. *Moral. Dub.* 1. Ponc. *diſp.* 24. *Curſus, & in Comment. ad* 2. Scot. d. 40. *n.* 9. Franc. Felix *in Tentat.* Complut. *tom. tract.* 2. *de Act.* Conr. 1. 2. *q.* 18. Conymbr. *diſp.* 4. *Ethic. q.* 1. Tarquin. Gallut. *in Prologom. ad Moral. Ariſt. & q. in c.* 9. *libri* 5. *& in* 1. *lib.* 3. Sfort. Palavicin. *in* 1. 2. *diſp.* 3.

Digitized by Google

APOLOGIA SECVNDA.

De Libero.

ACTIO I.

Utrum in hominibus pro hoc ſtatu detur liberum Arbitrium? ubi etiam ſtatuitur, quid illud ſit?

ACTIO II.

Utrum ex duabus potentiis ſit liberum Arbitrium, Intellectus an Voluntas?

ACTIO III.

Utrum Libertas ſit intrinſeca actui voluntatis, nec ne?

ACTIO IV.

Utrum intentio & continuatio actus ſint libera, nec ne?

ACTIO V.

Utrum poſſibilis ſit omiſſio libera & pura, hoc eſt, ſine adjuncto actu?

Ibidem:

DUBIUM PRIMUM.

Utrum in pura omiſſione ſit difficultas?

DUBIUM SECUNDUM.

Utrum pura omiſſio poſſit eſſe meritoria?

DUBIUM TERTIUM.

An pura omiſſio habeat finem propter quem?

Scotus 4. *d.* 4. *q.* 49. *n.* 17.

QUod autem intellectio non ſit totalis cauſa volitionis, patet; quia quum prima intellectio cauſetur à cauſa merè naturali, & intellectio ſit non libera, ulterius ſimili neceſſitate cauſaret quidquid cauſaret, & ſic quomodocunque circuli fierent in actibus intellectus & voluntatis, totus proceſſus eſſet merè neceſſitate naturali: quod cum ſit inconveniens, ut ſalvetur libertas in homine oportet dicere poſita intellectione non habere cauſam totalem volitionis, ſed principaliorem reſpectu eius eſſe voluntatem quæ ſola libera eſt.

Idem 1. *d.* 47. *q. un. n.* 3.

IStud eſt permiſſio quod eſt ſignum voluntatis Divinæ; huic autem non correſpondet aliquid in ipſa volitione Divina, niſi non velle prohibere illud, ſive non nolle, quod eſt negatio actus Divini poſitivi, & perconſequens non eſt actus poſitivus: Et quod dicitur volens ſinere, hoc poteſt intelligi, non quod habeat velle rectum circa illud &c.

ACTIO I.

Digitized by Google

ACTIO I.

Vtrum detur in hominibus pro hoc ſtatu liberum Arbitrium? Vbi etiam ſtatuitur, quid illud ſit?

Breviarium.

N. 1. *Diverſæ definitiones liberi Arbitrii in unam recidunt.*

2. *Datur in hominibus arbitrium non ſolum à coactione liberum, ſed etiam à neceſſitate.*

3. *Objectio: ſolvitur: quomodo vis eligendi quod non eligitur non ſit fruſtra?*

4. *Alia, etiam ſolvitur. an ſingulæ ſuæ actiones ſint determinatæ?*

1. STatuo enim liberum Arbitrium eſſe facultatem, quæ poſitis requiſitis ad agendum poteſt agere vel non agere. Aliter dicitur, & quidem communius, quod ſit facultas quæ &c. poteſt agere & non agere: quæ definitio ut vides differt à præcedenti per particulam copulativam *&*; nam præcedens habuit *vel*, quæ eſt diſiunctiva: omnes autem intelligunt idem per utramque: qui utuntur diſiunctiva, ideo id faciunt quia vident nullam potentiã poſſe ſimul agere, & non agere, adeoque judicant ponendum agere *vel* non agere. Qui autem volunt conjunctivam *&*, ideo id agunt quia agere vel non agere poteſt etiam potentia neceſſaria ad agendum; nam ipſum agere ſolum, eſt agere vel non agere. Imò id poteſt potentia coacta, ut videbis applicando hanc eandem rationem. Sed omnia ſunt captiones, & quiſque intelligit mentem ſic definientis, quod ſcilicet velit liberum arbitrium præſtare habenti ut poſſit facere & quaſi eligere quod ipſi placet, ſive actionem hanc, ſive omiſſionem ejus. Et iſtam placuit mihi hic aſſerere parumper occaſione data: cæteroqui enim longe lateque tractatur à Controverſiſtis contra Hæreticos tam modernos quam antiquos: unde libet remittere lectorem ad dictos Authores quibus vix aliquid addi poteſt. Tentabo tamen hoc ipſum breviter, & omittendo antiquorum probationes.

2. Dico dari in hominibus liberum arbitrium, non ſolum à coactione; ſed etiam à neceſſitate. Hæc eſt communis D. D. eſt enim doctrina Catholica. Probatur à quibuſdam recenter ex definitionibus Pii V. & Gregorii XIII. Summorum Pontificum, qui ambo damnaverunt in Michaele Bajo hanc. *Quod voluntariè fit etſi neceſſario fiat, liberè tamen fit &c.* Ubi Pontifices intendunt damnare negantes libertatem. Sed revera ex his non fuit Baijus, ſed potius aſſertor ejus, quia nimirum cum ipſe confundat libertatem neceſſitati, & aſſerat iſtam ſcilicet neceſſitatem dari, utique aſſerebat libertatem dari, licet deinde non ſatis explicaret eam. Melius urgeri poſſunt Adverſarii ratione: nam ſi homo eſt tantum liber à coactione jam non plus habet libertatis quam bruta: neque homo ſanus pluſquam inſanus, neque adultus pluſquam puer: hoc autem aſſerere planè eſt inſanum, puerile, & brutale; igitur: ſequela probatur, quia bruta operantur ſine coactione: & multo magis homines, etſi inſani aut minorennes ſint.

S. Bonav. 2 diſt. 25. Roman. ibid. A. Caſtro Verb Lib. arb Vide S. Aug trib. lib S Proſper proprio opere VVald. t.1. lib.1.

Secundò ſic: in omni agente cognitiva proportionatur volitivæ, quia eſt propter ipſam, ut propter finem ſuum: ſi ergo homo non habet volitivam liberam per indifferentiam ad plura non debet habere cognitivam indifferentiæ: & vertendo argumentum, ſequitur, quod ſi habet cognitivam indifferentiæ (ut revera habet) quod etiam habeat facultatem volitivam ſeu appetitiva cum indifferentià, quod erat negatum.

Tertiò, quia Adverſarii videntur aſſerere & negare idem, nam revera neceſſitas cogit: atque adeo non poteſt facilè defendi, quod aliquid ſit liberum à coactione niſi ſit liberum à neceſſitate. Aſſumptum videbis probatum hoc diſcurſu. Veniat enim tempus, in quo neceſſe eſt hanc actionem fieri à me: ego, aut poſſum ſubtrahere me huic actioni omittendo eam, & fatentur Adverſarii quod volumus, aut non poſſum, & cogor; quia præcipitor ad agendum ab hac fatali neceſſitate. Confirmo: quia ſic intelligebant fatum ſuũ aſſertores ejus, volentes illud eſſe combinationẽ cauſarum, qua completa homo impellebatur ad opus, ut videas in Stoicis, Priſcillianiſtis & partim in Boetio Confirmo iterum: quia quidquid coactionis poteſt eſſe in agente externo eſt tunc in illis cauſis, adeoque illæ dici debent cogere; quod enim deeſt, eſt ex parte ipſius hominis ſcilicet nolle illud quod agit: atqui coactio non eſt in homine ipſo, ſed in externo agente, ergo nihil coactionis hic deeſt: & ulterius proſequor hoc argumentum ſic; coactio ut ab Adverſariis intenditur eſt quid impoſſibile, ergo jam aut verberant aerem, aut aſſerentes neceſſitatem aſſerunt coactionem. Antecedens oſtendo: coactio enim ipſorum eſt ut homo agat aliquid nolens, hoc autem eſt planè impoſſibile: eſt enim exigere, ut quis ſit volens & nolens idipſum, ergo. Pro Adverſariis hæreticis militant multa loca Sacræ Scripturæ & Sanctorum: ſed quia hæc adferre & ſolvere eſt Theologi, non verò Philoſophi moralis, pro illis remitto lectorem ad Controverſiarum Authores, & ſpeculativos etiam: qui latè negotium, etſi immeritò, tractant.

Objicio rationem: non ſunt multiplicanda entia ulla fruſtrà; fruſtra autem eſſet illa libertas indifferentiæ quod ſic aſtruo: quia nimirũ, cum homo ex duobus non eligat niſi unum, ſufficiet eum poſſe eligere aut complecti unum: quorſum enim potentia ad id quod nunquam eſt futurum aut faciendum? Si ergo non eſt futurum alterum extremum hujus contradictionis, ſcilicet, amare, non amare; ſed dumtaxat extremum poſitivum amoris, cenſendum eſt eum habere potentiam ſolum ad amorem, quod eſt eſſe determinatum, adeoque neceſſitatum ad illum. Reſpondeo ad hoc ut homo eligat unum, ſufficit ſine dubio poſſe eligere unum; tamen ad hoc ut liberè eligat unum: non ſufficit poſſe eligere unum; vel, ut rectiùs dicam, proſequi unum, Sed debet poſſe duo proſequi, & ſe determinare ad unum illud

præ alio, quod aliud quaſi rejicit & dimittit: unde Gloſsa acutè: *quod operor, & non operor ſunt partes eius quod operor.*

Objicio ſecundò: Actiones ſunt determinatæ hominibus, & homines actionibus; ergo ficta eſt hæc libertas indifferentiæ. Probo Antecedens incipiendo à medio trito de ſcientia Dei: quod aliter poſtea proſequar: Deus novit jam olim antequam ullus homo fuiſſet, quid facerent, & quid omitterent ſinguli homines: quo poſito utor ratione in hunc modum: Iſtæ actiones non ideo ſic futuræ erant aut ab his hominibus præ aliis, quia Deus eas vidit ſic futuras; ſed potius ideò vidit eas, quia ſic erant futuræ: ergo jam ex naturâ rerum erant ſic determinatæ, ut prodirent ab his hominibus iſtæ, & ab aliis non, neque aliæ actiones ab his: id autem ni fallor eſt eſſe neceſſitatũ non vero eſſe indifferens, adeoque. Reſpondeo hic miſceri vera falſis. Aſſumptum eſt falſum: ſed probatio ejus vera, at non ſufficiens: nego ergò actiones eſſe determinatas hominibus, aut homines actionibus: Concedo actiones viſas antequam fierent, & fuiſſe tum futuras illo modo, quo viſæ ſunt; at non fuiſſe futuras ex naturâ rei, aut neceſſario, ſed dependenter à libertate hominis, quia nimirum ille ſe determinaturus erat tali tempore. Sciendum enim eſt totam veritatem propoſitionum delumi à veritate propoſitionum de præſenti: ſicut ergo hæc Petrus amavit: hodie eſt vera, quia heri fuit vera illa: Petrus amat; ita hæc Petrus amabit: ideo eſt vera, quia hæc aliquando poſtea verificabitur: Petrus amat: non ergò ex neceſſitate: ſed ex libertate provenit veritas harum & ſimilium, cujus contrarium videtur decipere arguentem. Rationes tritas relinquo apud alios videndas. Eorum aliquis ſecundæ rationi à me poſitæ ſupra: aut potius alteri ex parte hæreticorum reſpondit negando conſequentiã, & dicendo quod poſtquam intellectus propoſuit bonitatem & malitiam, voluntas ſit capax amandi hoc vel illud, non tamen à ſe determinanda, ſed à Deo. At enim non oportebat tam ſollicitum eſſe pro hæreticis: neque ratio illa adhuc defecit: nam ſi determinatio ad unum ex duobus debet provenire à Deo: etiam cognitio ponenda eſt in Deo: hæc enim eſt propter determinationem: non paſſivam, ut noto notius eſt, ergo activam: ſi ergo in ipſo homine ponitur, in ipſo debet concedi indifferentia: & vis ſe ad unum ex duobus determinandi

R. Ariag.

ACTIO II.

Vtra ex duabus potentiis ſit liberum Arbitrium; Intellectus an Voluntas?

Breviarium.

N. 1. *Liberum arbitrium ipſa voluntas eſt.*

2. *Rationes dubitandi de hoc.*

3. *Voluntas non per denominationem externam ſed formaliter, & intrinſecè eſt libera.*

4. *Objectiones contrariæ, ſolutæ.*

1\. Mirabile ſane eſt de hoc eſſe diſſidium inter Authores: idque eſt ſolâ voce ortum, eo quod arbitrari pertineat ad intellectum. Sed quidquid ſit de cauſa, aliqui libertatem intellectui aſſignabant, alii habitui alicui ſuperaddito, de quo legendus eſt Seraphicus Doctor 2. d. 24. art 2.

Dico reſolutivè liberum Arbitrium poſitivè & realiter ſumptum ut debet pro facultate ſe determinandi, ut ſupra, non eſſe intellectum, neque aliud quam voluntatem, ſimpliciter & in recto loquendo. Hæc eſt communis neque egeret probatione niſi Durandus & alii in hoc genere non ſolum æquaſſent, ſed prætuliſſent intellectum voluntati.

Probatio: ſi libertas, hoc eſt facultas determinandi ad unum ex pluribus competit intellectui, vel illa competit ei reſpectu ſui, vel reſpectu voluntatis; non reſpectu ſui, quia non poteſt ſe determinare, ſed determinatur ab extrinſeco puta ab objecto: Unde ſi objecta ſint æqualia, intellectus nunquam poteſt præferre unum alteri: ut ſi ponantur rationes æquè probabiles pro utrâque parte alicujus quæſiti, puta hujus: aſtra ſunt paria; aſtra non ſunt paria; intellectus nunquam poterit judicare ea eſſe paria, aut reſpuere ſententiam quæ diceret ea non eſſe paria.

Hinc probo ſecundam partem: quia potentia determinativa incipit à ſe; & præ omnibus habet hanc virtutem reſpectu ſui; quod ergo non habet reſpectu ſui multo minus habebit reſpectu alterius. Aſſummptum patet apud nos in voluntate, hæc enim ſe & alias potentias determinat. Unde Auguſtinus: *nihil tam in poteſtate voluntatis* Ser. 9. de
quam ipſa; & eſt univerſale in omnibus formis, Verb. Do.
omnes enim tribuunt ſibi ipſis in primis ſuos effectus formales: Nam albedo eſt primum diſgregativum viſus, & quantitas primum impenetrabile; & ſic de cæteris.

Pergo & arguo ſic: nam ſi intellectus non determinat ſe, determinat autem voluntatem, quæro à quo determinetur intellectus; dicent utique, quod à voluntate; ſed hinc ego elicio concluſionem; quidquid enim eſt cauſa cauſæ, utique eſt cauſa cauſati: ſi ergo voluntas determinat intellectum, utique determinabit illud quod ab intellectu determinatur; ſicut avus eſt cauſa nepotis: id autem eſt intellectus, adeoque &c. ut ſupra, quam concluſionem permittere non eſt aliud quam palam aſſerere, quod voluntas à ſe determinetur, quæ eſt noſtra doctrina.

Secundò ſic arguo: Liberum arbitrium eſt & exercetur reſpectu boni; intellectus non ſe exercet nec eſt à naturâ occupatus aut inſtitutus reſpectu boni, ſed reſpectu veri; ergo.

Tertiò ſic, quia ſi voluntas determinaretur ab intellectu; non vero à ſe; tunc ad complendã aliquam actionem bonam, non eſſet adjuvanda voluntas ſed intellectus, quod eſt falſum; & contra

uſum

Digitized by Google

uſum Eccleſiæ: quæ orat Deum, *ut cogitemus eo inſpirante, quæ recta ſunt, & eo gubernante eadem faciamus.* Item ſic: non eſſet neceſſaria pia affectio voluntatis ad credendum, ſed ſufficeret aliud imo affectus pertineret non ad voluntatem, ſed ad intellectum. Denique ſi in intellectu eſſet libertas, tunc numquam deveniremus ad terminum alicujus diſcurſus; nec concluderetur unquam aliquid efficaciter, quod manifeſte patet eſſe falſum; ſed patet ſequi, quia cum intellectus ſit liber, quantumcunque ſtringatur veritatibus neceſſariis & probationibus earum poterit negare omnia prout ipſi placitum: cujus ſignum eſt quia ore negamus, vel negare poſſumus omnia, eo quod os ſubjicitur voluntati quæ eſt libera.

Argumenta Durandi frivola ſunt: movebo alia urgentiora; primo quia turbato aut impedito intellectu non eſt libertas ulla in homine: ergo tota libertas in intellectu eſt, aut ſaltem ab ipſo, patet antecedens in puero, itemque in inſano quorum actiones ideo liberæ non ſunt, quia impeditum eſt judicium rationis. Reſpondeo ſi valet ratio probat quod non tantum ſit in intellectu, ſed ſit etiam tota in cerebro materiali hominis; ſeu in imaginativâ ejus, quia nimirum cum hæc læditur, impeditur libertas, neque imputantur actiones ſecutæ: Reſpondeo ergo ſecundò hoc probare tantum quod intellectus aut aliquid ipſius requiratur ad exercitium libertatis; nam etſi applicatio requiratur ad actionem ignis, & unio ad effectum cujuslibet formæ communicandum, tamen neque vis activa ignis conſiſtit in applicatione, neque forma reddit informatum per unionem ſed per ſe ipſam; nam paries albedine eſt albus, non vero unione ejus ad ſe.

Objicitur ſecundò: voluntas neceſſario amplectitur id quod proponitur ab intellectu, tamquam majus bonum; ergo jam omnis indifferentia, quæ hic intervenire poteſt, eſt in intellectu, non vero in voluntate. Aſſumptum hujus mirum eſt quanto applauſu recipiant Thomiſtæ, cur credis? quia (inquiunt) alias contingeret defectus in voluntate ſine ullâ ignorantia in intellectu; ita illi; quaſi vero hoc eſt abſurdum, ac non magis neceſſarium, alias enim non poſſet contingere peccatum Chriſtiani ſine hæreſi.

Acrius ergo aliter urgeri poteſt argumentum Phyſicè ſic: ſi enim intellectus rectè dictaret, & voluntas pravè eligeret, ſive contrarium ejus quod dictat ratio, ſequeretur aliquod volitum eſſe quod non eſt præcognitum; hoc autem non ſolum eſt abſurdum; ſed impoſſibile; ergo; ſequela probatur, demus enim aliquem furatum eſſe ſtante dictamine intellectus de eo quod non ſit furandum; tum voluntas practicè exercebit id quod non eſt practice dictatum ab intellectu, adeoque. Reſpondeo primo non eſſe neceſſarium ut intellectus practice verſetur circa quodlibet; nam etſi ſpeculativè tantum illud apprehendat, eo ipſo erit cognitum atque ita ille non tendet in incognitum. Secundo dici poſſet dari etiam dictamen aliqualiter practicum de omni eo; quod voluntas proſequitur, non tamen dictamen de jure, ſed potius de facto, ut loquuntur, non enim dicit Intellectus de furto, v.g hoc rationabiliter eſt agendū præ illo id enim eſſet error, & hæreſis; ſed eſt quidam quaſi inſtinctus à concupiſcientiâ ortus, ac ſi diceret: fac hoc, unde non caret omni veriſimilitudine opinio Thomiſtarum, qui volunt imperium ad intellectum ſpectare.

Dic ergo ſecundò voluntatem formaliter & intrinſice liberam; & nequaquam per denominationem extrinſecam: Ratio, quia voluntas ſecundum ſe ſumpta prout abſtrahit ab extrinſecis, aut eſt liberè activa, aut naturaliter & neceſſariò, aut omninò non eſt activa: ultimum hoc non poteſt eſſe; quia extrinſeca non tribuunt vires activas ulli, nec ſecundum, alias actus eliciti ejus nunquam eſſent liberi; ſed tantum imperati; ſic enim de facto contingit intellectui, qui ſecundum ſe eſt naturaliter activus; at vero id eſt falſum, & potius actus eliciti ejus ſunt liberi; nam magis liberi ſunt quam imperati; ergo.

Secundò, quia juxta principia Adverſariorum dicendum eſſet quod nec Deus eſſet activus cum cauſis ſecundis, niſi per denominationem extrinſecam ab ipſis; quia nimirum non poteſt agere niſi ſuppoſitis ipſis, & poſitâ actione eorū implicat eum non concurrere. Objicies id ipſum fere; ſi enim voluntas agat ſine cognitione objecti indifferenti ſine concurſu Dei indifferenti, ſive cum determinatione, non liberè aget: ergo licet ſit activa intrinſecè, tamen liberè activam eſſe ab extrinſeco habet: ſolvo hoc argumentum diſponendo ipſum in aliâ materiâ ſic; oculus non poteſt videre ſine lumine; ergo eſſe viſivum in eo eſt denominatio extrinſeca; non valet nec opus eſt pluribus quia cuilibet apparet inepta argumentatio. Imo poſſet hinc prætendi quod ad libertatem voluntatis opus eſſet ab ipſamet poni omnia requiſita; quia in definitione cauſæ liberæ dicitur; quod poſitis omnibus requiſitis poſſit agere, vel non agere, & ſimilia alia, quæ frivola ſunt.

Acrius eſt hoc quod objicio ſecundò: eſſe liberè activam in voluntate reducitur ad actum ſecundum per liberam actionem; unde tale eſt eſſe liberè activum in voluntate, quale eſt eſſe liberè agentem; utique enim actus ſecundus aſſimiliatur actui primo. Sed eſſe liberè agentem ſic voluntas habet per aliquid extrinſecum non per aliquid in ipſa ſolâ manens, ergo: Minor probatur infra, conſequentia autem patet, adeoq; &c: hoc argumentum aliquid valet ſuppoſita veritate Minoris infra ſtatim expendenda; ſed non debet cenſeri abſolute viciſſe; non enim valet hoc: oculus habet eſſe videntem per aliquid diſtinctum realiter ergo ſimiliter eſſe viſivum; non valet, ita ſimiliter, ſed redire poteſt ratio contra hanc ſolutionem, ut non ſit ſimile, ſic: oculus habet eſſe videntem per aliquid intrinſecum, ſi inferas, ergo etiam habet eſſe viſivum ſic, valet. Deinde libertas quam habet voluntas, & exercet in agendo eſt illa quam habet in actu primo aut alia: ſi primum, & hæc eſt extrinſeca, ſequitur, quod illa actus primi eſt extrinſeca; ſecundum autem dici non poteſt alioquin exercitium non eſſet hujus exercitivum neque actus ſecundus eſſet actus hujus; tamquam actus primi.

Denique datâ occaſione adferam hic argumentum, quo ſuadeatur nullam dari libertatem, nec in actu nec in potentiâ: nam entitas potentiæ, puta voluntatis, eſt neceſſaria; non enim voluntas eſt libera quoad eſſe, & non eſſe; ſed tantum quo ad agere aut non agere; adeoque jam videtur hinc confectum, quod nulla ſit libertas in actu primo; ſed nec in actu ſecundo;

Digitized by Google

qualis ille qui elicitur à principio potente agere tantum, aut determinatâ ad agendum; hic autem eſſet neceſſarius, adeoque: Ratio conſequentiæ, quia actus liberandus eſt per ſua per ſe principia, non vero per illa quæ per accidens ſunt principium, aut aliquid principii ejus.

Aliter arguo pro eodem: Actus ſit liber de neceſſario per hoc quod voluntas eliciens eum habeat cognitionem objecti & circumſtantiarum; at vero certum eſt cognitionem objecti non influere in actum voluntatis, tum quia ipſum objectum non influit Phyſicè, ſed Metaphyſicè aut moraliter ut ſuppono, tum quia cognitio non eſt activa ullius, niſi fortè habitus relicti in ipſo intellectu.

Poſſumus etiam aliter de cognitione arguere explicando præcedentem rationem ſic: cognitio, quæ reddit intellectum liberum ad utrumque extremum, ſeu ad ſingula eſt cognitio utriuſque extremi, amoris & omiſſionis ejus, quarum illa quaſi invitet ad amandum, hæc retrahat ab amando: at vero per accidens eſt actui amoris præſupponere cognitionem de non amando; loquor de actu amoris Phyſicè ſumpto, & probo minorem, quia illa cognitio retrahens ab amore clarum eſt quod non influit in amorem, imo defluit ab illo, ut ſic dicam; ergo præſentia hujus perinde eſt ac abſentia ejus ad rationem amoris: adeoque non poteſt ab illo aliquid derivari in actum voluntatis, atque ita nec ab utrâque cognitione quod non derivatur ab uno ſolo: idem tenor rationis applicari poteſt concurſui Dei, qui requiritur ad actum non quicumque ſed indifferens, & æque paratus ad utrumque extremum commiſſionis & omiſſionis: ut infra deducam; nunc

Objicitur in contrarium: Actus liber eſt objectum ſpecialis complacentiæ Dei, cujus non eſt neceſſarius; ergo habet intrinſecum aliquid, quod non habet actus neceſſarius: Antecedens patet quia eſt meritorius, & accipit præmium à Deo. Reſpondeo: Recentior per hoc intendit probare libertatem eſſe quid identificatum actui: ego autem propter hoc renuo concedere ei illam eſſe intrinſecam vel inhærentem ut infra. Ad ipſum dico in primis illum probare quod etiam actui externo inſit, aut etiam identificetur libertas, quod non tam facile admitteret arguens: Deinde retorquetur Theologicè inſtantiâ actuum Chriſti Domini: cujus actiones fuerunt objectum ſpecialis complacentiæ Divinæ, & ſine dubio ob ſuppoſitalitatem verbi annexam, & tamen ſuppoſitalitas non erat intrinſeca; & multo minus identificata illis; ſimile eſt in aliis juſtis de gratiâ ſanctificante, ſuppoſito quod non concurrat Phyſice ad actus ſed formaliter; ſi autem in his caſibus reſultat aliquid morale in actus, dic idem in propoſito.

Objicitur idem ſecundo: actus liber eſt terminus & actus ſecundus potentiæ Phyſicæ: ergo eſt realis ut talis, & ita libertas erit talis, erit etiam aliquid afficiens actum; quia alias non eſſet aliquid termini producti: confirmo quia ipſa potentia ſeu libertas ejus non poteſt eſſe terminus ſuus: ergo actus non eſt liber per libertatem potentiæ, ſed per propriam: prima conſequentia patet, quia exercitivum potentiæ realis debet eſſe reale; ſi ergo libertas eſt exercitivum potentiæ realis, ſequitur, &c. Reſpondeo primò negando hanc primam conſequentiam & probationem eius, etenim potentia habet exercitium libertatis ſuæ abſque ullo reali; nam quùm potentia omittit actum, ſeu non agit purè, utique liberè omittit, & tamen non actio non eſt quid reale. Secundò dico actum liberum eſſe terminum potentiæ Phyſicæ, ſed ſpecificativè, non vero reduplicativè ſumptum, hoc eſt non ut liber eſt, ſed ut actus eſt.

4. Obiicio tertio; ſi actus non habet aliquid in ſe, quod ſit libertas, iam erit liber per libertatem potentiæ; atqui hoc non poteſt eſſe: quia libertas potentiæ eſt ad agere, & non agere: actus autem non eſt liber ad agere & non agere, quùm omnino non ſit activus: ergo. Reſpondeo proinde hanc locutionem eſſe vulgarem magis quam Philoſophicam in rigore, ſicut etiam eſt illa quâ ſtatua aut pictura dicitur opus humanum, quùm in illis nihil ſit humanitatis. Reſpondeo ſecundò iuxta principia ponentia denominationes extrinſecas, libertatem potentiæ poſſe aliter denominare actum quam ſe ipſam; ſic paries dicitur viſus à viſione, quæ eſt in oculo: quum tamen viſio oculi ſit active, & paries denominetur viſus paſſive.

Occaſione data perſtringitur ſcientia media Recentium.

HIc numero 2. probavi nullam differentiam poſitivam libertatis reſultare in actum à libertate potentiæ, eo quod libertas potentiæ conſiſtit in poteſtate agendi, & poteſtate non agendi: at vero poteſtas non agendi non influit in actum: idem dixi de cognitione conſtituente actum liberum: quæ eſt cognitio dictans de poſitione & de omiſſione actus: nam cognitio dictans de omiſſione ſine dubio non influit in poſitionem eius; & denique dixi idem filum diſcurſus trahi poſſe ut probet concurſum Dei non influere tale quid in actum; idque hic à me oſtendendum, quod ſic præſto: nam concurſus Dei reddens actum liberum eſt compoſitus ex duobus concurſibus, quorum ſinguli ſint ad ſingulas partes libertatis: v. g. ſi ſit libertas contrarietatis, erunt duo concurſus, unus ad amorem, & alter ad odium; & ſimiliter de libertate contradictionis: uterque autem non poteſt influere in actum ſequutum: ſi enim ſit amor, clarum eſt quod non influat in eum concurſus datus ad odium, (ſi ponendum ſit odium à Creaturâ,) & ſimiliter de concurſu ad odium ſi ponendus ſit amor: fundamentum huius diſcurſus fateor me legiſſe apud Recentes, contra quos ipſum retorqueo in aliâ materiâ ſic.

6. Dico enim ſtante illorum ſcientia media nullum actum Creaturæ certò eſſe liberum, & contrarium, hoc eſt neceſſitatem omniũ actuum, ſequi ſuo modo ad illam ſcientiam; in quo tamen non damno abſolutè doctrinam, ſed inconvenientiam eius aſſigno: ecce ipſam, ſi enim Deus concurreret concurſu illo, qui eſt ad unam partem determinatè, non adhibendo ullum omnino ad alteram partem, utique actus hominis ſequutus non eſſet liber, ſed omnino neceſſarius, ut ipſimet Recentiores, non ſolum fatentur, ſed adſtruunt

dſtruunt & probant; atqui poſitâ ſcientia media dicendum eſt ita fieri; quod ſic oſtendo: Per ſcientiam mediam videt Deus quid factura ſit creatura cum concurſu ejus indeterminato in his & his circumſtantiis: v. g. utrum amatura ſit an odio habitura: demus autem ipſum videre, quod ſit amatura: tum ſufficiet ei dari concurſum ad amorem; nam fruſtra daret ei concurſum ad odium cum ſciat illum nulli uſui fore, eo quod voluntas creata cui cooperatur, nullatenus convertet ſe ad odium; quumque certum ſit Deum nihil fruſtra aut irrationabiliter facere, ſequitur eum, nullum concurſum debere voluntati ad odium; atque adeo dare ei concurſum determinatum ad amorem: at vero hoc facit actum amoris planè & plenè neceſſarium, atque ita ſi ſit bonus, homo non merebitur per illum; ſi ſit malus; non poterit caſtigari propter eum, quod eſt omnino auferre è rebus virtutes & vitia, quantum ad omnem imputationẽ quæ fieri poteſt homini, eo quod auferat libertatem, ut vides aperte.

Dices, Deus daret concurſum ad odium, niſi voluntas ipſa reddidiſſet eum inutilem, & quaſi reſpuiſſet eum, adeoque: Reſpondeo illud *adeoque* quæro quid inferat? ſi relictum eſſe meritum aut libertatem homini; nego illud, adhuc enim conſtanter ſtat illud veriſſimum, quod non ſit libertas, & quod non ſit meritum; & remanet verum dumtaxat, quod eſſet libertas, & eſſet meritum, non enim hæc ſunt niſi quando eſt indifferentia in concurſu Dei: ſi ergo non eſt hæc de facto, ſed eſt de poſſibili: ſequitur quod libertas non ſit de facto, &c. Juvo diſcurſum hunc Phyſicum alio altiori & Theologico: ad hoc ut ſerventur præcepta Dei & imputari poſſint prævaricationes eorum debet adeſſe homini auxilium ſufficiens ad vitanda omnia peccata: nam ut infert Aug. *ſi hoc homini defuiſſet non utique ſua culpa cecidiſſet*: ſed ad libertatem exercendam, ſimiliter & ſimpliciter neceſſarius eſt concurſus ad utramque partem, & nullatenus determinatus ad unam: ergo ubi ille cenſetur rationabiliter deeſſe, cenſetur etiam libertas rationabiliter deeſſe: imo multo magis neceſſarius videtur concurſus ille quam auxilium, quia hoc ad actum liberum ipſum requiritur, illud ad meritorium tantum: unde valet hæc illatio; jam non habet Adam auxilium ſufficiens ad vitandum peccatum: ergo jam non peccat: valebit dicere ergo ſimiliter; jam non habet homo concurſum indifferentem, ergo jam non libere agit.

Dices à pleriſque teneri quod pro hoc ſtatu deſunt auxilia ſufficientia: & tamen certum eſt non deeſſe peccata; cujus doctrinæ Author dicitur Aug. Reſpondeo pro me ſufficit illa conſequentia ab Adamo ducta: facit enim paritatem: ſatis enim eſt ad valorem argumenti quod in aliquo ſtatu gratiæ ſufficientis defectus excuſet à peccato. Reſp. ſecundò licet aliqui forte negent gratiam ſufficientem pro hoc ſtatu; nemo eam negat niſi in pœnam peccati: & dicunt Deum non potuiſſe ſe ſolo negare illam, at vero concurſum indifferentem ſe ſolo negare poteſt poſita ſcientiâ mediâ, adeoque.

ACTIO IV.

Vtrum intenſio & continuatio actus ſint liberæ, necne?

Breviarium.

N. 1. *Rationes pro parte negativa.*
2. *Concluſio affirmativa, ubi etiam probatur actum non intendi quando creditur communiter.*
3. *Non omnis continuatio actus eſt agenti libera pro nunc: probatur.*
4. *Rationes in oppoſitum ſolutæ: an ſemper male agere ſit peccare.*
5. *Continuatio ex genere ſuo & in agentibus incorporeis non eſt neceſſaria.*
6. *Solvuntur rationes ſupra num: primo adducta.*

1. DUdum jam Ariminenſis movit litem contra continuationem actus, aſſerens eam non eſſe liberam ſemper: nemo quod ſciam contra intenſionem, quum tamen illa non minus poſſit dubitari: imo & negari. Dabo rationes dubitandi ut ex illis lector deinde ferat ſententiam: Aliquis incipit actum amoris in principio horæ: & per totam illam continuat: hic tota illa horâ non tantum continuat actum, ſed auget habitum; nam quùm actus continuatus ſit inſtar plurium ſuccedentium, quod feciſſent illi plures facit ille unus, adeoque auget habitum, quum hic poſſit augeri per actus etiam æquales ut ſuppono ex ſuo loco. Hinc vero habetur negotium hujus loci, nam habitus auctus intendit actum, adeoque ille actus in fine horæ eſt longè intenſior ſeipſo: imo in medio, & in qualibet parte horæ. Quod vero hæc intenſio non ſit libera inde ſuadetur, quia eſt à principio neceſſario ſcilicet ab habitu, nam agens ut ſupponimus non movet ſe magis nunc quam ante & eodem conatu agit, adeoque. Hæc ratio in habitu ſupernaturali dupliciter locum habet, nam habitus talis, v. g. habitus charitatis influit in actum ſuum Phyſicè, ſcilicet in actum amoris, adeoque intendit eum ſimiliter. Deinde etiam ex altera parte, quum ut ſupponimus ſit realiter gratia, & forma ſanctificans, dignificat perſonam, atque etiam actum ejus, & auget valorem illius: hæc autem intenſio eodem fundamento probatur non eſſe libera, adeoque.

2. Cenſeo intenſionem actus his non obſtantibus eſſe liberam; imo in his caſibus actum non intendi: quia nimirum actus non producitur à ſolo habitu, cum ſint aliqui gradus in ipſo qui reſpondent ipſi potentiæ, & neceſſario debent ab ipsâ prodire: v. g. ratio actus vitalis: hi ergo ſicut non poſſunt produci niſi à potentiâ

agente

Digitized by Google

agente, ita nec intendi niſi potentia intendente conatum: ſi ergo ſupponimus eundem eſſe conatum potentiæ per totam horam, ſequitur eandem eſſe intenſionem horum graduum, atque ita reliquorum.

Iſta ratio quam maximè locum habet in habitu ſupernaturali reſpectu ſui actus, nam alia eſt ratio reſpectu habitus acquiſiti: exiſtimo enim illum non intendere propriè actum ſed facilitate, quæ diverſa ſunt, & omnino ſeparabilia; nam ſcribens aut ſaltans benè ut tria, ſi exerceat ſe in his actibus, ut tria, facilius ſcribet, at non melius, nam characteres eodem modo ducet jam quo ante, licet jam promptius.

Sed inquies ſuppoſito quod in iſtis caſibus intendatur actus num intenſio erit libera? exiſtimo reſpondendum negative: quia nimirum non eſt in manu agentis cohibere illam: ita enim intelligitur hic libertas ac neceſſitas; nam ad defendendum quod continuatio actus ſit libera omnes ſe vertunt eo, ut oſtendant continuationem eſſe in manu agentis; & poſſe eum deſiſtere ab agendo quando ipſi libet.

Objicies: cauſa intenſionis eſt libera agenti, ergo & ipſa. Antecedens patet: quia ipſe eſt cauſa ejus, eſt enim cauſa habitus, hic autem eſt cauſa intenſionis, quod ſufficit. Reſpondebo ad hoc infra reſolvendo negotium de continuatione. Interim

Objicio ſecundo: illa intenſio eſt meritoria, ergo libera. Antecedens intelligendum eſt vel maxime in caſu actus & habitus ſupernaturalis, v.g. actus charitatis, utique enim majus eſt præmium talis actus intenſi quam remiſſi. Reſpondeo primo, non omne quod auget præmium eſſe meritum, neque omne augmentum præmii dari propter meritum, Deus enim præmiat ultra condignum, nam illud quod dat ultra, non eſt ob meritum, alioquin non eſſet ultra ipſum. Deinde ponamus aliquem eſſe unitum hypoſtaticè perſonæ Divinæ abſque eo, quod ipſe id ſciat, illius actus ſine dubio erunt majoris valoris quam aliorum hominum actus, nec tamen videntur majoris meriti; ſed hæc excedunt Ethicum tractatum. Unde

3. Dico breviter ad ſecundum, non omnem continuationem actus eſſe agenti liberam immediatè pro hoc ſtatu. Itaque exiſtimo nos pro nunc non poſſe ſtatim reſilire ab actu poſito, ſed debere aliquamdiu in illo morari. Ratio, quia pro hoc ſtatu non agit ſola voluntas, ſed cum illâ appetitus ſenſitivus: at vero appetitus ſenſitivus non poteſt ſtatim reſilire, aut retractare ſuum actum, ergo nec voluntas. Major hujus patet ex proportione, utique enim ſic ſe habet appetitus ſenſitivus ad voluntatem ſicut ſenſus communis aut immaginativa ad intellectum: at vero intellectus non poteſt agere niſi coagente ſenſu communi, nam *oportet intelligentem fantaſmata ſpeculari*, ergo nec voluntas niſi coagente appetitu ſenſitivo. Confirmo experientiis magorum & maleficarum quæ incantationibus ſuis alliciunt mulieres ad amorem virorum & è contra: id enim fit per immutationem humorum corporis, & appetitus ſenſitivi, nam in voluntatem immediate nec ipſi dæmones agere poſſunt, & tamen in his caſibus contingit inflammari voluntatem paſſionibus amoris, odii, vindictæ, &c, quæ omnia fiunt per cauſas naturales immutando concupiſcentiam hominis: imò ipſa de ſe ſuſcitat voluntatem quæ non poteſt facile compeſci niſi ſedatâ tempeſtate fomitis, ut patet paſſim, adeoque hæc pars in tuto eſt.

Ariſt. 3. de An. c. 8. tex. 39.

Probo jam alteram partem, quæ fuit minor argumenti, ſic: immutatio appetitus & humorum ejus fit per motum localem, aut certe per alterationem: at vero hæc non fiunt in inſtanti, ſed debent in tempore produci ac deſtrui ut ſuppono ex ſuis locis.

Dices, non eſſe ſupponendum quod qualitas non poſſit in inſtanti produci. Reſpondeo qualitates aliquas poſſe in inſtanti produci, ſed illas quæ non habent contraria, ut lux, certum eſt autem quod appetitus ſenſitivus non immutetur per lucem, aut ſimile, ſed per aliquas ex primis qualitatibus elementorum, aut ex aliis quæ ex his componuntur.

Deinde demus qualitates alias poſſe in inſtanti produci; at non poterunt in inſtanti mutari in contrarias: v.g. calor in frigus; quia hæc mutatio fit per luctam & pugnam, quæ ſine dubio tempus requirit; atque hinc univerſaliter ſuadetur non poſſe has qualitates unquam deſtrui in inſtanti, quia nimirum agens naturale non poteſt deſtruere immediatâ actione, ſed debet deſtruere producendo, utique contrarium eius, quod deſtruendum eſt per ipſum; hoc autem fit in tempore, ut vidimus.

Objicio: ſit actus bonus, ille de quo controverto, ſi continuatio ejus non eſt libera, ſed neceſſaria, pro aliquo tempore, ſequitur gratiam Dei dari ad actus neceſſarios; hoc autem eſt falſum: quia gratia Dei non datur niſi ad actus meritorios, loquor de actibus voluntatis: at vero omnes tales ſunt liberi, ergo. Sequela tamen probatur quia gratia Dei concurrit ad conſervandum illum actum ſine dubio ſicut concurrebat ad producendum. Reſpondeo non eſſe hoc tam indubitatum: qui volunt vitare abſurditatem meriti infiniti per continuationem neceſſariam, dicent illud non eſſe meritorium, nec gratiam ad id concurrere. Et ſanè hoc eſt conſequens ad ſeipſum, nam gratia datur non ad ſubſtantiam actus ſed ad meritum. Dic ergo conſequenter ad principium: ſi voles actum eſſe meritorium, dic dari ad eum gratiam; ſin minus, non, de quo me aperiam amplius infra, hic.

Objicio ſecundo: ſi continuatio actus eſſet neceſſaria; ſequeretur hominem pro aliquo tempore hujus vitæ male agere; & non peccare; ſimiliter bene agere nec mereri: hæc autem ambo ſunt falſa; nam ambo ſunt propria ſtatui termini, & repugnantia ſtatui viæ: ſequela patet: quia odium continuatum eſt actus malus, & tamen continuans illud non peccaret, quia non libere continuaret. Urgetur efficaciter hoc argumentum ponendo hanc continuationem incidere in ultimum vitæ hominis: tunc enim in hac ſententia ponitur extra ſtatum ſalutis, & decederet impœnitentiâ finali ſine novâ culpâ ejus, quod eſt periculoſiſſimum; ſed patet hinc ſequi, quia non poteſt tunc ſe retrahere à malo. Huic difficultati ſolvendæ valdè opportuna eſſet ſententia illa, quæ ad meritum requirit libertatem à coactione non vero à neceſſitate; tum enim negari poſſet conſequentia ut vides; & quamvis ſententiam illam nec approbare velim, quia non

non placet abſolutè, nec damnare, quia adhuc hodie ut audio controvertitur, tamen puto eam habere poſſe locum, quando neceſſitas eſt ignota agenti, ac è contra eſſe falſam, quando eſt nota ei, & reluctatur. Explico me ex hactenus dictis: requiritur enim concurſus Dei indifferens, hoc eſt duo in utramque partem parati ad exercitium libertatis; tamen ſi Deus det concurſum ad unam illam partem, quam ſponte eligit homo, quid deeſt illi ad libertatem? nonne totâ ſponte non ſolum voluntate, ſed voluptate agit, ita ſane: & ita ſimiliter hic continuatio actus eſſet libera, quia licet non poſſit retrahere ſe ſi vellet, tamen nunquam id vult, neque tentat facere homo.

Alius aliter reſpondit continuationem eſſe liberam, licet non in ſe immediate bene tamen in causâ, ſcilicet in actu poſito à principio, quia ad illum ſequitur, & ille liberè ponitur: At enim ni fallor hic non expedivit nodum: fateor ſufficere ad libertatem effectus, quod cauſa ejus ſit libera; ſic combuſtio meritò imputatur ei, qui ignem apponit, &c. at enim ut hæc doctrina procedat opus eſt quod effectus ille ſciatur conjunctus tali cauſæ, & adhuc quis velit cauſam ponere, alioquin non poterit imputari, ſicut non eſt reus homicidii qui explodens bombardam in aucupio, hominem occidit caſualiter: at vero non omnes ſciunt continuationem eſſe neceſſariò annexam actui; ſed in ſcholis ſolum diſcitur; ſimplices nihil audiunt de eo; imo nec docti ipſi univerſaliter ſic regulari poſſunt; nam nonnulli id negant, adeoque: Ergo denique ſi non ſufficiat prima ſolutio, dicat ſeu concedat omnia, & neget ea eſſe tam abſurda; nam & alibi hoc contingit, inſani enim habent actus ſecundum ſe bonos, nec tamen meritorios defectu libertatis: ſi ergo hi admittendi ſunt per multos annos extra ſtatum viæ in rigore loquendo, quid mirum ſi aliquid tale concedatur per motulam imperceptibilem? quo etiam modo dicendum ad illud de finali impœnitentiâ: nam ſi inſania corripiat hominem in peccato, fit finaliter impœnitens ſine novâ culpâ: Imo abſque hoc evaditur abſurditas inſtantiâ ipſius actus, nam ſi in eo decedat, (loquor de eo in primo inſtanti productionis,) decedit in impœnitentiâ finali: iſta ergo ſunt pœnæ non culpæ: ideſt ſunt infortunia quædam.

Dico jam continuationem actus ex ſe non eſſe neceſſariam; ſed ab intellectu & voluntate ſeparatis, ſeu non conjunctis corpori, poſſe liberè fieri.

Ratio in promptu eſt, quia nimirum nulla ratio fuit adverſariis hoc negandi: fundati ſunt enim in compoſitione continui ex indiviſibilibus & partibus ſibi ſuccedentibus; quia ergo actus incipit in inſtanti; quum ſit indiviſibilis debet etiam ob eandem rationem deſinere in inſtanti; quum ergo inter duo inſtantia mediet pars temporis, actus neceſſariò debet perſiſtere in illâ parte intermediâ, adeoque non liberè: nam & ſi voluntas vellet illum deponere interim, non poſſet: hoc in quam leve, & puerile pæne eſt, ut infra: ergo.

Secundò arguo ad hominem ex hac ipſa ratione ſic: actus poteſt deſtrui in illa duratione: in qua poteſt poni, (loquor de illa duratione in ſpecie,) ſed poteſt poni in parte temporis: ergo deponi etiam ſeu deſtrui. Major eſt ipſorum ut videtur ex ratione præcedenti; Minorem probo ſic: poteſt continuari actus in parte temporis, ergo & produci: Antecedens eſt etiam ipſorum, ut vides, conſequentiam probo, quia continuatio eſt quædam productio: imo eſt ipſo ipſa productio durans, &c. quæ ſic urgeo: quia in continuatione tali non tantum continuatur actus, ſed continuatur productio ejus: at vero productio actus eſt inſtantanea, ergo. Confirmo quia productio & continuatio in eo tantum differunt, quod productio non ſupponat eſſe rei, continuatio ſupponat: at vero ſupponere, vel non ſupponere non variat rationem formalem rei, ergo eadem eſt ratio formalis productionis & continuationis, adeoque ſi una petit eſſe in inſtanti, & altera, vel è contra.

Poſſet ex hac ratione alia formari ſic: *non eſſe* actus eſt quod menſurandum eſt in deſtructione vel omiſſione ejus, non vera ipſa ſubſtantia actus: at vero non eſſe actus clarum eſt quod poſſit eſſe in parte temporis, nam in toto tempore ab æterno uſque hodie fuit non eſſe actus eliciti hodie. Sed non eſt cedendum huic rationi; nam non ſunt idem iſta, deſitio rei, & non eſſe ejus; non eſſe motus poteſt eſſe in inſtanti, tamen deſitio ejus non. Vel, ſi valeat ratio, pro nobis facit: contra eam eſſe videtur quod in uno inſtanti ſit negatio horæ, nec tamen poſſit in uno inſtanti eſſe deſitio totius horæ: in putamine nucis eſt negatio montis, nec tamen inde aut ibi poteſt eſſe ablatio montis, quia nec ipſe mons ibi poteſt eſſe.

Ulterius pro concluſione ſic arguere moraliter poſſumus: ſi actus quilibet in partibus temporis continuatur neceſſariò, & in ſolis inſtantibus liberè, ergo plus actuum noſtrorum & plus vitæ noſtræ eſt inutile nobis quam meritorium, quod longe abeſt à providentia Dei & bonitate ejus. Sequela patet, quia partes temporis ſunt inutiles nobis ad meritum, ſola inſtantia quando continuantur ſunt utilia: ſed ſine dubio major eſt duratio partium quam inſtantium.

Denique quæri poteſt ex his, utrum actus poſſit incipere in parte temporis? & ſi ſic, adhuc quæri utrum poſſit continuari in inſtanti ſequenti? aſſerunt utique: tum autem reſtat illis aſſignanda ratio, cur res cœpta in parte temporis poſſit continuari liberè in inſtanti, & res cœpta in inſtanti non poſſit continuari in parte?

Objeci fundamentum Adverſariorum ſupra, & hic ſolvo ſæpe: primo, quia non eſt certum quod continuum componatur ex diviſibiliſibus, nam & Zeno videtur demonſtraſſe ſuam partem, licet etiam Ariſtoteles demonſtraverit ſuam. Secundò, poſito quod fiat ex diviſibilibus, dubium eſt an non fiat ex illis ſolis, atque ita vel ſemper poterit omitti actus, vel numquam. Tertiò denique, quia licet de fide eſſet, vel etiam evidens ſenſui compoſitio continui ex utriſque, tamen nimis puſillanime eſt timere ab illa hic, cum manifeſte conſtet indiviſibilia poſſe deſinere in parte, & partes in indiviſibilibus. Ipſa inſtantia temporis, quæro in quo deſinant? certe non in inſtantibus, alioquin in ſeipſis deſinerent vel durarent in parte temporis & ſic non eſſent inſtantia. Deſinunt ergo in parte. & quid ni ſimiliter alia inſtantanea aut indiviſibilia deſinant, ut actus voluntatis? vide ſi placet plurima in hanc ſententiam dicta à me ſuo loco. Tom. 2. Apol. 18.

Unde abſolutè reſolvendum eſt actum voluntatis

luntatis poſſe libere continuari etiam in partibus, ac non ſolum in inſtantibus temporis, neque hoc dependet à poſſibilitate, vel impoſſibilitate omiſſionis puræ, ut quidam credidit, quia deſitio actus non magis exigit partem quam punctum. Sed ne quid lateat, quæram de ipſa omiſſione, ac poſſibilitate ejus, & ſit

ACTIO V.

Vtrum poſſibilis ſit omiſſio libera & pura, hoc eſt ſine adjuncto actu?

Breviarium.

N. 1. *Concluſio affirmativa, ad libertatem non requiri actum: Probatur pluries.*

2. *Objectiones adverſæ: ſolutæ. Exercitium poſitivi non debet eſſe poſitivum.*

3. *Major eſt malitia omiſſionis quam actus.*

DUBIA.

1. *Vtrum in omiſſione pura ſit difficultas?*
2. *Vtrum pura omiſſio poſſit eſſe meritoria?*
3. *An pura omiſſio habeat finem?*

1. CLarum eſt poſſibiles eſſe omiſſiones puras, ſive ſine adjunctis actibus, tales enim habemus, quando dormimus, quando nil cogitamus de re omittendâ, vel committendâ; unde difficultas eſt ex ratione libertatis; utrum ſcilicet poſſit hæc compati cum puritate: ſeu cum carentia omnis actus? negant, Cajetanus, Hurt. Monteſin. & alii apud ipſum; contrarium ſemper docuit ſchola Subtilium ſequuta magiſtrum ſuum 1. d. 41. §. *contra iſtud*, & d. 47. & in 3. d. 19. §. *in iſta quæſt.* S. Thomas citatur quidem pro oppoſitâ parte; ſed hanc expreſſe tradit 12. q. 71. art. 5.

Dico reſolutivè poſſibilem eſſe puram omiſſionem liberam: ſive ad libertatem voluntatis non requiri actum. Eſt res tritiſſima & ſæpius probata, ut vix poſſit aliquid addi: ſed tentemus id ipſum.

Arguo ex me ſic: In voluntate non ſolum datur libertas contrarietatis, ſed etiam contradictionis. At vero niſi dari poſſet omiſſio libera & pura, non daretur utraque libertas in illâ, ſed una tantùm, ergo: major eſt in confeſſo apud omnes, eſt enim communis doctrina. Probatur minor; quia libertas ad duo poſitiva non eſt libertas contradictionis, at vero niſi ipſa omiſſio in ſe ſit libera, non datur niſi libertas ad duo poſitiva: ergo non datur contradictionis: vis argumenti patebit applicando caſum hinc inde; ego enim pono utramque libertatem, quia pono quod voluntas poſſit, v. g. amare & odiſſe; item amare, & non amare; quia prima duo ſunt extrema libertatis contrarietatis: ſecunda ſunt extrema libertatis contradictionis: Adverſarii autem non ponunt hæc duo extrema; ſed alia quæ ſunt amare, & nolle amare; hæc autem patet non eſſe extrema contradictionis, quum ſint duo poſitiva: unde præventa eſt à me in hoc argumento ſolutio cujuſdam Recentis, qui ait libertatem contradictionis eſſe ad non amare, ſeu ad carentiam amoris volitam actu reflexo: nam actus ſive rectus ſive reflexus ſemper eſt poſitivus: unde explicari poteſt datâ hac occaſione vis argumenti ſic; aut extremum quod correſpondet amori in libertate contradictionis, eſt non amor ſeu omiſſio ipſa; aut eſt actus reflexus ille, imperans omiſſionem. Si ſecundum hoc, manifeſte patet tranſitum inter hæc non eſſe contradictionem, quia eſt inter extrema realia, & poſitiva, adeoque libertatem quæ intercedit hic non eſſe contradictionis; primum autem eſt intentum, adeoque.

Arguo adhuc ſecundo, actus poſitivus ſe ipſo eſt liber: v. g. amor vel amare; ergo ſimiliter non amare; quæro enim cur requiratur actus reflexus imperans omiſſionem, & non requiratur actus reflexus imperans actum rectum? ſi autem datur hujuſmodi actus dabitur proceſſus infinitus in actibus: unde nemo iſtam admittit aut aſſerit, ergo neque illam exigere, aut admittere debet: nonne omiſſio egreditur immediatè à voluntate, ſicut commiſſio? ſi ergo, ut ſupponimus, adſit cognitio requiſita ad omiſſionem, quidni erit libera eo modo quo eſſe poteſt? non video quid ad hoc reſponderi poſſit, niſi forte opponi poſſit aliquid ex fundamentis Adverſariorum quæ infra ſolventur, interim

Adfero tertium hoc, quod tamen ſupponit alia principia ex noſtris, quale eſt voluntatem non neceſſariò amare finem ultimum, clarè viſum: demus ergo finem ultimum videri in ſe intrinſecè: voluntas videntis non vult amare, non poteſt odiſſe, quod ergo ſupereſt niſi uti non amet, & non oderit, nec amore nec odio proſequatur eum, ſed omiſſione utriuſque. Video ſtatim dicendum eſſe ab adverſariis, quod voluntas illa dicet, nolo amare, &c. Sed contra hoc ni fallor facile inſurgetur: nam quod voluntas tunc non amet, oritur ex poſitivo conatu, qui eſt in actu amandi, nec ipſa vult eum ſubire: ſaltem demus caſum quod voluntas ex pigritiâ deſinat amare, ſicut certiſſimè poteſt: in eo caſu, non poteſt deſinere amare per actum reflexum, dicendo, nolo amare: quia quum intercedit actus poſitivus, accedit labor, adeoque non poſſet ob fugam laboris omittere actum amandi, & elicere actum non amandi: maximè quum in actu amoris beatifici ſit ſumma delectatio, in actu cohibendi illum non, ſed ſumma difficultas.

Ulterius ſic arguo ex authoritate: *ſervus ſciens voluntatem Domini: & non faciens vapulabit:* accipiò enim hoc complexum, ſervus non faciens, & quæro, aut hic ſcilicet ſervus omittens (id enim eſt non faciens,) aut, inquam, hoc complexum eſt pœnâ dignum, aut non? ſecundum

eſt directe contradictorium ſententiæ Salvatoris; primum eſt intentum: neque dicant Adverſarii ſervum non facientem eſſe reum, ſed id fieri per actum poſitivum, quo decernit omittere: id enim non quadrat ſententiæ; nam ſervus compoſitus cum actu, non eſt ſervus non faciens; ſed ſervus faciens: Urgeo alterum, quid in alterâ parte ſententiæ *ſervus neſciens voluntatem Domini*, illud negativum non ſciens quod pertinet ad intellectum non eſt quid poſitivum, ſed merè negativum; ſcilicet omiſſio, ſeu carentia, quidni ergo intelligas negativum illud ex parte voluntatis ſimiliter pure, ne detur vitioſa æquivocatio ejuſdem vocis in eadem ſententia? Dices forte, eſſe paritatem inter ambo hæc, adeoque ſicut omiſſio pura ex parte intellectus non eſt libera, ita nec ex parte voluntatis: Addo ego eſſe etiam diſparitatem & ſalvari adhuc libertatem ex parte voluntatis, quia ad omiſſionem ex parte voluntatis prærequiritur ſcientia, ad illam intellectus non, id enim eſſet requirere ſcientiam ad ſcientiam.

Objicio: omiſſio libera eſt exercitium libertatis in actu primo; ſed tale debet eſſe reale; ergo & omiſſio libera. Minor probatur quia ipſa libertas in actu primo eſt quid reale; at vero realis virtus non poteſt exerceri niſi per actū realem.

Objicio ſecundò. Nulla potentia eſt in actu ſecundo quamdiu nihil habet, niſi quod ſpectat ad actum primum; at vero in omiſſione pura nihil eſt à voluntate, niſi quod ſpectat ad actum primum; ergo voluntas per illam, non poteſt reduci ad actum ſecundum.

Objicio tertiò. Non datur libertas ad omiſſionem, ſive, voluntas non eſt libera ad omittendum, ergo omiſſio non eſt libera; tenet conſequentia, quia ubi non eſt actus primus non poteſt eſſe ſecundus. Antecedens autem probatur, quia libertas eſt potentia agendi, & non agendi, at vero ad non agendum, ad omiſſionem actus non eſt potentia, quia non agere eſt quædam impotentia, aut ſaltem quid ortum ab eâ, nam quodlibet quantumvis iners & ignobile eſt aptum non agere. Alia quæ difficultatem faciunt contra omiſſionem infra diſtincte producam: nunc ad illa, reſpondeo incipiendo à primo, ad quod

Dico, libertatem eſſe quid reale entitativè non vero terminativè; ſed quia prætendi poſſet hoc ipſum eſſe quod quæritur, do exemplum ejus, nam vis corruptiva in cauſis ſecundis, & vis annihilativa in Deo ſine dubio eſt realis, & tamen terminus utrinſque eſt nihil, non vero quid reale.

Ad ſecundum reſpondeo primò negando minorem, eſt enim actualis omiſſio procedens à voluntate, & licet non ſit alia libertas ab illa procedens, tamen id non eſt abſurditas ulla quam vitare poſſimus aut debeamus: nam etiam in actu poſitivo voluntatis non eſt alia libertas ab illâ quæ eſt ipſius voluntatis in actu primo, ut ſupra vidimus ſuo loco, ubi oſtendimus actum non eſſe intrinſece liberum ſed denominari talem à libertate voluntatis à qua procedit. At enim contra primam partem ſolutionis facit quod voluntas conſiderata in actu primo habet omiſſionem actus (alioquin habebit actum) ergo jam non habet aliquid tum quod non habet quùm eſſet in actu primo. Reſpondeo primo hoc, quidquid eſt, ſolvendum eſſe Adverſariis, nam lis quæ vertitur inter ipſos & nos non eſt, an poſſit eſſe omiſſio pura à voluntate, ſed an pura libera? ita ut articulus rei conſiſtat in libertate.

Reſpondeo ſecundò in eo ſtatu potius eſſe negationem actus in voluntate, quam omiſſionem: hæc enim indicat proceſſionem ſui à voluntate, illa non, unde & in ligno & lapide invenitur.

Tertium autem facit contra authores, nam ſi non ſit potentia aut libertas ad omiſſionem: jam omiſſio etiam non pura non erit libera ne poſſibilis quidem, quod ipſi non audent dicere: Jam ad formam argumenti dico ipſam ſibi pugnare: ſi enim libertas eſt potentia agendi & non agendi, jam datur potentia non agendi: Dicent forte illam potentiam ad non agendum eſſe per actum: ſed appello omnia omnium arbitria, quàm ſit exacte reſponſum: num poſſit quis non agere per actum? ſanè id eſſet non agere agendo, quo nihil magis ſibi obſtat, atque etiam veritati. Ad rationem pro hoc allatam dico non eſſe opus potentiâ aut facultate ad non agendum, id eſt ad habendam negationem actus: potius enim ad hoc conducit impotentia & imperfectio ac defectus virtutis: At vero aliud eſt negatio actus, aliud omiſſio ut jam monui, non enim quodlibet habens carentiam actus dicitur omittere illum: ego habeo carentiam creationis, non tamen dicor omittere creationem, & paries caret viſione, non tamen omittit eam.

Itaque omiſſio in ſe libera eſſe poteſt immediatè: & ſanè niſi poſſet, nec etiam per actum adjunctum talis eſſet: Imo exiſtimo quod ubi concurrit ipſa cum actu, major ſit malitia omiſſionis quam actus, v. g. præcipitur honorare parentes, ego omitto honorem eorum, idque per actum quo dico: volo omittere honorem parentum: dico omiſſionem eſſe primò malam, actum vero non niſi ſecundariò: ratio, quia malitia eſt prævaricatio præcepti ſeu carentia rectitudinis debitæ: at vero præceptum violatur directè per omiſſionem non vero per actum; imo actus eatenus eſt malus quatenus eſt cauſa omiſſionis: ſcis autem quod *propter quod unumquodque tale, illud magis tale.*

Nolo relinquere primum illud ſine probatione, quæ ſit iſta: etiamſi adhibeatur actus, tamen omiſſio non eſt ab actu ſed à potentia, ſcilicet à voluntate; aut ergo voluntas poteſt dare ſe ipſa libertatem omiſſioni, aut non poteſt: ſi ſic, vicimus. ſi non, ergo ne tum quidem datur omiſſio libera quando additur actus, quod negant illi & merito. Addam adhuc dubia aliquot pro explicandâ magis naturâ hujus omiſſionis, & ſit

(***)

DUBIUM

DUBIUM PRIMUM.

Vtrum in omiſſione purâ ſit difficultas?

1. NOn loquor de difficultate ſpeculativa, quam authores patiuntur in illâ defendendâ; ſed de practica quam ipſa voluntas experitur fortè in ſic omittendo, de quo pars affirmativa videtur evidens, & ſeipſâ & experimento; quum enim objectum aliquod vetitum blanditur nobis, v. g. voluptas, aut honor, cibus in die jejunii &c. ſentimus nos vehementer allici, & quaſi attrahi intra ad proſequutionem illius objecti, ut neceſſe ſit nos reſiſtere concupiſcientiæ in his caſibus, & magnum conatum adhibere ne trahamur ab illâ in peccatum; adeoque in omiſſione talium manifeſtè videtur eſſe difficultas, nec parva quidem.

Reſpondeo nihilominus negativè, ſive in omiſſione purâ non contingere unquam difficultatem. Ratio quia difficultas eſt in reſiſtentia, at vero in omiſſione pura, nulla eſt reſiſtentia, adeoque. Major huius eſt evidens, quia nulla eſt difficultas in patiendo, neque etiam in aſſentiendo invitanti ad delectabilia; erit ergo in reſiſtendo, & pugnando; hæc autem non contingunt ſine actu, imò nec ſine labore, quæ eſt probatio minoris ſuprà, ergò.

Dices: quamvis adſit reſiſtentia, tamen omiſſio non deſinit eſſe pura, quia iſta adjuncta non ſunt aliquid omiſſionis. Vera omnia, ſed audi: etiam quando adhibetur actus imperans omiſſionem, ut volunt adverſarii, iſte actus non eſt aliquid omiſſionis; & tamen propter eum negant puritatem omiſsionis, ergò ſimiliter.

Itaque omnis actus annexus per quem fit ne voluntas committat, ſed potius omittat, impedit puritatem omiſsionis.

DUBIUM SECUNDUM

Vtrum pura omiſſio poſſit eſſe meritoria?

1. ETiam hoc videtur eſſe extra controverſiam, & ratio eius in promptu; nam obſervantia præceptorum ſine dubio eſt meritoria; at vero multa præcepta obſervantur per omiſſiones, adeoque. Probatio
Exod.20. minoris erunt inſtantiæ: v. g. *Non occides: Non furaberis &c.* iſta enim & ſimilia obſervantur omittendo homicidium, furtum &c & ſi quid aliud additur eſt ſuperetogatorium, quod licet fortè ſit conſilii, non tamen eſt præcepti. Unde addo rationi confirmationem; quantumcunque aliquis exerceat ſe in operibus bonis & pœnitentialibus, tamen niſi habeat ſuperiorem, nunquam exercebit obedientiam; nec ſi habeat niſi in illis, quæ præcipiuntur aut prohibentur ei; at verò hic non præcipitur niſi omiſſio, ſeu negatio; ergò totum reliquum eſt extra materiam & meritum obedientiæ; cum ergo certum ſit dari poſſe meritum in obſervatione illorum præceptorum, non poterit eſſe dubium quin meritum eſſe poſſit in merâ omiſſione.

Reſpondeo hæc omninò videri rationabiliter & cum fundamento dicta; adeoque ſiſtendo in naturali Ethicâ non poſſe reſpui; eſt tamen quod contrafaciat ſi ad Theologicas regulas expendantur, eſtque hoc, quia nimirum meritum omne debet ex gratia procedere; & quamvis in ſubſtantia fieri poſſit per naturam; tamen in ratione meriti non poteſt fieri niſi per gratiam. At vero clarum eſt gratiam non poſſe concurrere ad nihil, ad non ens, aut negationem qualis eſt omiſſio, atque adeo debet eſſe aliquid, & quidem poſitivum, ad quod gratia concurrit, tale eſt meritum &c. Non eſt meum hæc decidere. ſi quando tamen eſſet, dicerem interim ad omiſſionem poſſe gratiam concurrere, quia nimirum ex parte Dei dari poteſt aliqua ſimilis, ſcilicet negativa, quæ erit omiſſio concurſus ad actum oppoſitum: v. g. in omiſſione homicidii quæ eſt obſervantia præcepti: *Non occides*, auxilium Divinum eſt negatio vel ſuſpenſio concurſus ad occiſionem: quod videtur rationabiliter dictum, quia concurſus proportionatur fini, ſeu termino ad quem datur, eſt enim omiſsivus ad omiſsionem.

Video dici poſſe contra, quod gratia Dei per quam efficit ille actus meritorios vitæ æternæ ſit quid ſupernaturale: omiſsio autem non ſit, nec eſſe poſsit; id enim eſſet diſtinguere nihila, unum nihil naturale, & aliud nihil ſupernaturale, quod eſt ridiculum & inane. Tamen non æſtimo hoc tanti; nec enim omnis gratia Dei eſt in ſubſtantia ſupernaturalis. Cogitatio congrua eſt gratia Dei, an ſemper ſupernaturalis?

***

Digitized by Google

DVBIVM TERTIVM

An pura omiſſio habeat Finem propter quem?

3. Ex reſolutione dubii præcedentis videtur id omnino aſſerendum: ſi enim ſit omiſſio meritoria, debet eſſe ob finem ſupernaturalem; imo etiam ut ſit moraliter bona debet habere finem præſtitutum, non quemcumque ſed honeſtum, ſeu virtutis, adeoque.

Cenſeo tamen omiſſionem non habere finem propriè aut motivum propter quod fiat. Moveor quia finis & motivum attinguntur actu qui ſit intentio, ſicut media actu, quæ eſt electio: at vero in omiſſione purâ non datur intentio, alioquin non eſſet pura, quia haberet actum annexum.

Dices fortè non dari intentionem poſitivam, bene tamen negativam. Sed neſcio an hoc bene dicatur; nam illa intentio negativa aut eſt ipſa omiſſio de quâ agitur, aut alia: ſi alia, jam non obſtante difficultate unius ponuntur duæ. Si autem ſit ipſa, tunc illa ſeipsâ erit ob hunc finem, & ita non poterit eſſe ob alium quod falſum eſt, cum conſtet proſequutiones poſitivas ac reales poſſe mutare fines, & fieri modo ob hunc modo ob alium finem. Deinde hoc eſt diſtinguere negationes aut nihila ſpecie, quod eſt *indignum* ut ſupra proximè.

Dices id eſſe potius neceſſarium, nam negatio unius objecti, utique diſtinguitur ſpecie à negatione alterius. Reſpondeo aliud eſt eas diſtingui ex objectis ſeu formis, quibus privant, aliud eas diſtingui à potentia; hoc ultimum non poteſt eſſe, quia potentia diſtinguens illas aliter ſe haberet erga unam, ac erga aliam; id autem non poſſet facere nihil agendo, adeoque ageret, atque ita omiſſio non eſſet pura. Dices id faciendum per aliam omiſſionem: Contra; ſi ad hanc requiritur alia omiſſio, etiam ad iſtam requiretur alia, nam ſi ſecunda diſtinguitur per primam, etiam hæc per aliam priorem diſtinguetur; ſic autem vides iri in infinitum: ergo.

Jam ad rationem oppoſitam dico, ſolutionem ejus eſſe tactam in refutatione primæ replicæ ſupra num. 2. non enim eſt neceſſe omne meritum eſſe ob finem aut motivum per intentionem ſeu directionem ejus, ſed poteſt ſe ipſo eſſe tale, alias enim actus qui eſt ipſa fruitio finis per quid eſt directus ad illum finem? ſanè non per aliud quam per ſe ipſum. Sicut ergo proſequutio poſitiva poteſt eſſe immediatè de aliquo motivo per ſe ipſum, quidni etiam omiſſiva aut negativa?

***

Videndi

ARiſt. 3. *Ethic. c.* 5. S. Anſelmus *lib. de Concord. praſci. & lib.* 2. *Cur Deus*: S. Bonav. 2. *d.*25.*par. & quæſt.*2. Ovand, 1.*d.* 10. Nyſſen. *in Reſolut. Monteſin. diſp.* 9. *quæſt.* 4. Joan. Rada *tom.* 1. *Controv.* 13. Herrer. *diſput.* 10. *quæſt.* 5. Franc. Fœlix *tract. de Act. cap.* 1. *diffic.*4. *& tract. de Gratia cap.* 9. *& tract. de Fide cap.* 7. Bellarm, *lib. de Gratia, & lib. Arbitr.* Albertin. *Tom.* 1. *Corolar. ultim.* Salaſ. *hic Tract.* 3. *diſput.* 1. Conrad. *quæſt.* 6. *art.* 6. Cornej. *diſput.* 1. Decan. *art.* 7. *contra* Calvin. Valent. 1. *part. quæſt.* 83. Vega *lib.* 2. *in Trident. cap.* 12. Martin. *art.* 3. *dub.* 1. Granad. *diſp.* 3. Suar. *diſput.* 1. *ſect.* 5. Vaſq. *diſp.*24. *cap.* 3. Ægyd. Conynck *diſput.* 1. *Moral. dub.* 2. *& diſp.* 2. *per totam* Sfort. Palavic. *in* 1. 2. *diſput.* 7. Petrus Emotte. *lib.* 2. *Chriſtian. profeſſio. cap.* 5. *&c.*

APO-

Digitized by Google

APOLOGIA TERTIA.

De Involuntario, & cauſis ejus.

ACTIO I.

Quid ſit Violentum? & quando potentia vim patitur?

ACTIO II.

Utrum metus cauſet Involuntarium?

ACTIO III.

An, & quomodo Concupiſcentia impediat, vel augeat Voluntarium?

ACTIO IV.

Utrum Ignorantia cauſet Voluntarium, an Involuntarium?

Scotus 4. *d.* 29. *q. un. n.* 10.

IN inductione per terrores multum eſt de involuntario, & parum de voluntario. E converſo autem in inductione per blanditias & delitias, ibi enim multum eſt de voluntario, & parum de involuntario; quia in primo ſi voluntas dimittitur ſibi, ſtatim reſilit; in ſecundo autem ſi jam allecta dimittatur ſibi, forſitan proſequitur illud ad quod allecta eſt: & ideo non eſt ſic involuntaria coactio per blanditias ſicut illa quæ eſt per minas & terrores, & ratio eſt quia &c.

Idem *d.* 13. *q.* 2. *n.* 10.

IGnorantia juris non excuſat, quia tenetur ille, qui ſe exponit ad tantum actum, ſcire jura ſecundum quæ poteſt exercere tantum & talem actum: & ideo talis ignorantia juris non excuſat: ſed fortè magis aggravat, Ignorantia autem facti excuſat, ut habetur in eodem titulo Cap. *Apoſtolica*, &c.

ACTIO I.

Quid ſit Violentum? & quando potentia vim patitur?

Breviarium.

N. 1. *Expenditur diviſio Involuntarii; item definitio communis Violenti.*

2. *Aſſignatur vera definitio ejus.*

3. *Non poſſe quidquam pati vim, quoad actus elicitos.*

4. *Adferuntur & ſolvuntur plures rationes dubitandi de hoc.*

1. VOluntario opponitur generaliter involuntarium; hoc autem dividitur in tria hæc: Neceſſarium, Coactum, Violentum; nam invitum coincidit cum coacto: & ita non erunt quatuor ſpecies involuntarii, imo apud me nec tres: quia neceſſarium non cenſeo eſſe involuntarium, quin multa neceſſaria eſſe voluntaria, nam amor Beatificus eſt voluntarius ſine dubio, & tamen eſt neceſſarius, &, ſi fortè hoc negetur de amore Beatifico creaturarum tamen de amore ipſius Dei, erga ſe negari non poteſt; Quando ad finem efficaciter intentum eſt unicum medium, aſſumptio, (non enim eſt electio,) eius eſt voluntaria, & tamen neceſſaria &c. Itaque neceſſarium opponitur non voluntario, ſed libero propriè.

Ut autem ſciamus plenius quid ſit volitum, quid violentum, attrendenda eſt definitio huius communiter olim recepta ex Ariſt. 3. Ethic. 1. ſcilicet. *Violentum eſſe, cuius principium eſt extrinſecum paſſo non conferente vim*: etſi enim plerique eam reſpuant, eo quod non ſufficiat ad violentiam, quod paſſum non conferat vim, id eſt non adjuvet, ſed opus eſſe ut etiam reſiſtat, alioquin illuminatio aëris, itemque obtenebratio eius, juſtificatio hominis, & Unio Hypoſtatica eius, imò Beatificatio, quantum ad infuſionem habituum erunt violenta: Ego in illâ hoc carpo, quod quum dixerit principium motus violenti eſſe extrinſecum, addiderit paſſum non conferre vim: id enim eſt quædam Tautophonia & repetitio ejuſdem: nam ſi principium motus ſit extrinſecum: non poteſt mobile concurrere ad ſe movendum, alioquin principium aliquod motus erit intrinſecum: Deinde ſaltem in translatione latinâ erit aliquis abuſus vocum, nam inferre vim defi-

definitur per conferre vim. Amplius etiam hoc habeo contra eam, quod ſtatim à principio peccet, definit enim violentum, quod eſt ab extrinſeco, quum tamen id videatur impertinens, nam non refert à quo patiaris, ſed quid patiaris, & omninò oſtendo poſitivè violentiam poſſe eſſe ab extrinſeco, ſeu à virtute reſidente in eo qui patitur, ſuppono autem ad violentiam ſufficere reſiſtentiam formalem; certum eſt enim lignum, v.g. reſiſtere ſcindenti & pati violentiam cum frangitur, ergò, licet ictus impulſus, aut diviſio corporis fiat ab aliqua parte ejuſdem, v.g. homo verberat ſe, ſerpens mordet ſuam caudam &c. hæc & ſimilia patiuntur vim, & diviſio, læſio & cætera ſunt illis violenta, & tamen ſunt à principio intrinſeco, ſeu ab virtute reſidente in paſſo.

Idem confirmo aliis inſtantiis, nam quum homo aſcendit montem paſſim, tranſit fluvium ſaltu, & aſcenſus & ſaltus ſunt à principio intrinſeco, & tamen ſunt violenta, cujus ſignum eſt quia denique fatigant hominem: non fatigarent autem ſi eſſent naturalia.

Confirmo exemplum hoc alio ſigno motus naturalis: hic enim eſt fortior in fine quam in principio, è contra vero motus violentus eſt fortior in principio, & remiſſior in fine; clarum eſt autem ſaltus & aſcenſus montium eſſe velociores in principio, adeoque erunt violenti non vero naturales, & tamen ut vides, ſunt à principio intrinſeco.

Dices ſi ita ſit, tum etiam ambulatio in plano erit homini violenta; imò etiam quies ipſa, nam denique fatigatur quis quiete: v.g. ſi diu ſedeat; Reſpondeo vix aſſignari poſſe ullam actionem phyſicam in qua non ſit aliquid violentum animali pro hoc ſtatu: cujus cauſa eſt, quia ipſum animal componitur ex contrariis, atque ita quod eſt juxta inclinationem unius eſt contra inclinationem alterius.

2. Dic ergo violentum eſſe id cui paſſum renititur: Item, renitentiam hanc non neceſſario eſſe activam, ſed ſufficere formalem. Patet hoc exemplo ſupra poſito de ſectione ſeu penetratione ligni: v.g. utique enim hæc eſt violenta ei, nec tamen ipſum renititur activè, quia hæc renitentia oritur à quantitate, quæ omnino non eſt activa. Deinde grave reſiſtit elevanti, & elevatio illa eſt ei violenta, nec tamen reſiſtit activè, quia gravitas non eſt activa. Dices contrarium eſſe verum, quia illa eſt principium motus localis. Reſpondeo verum eſt quia gravitas eſt activa motus non alterius; at in eo caſu aliud contingit, ſcilicet impulſus.

Inſtabis, quodcunque fit formaliter ab aliquo, ab alio fit efficienter, nunquam enim datur cauſa formalis, quin ſimul cooperetur efficiens, imò prius, quia efficiens eſt, *unde motus mutationis, quæ primum eſt principium.* Tunc ergo ſi datur effectus cauſæ formalis dabitur efficientis. Reſpondeo, quidquid ſit de Theoria hujus, praxim eſſe in oppoſitum; alias aſſignetur quid reſiſtat efficienter ſcindenti aut penetranti quantitatem? cum corpus occupat locum ſuâ ſubſtantiâ formaliter, quid occupat illud efficienter? fortaſſis ergo illa concomitantia cauſarum eſt in productione totius phyſici, non vero in aliâ quorumcumque productione.

Dicitur coactum, (& pro eodem accipio invitum,) eſſe quod eſt contra inclinationem elicitam, ſicut violentum eſt contra inclinationem ſeu appetitum innatum. Accipe hæc ut audis, quia non errabis in re ſic intelligendo, in verbis tamen eſt abuſus: non enim dicitur coactum, quod imprimitur paſſo, ſed ipſum paſſum cui fit impreſſio; & ſimiliter ipſum cenſetur ac dicendum eſt invitũ. Realis difficultas hujus loci eſt an voluntas poſſit pati violentiam in actibus ſuis; ſive an poſſit cogi aut in vita operari? Id enim eſt quod ſpectat ad tractatum moralem, ut patebit ex ſequẽtibus quæſtionibus, an metus faciat invitum? an vis &c. propter quæ expendendum eſt primò an in actibus elicitis poſſit eſſe violentia; nam ſi non, iſti termini ſunt de ſuppoſito non ſubſiſtente: coactum, invitum: &c.

Dico autem nullam potentiam pati poſſe vim, quoad actus elicitos; nego voluntatem poſſe cogi ad ſuos. Hujus veritatis iſta videtur demonſtratio, violentia eſt ab extrinſeco, actus eliciti ſunt ab intrinſeco, ergo non ſunt violenti: At enim ex ſupradictis hac ipſâ Actione patet rationem non convincere: non enim conſiſtit violentia in eo quod eſt formam aliquam fieri: vel non fieri ab externo, ſed in eo quod eſt opponi paſſo; aliter ergo & efficaciter inſtruo rationem ſic. Violentum eſt cui paſſum non cooperatur, ſed omni actui elicito paſſum ſine dubio cooperatur, ergo. Dici tamen contra hoc ipſum poteſt, quod violentum ſit cui renititur paſſum, poteſt autem reniti & cooperari, non enim eſt ulla contradictio in hoc, cum ſint duo extrema poſitiva: imo ſæpè contingit uterq; affectus in aliquo reſpectu ejuſdem ut ſit quaſi volens nolens: ita enim facit navita qui ejicit merces in mare ob metum naufragii: Major eſt noſtra definitio ut vides num... Reſpondeo primo hoc, quod eſt reniti, ſupponit hoc quod eſt non cooperari, adeoque includitur hoc in illo. Secundo etiam dico nullum principium reniti operanti: quamvis enim nulla hic ſit contradictio, eſt tamen aliud inſtar eius, & forte pluſquam ipſa, ſcilicet eſſe volens & nolens idipſum. Dato enim eo caſu non contingeret neque actio neque carentia actionis, quia agens impediret ſe ab utroque termino, imo ambo ipſi impedirent ſe hinc inde. Breviter ergo: nihil poteſt cogi ad agendum propriè, v.g. non voluntas ad volendum, tum enim vellet & nollet idipſum: vellet invitè quod implicat, eſt enim velle ſine volitione, imò contra ipſam. Item ignis non poteſt pati vim in calefaciendo v.g. quia id foret dicere, quod ignis calefaceret ſine ullo ſuo influxu aut concurſu ad calefaciendum.

Poteſt tamen agens pati vim & cogi quoad actiones. Hæc non placet modernis: ſed eſt veriſſima, ecce enim caſum: Ignis magno impetu fertur ad inflammandã ſtupam: impeditur ne inflãmet, imò ne etiam calefaciat. Voluntas ruit ad fruitionem aut complexum objecti placiti, non permittitur amare aut amplecti; patet hæc eſſe violenta, adeoque poſſunt hæc & ſimilia cogi ad non agendum, & quoad hoc vim pati.

4. Dico habeo contra hoc; primum, quod violentum ſit id cui ſubjectum renititur, adeoq; debet eſſe aliquid, in his caſibus nihil eſt. Aliter idipſum, quia violento paſſum renititur, carentiæ actionis nõ, quia reſiſtẽtia non poteſt fieri nihilo.

Fortius eſt hoc quod facit contra voluntatem: nam violentia voluntatis, quæ eſt coactio fit contra appetitum elicitum, at vero in noſtro caſu non eſt appetitus elicitus, ſupponimus enim quod impeditur ab eliciendo; ergo.

Ad

Digitized by Google

Ad hæc evadenda, ſtatuendum eſt hoc phyſicum principium, ſcilicet ad motum poſitivum aut phyſicum ſufficere, quòd ibi intercedat forma phyſica, quamvis rei minus motus non ſit phyſicum quid, ſed negatio ejus potiùs. Sic corruptio eſt motus phyſicus, & exercetur per actionem realem, licèt terminus ejus non ſit quid reale, ſed privatio. Iam ad primum, dic fieri paſſo violentiam, quia actio, quæ eripitur, eſt realis, licèt ereptio non ſit realis. Secundo argumento neceſſariò concedendum eſt, quòd in eo caſu non ſit propriè coactum aut invitum, ſed tamen eſt violentum, ſicut in caſu ignis.

Nolui in hac materia cum quodam uti inſtantia gravis ſurſum detenti, exiſtimo enim illud non impediri ab ſua actione, neque pati plenam violentiam; cauſa, quia grave ſemper gravitat, & tendit realiter deorſum; licèt enim locum non mutet, tamen imprimit impulſum, & pondus rebus ſuppoſitis, quod eſt agere, atque adeo non impeditur ſimpliciter ab actione.

Objicitur tertiò, vel cauſa habet neceſſaria ad agendum in actu primo, vel non habet; ſi habet, non poterit impediri actio, ne quidem divinitùs: ſi etiam non habet, non infertur violentia ei per defectum actionis, quia ipſa actio non eſt naturalis, aut debita ei, niſi ſuppoſitis omnibus requiſitis. Reſpondeo, ſi hæc ratio procederet, cogeremur contra ſenſum, & intellectum fateri non poſſe agentia ulla violenter impediri ab agendo, v. g. equus frenis non coërcebitur violenter, neque captivus per carcerem &c. ut videbis applicanti hanc rationem.

Reſpondeo ſecundò in forma negando ſecundum membrum, dico ergo actionem exigi ab agente non ſolùm quando habet completam rationem actus primi, ſed abſolutè & immediatè, nam non exigit actum ſecundum propter primum, ſed potius primum propter ſecundum. Objiciunt aliqui: Carentia actionis non eſt in agente, ergo illa non eſt violenta agenti. Conſequentia valet; probant autem antecedens, quia carentia actionis eſt in eo, in quo eſſet ipſa actio; hæc autem non eſt in agente, ſed in paſſo. Attuli hoc argumentum, ut ad oculum oſtenderem abſurditatem communis doctrinæ Recentiorum de actione in paſſo; nemo enim tam ſtupidus eſt, qui non videt abſurdum eſſe, ſi quis dicat aquam pati violentiam, eò quòd non calefiat ab igne; & tamen hoc ſequitur Adverſarios, nam ſi carentia actionis eſt in paſſo, paſſo erit violenta: & tum ſequitur ineptia illa de aqua patiente vim, eò quòd non calefiat; aut certè incidunt Adverſarii in aliam abyſſum, quòd aliquid patiatur vim, ob formam receptam in alio, quod eſt ac ſi diceres me vehementer cruciari, eò quòd Turca aliquis habeat febres; ſic enim habent illi dicere, quod agens violentetur ex privatione recepta in paſſo. Itaque concluſio poſita adhuc ſtat, quòd ſcilicet carentia actionis ſit violenta paſſo, & patet in igne, qui ex ſe tam exigit calefactionem quàm calorem, & corpus naturale, puta elementum terræ, tam exigit deſcenſum quàm gravitatem; cur ergo fiet violentia, ſi auferatur his calor aut gravitas, non fiet, ſi auferatur calefactio aut deſcenſus? Nihilominus principalis reſolutio eſt, quòd reſpectu actionis non detur violentum, coactum aut invitum.

Quæro tamen hic, an aliquid poſſit eſſe coactum, (ut ſic loquar,) reſpectu paſſi, quod non eſt ei violentum? videtur quòd non, quum illud ſit quaſi genus quoddam reſpectu omnium talium. Reſpondeo tamen quòd ſic: Ratio erit inſtantia, quia ſi infundatur alicui habitus perfectivus ejus, puta gratia aut virtus, & voluntas ex malitia, libertate, vel alio capite nolit habitum illum ſibi ineſſe, certè ibi eſt coactum & invitum, non tamen violentum, quia eſt connaturale, nam connaturale eſt perfectivum, & è contra; quum ergo habitus ille ſit perfectivus, erit connaturalis, at verò connaturale opponitur violento.

ACTIO II.

Vtrùm metus cauſet involuntarium, nec ne?

Breviarium.

N. 1. *Expenditur ipſe titulus hujus.*

2. *Metus non aufert voluntarium.*

3. *Objectiones contrariæ: An metus tollat peccatum?*

4. *An metus faciat involuntarium? Eligitur negativa.*

5. *Objectio. Velleitas an ſufficiat ad peccandum?*

6. *Suſcipitur patrocinium communis ſententiæ affirmativæ.*

1. SIc loquor, quia communiter ſic loquuntur, cæteroqui enim nullatenus approbo hunc titulum, aut modum proponendi quæſtionem, ob plura capita, quæ hic ſigillatim apponam. Primum eſt, quod certum ſit, opera voluntatis ſemper eſſe voluntaria, adeoque non fuit locus dubitandi, utrùm timor relinqueret illa talia; & ſine dubio mens authorum utentium hac propoſitione eſt quærere & decidere, an ex timore facta ſint libera? at verò clarum eſt aliud eſſe liberum, & aliud eſſe voluntarium, quod totum ſupra oſtendi. Secundum ſimile eſt huic, vocant enim in quæſtionem hic, an voluntas invita faciat aut coacta ea, quæ urgente timore facit? hinc enim præmittunt huic quæſtioni præcedentem, quæ agebat generaliter de coactione, & vi, &c. at verò implicat in terminis voluntatem aliquid invitam facere; & univerſaliter nulla potentia poteſt facere aliquid coactum, ſive cogi ad agendum, ut jam vidimus, ergo. Tertium caput eſt iſtud, quia caſus, quos authores communiter adferunt & volunt decidere, non ſunt caſus, in quibus aliquid fiat ex timore, v. g. nauta deprehenſus eſt in

in magna tempeſtate, ut ſubire debeat certiſſimum naufragium, niſi navem exoneret; unde abjicit gravia quæque, quantumvis pretioſa in mare. Hoc illi dicunt eum ex timore facere, ego autem nego, & dico non fieri ex timore, quia nimirum qui timet, dubitat, ille autem non dubitat, aut ſi dubitet, ponamus eum non dubitare. Simile eſt de eo, qui imminente morte coram tyranno negat fidem, talis enim non timet mortem, ſed videt certiſſimam, ergò. Confirmatur, quia timor ſemper eſt admixtus ſpei, in his caſibus nulla eſt ſpes, aut ſi ſit, ponantur alii caſus, in quibus non ſit ulla, & tamen comprehendentur illi hoc titulo, vel certè diminutè procedunt Autores, qui hos alios caſus non reſolvunt. Itaque hic non eſt timor mali, ſed fuga, & quærendum fuit, utrùm ea quæ fiunt ex fuga pœnæ, aut ſimili cauſa liberè fiant? Ad rem, ſtando in communibus terminis.

2. Dico ea quæ ex metu fiunt eſſe ſimpliciter libera ac voluntaria. Eſt communis, & pro ea citantur Ariſtoteles ac D. Th. tamen revera illi habent oppoſitū hujus, etſi etiam hanc habeant. *Mixta ſunt hujuſmodi actiones*, (ait Ariſtoteles,) *ſimiles verò magis ſunt voluntariis*: clarum eſt autem, mixtum non retinere naturam ullius ſimplicium, ex quibus cõponitur, licèt unū in illo dominetur, ſicut ipſe ait, quòd ſimiles magis ſunt voluntariis: Unde ibidem expreſſè ait: *Et voluntariū igitur hoc, & involuntarium*. Sed uterque denique exponitur ab interpretib⁹, & reducitur ad cõcluſionem, quã

Probo: Actiones aliquæ metu factæ, ſunt virtuoſæ & vitioſæ, non eſſent autem, niſi forent voluntariæ, ergo. Minor & conſequentia ſunt certiſſimæ, ſed major videtur mihi quædam ſuppoſitio principii: hic enim ſtruuntur fundamenta actuum virtutis, & vitii, examinatur quænam ſint liberæ ut ſciantur, quænam ſint virtuoſæ vel vitioſæ. Itaque ab Ethico philoſopho vix aſſumi debet ea probatio: à Theologo autem rectè probari poſſet major, quia in Scripturis ſanctis reprehenduntur actiones ex genere ſuo vitioſæ, nec excuſantur per timorem, at verò non poſſent reprehendi, ſi non eſſent volūtariæ, quantūcunque eſſent ex genere ſuo vitioſæ. Ioan. 12. Parentes cæci nati noluerūt teſtimoniū perhibere Chriſto, *quoniam timebant Iudæos, jam enim conſpiraverant Iudæi, ut ſi quis confiteretur eum eſſe Chriſtum, extra ſynagogam fieret*: quam ſimulationem expreſſius damnat idem Evangeliſta ibidem in ſequentibus dicens: *Propter Phariſæos non confitebantur, &c. dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm Dei.*

Probo jam ratione, quia quando voluntas ambigit, aut nos ambigimus de ullius voluntate, infallibilis collectio eſt, quòd illi parti ſit addicta voluntas, quam ſequitur motus membrorum; at verò mot⁹ membrorum hic ſequitur partē, quam metus ſuadet, in caſu v.g. nautæ qui projicit merces, manus apprehendunt merces, corpus ſe inclinat ad illas, humeri vehunt, &c. at verò nihil horum fieret, niſi voluntas id imperaret, nam membra corporis non moventur, niſi ad imperiū voluntatis; Neque dicas hoc fieri, quia prævalet in illo voluntarium, abſolutè tamen eſſe mixtum, quia ſi hoc ita eſſet, deberent contingere motus aliqui membrorum in oppoſitum, ſcilicet retrahendi, aut retinendi merces, etſi denique vincerentur ab aliis illis motibus valentioribus, hoc autem eſt ridiculum expectare, neque fieri ſolet, ergo. Hanc rationem meam vidi deinde apud Ariſtotelem, etſi tactam aut adumbratam potius, quàm productam, nam poſt ultima verba ex ipſo hic citata ſubdit ſtatim. *Agit verò voluntarius, nam & principium movendi organicas partes in talibus operationibus in ipſo eſt*; quo loco videri poteſt Tarquin. Galluſius, qui ipſi nonnihil hujus argumenti conatur adſcribere. Gallut. à comment. Ethic.

A priori ſic, quia qui metu conſentit in rem aliquam, poteſt non conſentire, ergo liberè conſentit. Valet conſequentia ex dictis, in hoc enim ipſo ſita eſt libertas; Antecedens autē patet à paritate, nam quum ex duobus coram tyranno ejuſdem religionis accuſatis, unus deſerit fidem, ali⁹ defendit adhuc & profitetur, (qui caſus ſæpè in primitiva Eccleſia contigit,) patet inquã illum, qui metu deſeruit religionem potuiſſe illam defendere, quia alius ejuſdem ſpeciei, ejuſdē cauſæ & periculi defendit eã, adeoq; ille potuit ſi vellet, nec metus coëgit eum. Urgeo argumentum: quia malum im̃inens minus urget quàm malū præſens, ſed ipſum malum præſens non cogit neque aufert homini libertatem, ergo nec im̃inens, quod eſt objectum timoris, & multo minus ipſe timor.

3. Objicitur, metus excuſat à culpa, ergo tollit voluntarium, ſeu liberū; patet conſequentia, quia aliter non poteſt tolli culpa ab actione, quæ eſt prævaricatio præcepti. Antecedens patet, quia qui metu mortis ſolvit jejunium aut retinet decimas, non peccat. Reſpondeo communiter hoc eſt verum in præceptis poſitivis juris humani: non quia metus tollit libertatem, ſed quia periculum tollit obligationem, nam legiſlatores humani ſive non poſſunt, ſive non volūt obligare eum tanto damno; ſed contra eſt quod etiam jus divinum ſine culpa violetur ex metu, imo & jus naturale, nam Iudith multa mendacia commiſit Iudit. 10. coram Holoferne & ſatellitibus ejus, ut aver- & 11. teret periculum imminens ſibi & patriæ, & tamen laudatur à Scriptura. Hic autem non habet locum ſolutio illa, quia prohibitio mendacii nunquam deſinit obligare, quum illud ſit intrin- Celad. in ſecè malum. Reſpondeo, de hoc facto Iudith cap. cit. videri poteſt Celada, qui egregiè rem tractat. Scotus noſter non putat laborandum tantopere, ut eam excuſet a levi peccato, quod certum eſt incurriſſe alios novi Teſtamenti Sanctos. Equidem non audebo unquam mendacium excuſare, tamen neſcio cur liceat in bello, (qui fuit caſus Iudith,) realiter mentiri per ſimulationes ac ſtratagemata, & non liceat vocaliter mentiri, quod argumentum latè proſequor Tom. 2. Quodlibetorum meorum num.... Dic ergo ſive matronam hanc probam peccaſſe aliquid mendacio, nec in hoc laudari à Scriptura, ſicut nec obſtetrices Ægypti, ſed in aliis; vel mitius, Exod. 1. excuſari eam poſſe, quòd fœmina non crediderit 19. mendacium eſſe ſemper malum.

Objectio realis hujus loci eſt illa de votis, donationibus, & juramentis, &c. quæ metu fiunt, nam ſi metus non tollit libertatem, illa omnino metu facta obligabunt, quod valde abſurdum videtur, & ingens malum importat communitati hominū: Sequela autem eſt clariſſima, ergo. Hic eſt difficultas ab utraque parte, unde cõmuniter nunc temporis authores intercedunt utrique in medio, & dicunt illa omnia jure naturali eſſe valida, iure poſitivo invalida. Hic non eſt locus integrè rem decidēdi, puto tamen primo, donationes metu factàs eſſe iure naturali invalidàs, quia iſtæ ex ſua conditione petunt eſſe ſpontaneæ omnino,

Digitized by Google

no, & ab omni violentia libera: Quod ita eſſe patet, quoniam ſi accedat ab extrinſeco titulus, etiam juſtus puta precii, reſtitutionis, &c. licèt res non deſinat eſſe ejus cui confertur, tamen deſinit eſſe donata ei. Deinde credo uſurarium non accipere jus in pecunias, quas ex metu gravi ei dat mutuator, quia nimirum hic non ſufficit libertas, eò quòd non donentur, ſed opus eſt alio titulo, qui in caſu poſito non ſubſiſtit. De aliis caſibus conſulendi authores in propria materia, illud tantum addo practicè optandum eſſe, ut iſta & ſimilia cenſeantur jure naturæ irrita, quod ita eſſe factum, egregiè defendit Joan. Salas. 1. 2. tract. 3. Præ omnibus autem mirabilis methodus Arriagæ hic volentis ejuſmodi contractus eſſe jure naturæ annullatos; quaſi verò natura aut lex ejus primò permiſerit hos contractus, & voluerit eſſe validos, poſtea verò irritaverit eos propter inconvenientia annexa in odium (inquit) illorum, qui infligunt metum iniuſtè. *Io. Salas.*

An metus faciat involuntariũ?

4. COmmunis vox omnium hodiè eſt, huiuſmodi actiones ex metu factas, eſſe ſecundùm quid involuntarias, nec mirum, hic enim authores ſcribunt quod experiuntur; vident enim ſe ſic agere, dimittere placita etiam, quando id neceſſe eſt ad maioris boni, puta virtutis retentionem & exercitium. Non damnabo communé hunc ſenſum, qui videtur quaſi ad ſenſum demonſtratus, ſed dabo rationes, quæ intellectũ fortè movere poſſint, ut ſaltem de hoc dubitet, aut nitatur rem aliter explicare, ecce ipſas.

Nam eſſe voluntarium hic, ut vidiſti, eſt eſſe volitum, ſive voluntatem conſentire in huiuſmodi actum, puta in abiectionem mercium in tempeſtate: unde eſſe involuntarium erit id ipſum, quod eſt eſſe nolitum ut vides; at verò manifeſtum eſt, nihil idem poſſe eſſe volitum & nolitum, voluntati; ſive illam non poſſe habere duos actus circa idem obiectum, quorum unus ſit volitio, alter nolitio eiuſdem, quocunq; demum modo explicentur, ergo.

Ab hoc nodo ſic illi fugiunt, ut dicant non dari tunc volitionem & nolitionem eiuſdem, ſed dari quidem actum qui ſit velle, non dari alium qui ſit nolle, bene tamen, alium qui ſit nolleitas, quo ſcilicet voluntas dicat: Si poſſem aliter evadere, *nollem* amittere has merces. Sed enim non poſſum approbare hanc philoſophiam, non credo in voluntate dari actum, qui ſit *nollem*, ſed omnem eius actum eſſe, volo, aut nolo, nam in actu voluntatis non poteſt poni cõditio, à qua dependeat quoad eſſe. non enim poteſt ab ea eſſe aliquid quod eſſet tantum actus illius, & de facto non ſit. Confirmo hoc duabus inſtantiis, una eſt in ipſa voluntate, nam non poteſt illa habere actum, qui ſit volui, ergo nec qui ſit *vellem*, niſi multò minus, nam τὸ *vellem* non ſolùm eſt extra præſens, ſed etiam eſt ſuſpenſum quale non eſt illud *volui*. Altera inſtantia eſt in ſenſibus, nam tales actus in illis dari non poſſunt, v. g. repugnat oculum habere actum, qui ſit *viderem*, aut locomotivam illum qui ſit *currerem*, alioquin poſſet idem habere ſimul motum & quietem, clarum eſt enim quòd aliquis quieſcens poſſit habere actum, qui ſit *currerem*.

Vides rem tritiſſimam difficilem explicatu, ſi enim non ſit ibi, neque nolo, neque nollem, quid eſt quod reddit actum involuntarium? & tamen certum eſt ibi eſſe aliquid, quia triſtatur nauta ob merces amiſſas, triſtitia autem eſt de iis quæ nobis nolentibus accidunt. Cenſeo actum voluntatis, quo vult eiectionem, eſſe plenè voluntarium, neque ſic neque ſecundùm quid involuntarium, quia nimirum procedit ab ea cum deliberatione, & actus oppoſitus non minuit aliquid de libertate huius, quod ergo dicitur eſſe involuntarium ſecundùm quid, eſt obiectum, ſcilicet actus externus eiectionis, quia circa hunc verſatur illa nolitio quæcunque ſit.

Aliqui explicant eam exemplo Dei, & dicunt eſſe voluntatem inefficacem, qualis eſt illa, qua Deus vult omnes homines ſalvos fieri, quum tamen efficaciter velit aliquos damnare; ſed non eſt ſimile, quia Deus exequitur quodammodo ſuam voluntatem ad extra, & applicat media ad illum finem, dat enim omnibus auxilia gratiæ, dat ſacramenta, &c. at verò nauta nullum actum externũ elicit, quo conetur retinere illas merces, ſed feſtinat eiicere eas, ergo. Reſpondeo iam ad impugnandum communem modum quo hæc ſolent exponi, dicunt enim actum eiiciendi non eſſe plene voluntarium, ſed habere mixtionem involuntarii propter alium actum annexũ, quem ſic exponunt: niſi eſſent tempeſtates & pericula mortis, nollem eiicere merces, ego autem dico hunc actum non reddere alium involuntarium, ſed neque ipſum nautam [quod facilius eſſet,] nolentem. Ratio, quia eſſe nolentem eſt denominatio de præſenti & abſoluta: *Tò nollem* non eſt forma abſoluta, ſed ſuſpenſa, nec purè de præſenti, ergo non ſufficit hæc ad faciendũ nolenté: Confirmo, quia quum vir A dicit fœminæ B: *Si adferres mihi dotem mille aureorum, ducerem te in uxorem*; certè ille nonmodo non fit maritus ejus dum hæc dicit, licèt fœmina velit, ſed ne quidem ſi adferat mille aureos, niſi vir habeat novũ actum, ergo jam hæc *vellẽ*, & *nollem* nec reddunt volentes aut nolétes, nec actiones volitas aut voluntarias.

Objicies, qui dicit, *niſi timerem magiſtratum occiderem te*, peccat, & tamen non dicit niſi *vellem* aut ſimile, ut vides, ergo. Reſpondeo, ego hic aliquid ſimile patior, nam niſi timerem magiſtratum, aut cenſuram aliorum, negarem antecedens, dicerem quòd non peccat, quia non occidit, ſed occideret, non ergo peccat, ſed peccaret.

Inſtabis ſaltem, purificatâ conditione habet voluntatẽ occidendi, ſed purificatio conditionis non eſt aliquid ab ipſo dependens, ergo totum homicidium, quantum ab ipſo dependet, jam eſt, aut ſaltẽ voluntas occidendi, adeoque peccatum. Hæc tamen replica præventa & enervata eſt per confirmationẽ reſponſionis meæ, ſive per caſum illum viri ſic loquentis fœminæ, nam utrobique opus eſt novo actu, nam quantumcunque purificetur conditio virtute veritatis hujus propoſitionis, etiam purificata conditione non remanet niſi *ducerem te*, aut *occiderem te*, adeoque non remanet pecco, ſed peccarem, quod non eſt de præſenti, nec abſolutum, ſed ſuſpenſum; ſcio hanc doctrinam viſum iri novam, & contra receptas, imo ſuppoſitas reſolutiones Caſuiſtarum, ſed quid inde ſi ſit vera? ſi ratione nitatur? non debemus attendere vetuſtatem, ſed veritatem.

6. Ut tamen deferamus aliquid ipſi vetuſtati, dabo modum quo utrumque illud ſuſtineatur comuni modo ſcilicet metũ reddere involũtariũ & ſic dicentem peccare: eſt autem iſte, ut τὸ *vellem* aut *nollẽ* non ſignificent quod important in voce

Digitized by Google

ſed ſub eis lateat actus de præſenti, & ſenſus eorum ſit. Ego jam habeo talem determinationem voluntatis, ut conſenſurus ſim, aut diſſenſurus in talem aut talem actum, quæ voluntas prava eſt in caſu occiſoris, ut vidit etiam ethnicus & ſignificavit illis:

Oderunt peccare mali formidine pœna.

Unde jam malus quis efficitur, omittendo peccatum timore magiſtratus aut pœnæ ab eo infligendæ. Sed, niſi fallor, ſupereſt adhuc aliquid vigoris meis rationibus; nam etſi ſic explicetur *Tò vellem*, ut jam factum eſt, tamen illa voluntas, licèt ſit de præſenti, non eſt abſoluta voluntas peccandi, ſive non eſt voluntas abſolutè peccandi; tunc enim ſolùm peccarem, non verò pecco, aut peccabo. Deinde modo quis omittat peccatum ſive timore, ſive amore, perinde eſt, quia adhuc innocens eſt, aliàs non omitteret, ſed committeret peccatum contra ſuppoſitum, ergo, &c. Quia tamen neceſſe eſt fateri ea, quæ ex timore fiunt eſſe aliquo modo nolita & involuntaria, & denique aliquis modus hujus aſſignandus eſt, non video meliorem eo, quem aſſignat Subtilis, 2. d. 6. q. 1. *Reſpondeo ad quæſtionem* num. 3. ut ſcilicet cum voluntate efficaci ejiciendi merces ſimul ſit alia complacentia ineſficax, qua amat merces, & odit earum amiſſionem. Quòd autem voluntas ineſficax & complacentiæ detur, ſtante etiam efficaci, poſſitque cauſare triſtitiam, patet in eo quem pœnitet; hic enim vellet non feciſſe id, cujus eum pœnitet, & tamen videt ipſe impoſſibile eſſe, ut factum ſit infectum; proſequitur nihilominus hoc factum nolitione, odio, &c. ita ſimiliter. Sit ergo

ACTIO III.

An, & quomodo concupiſcentia impediat vel augeat voluntarium?

Breviarium.

N. 1. *Concupiſcentia auget omne voluntarium ſuo modo.*
2. *Ratio voluntarii vix poteſt intendi. Probatur.*
3. *Objectiones contra reſolutionem num. 1. poſitam.*
4. *Concupiſcentia non minuit libertatem.*
5. *Minuit tamen peccatum.*
6. *Habitus augetne liberum & voluntarium?*

1. DAbo in primis communem doctrinam, quæ eſt quòd concupiſcentia augeat voluntarium, & minuat liberum. Per concupiſcentiam aut monent authores intelligendum eſſe non ſolùm appetitum ſenſitivum, qui contradiſtinguitur ab iraſcentia, ſeu iraſcibili, ut vocant, ſed quamlibet paſſionem, quæ rapit voluntatem in amplexum objecti, ita ut hic etiam ira ipſa computetur; Recentes tamen receſſerunt hic à vetuſtis, & cœperunt docere, quòd concupiſcentia non augeat voluntarium, imò quodammodo minuat; ſed quia nituntur authoritate ſola, eò quòd ſic etiam alius cenſuerit, non ſunt audiendi, ſed dicendum eſt inprimis voluntarium propriè vix poſſe augeri aut minui: Secundò concupiſcentiam augere voluntarium ſimpliciter & genericè ſumptum certiſſimè; tertiò quod eſt controverſum, concupiſcentiam augere etiam voluntarium propriè ſumptum. Hoc tradidit diſertè D. N. 4. d. 29. n. 12. dicens: *In inductione per blanditias & delicias multum eſt de voluntario, & parum de involuntario.* Ut probemus intentum, ponamus caſum ipſum, qui eſt, quando voluntas conſenſit in actus concupiſcentiæ, puta in crapulam, aut ebrietatem, in copulam carnalem, vindictam, &c. non ergo ſatis explicuit hanc formam Felix, qui ait hujus locis difficultatem eſſe; utrum quando quis allectus concupiſcentia eligit, quod aliàs non eligeret, cauſet involuntarium, v. g. quando avarus in concupiſcentia vel deſiderio mulieris prodigit opes, dico caſum non rectè ſtatutum eſſe ab iſto, tum quia prodigere opes non eſt actus concupiſcentiæ, neque ullus ad quem per ſe inclinat; tum quia non eſt neceſſe eligi, quod aliàs non eligeretur, nam caſus actionis præſentis currit etiam de licitis actibus, v. g. de eſu aut potu ſobriis, de uſu propriæ uxoris, &c.

Probo jam primò ſecundam partem, quia voluntarium in genere non aliud exigit, quàm eſſe à principio intrinſeco cum cognitione, ut videas apud Ariſtotelem 3. Ethic. 1. contradiſtinguit enim illam à ſola electione; Item concedit illud pueris & beſtiis, & in ſummâ apud ipſum eſt ſola ratio generica ad plura ſe extendit, eſt enim pueris & animalibus nobiſcum commune, electio verò non eſt communis. Idem Damaſc. & Nycen. ſeu Nemeſius &c. Sed manifeſtum eſt, concupiſcentiam augere hujuſmodi affectum, quia nimirum ipſa concupiſcentia, ſeu appetitus ſenſitivus eſt tale quid, eſt enim ab intrinſeco, & ſupponit cogitationem.

2. Probabo hic primam & tertiam partem, quia voluntarium ex ſe non exigit niſi à voluntate procedere, in hoc enim conſiſtit rigidè & propriè, at verò hoc quod eſt à voluntate procedere, non habet gradus ut fiat majus aut minus, ſed in indiviſibili conſiſtit. aut enim voluntas influit, aut non; & explicari poteſt per ſimile de ipſo homine agente; poteſt enim homo alia & alia opera facere meliora & meliora, tamen ipſum opus infimum tam eſt opus humanum, quàm præſtantiſſimum quod facit. Res ergo ſtat in tertia parte, quam ſic ſuadeo, quia eo modo quo poteſt ratio voluntarii augeri, fit per concupiſcentiam, ut ſcilicet voluntas majori conatu feratur in objectum, quod experimur omnes, nam eandem actionem quam facimus intensè ſimulante concupiſcentia, ſine ipſa remiſsè facimus; cujus ratio à priori videtur, quia pro hoc ſtatu, voluntas quodammodo ſubordinatur concupiſcentiæ, & & ea quæ huic placent, placent etiam voluntati, quum in ſtatu naturæ integræ concupiſcentia ſubordinaretur voluntati, & confirmatur totum, quia

Digitized by Google

quia opus eſt valido auxilio gratiæ, ne voluntas conſentiat concupiſcentiæ; ergo ex natura rei, quam hic expendimus, voluntas validè ruit in aſſenſum concupiſcentiæ, quod, ni fallor, reddit actum valde voluntarium, &c.

Probatur adhuc amplius, quia objectum ipſum extra facit & auget voluntarium, nam quò pulchrius & delectabilius eſt, eò magis attrahit voluntatem, & minus poteſt voluntas ſe retrahere; unde conſultum eſt occludere ſenſus hujuſmodi objectis, quia trahunt ſecum periculum aſſenſus, & in patria objectum beatificum ſecundùm pleroſque abſolutè neceſſitat voluntarium, tum ſic: Objectum minùs poteſt cauſare voluntarium, quàm concupiſcentia? imo numquam cauſat pro hoc ſtatu, niſi ratione ejus, & mediante ipſa, adeoque.

Objicies: Ratio voluntarii eſt eſſe à principio intrinſeco, atqui concupiſcentia eſt extrinſeca voluntati; ergo non poteſt augere rationem voluntarii, imo quo plus eſt de concupiſcentia, minus eſt de voluntario, quia plus eſt de extrinſeco. Reſpondi jàm dupliciter, nam accipiendo voluntarium comuniter, concupiſcentia manifeſtè auget ipſum, quia etiam ipſa eſt principium intrinſecum operanti. Accipiendo etiam voluntarium propriè pro actu appetitus rationalis, dico concupiſcentiam augere etiam iſtum, non quidem ſe ipſa formaliter, ſed nec efficiéter, quia non influit in voluntatem, ſed concomitanter, & per ſympathiam, quia voluntas pro hoc ſtatu condelectatur parti ſenſitivæ.

Objicies ſecundò: Voluntarium non ſolùm eſt à principio intrinſeco, ſed etiam cum cognitione, ſed concupiſcentia minuit cognitionem, imo aliquando abſorbet & extinguit eam; ergo minuit voluntarium, non verò auget. Reſpondeo primò, hoc argumentum non eſſe æquale præcedenti, ut putant arguentes? cauſa eſt, quia aliter concurrit cognitio, & aliter principium intrinſecum ad rationem voluntarii, principium enim concurrit ad conſtituens, cognitio ut conditio tantùm, unde ſolutum jam eſt; nego enim conſequentiam, quia poteſt minui cognitio non imminutâ ratione voluntarii, ſicut poteſt augeri non auctâ ratione voluntarii, nam ex duobus habentibus æqualem cognitionem, poteſt unus magis amare, imo poteſt id cum minori cognitione. Reſpondeo ſecundò hic aſſeri falſum, quòd ſcilicet abſorbeatur cognitio remanente voluntario propriè, nam non poteſt continuari actus niſi ſtante cognitione: Vel tertiò ſi poteſt, tunc nihil referet cognitio ad rationem voluntarii, atque ita quamvis demus antecedens, negabimus conſequentiam, id eſt, conceſſo quòd minuatur cognitio, non concedemus minui voluntarium.

Objicies tertiò: Concupiſcentia minuit peccatum, ergo & voluntarium; peccatum enim ideo tale eſt, quia voluntarium. Ad hoc patebit ex ſequenti.

4. Dici ſolet ab authoribus hic communiter, nemine ferè dempto, quòd concupiſcentia minuit liberum, (etſi non minuat voluntarium apud quoſdam,) & proinde minuit peccatum. Probari etiam ſolet communiter ab ipſis, quia concupiſcentia minuit indifferentiam ad plura, facit enim ut inclinetur ad unam partem præ aliâ, id autem ſtatim nocet libertati, hæc enim conſiſtit in indifferentia illa, nam liberum ſuperaddit voluntati, tanquam differentiam hanc æqualitatem & indeterminationem ad unum extremum præ alio.

Dicendum tamen videtur id non rectè probatum eſſe, quia nimirum falſum eſt, libertatem conſiſtere in indifferentia, conſiſtit enim in indeterminatione & potentia ſe determinandi; at verò hæc non eſt indifferentia, ſed aliud, quod ſtare poteſt ablatâ aut ſaltem imminuta indifferentia, nam ſi inclinetur in unam partem, non eſt indifferens ad utrumque; ſicut lanx quæ gravitat præ alia, non eſt in æquilibrio, ſed plus pendet ab una, & tamen ſi in manu ejus ſit ſe determinare, eſt liber, unde conceptus libertatis eſt poſſe ſe determinare, iſta autem alia ſunt ad melius eſſe, ad facilius ſe determinandum, aut è contra ad difficilius, ſicut habitus, unde &c.

Dici bene poteſt, quod concupiſcentia non minuit libertatem: Ratio jam aſſignata eſt, quia non minuit poteſtatem determinandi, ſed tantum facilius ſe determinandi: at vero conceptus libertatis non eſt determinare ſe facilè aut difficulter.

5. Addo tamen, concupiſcentiam imminuere nihilominus peccatum: Ratio, quia adfert difficultatem vitandi illud, minus autem culpabile eſt non reſiſtere, ſeu ſuccùbere magnæ difficultati, quàm ſuccumbere parvæ. Videtur tamen aliquid meæ rationis proxime adductæ etiam huc recurrere, nam peccatum eſt violare legem: lex autem non præcipit facile hæc, aut illa facere, ſed abſolute facere, ergo quod non imminuit abſolutam poſitionem actus vetiti, ſed tantummodo facilem poſitionem ejus non imminuit peccatum, ſed non eſt credendum huic rationi, quia obſtacula non impediunt tantum, ne actus aliquis facile fiat, ſed ipſam abſolute factionem eius. Homo infirmus aut laſſus non tantum ineptus eſt ad cito currendum, ſed ad omnino currendum.

Quæri ſolet, utrùm concupiſcentia ſeu paſſio cauſent involuntarium, ſicut timor? & plerique affirmant, ducti paritate illa: ſed ni fallor male, ut patebit producendo eorum exempla. Avarus (inquiunt,) quando expendit ſuas pecunias, ut aſſequatur voluptates ægre & invitus expendit, adeoque iam concupiſcentia cauſat involuntarium: male, nam non adfertur caſus controverſus, ille enim actus expendendi non eſt actus concupiſcétiæ, aut alius per quem per ſe inclinet. Deinde non eſt ſimile, quia obiectum timoris eſt malum, concupiſcentiæ bonum, ſeu placens, alibi ergo debuerunt quærere paritatem.

Quæres, utrùm habitus minuat an augeat voluntarium aut liberum: Reſpondi minuere libertatem ſicut concupiſcentia, propter eandem rationem, quia nimirum determinat voluntatem ad unam partem magis, quàm ad aliam, adeoque tollit indifferentiam. Cenſeo verius, quod non minuat libertatem, neque oppoſitum rectè probatum: ecce rationem, quæ erit diſparitas inter hæc & concupiſcentiam, quia nimirum habitus ſubordinatur voluntati, neque agit, aut movet ſe vel ſuppoſitum niſi mota & excitata ab ipſa, adeoque ille non determinat ad ullam partem: Urgeo exemplis, ſi enim ponamus acutiſſimum cultrum in manu hominis, ille tamen non minuit libertatem, neque determinat eum ad ſcindendum, quin potius ipſe homo prius debet eſſe determinatus ad ſcindendum, quam illa

Digitized by Google

quidquam agat, vel juvet eum in agendo. In quo vides diſparitatem horum habituum à concupiſcentia, nam concupiſcentia prævenit voluntatem, nec ſubordinatur ei, neque debet expectare ejus imperium, aut impulſum in agendo.

ACTIO IV.

Vtrùm ignorantia cauſet voluntarium, an involuntarium?

Breviarium.

N. 1. *Variæ diviſiones ignorantiæ.*
2. *Antecedens, concomitans, & ſubſequens, quomodo accipiendæ?*
3. *Ignorantia cauſat voluntarium potius quàm involuntarium.*
4. *Rationes tres in oppoſitum, ſolvuntur.*
5. *Alia adhuc. Ignorantia irritat contractus, & cur?*
6. *Reſolvitur quæſtio quoad ignorantiam ſubſequentem.*

1. Hoc eſt tertium caput quod hic concurrere poteſt, & ſolet examinari; in quo quia vix quidpiam occurrit, quo à communi via recedatur, ſubdam planè ſine tumultu terminos ipſos materiæ, ne nihil omnino dicatur. Itaque dividunt hic authores ignorantiā in plura membra, idque pluribus diviſionibus, nil ſoliciti de ejus definitione; fortaſſis, quia eſt quid æquivocum, quum aliqua ſit ens, aliqua nihil & negatio: At enim hæc excuſatio prætendi poteſt diviſioni ejus in ignorantiam puræ negationis, & pravæ diſpoſitionis, nam ex his una eſt quid poſitivum, alia privativum: at verò aliæ diviſiones ſunt homogeneæ omnes, adeoque non excuſatur per hæc omiſſio definitionis ante ipſas. Cæterùm quiſque intelligit quid ſit ignorantia, ſive ſcit quid ſit neſcire. Si quis tamen optet aliquam definitionem complectentem utramque ignorantiam, poterit eſſe iſta, quòd nimirum ignorantia ſit quid directè oppoſitum ſcientiæ; hæc enim competit tam ignorantiæ negationis, quàm ignorantiæ diſpoſitionis. Eſt autem ignorantia puræ negationis quando quis planè neſcit objectum, ſive nullum conceptum de eo habet: pravæ diſpoſitionis, quando habet erroneum, v.g. ſunt duo, quorum unus nihil audivit de tertia perſona in Divinis, v.g. ut Samaritani illi, qui Act. 9. *Ne quidem ſi Spiritus ſanctus eſt audiverunt:* Alius audivit eum eſſe ſemideum, aut planè creaturam: hic laborat prava diſpoſitione, prior negatione; non enim debes tibi frangere caput, diſtinguendo hic privationem ſcientiæ à negatione ejus.

2. Aliæ plures numerantur ſpecies hujus, ſed omnes ferè continentur in famoſa illa diviſione ejus, in antecedentem, concomitantem, & ſubſequentem. Antecedens eſt quæ præcedit aut prævenit actum voluntatis, & proinde non cauſatur ab eo, ſed potius ipſum ſuo modo cauſat: ſubſequens è contra quæ ſequitur ad actum voluntatis, tanquam quid cauſatum ab eo. Concomitans eſt quid medium inter utramque, ſcilicet nec cauſans nec cauſata, quæ omnia facilius exemplis intelligentur. Explodo bombardam, & hominem occido credens eſſe feram, nam ſi ſciviſſem eſſe hominem non occidiſſem, eſt ignorantia antecedens. Exploſi bombardam nolens inquirere vel addiſcere, utrum ibi homo ſit an fera, eſt ignorantia ſubſequens; Exploſi bombardam, & occidi inimicum, credens eſſe feram, quem tamen ſi ſciviſſem ibi fuiſſe, adhuc occidiſſem, eſt concomitans: unde vides, quàm verè dictum ſit ſupra, alias diviſiones poſſe ad has reduci, nam affectata ignorantia coincidit cum ſubſequenti, itemque craſſa, &c. inculpabilis, invincibilis, &c. cum antecedenti.

Omnia ſunt clara: addo tamen ambo hæc; unum eſt diviſionem hanc potuiſſe rectius inſtitui, reddendo eam bimembrem: Ratio jam tacta eſt, quia nimirum ignorantia concomitans eſt ignorantia impertinens, quia non influit in actum moraliter aut phyſicè conſideratum magis, quàm alia diſparata, v.g. ſeſſio, aut albedo; unde plane huc non pertinet niſi quantum conducit ad alia membra magis intelligenda. Alterum eſt clarius dividendam eſſe ignorantiam, in eam quæ eſt cauſa operis, & eam quæ non eſt cauſa operis. Per cauſam autem ne intelligas propriam & poſitivam, ſed negativè potius, ſive quæ ſit removens prohibens, quia nimirum removet ſcientiam, quæ ſi adeſſet, prohiberet illud opus. His poſitis, res ipſa apud omnes eſt eadem: conſentiunt enim in hoc, quod eſt, ex ignorantia fieri aliqua, quæ ſine illa non fierent, & quæ habita ſcientia retractantur, & adferunt pœnitentiam, ac triſtitiam; hoc autem an ſit cauſare involuntarium, hinc inde controvertitur, etſi vocibus magis quàm re.

3. Dicendum judico, quòd ignorantia cauſet voluntarium, non cauſet propriè involuntarium. Ratio primi poteſt formari communiter ſic, quia nullus actus voluntatis eſt involuntarius, imo nec eſſe poteſt; ſecundò ſpecialiter, quia in caſu poſito de occiſione hominis loco feræ, omnis actio, quæ immediatè ab homine eſt in hoc caſu, eſt voluntaria, ſcilicet exploſio bombardæ, quod probari poteſt argumento ſupra poſito à me, nam motus membrorum, ſequitur ultimam & abſolutam reſolutionem voluntatis; ſi ergo manus & brachia, &c. hominis apprehenderunt bombardam, ſignum evidens eſt hæc eſſe ei volita ac voluntaria.

Tertiò ſic, quia ignorantia occultat rationem omittendi actum, ergo eſt cauſa potius committendi actum.

4. Objicio primò, ſi adeſſet ſcientia non faceret, ergo non voluntariè facit. Confirmo: nil volitum, quin præcognitum, ergo hoc quod ſup-

ſupponimus eſſe non præcognitum eſt non volitum. Accipio antecedens huius argumenti, & dico illud potius inferre oppoſitum, quod ſcilicet homo abſente ſciētia revera facit, ſive voluntariè facit, hinc enim non ſequitur, quòd ignorantia cauſat aliquid, ſed quòd cauſaret: unde etiam dico, confirmationem eſſe in oppoſitum, nam exploſio bombardæ ſine dubio eſt præcognita: ſi vis autem concedam tibi quòd vulneratio hominis non ſit volita, nam non refert nunc, hæc enim non eſt actus hominis ut diſtinguitur ab exploſione bombardæ. Ex quo patet ad ſequentem, quam

Obiicio ſecundò: Ignorantia excuſat à peccato, ergo reddit involuntarium, patet conſequentia, non enim aliter poteſt tollere peccatum, quàm tollendo vel impediendo conſenſum hominis: patet antecedens, quia talis non peccat homicidio illo. Reſpondeo, iam dixi homicidium illud non eſſe actum hominis immediatè, adeoque etſi ignorantia redderet homicidium involuntarium, non redderet ullum actum involuntarium, ſed contra omnia

Obiicitur adhuc tertiò: Audita morte hominis triſtatur alius, & dolet non ſolùm ſe occidiſſe hominem, ſed etiam exploſiſſe bombardam, hoc autem eſt ſignum involuntarii, ut notavit Ariſt. 3. Ethic. 1. *Non ſpontaneum quidem omne eſt, ſed invitum; quod vel dolorem, vel pœnitentiam adfert.* Ad hoc ut reſpondeam, probo concluſionem tertiò, & quæro, quando ignorantia cauſat involuntarium, poſt acceſſum ſcientiæ, an ante ipſum? ſi poſt acceſſum ſcientiæ, ſequitur, quòd ignorantia non cauſet, quia tum ignorantia non eſt, ſi autem ante acceſſum ſcientiæ, ſequitur, quòd homo aut non facit, quod verè facit; aut certè quòd pœnitet eum illius quod facit, etiam dùm facit.

Adhuc quartò, quia ignorantia cauſat involuntarium removendo prohibens, vel rectius prohibiturum; quia removet aliquid, quod ſi adeſſet, prohiberet, ergo iam non prohibet, ſed permittit actum, adeoque non eſt dicendum, quòd eliciatur actus involuntarius, ſed quòd eliceretur, quæ longè diverſa ſunt.

Inſto adhuc, nam involuntarium, quod cauſat ignorantia, vel eſt exploſio, vel pœnitentia: non exploſio, quia illa non eſt præſente ſcientiâ, non pœnitentia, quia alioquin pœniteret eum pœnitentiæ, non verò exploſionis. Itaque iam ad argumentum in forma, concedo antecedens & nego conſequentiam: non enim ſequitur hinc, niſi exploſionem poſt acceſſum ſcientiæ eſſe nolitam per modum obiecti, non autem fuiſſe involuntariam per modum actus dum eliceretur: & ad hunc ſenſum explicandus eſt Ariſtoteles. Sed contra omnia

5. Obiicio acrius quintò: Contractus initi ex ignorantia irriti ſunt; ergo non ſunt voluntarii. Patet conſequentia, quia ſi eſſent tales, non irritarentur. Antecedens autem probatur, quia quæ nubit Eduardo credens eſſe Edmundum, non fit revera uxor illius, neque facit matrimonium aut ſacramentum, quia ut dicitur ff de Iuriſdic. Iudic. *Errantis nullus eſt conſenſus.* Hoc aliquid facit, ſed ſi attendatur eſt pro me, & verti poteſt in Adverſarios ſic: Contractus initi ex ignorantia ſubſiſtunt, nam ſi quis ducat Martham, credens eſſe virginem, cùm ſit corrupta, facit matrimonium & ſacramentum, &c. & tamen errat; unde proſequor rationem, quia hic recurrit fundamentum Adverſariorum, nam ille vir ſi ſciret eam eſſe corruptam, non duceret; unde illius ignorantia eſt removens prohibens, & tamen non reddit involuntariam ductionem eius, idem in aliis materiis, nam qui vendit mercem habentem vitium quod neſcivit emptor, verè vendit, nec tenetur reddere pretium, & tamen alter ſi ſciret fuiſſe vitioſam, non emiſſet. Reſpondeo iam ad argumentum, negando univerſaliter antecedens, ut patet ex ſubiunctis à me hactenus, in caſu autem adducto, dico fœminam voluntariè etiam libenter nubere, imò non poteſt dari actus voluntatis, qui ſit involuntarius. Cauſa autem cur irritus ſit contractus illius fœminæ eſt; quia non conſenſit in iſtum, ſed in alium, quem mente volvit, unde contractus ex parte ipſius fuit cum Edmundo.

Video tamen contra me poſſe adferri; quod ipſe ultimò attuli, ſcilicet iſto modo dici poſſe, quòd ducens corruptam non conſentiret, adeoque involuntariè ageret, quia nimirum ipſe intendit ducere, quam ipſe mente concipit, & eſt virgo. Reſpondeo, conciliandæ ſine dubio ſunt iſtæ veritates, nam uterque caſus eſt verus: Dico autem in ſecundo caſu contractum valere, in primo non: Ratio, quia in ſecundo conſenſus cadit ſupra ſubſtantiam perſonæ, diſſenſus ſuper circumſtantiam; at verò circumſtantia potius debet ſequi ſubſtantiam, quàm ſubſtantia circumſtantiam, adeoque potius dicendus eſt contractus valere quàm irritari, quia fundamentum irritationis eſt in circumſtantiis, quæ ſunt accidentia contractus, fundamentum autem validitatis eſt in ſubſtantia: ex quo patet cauſa cur primus caſus non teneat. Itaque ignorantia certum eſt quòd relinquat actum phyſicè voluntarium, & quoad ſpeculativum iudicium; moraliter tamen & civiliter reddit involuntarium, & hoc eſt fortaſſis totum intentum Adverſariorum, quod nos ultrò concedimus, quia nimirum leges habent ejuſmodi actus pro nullis; ſic ſupra convenerunt omnes in eo, quòd metus non reddat ſimpliciter involuntarium, & tamen leges irritant donationes, & alias actiones ex metu factas, quod ſufficit de hoc dixiſſe; jam

Confirmo totum uno argumento, quia ſi quis duceret Mariam credens eſſe Catharinam, qui tamen ſi ſciret ipſam verè eſſe Mariam, duceret eam, revera non contrahit nec fit ipſius maritus; ergo jam non eſt attendendum quid quis faceret habita ſcientia, ut cenſeatur actus eſſe voluntarius ei; ſed quid revera facit, nam talis, ut ſupponimus, contraheret ſi ſciret; tamen actu non contrahit, ergo alius qui non faceret hunc actum voluntariè ſi ſciret circumſtantias, tamen quamdiu neſcit, voluntariè facit; quæ conſequentia & tota ratio efficax eſt ſuppoſita veritate caſus, qui communiter approbatur; tenent enim, ni fallor, quòd in dicto caſu nullum ſit matrimonium.

* * *

Reſolvitur

Digitized by Google

Reſolvitur quæſtio quoad ignorantiam concomitantem.

5. IGnorantia ſubſequens, ſive quam quis procuravit, certum eſt à fortiori quod non cauſet involuntarium, id tamen non facilè poteſt probari, aut defendi ab illis, qui tenent ignorantiam antecedentem cauſare involuntarium, quod ſic oſtendo: ſecundùm ipſos ignorantia antecedens cauſat involuntarium, quia removet prohibens, ſcilicet ſcientiam, quæ ſi adeſſet, non eliceretur actus; atqui ignorantia conſequens removet prohibens, ſcilicet ipſam ſcientiam, ſumus enim in caſu quo quis non vult diſcere præcepta ſui ſtatus, ſeu regulam ſuam, ut liberius peccet; ſive, ne fortè deſineret proſequi objecta placita, ſi ſciret ea eſſe prohibita, ergo. Itaque huic ignoranti actio eſt voluntaria quoad phyſicum & morale: unde qui explodit bombardam, nolens examinare, utrum quod apparet ſit homo an fera, eſt homicida phyſicè & moraliter, hoc eſt, incurrit peccatum homicidii, ſed contra hoc

Objici poteſt in hunc modum, tantum facit quis moraliter, quantum vult, tam in materia virtutis, quàm in materia vitii; ille non vult homicidium certum ſed dubium, ergo non eſt certò reus homicidii. Confirmo, quia injuſtum eſt imponere certam pœnam pro delicto incerto, v. g. dubitant judices, an vinea Petri paſſa ſit damnum ex culpa Pauli; certe non poſſunt obligare juridicè Paulum ad reſtitutionem, ergo ſimiliter non debemus dicere, quòd ille operans ex ignorantia illa peccet certò & fixè, ita ut ſit reus gehennæ ignis, ſed ut ſit reus conſilii aut judicii, ut loquitur Salvator; ſicut in caſu poſito judices poſſunt tantùm procedere ad examen Pauli, non verò ad ſententiam aut ablationem bonorum. Reſpondeo, videtur hic aliqua paritas, abſolutè tamen ille eſt homicida, & quidem culpabiliter, quia revera conſenſit in homicidium, cujus probatio ſic formanda eſt, quia nimirum ille ſciens eſſe dubium, conſenſit in quamlibet partem, quæ ſequeretur, in occiſionem hominis aut feræ, & quum revera fuerit homo, ſequitur, &c. imo etiamſi non fuiſſet homo ſed fera, ille eſt moraliter homicida, licèt phyſicè non ſit, quia nimirum conſenſit ſi adeſſet, defuit ergo præſentia hominis, non defuit præſentia conſenſus, adeoque nec peccati.

Obiicies nihilominus contra ſic: Dubitans de cenſura non incurrit eam, nec qui ignorat eam, etſi vincibiliter id faciat, ergo ſimiliter. Reſpondeo non eſſe ſimile, quia incurſus cenſuræ non eſt quid ſequens ex natura rei, ſed ex placito legislatorum; hi autem noluerunt cenſuram afficere niſi contumaces; at verò patet, illum qui dubitat de lege non eſſe contumacem, ſi ſtante dubio prævaricetur.

Inſtari tamen poteſt contra hoc ex præcedentibus, nam ſi ad peccatum ſufficit dubium aut ignorantia conſequens, ſufficit etiam ad cenſuram, cenſura enim excommunicationis incurritur ipſo facto, quo peccatur mortaliter in illa materia, ergo. Unde verti poteſt ſic argumentum: dubium ſufficit ad avertendam cenſuram, ergo & ad avertendum peccatum; Puto ad hoc probabilius eſſe, quod talis non peccat mortaliter, neque tamen hoc præiudicat dictis, quia enim peccatùm incurritur ratione cenſuræ, videtur ipſum peccatum debere interim ſequi modum cenſuræ incurrendæ, qui eſt ut non committatur ſine contumacia.

Ignorantia tamen omnis regulariter minuit peccatum, quia minuit voluntarium, minuit autem voluntarium, quia minuit cognitum, ita communis. Sed reſtringendum videtur, & excipienda hinc ignorantia affectata, quam ſcilicet quis procurat, ne fortè per ſcientiam averteretur à tranſgreſſione, hic enim ipſam ignorantiam facit eſſe inſtrumentum peccandi, adeoque ignorantia talem non excuſat, ſed accuſat potius, & eſt, ac ſi quis volens ferire alium, verreret viam, & tolleret trabes intermedias; ſic enim ille tollit ſcientiam, tanquam impedimentum peccati.

* * *

Tractant hæc

ARiſtot. *Ethic. c.* 1. S. Thom. *q.* 6. *art.* 6. D. Antonin. 1. *p. tract.* 4. Nyſſ. *lib.* 5. *Phil. cap.* 1. Damaſc. *lib.* 2. *de fide.* Palud. 4. *d.* 19. Gabriel Vaſq. *diſp.* 28. *& diſp.* 26. Navar. *in Sum. præl ud.* 6. Curiel. *hic art.* 4. *dub.* 4. Cornei. *diſp.* 2. *d.* 2. Lorc. *diſp.* 28. Almain. *tract.* 1. *Moral.* Medin. 1. 2. *q.* 6. *art.* 6. Franc Felix *tract. de Act. cap.* 2. *diffic.* 1. 5. Montepil. *diſp.* 56. Martinez. cum S. Thom. cit. Salas. *diſp.* 3. *ſect.* 3. Sfor. Palavicin. *diſp.* 4. Coninck, *ſupra citat.* Tarquin. Gal. *in lib.* 3. *Ethicor. Ariſt. cap.* 1. *q.* 1. 2. &c.

APOLOGIA

Digitized by Google

APOLOGIA QVARTA

De bonitate & malitia actuum humanorum.

ACTIO I.

In quo conſiſtat bonitas moralis actus humani?

ACTIO II.

Quomodo actus fiant boni, vel mali ab obiectis?

ACTIO III.

Corrigitur communis doctrina de numero circumſtantiarum.

ACTIO IV.

Corrigitur communis doctrina Ethicorum, de modo quo circumſtantiæ influunt in actiones humanas.

ACTIO V.

Utrùm finis & medium ſeorſim influant affectiones morales eiuſdem rationis in actum?

ACTIO VI.

Utrùm ambo illa poſſint influere affectiones diverſæ rationis in eundem actum, puta intentio bonitatem, electio malitiam?

Scot. *in 3. diſt. 40. quæſt. unic. in 3.*

DE ſecundo dico, quòd bonitas moralis actus eſt ex aggregatione omnium convenientium actui non abſolutè ex natura actus, ſed quæ conveniunt ei ſecundùm rectam rationem; quia igitur actui recta ratio dictat determinatum objectum convenire, & determinatum modum, & alias circumſtantias, &c.

Idem 3. *diſt. 38. quæſt. 1.*

NOn videtur magnum inconveniens concedere eam fuiſſe mentitam officiosè genti ſuæ, ſed perniciosè illi cujus mortem intendebat. Iſta tamen officioſitas præfertur illi pernicioſitati, quia bonum Reipublicæ, maximè colentis Deum præfertur bono temporali privatæ perſonæ, maximè infidelis, &c.

ACTIO I.

In quo conſiſtat bonitas moralis actus humani?

Breviarium.

N. 1. Diverſa genera bonorum.

2. Bonum alteri non fit per ſolam unionem ad ipſum.

3. Bonitas moralis non eſt ubique deſumenda à lege.

4. Rationes contrariæ allatæ & ſolutæ.

5. Non rectè deſcribitur bonitas moralis per conformitatem ad naturam intellectualem.

6. Expenditur mens Scoti de hoc puncto.

7. Bonitas moralis denique ſita eſt in conformitate ad rectam rationem.

8. Objectiones contrariæ, utrùm hic ſit circulus? & an revocetur concluſio poſita num. 5.?

1. VNum contrarium eſt doctrina alterius; adeoque ad explicandam moralem bonitatē oportet alias bonitates quaſi ex adverſo ponere, vel ſupponere potius breviter explicatas; eſt autem triplex bonitas, tranſcendentalis, phyſica, & moralis: Prima eſt ipſa [illegible] entis, & competit cuilibet intra ſe ſine ullo ordine ad extrinſeca, & aliquando opponitur directè bonitati morali; nam actus malus v. g. odium eò eſt melior tranſcendentaliter, quò fertur erga nobilius objectum, unde odium Dei, quod eſt ſummè malum moraliter, eſt optimum tranſcendentaliter: poſt hanc bonitatem, quæ abſoluta eſt, ſunt aliæ duæ reſpectivæ, quia per illas quædam res ſunt aliis bonæ: ſic calor eſt igni bonus, ſanitas animali, &c. quæ phyſicè bona ſunt,

Baronis Metaphyſica.

ſunt; quia hæc ipſa ſubjecta non ſunt niſi phyſica. Alia ſunt ſubjectis bona moraliter, quia in genere moris ea perficiunt: tales ſunt actus, quos vocamus hic bonos, (oppoſitum de malis,) ubi vides actus morales, quantumvis optimos ſibi relictos, non eſſe moraliter bonos, ſed tantùm tranſcendentaliter; ut autem ſint moraliter boni aut mali, applicandi & comparandi ſunt ad ſubjecta, quæ per ipſos agere aut pati poſſunt. Sunt ergo ſecundùm ſe ſumpti, ſi propriè loquamur, moraliter boni *ut quo*, phyſicè aut tranſcendentaliter, *ut quod*: nam etſi habeatur actus perfectiſſimus moraliter, ille in ſe non eſt laude dignus, ſed reddit laude dignum habentem. Ut autem hoc ipſum præſtet, aliquid ei addendum eſt etiam ultra unionem ejus ad ſubjectum; nam etſi ab extrinſeco imprimatur alicui actus intemperantiæ, quem ipſe recipit tantùm merè paſſive ſe habens, non proinde ille eſt malus, aut vituperio dignus, adeoque aliquid addi debet non ſolùm actui, ſed & unioni *ejus* ad ſubjectum. Recens quidam cenſuit voluntatem contracturam ab actu etiam ſic poſito indecentiam aliquam, & actum fore ei inſtar maculæ in facie: ſed malè, recole dicta ſupra proximè, & videbis nihil maculæ, ſed potius aliquid ornamenti accedere voluntati per ejuſmodi actum: quia nimirum actus non eſt ibi moraliter, ſed phyſicè tantùm, nec eſt actus illius voluntatis, ſed potius quædam paſſio ejus, adeoque nullam denominationem moralem poteſt ei præſtare, ſed phyſicam vel tranſcendentalem tantùm: at verò actus phyſicè & tranſcendentaliter ſumptus eſt bonus & egregiùs, cùm ſit qualitas ſpiritualis & nitida, adeoque non maculam ſed ornamentum præſtabit habenti. Requiritur ergo aliquid præter ipſum, ut denominet ſubjectum, tamen bonitas non eſt illud aliquid, ſed potius aliud antecedens, quæ accedente hac conditione denominat actum bonum, & agentem laude dignum. Illud ergo antecedens hic examinamus, & quærimus quid ſit?

Trita reſponſio multorum olim fuit, quòd eſſet conformitas ad legem, maximè ad æternam Dei, quam hic examinare ſolam placuit in gratiam veterum: deinde ſubjiciam novam aliam Recentiorum, & ex his ambabus omnes alii modi dicendi in hac materia judicari poterunt, maximè cùm ſubjunxero verum modum, quæ eſt reſolutio D. N. ut infra: itaque incipiendo à prima ſententia

Dico bonitatem moralem non eſſe ubique deſumendam à lege. In hac multi recedunt ab antiquis, qui confertim eam tenuerunt, ut mirum ſit Jo. Salas fuſiſſimum in ſententiis referendis nihil de ea retuliſſe.

Probo primò, quia ſi à lege eſſet hæc bonitas; ſola opera præcepta eſſent bona; id autem eſt falſum, nam erogare eleemoſynā eſt bonum, etiam quando non cadit ſub præcepto. Dices legem non ſolùm verſari circa actus præcipiendo illos, ſed etiam permittendo, nam lex Moyſi dictavit de libello repudii, non tamen præcepit illud, ſed permiſit: bene eſt, ergo actus erunt boni, quia vel præcipiuntur, vel permittuntur lege, atque ita ſtando in materia ſumpta, dimiſſio uxoris erat actus bonus, quia permiſſus juſta lege, quod tamen repugnat ſententiæ Salvatoris, Matth. 19. 9. qui ait utrumque deinde fieri adulterum, ſcilicet dimittentem & dimiſſam. Deinde lex non ſolùm permittere poteſt poſitivè, ſed negativè non prohibendo; peto ergo, num omnia non prohibita à legibus ſint eo ipſo bona? an eo ipſo mala? an neutra? tertium hoc eſt manifeſte contra reſpondentem, ut vides, prima autem duo carent omni probatione.

Secundò ſic arguo, quædam ſunt bona opera, quæ nullam legem patiuntur, quia nec operans ipſe habet ſuperiorem, ergo non omnia ſunt bona per ordinem ad legem. Conſequentia nihil clarius: Antecedens etiam clariſſimum eſt in Deo Optimo Maximo, qui ſine dubio multa bona facit, imo omnia bene facit, & tamen ejus opera non ſunt ſub lege, qua enim? &c. ſua non, quia nemo ſibi legem ferre poteſt, nec ſupra ſe eſt: non aliena, quia nec alius eſt ſupra ipſum. Argumentum redit etiam de legiſlatoribus creatis, qui bene agunt ſine dubio, quia operantur ſecundùm communes regulas, & tamen regulæ illæ non ſunt ipſis leges, quia nemo ſibi præcipere poteſt, ſicut nec obedire. Video quòd ſolet hic interponi, ſcilicet legiſlatores teneri legibus ſuis quoad vim directivam, etſi non quoad vim coactivam. Sed attenderent qui hoc dicunt, an non redundat doctrina in contumeliam aliquam Dei, qui inde infertur ſuis legibus eſſe ſubjectus. Tranſeo iſta pro nunc, aut potius differo in ſuum locum; Interim ſit

Tertia probatio, quia ſi tota bonitas actuum ſit conformitas ad legem, tum omnis bonitas & omnis virtus erit ſola illa obedientiæ. Patet conſequentia bona, & conſequens eſſe falſiſſimum, alioquin juſtitia non eſſet virtus, nec temperantia aut fortitudo, imo nec charitas ipſa, & ſi quis eſſet ſolus, nullam virtutem exercere poſſet, imo nec de facto multi principes, ſaltem debent eſſe multò inferiores ſubditis in ſanctitate, quæ omnia ſunt abſurda, & præterea confundo hanc doctrinam in ſemetipſam, nam homines non ſolùm habent obligationem ex lege, ergo non erat univerſaliter dicendum, quòd bonitas conſiſtebat in conformitate ad legem: patet conſequētia, ideo enim venerunt huc authores, quia viderunt homines prævaricando legem male agere, & obſervando bene; Antecedens autem oſtendo inſtantia voti & juramenti, quæ etiam obligant hominem, virtuosè obſervantur, & cum macula violantur.

Denique ablata omni lege, quædam opera erunt bona, alia non, ſed prava, alia neutra, ſeu indifferentia, ergo jam diſtinctio operum in bona & mala, non provenit à lege, ſed aliunde. Conſequentia nil fortius, antecedens autem certum, quia ſi nihil præciperetur à Deo extra, adhuc mentiri eſſet malum, ſervare fidem eſſet bonum, item laudabile eſſet ſuccurrere egenti in extrema neceſſitate, turpe autem & tyrannicum eſſet occidere innocentem, &c.

Dici poſſet ſequi hinc, quòd iſta & ſimilia non habeant eſſe bona à lege poſitiva Dei, ſed bene à lege naturæ, adeoque argumentum non vincere, ſed ego credo argumentum adhuc valere: primò, quia explicandum eſt, quid ſit illa natura? quando? aut quomodo legem tulit? eſtne aliquid abſtractum à ſingulis inſtar ideæ, an ipſæ ſingulorum eſſentiæ? v. g. humanitas, Primum illud eſt jam exploſum à ſcholis, & irriſum in Platone, ſecundum autem evidenter convincit

convincit reſpondentem, quia nemo poteſt ſibi legem ferre nec præcipere, ſicut nec obedire.

Deinde ſi hæc lex naturæ ita univerſalis & indefectillis eſt, ut per eam opera omnia judicentur, quomodo verum erit, quod ait Apoſtolus: *Gentes legem non habere*, aut *quòd ſine lege peccaverunt*, &c. Enimvero non eſt quod reſpondeas eum loqui de lege Moyſis, nam gentiles nunquam obſervaverunt legem Moſaicam, & tamen Apoſtolus ait, *quòd naturaliter faciebant ea, quæ ſunt legis*.

Rom. 2. 14.

Ad ipſum argumentum in ſe dici poſſet caſum eſſe impoſſibilem, quia non poteſt deficere lex prohibens aliqua, & præcipiens alia, non enim poteſt Deus deficere in gubernando, vel omittere neceſſaria. Audio & obſto conſtanter, nego Deum neceſſariò ulla præcepiſſe, quia ille omnia ad extra liberè facit. Deinde lex Dei poſitiva cœpit anno mundi 2544. neque tunc promulgata eſt niſi Iudæis. Ad hæc ſapientis judicio Deus in præteritis generationibus dimiſit omnes nationes per vias ſuas, quomodo ergo Deus non poterat facere, quod revera fecit? Sed principalis refutatio hujus viæ eſt iſta, quæ etiam concedit reſpondenti Deum non potuiſſe omittere prohibitionem quorundam, v. g. mendacii & furti: ſit enim ita in his, non eſt ita in aliis, poteſt enim non prohibere alia, quale eſt fricare barbam, ludere calculis, &c. ergo jam manifeſtè aliqua pravitas eſt in illis primis, quæ non eſt in ſecundis independenter, & antecedenter ad legem, & ita in his lex non facit pravitatem, ſed pravitas fecit legem, & hæc non ideo mala ſunt quia prohibita, ſed ideo prohibita, quia mala.

4. Objici poteſt, quòd peccatum omne per legem tale fiat; in quo ſolo dimidium cauſæ eſt confectum, nam actus moralis dividitur adæquatè in bonum & malum, tota etiam hinc habetur, nam contrariorum eadem eſt doctrina, & ſi malitia deſumatur tota à lege, non eſt ratio cur bonitas etiam non deſumatur inde; aſſumptum autem eſt commune apud omnes, & traditur ab Apoſtolo Rom. 1. *Vbi non eſt lex, nec prævaricatio*: Item: *Peccatum neſciebam niſi per legem*. Reſpondeo aliud eſt peccatum, aliud eſt malum morale: Peccatum non habetur niſi per legem, ſed malum morale bene haberi poteſt ſine lege, adeoque etiam bonum, ſi valet illatio arguentis. Itaque diſtinguenda ſunt iſta hinc inde, peccatum, vitium, virtus, meritum, peccatum ſupponit legem, vitium tamen non ſupponit, ex altera parte meritum requirit non quidem legem propriè, ſed bene conventionem aut pactum, quorum tamen neutrum virtus ipſa requirit.

Objicies ſecundò, quia actus quantumvis bonus, accedente lege in oppoſitum eo ipſo ſtatim fit malus, nam ſi Deus præciperet mihi, hic & nunc non elicere actum fidei, charitatis, etiam ſupernaturalis, eo ipſo peccarem eliciendo. Reſpondeo, hoc ad ſummum probat, malitiam dependere à lege ſive non-bonitatem, tum enim aliquid deſineret eſſe bonum, nil autem fieret tale. Deinde dico etiam in illo caſu actum fore fundamentaliter bonum, & ex objecto talem; hic autem ut ſupra monui, quærimus de hac prima & fundamentali bonitate,

non autem de aliis, quæ per accidens ab extrinſeco ei adveniunt.

Poſt hanc veterum, alia Recentiorum ſententia eſt, quòd actus fiat moraliter bonus per convenientiam ad naturam rationalem, aut intellectualem, qua talis eſt: ita illi, quòd cùm videretur eis pati exceptiones, addiderunt naturæ intellectuali, quòd debeat eſſe per intellectum & voluntatem operans, ita Ægid. Coninck. & Gabriel Vaſq. non nego quin hæc via habeat aliquid fundamenti, ſed quia authores ejus prætulerunt eam cæteris omnibus, quas antiquiores invenerunt, expendam eam accuratius, &c. &

Dicam non rectè aſſignatam eſſe bonitatem moralem, aut cauſam formalem ejus per conformitatem ad naturam intellectualem qua talem. Hanc quamvis non multi tradiderint, quum recentiores authores ſibi invicem ſubſcribant, tamen pro ea citari poſſunt quotquot alium quemcunque modum aſſignârunt, qui ſunt authores citati concluſione præcedenti, & citandi ſequenti.

Ratio, quia authores hujus viæ non ſunt aſſequuti, quod volebant, ſed potius inciderunt in defectum quo laborant aliæ viæ, ecce quomodo, ſi enim quæratur cur mendacium, v. g. ſit malum, non verò frictus barbæ? non ſufficit dicere, quòd illud ſit diſconveniens naturæ rationali, hæc verò non, nam ſupereſt reddenda ratio hujuſmet, nec enim intellectus hic quieſcit, ſed perget quærere, cur hoc ſit diſconveniens, illud non? adeoque nihil viæ peregerunt Recentiores per totum hunc diſcurſum. Explico rationem: Si enim quæratur, cur aliquid reale, puta calor ſit malus phyſicè, alicui ſubiecto, puta aquæ, non verò lux? non ſatis eſt dicere, quòd hoc ideo ſit, quoniam calor eſt diſconveniens naturæ aquæ, non verò lux, ſed oportet addere rationem cur ita ſit, eſtque hæc, quia nimirum contrarium caloris eſt connaturale igni, contrarium lucis nulli, quia neque lux habet contrarium, unde

Urgeo & arguo ſic: Prius eſt aliquid eſſe moraliter bonum, quàm eſſe conveniens naturæ rationali, ergo hoc non eſt illud, quæ conſequentia eſt certiſſima, quia nihil eſt prius ſe. Antecedens autem oſtendo, quia quærenti cur hæc actio, ſcilicet ſubventio indigentis deceat naturam rationalem, non verò periurium, aut oppreſſio innocentis? optimè reſpondetur, quoniam illa eſt honeſta ſeu moraliter bona, illa verò non, ſed penitus adverſa.

Tertiò, quando dicitur ratio aliqua conveniens naturæ rationali, vel hoc intelligitur de aliqua, vel de omni: neutrum dici poteſt, ergo: Probo minorem pro prima parte, quia velle præeſſe omnibus, hic inquam actus eſt conveniens alicui naturæ, & tamen eſt moraliter malus, eſt enim ſummæ ſuperbiæ, & tamen Deo eſt conveniens, & ita alicui naturæ rationali, ſed neque opus eſt convenire omni naturæ tali, nam humilitas, obedientia, oratio ſunt actus boni, nec tamen conveniunt omni naturę intellectuali, quia non divinæ.

Proſequor hanc rationem: actus ille volendi eſſe ſuper omnes, alicui naturæ conveniens alicui naturæ non convenit, ergo iam datur in eo aliquid prius convenientia & diſconvenientia,

Digitized by Google

utique enim aſſignari poteſt aliqua cauſa, cur conveniat huic naturæ, & non conveniat alteri?

Dices fortè eſſe aliquam cauſam hujus, ſed ex parte naturarum non ex parte actuum: hoc ſolùm nocere poteſt, (quod videam,) proceſſui rationis factæ; fortè tamen efficiam ne noceat, nam ſit ex parte naturæ diverſitas, tamen debet eſſe ex parte naturæ ſuæ, quoniam non ſolùm naturæ repellunt actum & exigunt illum, ſed etiam ipſe actus eſt formaliter diſconveniens illi naturæ & conveniens alteri, ac non tantùm per denominationem extrinſecam, ut ipſi Adverſarii videntur ſentire, & eſt ſimile in relationibus; iſtæ enim ſpecificantur ab extremis, ſed efficienter, nam etiam in ſe habent ſuas differentias formaliter ſpecificantes.

Urgeo rationem ſupra poſitam num 1. nam actus malus, v. g. odium proximi phyſicè ſumptus eſt conveniens naturæ rationali, eſt enim qualitas ſpiritualis, &c. adeoque ut cenſeatur diſconveniens, debet ſumi prout in aliquo alio genere, puta in genere moris; ergo jam prius eſt in genere moris, quàm ſit conveniens, aut diſconveniens, adeoque non habet ex convenientia aut diſconvenientia quod ſit moralis, ne dum taliter moralis, puta bene, aut malè, quod addiderat de natura illa agente per intellectum & voluntatem, conturari poſſet primò per omiſſionem puram, hæc enim habet bonitatem moralem, aliquando etiam malitiam, nec tamen interim natura illa agit, ſed omittit actionem; ut alia omittam, quale eſt quod intellectum in hoc negotio faciat æqualem voluntati, quùm moralitas nullo modo ſpectet ad intellectum, niſi ut maximè tanquam ad conditionem, & quòd totus concurſus intellectus hic ſit phyſicus, quia neque agit, neque patitur moraliter.

Objectiones contra me non adfero, deberent enim eſſe rationes horum authorum; hi autem nullas habent, niſi quòd aliter explicari non poſſit; quòd ipſi reprobaverint cæteros modos dicendi, &c. quæ videbimus lentius in ſequentibus. Videtur tamen objici mihi poſſe Scotus, nam Quodlib. 18. hæc habet: *Omne judicium incipit ab aliquo certo: primum judicium de convenientia non poteſt præſupponere aliquam convenientiam dictatam ab ipſo intellectu, quia tunc non eſſet primum. præſupponitur igitur aliquod certum, & non ab illo intellectu judicatum, & hujuſmodi eſt natura agentis, & potentia ſecundùm quam agit, & ratio quidditativa actus, ex ratione enim iſtorum quidditativâ concluditur hunc actum eſſe convenientem huic agenti ſecundùm iſtam potentiam, vel diſconvenientem, nullo præſuppoſito niſi rationibus iſtorum terminorum,* &c. Quibus verbis videtur clarè & in terminis tradere ſententiam hanc Recentiorum, ergo. Reſpondeo, ſi ita ſit, jam ſententia Recentium non eſt recens, ſed antiquis trita. Reſpondeo ſecundò locum illum Doctoris videri aliquid, ſed in re nihil facere pro Adverſariis, quia nimirum eo loco D. digreditur à moralibus ad phyſica; vult enim quod intellectui convenit immediatè intelligere, unde & ait, quod *non convenit ſibi per intellectum tangere*; Itaque non videtur nimis ad hoc propoſitum locus ille, nec pro nec contra, ut vides in textu.

Cæterùm ſententia ipſa D. in hac materia tam ſolida eſt, ut ex ipſis Recentioribus unus cum alio pugnet in ejus defenſionem; itaque ille accuratè rem menſus, cenſuit bonitatem moralem eſſe aggregatum quoddam ex omnibus, quæ concurrunt ad honeſtandum actum; planè ſicut pulchritudo, non eſt aliquod ſimplex, ſed plura conjuncta, quæ concurrunt ad plenam laudem venuſtatis in facie humana, ita ille 2. diſt. 40. quæſt. un. num. 30. *De ſecundo dico, quòd bonitas actus moralis eſt ex aggregatione omnium convenientium actui*: quod etiam habet in primo infra cit. & explicat ſubdens: *Sicut pulchritudo non eſt aliqua qualitas abſoluta in corpore pulchro, ſed eſt aggregatio omnium convenientium tali corpori, puta magnitudinis, figuræ, coloris, &c. ita bonitas moralis actus eſt quaſi quidam decor illius, includens aggregationem debitæ proportionis ad omnia, ad quæ actus debet proportionari.* Ita ille accuratè & ſine dubio veriſſimè, quia in re aliter eſſe non poteſt, quia tamen fatendum eſt per hoc non plenè ſatisfieri huic quæſito in terminis, dicet enim alius non eſſe in quæſtione, an debeant adhiberi aliqua ad honeſtatem actus, ſed quæ ſint adhibenda? ſine dubio iſta reſolutio ſe ſola non ſufficit, ſed oportet addere aliquod, quod fecit ibidem D. & ego hic.

Dico enim bonitatem actus moralis ſitam eſſe in conformitate ejus ad rectam rationem practicam, quæ dictat de poſitione aut omiſſione ejus, tam quoad ſubſtantiam, quàm quoad modum. Habet hoc in textu D. loco cit. nam poſt numerata plura, quorum aggregationem dixit eſſe pulchritudinem actus, ſubdit *ut iſta dicantur*, (rectius dicantur,) *à recta ratione debere convenire actui, ita quòd pro omnibus poſſumus dicere, quòd convenientia actus ad rectam rationem eſt qua poſita actus eſt bonus, quâ non poſitâ, quibuſcunque aliis conveniat, non eſt bonus.* Ad hanc facilè reduci poſſunt, quotquot poſuerunt bonitatem actus in conformitate ad legem, nam recta ratio eſt quaſi lex, certè autem lex debet eſſe recta ratio; Item quotquot ponunt eſſe conformitatem ad conſcientiam operantis; unde immeritò hic Scotum deſeruit frater Franciſcus Fœlix, qui tranſivit in ſententiam Recentiorum de convenientia actus ad naturam rationalem deceptus loco à me allegato ex Quodlib. 18.

Probatio unica & adæquata hujus eſſe debet, quòd per hanc viam terminetur inquiſitio, claudatur circulus ne fiat vitioſus, nam ſi quis quærat, cur ſubvenire pauperi, v. g. ſit actus moraliter bonus? nulla alia ſatisfacit, hæc autem plenè; nempe, non ſufficit reſpondere per legem, ſive dicere, hoc ideo eſſe, quia lex id dictat, nam actus eſt bonus etiam, quando lex non obligat, ſcilicet extra extremam neceſſitatem. Non ſufficit reſpondere per convenientiam ad naturam rationalem, quia adhuc quæram, cur hic actus ſit conveniens, non verò occiſio innocentis, ſi proterviam & negem actum eſſe convenientem, unde probabitur? ex quo de novo

Inſtruo argumentum contra hanc viam & Recentiores, qui eam ſequuntur, nam aut hi probant actum fieri bonum per convenientiam ad naturam rationalem, aut non probant, ſi non probant, non eſt eis credendum, ſi autem probant, jam eo ipſo in facto, amplectuntur noſtram

Digitized by Google

noſtram ſententiam, laborant enim, ut oſtendant recta ratione hoc eſſe faciendum, adeoque jam ipſorum reali confeſſione lis dirimenda eſt per rectam rationem, & hæc eſt regula ac judex actionis, quoad bonitatem aut malitiam moralem. Reliqua argumenta hujus concluſionis ſunt ſolutæ objectiones, unde

Objicio: Actus fit bonus per conformitatem ad conſcientiam errantem, ſed conſcientia errans non eſt recta ratio: patet antecedens, quia ſi dives det ficto pauperi eleemoſynam, eſt actus charitatis, tamen ratio dictans hoc non fuit vera: nec ſi aliquis ſimplex putaret ſummum Pontificem, aut B. V. adorandos eſſe adoratione latriæ, certe actus ipſorum eſſent boni, non tamen conformes rationi rectæ, ſed erranti & obliquæ. Reſpondeo in primo caſu errorem eſſe ſpeculativum, nam ratio practica eſt recta: ſed ſit etiam falſa, ſicut eſt in ſecundo caſu, adhuc ſtat reſolutio poſita, quia ille actus licèt remote proveniat à ratione non recta, proxime tamen regulatur per rectam, quia nimirum recta ratio dictat ſequendam eſſe conſcientiam, licet ſpeculative errantem, nec ullo unquam caſu licitum eſſe contraire ei, ſed aut ſequendam aut deponendam eſſe; in quem ſenſum Aug. Tom. 10. ſer.... exponit illud: *Eſto conſentiens adverſario tuo, quamdiu es in via cum illo: ne fortè tradat te adverſarius judici*, &c. (Matth. 5. 25.)

Obiicies timendum eſſe, ne probationes noſtræ redeant nobis in caput, nam ſimiliter dicet Adverſarius probandum eſſe quòd hoc aut illud conveniat rectæ rationi; negabit enim rationem, quam nos aſſignamus eſſe rectam, nemo enim non videt id eſſe liberum ei, ſicut enim nos negamus hoc aut illud eſſe conveniens naturæ rationali, & exigimus probationem, quidni ille? Reſpondeo non eſſe ſimile, & in hoc conſiſtere præſtantiam huius viæ, quia nimirum terminatur lis hic, non verò ibi: Dico ergo rationes quaſdam morales & practicas eſſe de ſe rectas, idque ex terminis conſtare, nam rationes ſpeculativæ ſunt de ſe veræ aliquæ, ſic ut probationibus non egeant, quidni ergo practicæ? Itaque ſicut iſta: omne totum eſt maius ſui parte, impoſſibile eſt idem eſſe, & non eſſe ſimul, &c. ſunt per ſe veræ, nec id tantùm, ſed etiam per ſe notæ, ita etiam ſunt quædam practicæ per ſe rectæ, & tales ſunt iſtæ: non eſſe nocendum innocenti, ſuum cuique reddendum; pietatem in parentes, religionem erga Deum exercendam, & ſimilia, unde argumentum hoc probavit vel maxime noſtram concluſionem, ſed contra adhuc

Obiicies, licet hoc ipſum ita ſit, tamen non ſufficit nobis, quia datur aliquid prius hac veritate, & rectitudine propoſitionum practicarum: ecce quomodo, non enim omnino res illæ ſic ſe habent, quia propoſitiones practicæ ſunt veræ, ſed è contra potius, ideo propoſitiones ſunt veræ, quia res illæ ſic ſe habent, adeoque prima ratio huius bonitatis non eſt convenientia ad rectam rationem, ſed ad illud prius. Reſpondeo, bene ſtatuitur ſyllogiſmus Logicæ eſſe ſubiectum, licet deinde diſputetur, utrùm id accipiendum ſit de ſyllogiſmo formali, an verò de obiectivo, ita hic liberum eſt intelligere concluſionem hanc de ratione obiectiva, aut de recta ratione formali, & utrumque ſive ſingula poſſunt defendi.

* * *

ACTIO II.

Quomodo actus fiant boni & mali ab objectis?

Breviarium.

N. 1. *Improbata Recent. doctrina: Objecta non rectè dici moraliter bona.*
2. *Objectum actus imperantis eſt actus imperatus. Objectiones ſolutæ.*
3. *Reſolutio affirmativa tituli probatur.*
4. *Ratio dubitandi diſſolvitur: Objectum extra an quid morale?*

1. NOn inſtituam hic quæſtionem de bonitate obiectiva, in quo conſiſtat, ſatis enim patet ex dictis de formali, omnes enim quoad hoc conſequēter loqui habent, ſi quid ad hoc addendum fuerit, infra dabo. Interim expendam paulíſper doctrinam Recentiorum in hac parte, volunt illi eam ſitam eſſe in convenientia ad naturam rationalem: quod neſcio, ut quadret omnibus obiectis. Nam uxor aliena, v. g. quam convenientiam habet ad naturam rationalem? nonne eadem ſpecie eſt natura mariti eius, & adulteri? deinde ni fallor, inſignem circulum deſcribunt: Dicunt obiectum eſſe bonum, quia aptum eſt ut circa illud talis vel talis actio terminetur; actio autem ideo eſt bona, quia circa tale, vel tale obiectum verſatur; ecce actus per obiecta explicant, obiecta per actus. Et hoc quidem ita eſt, ſed (fateor,) à me timide dictum, nempe, niſi caveam, redibit mihi in caput, nam apud me convenientia ad rectam rationem eſt in uxore propria, quæ non eſt in aliena, &c. ſimiliter circuibo ſi explicavero bonitatem obiectivam per hoc, quod conveniens ſit rectæ rationi ut circa ipſum actum verſetur, nam actus ſimiliter erit bonus, quia recta ratio dictat, ut circa tale obiectum verſetur, quò ergo evadam?

Reſpondeo dicendo, quòd revera objecta non ſunt bona & mala moraliter, ut creduntur ab his authoribus. Probatio una jam allata eſt, eſt enim ratio dubitandi poſita. Iam altera hæc, quia odiſſe Deum, eſt actus malus ex objecto, nec tamen objectum huius eſt malum moraliter, quin potius ſummè bonum in omni genere, in quo cenſeri poteſt; obiectum ergo non eſt formaliter bonum, ſed ad ſummum virtualiter, aut efficienter; fortaſſis tamen æquivocatio aliqua hic eſt in Tò obiectum, quod non credo, nos enim hinc inde intelligimus id ipſum per obiectum, unde libet pauliſper hoc ipſum examinare, non enim id video apud authores ſatis expreſſum aut declaratum.

2. Cenſeo obiectum actus imperantis eſſe actum imperatum, at verò obiectum imperati, atque etiam abſoluti actus eſſe rem, circa quam verſatur volendo, aut agendo, &c. ex quo habes obiectum actus interni eſſe externum, quando ambo ſe ſequuntur. Hæc ſuadebitur, quando diſſolventur, quæ contra eam occurrent.

Obiicio primò, quando do eleemoſynam, v. g. pecuniam pauperi, pecunia eſt res, circa quam verſor, non tamen eſt obiectum actus interni ipſa, ſed eleemoſyna, ſine dubio autem eleemoſyna & pecunia non ſunt ſynonyma, nam poſſum dare ei pecuniam non dando eleemoſynam, ut ſi reſtituam ei ſuam. Reſpondebis fortè includi ibi modum dationis, ſcilicet gratis: ſed hinc ſequitur non ſumi bonitatem ab obiecto, nam modus non eſt aliquid obiecti; at verò ſine hoc modo actus non eſt bonus obiectivè, ſaltem non eſt in hac ſpecie bonitatis.

Reſponderi ergo ſecundò videtur, obiectum eſſe pecuniam meam, ſed non videtur hoc ſufficere, quia etiam meam poſſem ipſi dare abſque eleemoſyna. Ultimò tamen argumentum non multam vim habet, dicam enim, obiectum eſſe eleemoſynam, quidquid illa ſit, quod tamen magis patebit ex ſequenti, quod

Obiici ſecundò poteſt, ſi actus ſumeret bonitatem ex obiecto, haberet diverſam ſpecie bonitatem à diverſis ſpecie obiectis, id autem eſt falſum, quia ſiſtendo in caſu poſito, ſive dem aurum, ſive dem argentum, eandem ſpecie bonitatem moralem habet actus meus, uterque enim eſt charitatis, vel miſericordiæ, nec variatur ſpecie, eò quòd aurum diſtinguatur ab argento. Reſpondeo, hoc confirmat ſolutionem obiectionis præcedentis, ideo enim non variatur tunc actus aut bonitas eius ſpecie, quia obiectum licèt ſit phyſicè diverſum, tamen eſt moraliter idem; nam tantundem prodeſt pauperi nummus aureus & argenteus, dummodo uterque deſerviat per modum pretii.

Contra ſecundum de eo, quòd obiectum actus interni ſit externus, ſic argui poteſt: Actus internus eſt cum ſua bonitate, quando externus non exiſtit, ergo bonitas illius non eſt ab iſto; caſus antecedentis eſt, quando decerno de nocte, quòd cras velim peregrinari, actus internus decreti eſt pridie, peregrinatio, quæ eſt actus externus, poſtridie, & tamen actus internus eſt bonus & meritorius etiam tunc, ſeu in illa antecedentiâ, adeoque. In re tamen non eſt hic nodus: Patet enim actus voluntatis poſſe fieri in obiecta non exiſtentia, ſive, eò quòd futura ſint, ſive, eò quòd præterita, & mutuare inde bonitatem aut malitiam. Quando intendo finem aſſequendum per media, v. g. beatitudinem meam, ago, & quidem moraliter benè, nec tamen obiectum actus mei eſt tunc, ſed erit, ſcilicet beatitudo mea: quando pœnitet me de peccatis præteritis, & execror illa, habeo actum moraliter egregium, nec tamen habeo obiectum actus mei præſens, ſed habui olim, iam autem tranſivit in præteritum maior difficultas.

Obiici ſecundò poteſt quod infra adferam, contra determinationem faciendam concluſione ſequenti, interim ſufficiat ſcire obiecta voluntatis, & actuum liberorum valde latè patere, quædam quaſi practica eſſe, ſeu practicabilia, & fieri per ipſos actus quibus obiiciuntur, alia non, ſed merè terminative, & quaſi ſpeculativè ſe habere, ſic ſe habet Deus reſpectu ſui amoris in nobis, quia non ponitur in eſſe, nec deponitur per actus noſtros; prioris modi eſt homicidium, quod non amatur, aut optatur tantùm à nobis, ſed etiam fit; Deinde attendenda eſt diviſio ſupra facta de actibus externis reſpectu internorum, & de objectis ſeu rebus extra reſpectum internorum, ita omnes res mundi cadunt ſub objecto voluntatis, & ſpecificant actus ejus, unde

3. Addo & dico, objecta tribuere bonitatem aut malitiam actibus humanis, eſt certa D. 2. diſt. 4. quæſt. un. & ſuorum, ut Fabr. Fœlic. &c. D. Thom. etiam cum ſuis 12. q. 18.

Ratio, quia actus voluntatis ſpecificantur ab objectis, ſaltem quoad iudicium noſtrum, atque adeo debemus iudicare, quòd actus ſumant bonitatem, etiam ab obiectis, iſtæ enim ſunt differentiæ ſpecificæ in ſuo genere.

Dices fortè id ita eſſe de actu in eſſe phyſico, non verò in eſſe morali, ſed malè, nam planè eſt paritas, alioquin aſſignetur ratio unius partis præ alia, quod non facile efficiant Adverſarii, ego autem dabo rationem paritatis amborum, quia nimirum idem argumentum de utriſque currit, ecce ipſum; voluntas ſola non poteſt ſpecificare ſuos actus, ergo debent aliunde ab extra ſpecificari; ſi autem aliunde, non niſi ab obiecto, quod ipſi etiam Adverſarii fatentur, ergo Probo ergo antecedens, quia ſi voluntas ſpecificaret actus ſuos ſola, tum omnes actus eius eſſent eiuſdem ſpeciei, ſicut ipſa eſt.

Urgeo: Circumſtantiæ inquinant actum aliquando, & faciunt modò deteriorem, aliàs meliorem, quantò magis obiectum, quod eſt per ſe cauſa eius? Contra nihilominus

4. Obiicio, obiectum extra non eſt in genere moris, aut aliquid morale; ergo non poteſt præſtare bonitatem moralem actui. Antecedens admittitur, & eſt certum, tum quia agimus de obiecto in eſſe phyſico, tum quia omnis moralitas eſt à voluntate, includit enim libertatem, certum eſt autem, quòd obiectum extrà nullam includat libertatem, imò ne ipſa voluntas, ut obiectum eſt. Urgeo redeundo ad alterum membrum, accipiamus enim obiectum aliquod ſecundùm eſſe merè phyſicum, v. g. pecuniam aut voluptatem, de hoc quæro, an det bonitatem, vel malitiam actui? ſi non; eſt error in concluſione: quòd autem non poſſit dare bonitatem, videtur ſufficienter aſſertum argumento poſito, quia nihil dat quod non habet. Addo huic argumento aliud, quod paulò plus urget, ſic: Demus enim in obiecto eſſe

mora-

Digitized by Google

moralitatem, ſicut revera eſt aliquid in eo ultra eſſe phyſicum, quod aliquid conducit ad præſens punctum, ſcilicet ad ſpecificandum actum in eſſe boni, vel mali, v.g. uxor aliena, hæc afficit actum, eò quòd aliena eſt, non eò quòd fœmina aut etiam uxor eſt; unde ſic arripio cauſam arguendi, hoc quod eſt eſſe alienam, non attingitur actu quo peccatur, ſcilicet raptus, aut oppreſſionis, ergo actus ille non inficitur per objectum, vel conditionem ejus: Probatio aſſumpti, quia actus eſt quid phyſicum, & exercitium virium naturalium; at verò eſſe alienam, eſt quid rationis metaphoricum, aut inane & plane improportionatum tali actui, ergo nullo modo attingitur ab eo; unde infero, ergo actus non eſt malus ex illo objecto, quia nimirum objectum in eſſe tali non eſt natum inficere actum, ſcilicet fœmina, hæc enim ſumpta ſecundum moralitatem, non eſt nata attingi hujuſmodi actu, ergo.

Dices fortè voluntatem ferri etiam in iſtud, quia nimirum id eſt propoſitum ab intellectu, ſed ſi ita eſt, ſequitur ſaltem, quòd actus externus non eſt malus, nam huic non proponitur tale quid, neque cauſa ejus, ſcilicet membrum externum, eſt capax hujuſmodi propoſitionis.

Ad iſta & ſimilia tenenda eſt doctrina ſupra num. 10. tradita, quòd objectum revera non habeat bonitatem moralem aut malitiam, quod videtur ex dictis clarum, unde fruſtra ſe fatigant, qui eam prolixiſſimè examinant, quærentes in ſcirpo nodum. Non ergo eſt ibi formaliter bonitas, & tamen virtualiter, quia nimirum objecta hæc nata ſunt cauſare actum talem, reddendo eum ſic vel ſic affectum, quanquam fortaſſis nec hoc ipſum faciant illa, ſed potius recta ratio, ad quam reſultat in actu conformitas aut difformitas.

Ad alterum illud, verum eſt hujuſmodi rationes & formalitates non attingi realiter per actum externum, attinguntur tamen moraliter & concomitanter, quia nimirum inveniuntur in objecto phyſico, & hoc conſtat operanti, quod ſufficit, nam aliàs nunquam eſſet quis peccati reus, niſi quando ex mera malitia peccaret, quia nimirùm nemo vult rationem peccati formalem ſeu offenſam Dei; ſed tantùm materiale actionis, hæc tamen neceſſariò comprehendit eum vel invitum, quia comitatur materiale illud, ita hic: Nec refert quod in replica dictum eſt, ſcilicet ſenſum externum non poſſe advertere aut attingere rationem ejuſmodi, nam ſi hoc valeret, ne quidem actus internus incurreret hic malitiam aut reatum, quia non ſolùm ſenſus, ſed nec ipſa voluntas videt has rationes in objecto; ad utrumque ergo ſufficit, quòd intellectus eas videt.

5. Obiici tertio poteſt una ex his concluſionibus contra aliam, nam ſi actus accipit malitiam & bonitatem ab obiecto, non poteſt actus externus eſſe obiectum interni, contra ſecundam concluſionem, quia nimirum actus externus non poteſt dare malitiam interno, quod ſic oſtendo, nam ſecundùm pleroſque actus externus non habet propriam malitiam, quod licèt à nobis negetur, id tamen non evacuavit difficultatem, quia etiam apud nos maior eſt malitia interna, quàm externa; ille ergo exceſſus apud nos facit redire difficultatem, nam de illo debemus nos hodiè reſpondere, ſicut illi alii debent de tota malitia. Reſpondeo primò, hoc ipſum non poſſe eſſe nobis moleſtum, iam enim diximus obiectum non habere in ſe bonitatem aut malitiam moralem, & tamen dat eam actibus; ſicut ergo obiectum actus externi refundit bonitatem in ipſum externum, licèt eam in ſe non habeat, quidni ſimiliter actus externus refundit eam in internum, licèt in ſe nullam, aut non tantam habeat. Reſpondeo ſecundo decipi iterum utentes hoc argumento, eſt quidem aliqua diverſitas inter utrumque, ſed in libertate, in qua internus excedit externum; at verò libertas non eſt malitia, nam etiam actus boni ſunt liberi.

Urgent aliqui hoc argumentum, quia ſi vera eſſent omnia à nobis hæc dicta, iam apud nos datur vitioſus circulus in bonitatibus & malitiis, quo nihil abſurdius: Sequelam autem probant, quia actus externus accipit malitiam ab interno, quod patet, quia quando eſt ſine interno, nullatenus eſt malus, niſi fortè phyſicè, ut patet in actibus dormientium aut puerorum; ſi ergo internus accipit ab externo, iam quodque ex illis dat & accipit, & ſicùt dat quod à ſe habet, ita ſuum accipit, aut certè ſi alienum accipit, etiam dat alienum, ſeu quod ipſius non eſt, &c. quæ patent involvere manifeſtè mutuam caſualitatem, & ita egregiè nugatoriam, ergo; ſed ſuppoſita ſolutione præcedentis hoc non premit, nam externus non accipit malitiam propriè ab interno, licèt hic eam accipiat ab illo, non ergo hic eſt gyrus qui putabatur, quia aliud eſt quod unum dat alteri ab eo quod accipit, internus accipit malitiam & dat libertatem, ècontra externus accipit libertatem, malitiam autem dat.

* * *

ACTIO III.

Digitized by Google

ACTIO III.

Corrigitur communis doctrina de numero circumſtantiarum.

Breviarium.

N. 1. *Numerus circumſtantiarum apud Ariſtotelem, Ciceronem, & D. Thomam.*
2. *Examen ſingularum, inprimis prima,* Quis, *tum* Quid, *&c. quæ negantur.*
3. *Nec quantitas materiæ, nec duratio nec intentio ſunt circumſtantiæ.*
4. Quomodo, *quomodo ſit circumſtantia? item* Quoties? *Expoſitus S. Matth. cap.* 18.

1. Circumſtantiæ ſunt, & accipiendæ ſunt illæ, quæ non ſunt de ſubſtantia operis, ſed extra & circa illam, unde & nomen acceperunt. Tetigit eas Ariſt. 3. Ethic. 1. ut hactenus intellectus eſt in ſcholis, licèt quidam Recentiores negent eum eo loci ullius meminiſſe: quod an verè dictum ſit, nec ne, parum refert, non enim curandum eſt quid Ariſt. dixerit, ſed quid debuit dixiſſe. Ut reſolvamus principaliter quæſitum in noſtro titulo, ſtatuendum eſt quænam ſint circumſtantiæ: Ariſtotelis recenſus eſt iſte: *Conſiderandum* [inquit,] *eſt quis & quid? & circa quid? aut in quo agit; interdum, quo ut inſtrumento, & cujus cauſa, ut ſalutes, ut quo modo? ſenſim,* (vel ut vertit Gallutius,) *leniter & vehementer.* Theologi morales, quorum eſt iſta expendere, ſeptem aſſignârunt hoc verſiculo comprehenſas:

Quis? Quid? Ubi? Quibus auxiliis? Cur? Quomodo? Quando?

quas D. Thom. quæſt. 7. art. 4. dicit eſſe ipſas à Tullio aſſignatas in ſua Rethorica, quod quidem accipi poteſt tanquam abſolutè verum, quia in potioribus conveniunt, ſed vero calculo non ſunt eædem hinc inde apud Philoſophum & Oratorem. Vaſq. dicit D. Thomam putaſſe à Cicerone poſitas circumſtantias illo ordine, quo tamen à Boëtio primùm cœptæ ſunt numerari. At enim ſi ipſe ſanctum reprehendit, potuit ſibi cavere, nam *non eſt bonum damnum inferre juſto, nec percutere eum, qui recta judicat,* quidquid de hoc ſit, quia eſt de nomine aut authoritate, dicam itidem meum ſenſum de circumſtantiis, eſtque

Primò ly *quis* non eſſe circumſtantiam, licèt à Philoſopho & Theologis numeretur.

2. Ratio, quia circumſtantiæ ſupponunt ſubſtantiam actus, at verò *quis* non ſupponit ſubſtantiam actus, ſed hæc potius ſupponit illum, ergo. Confirmo, per ſe cauſa rei non ſunt circumſtantiæ, alioquin objectum deberet numerari inter circumſtantias, at verò agens eſt per ſe cauſa non minus quàm objectum, adeoque. Video ab Adverſariis dicendum, quòd *quis* non denotet ſubſtantiam perſonæ, ſed modum, puta, ſi laicus aut clericus, religioſus aut ſecularis, &c. Audio & admitto, ſed tum debuerunt in circumſtantiis numerare non *quis*, ſed *qualis*.

Multò magis minor poſitum eſſe ab utriſque τὸ *quid*, in circumſtantiis actus, quùm ſit ipſa actio, aut opus, quod ſine dubio non eſt circumſtantia ſui: Tempus etiam vix aut nunquam eſt circumſtantia, ullâ notâ, digna: ſiſtendo intra ipſum, quod fortè de aliquo præterea ex hiſce enumeratis dici poſſet. Sed quoad augendum numerum harum, noto aliquam à Philoſopho poſitam, quæ à noſtris omiſſa eſt, & tamen omnino numeranda fuit, quia veriſſimè talis eſt illa *circa quid* ſic intellectum, ut ſignificet qualitatem perſonæ, cum qua quis agit, ut ſi percuſſit magiſtratum, ſi concubuit cum non ſua, quæ etiam fuit aliena, quæ fuit conſanguinea, &c. iſta enim ſunt omnia advertenda & æſtimanda. Reliqua verò, v. g. illud *quibus auxiliis*, vel, ut eſt apud Philoſophum, *quo inſtrumento*, planè impertinens eſt, ut ab illo exponitur: *Ignorare* (inquit,) *aliquis poteſt mucronatam haſtam eſſe retuſam, aut lapidem, pumicem*, quid enim refert, utrum occidas lapide, an pumice? utrùm haſta, in qua ſpiculum ſit cuſpidatum, an purâ haſta, quæ ſpiculo aut cuſpide careat? aut certè, cui acies ſit obtuſa? nil plane, niſi forte majorem dolorem occiſo adferret uno modo quàm alio. *Ariſt. d. tat.*

3. Apud me etiam magnitudo materiæ non eſt circumſtantia, neque duratio temporis, nec intentio proprie loquendo: cauſam primi ſic adfero, nam ſi ita eſt ut vult Adverſarius meus, tum in furto 100. aureorum objectum erit unus aureus, (ſupponamus enim unum aureum eſſe materiam peccati mortalis,) & nonaginta aurei erunt circumſtantia, quia quod additur ultra objectum ſpecificans, eſt circumſtantia; nemo autem eſt qui non videt hoc eſſe abſurdè dictum, ergo. Ratio, cur durationem abjeci, eſt iſta, quia circumſtantia debet adeſſe, & conſiſtere actui, duratio autem non ſe habet ita, ſit enim actus qui duravit unâ horâ: ſi dividatur hora in 60. momenta, ex his momentis nulla duo ſunt ſimul, ergo non poſſunt omnia facere unam circumſtantiam, quia quæ integrant aliquid unum, debent ſimul eſſe, non enim poteſt res ulla componi ex parte coexiſtente, & ex parte non coexiſtente.

Dices hoc nihil nocere, ſed potius iuvare, nam licet non ſint ſimul ſibi invicem, omnes tamen ſunt ſimul, & coexiſtunt actui, & ſic verè circumſtant ipſum, quod aliàs non facerent, ergo non eſt male dictum.

Sed contra primò pro aſſertione poſita eſt, quòd illa aut facerent unam circumſtantiam, aut facerent plures, ſecundum nolunt Adverſarii, quòd autem primum non ſit, probat ratio poſita.

Deinde

Deinde pro primo & abſolutè pro aſſertione formo hanc rationem: nullum ſimpliciter requiſitum ad aliquem actum eſt circumſtantia ejus; hæc momenta ſeu præteritas temporis ſunt ſimpliciter requiſita ad eſſe actus; ergo hæc ſigillatim ſumpta non poſſunt eſſe circumſtantia.

Major patet ex terminis huius materiæ, in qua communiter docetur, quod circumſtantia eſt accidens ejus, cujus eſt circumſtantia. Minor autem eſt certiſſima, nam ſine duratione aliqua non poteſt ulla res exiſtere: & quod nunquam eſt non eſt: ſicut id *quod nuſquam eſt omnino non eſt*. Ariſt. Phyſ. Confirmata eſt validè hæc ratio per principia noſtra, quibus probamus durationem rei non eſſe aliud ab ipsâ, tum enim tam implicat durationem actus eſſe circumſtantiam ejus quam ipſum. Quod dixi de intenſione ſic accipe, ut intenſio non poſſit univerſaliter eſſe circumſtantia, quomodo communiter ponitur; quia nimirum in quibuſdam actibus intenſio eſt ſubſtantia ipſa actuum: dum enim primo elicitur actus, intenſus eſt entitativè, & quaſi ſubſtancialiter intenſus, ſic una ſubſtantia eſt melior alia etiam ejuſdem ſpeciei non per additionem gradus ad gradum, ſed ſeipsâ: non dubito enim intellectum Salomonis aut Scoti fuiſſe ſubſtantialiter perfectiorem intellectibus aliorum hominum ſaltem mulierum. Alias tamen contingit aliquod intendi per additionem gradus ad gradum præexiſtentem, & in his admitto intenſionem eſſe circumſtantiam quia eſt accidens ſeparabile actus.

4. Similiter accipiendum eſt quod dixi de *Quomodo*? aut quo inſtrumento ſupra; non enim negoquin fieri poſſit ut medium, ſeu modus agendi poſſit addere moralitatem ſeparabilem actui, atque ita eſſe circumſtantia aggravans. Sic qui ſtruit inſidias vitæ alterius: v. g. propinat ei venenum: ſi in hoc veneno miſcentur ſacramentalia, puta aqua Baptiſmi aut ſpecies conſecratæ, auget malitiam homicidii per circumſtantiam ſacrilegii; quæ adhibetur in abuſu ſacramentorum: Quamquam hoc ipſum dici poſſit fieri aliter, ut ſcilicet hic abuſus ſacramentorum ſit ex parte electionis, & alia malitia homicidii ſit in intentione: ſed detur etiam alius ille modus, qui favet Adverſariis, nondum habent totum quod vellent; ſed ſtandum eſt reſolutioni poſitæ: unde denique apud me paucæ erunt circumſtantiæ ex genere ſuo, & neque omnes ab Ariſtotele, neque ſolæ illæ à noſtris numeratæ: unde regula eſſe poteſt, ut illa quæ non dicunt ſubſtantiam operis & aggravant aut minuunt malitiam ſint circumſtantiæ: ex quibus videmus potius minui numerum circumſtantiarum, quam creſcere: nempe illud. *Cur* infra patebit non eſſe tam certò circumſtantiam: quia nimirum finis pertinet ab ſubſtantiam actus moralis: Item illud *quoties* ſecundum ſe non eſt circumſtantia ſed repetitio ſubſtantiæ, v. g. occidi tres homines, aut tria homicidia feci; illud, *tres* aut *tria* non eſt circumſtantia homicidii: ſed repetitio: alias etiam, ſi occidi unum aut ſemel, unitas eſſet illius circumſtantia, quod eſt falſum, quum ſit ipſum

Dices actiones præteritæ aggravant præſentem: nam recidivus gravius peccat quàm qui primò cœpit peccare. Reſpondeo gravius peccat extenſivè, quia plura peccata habet: ſed contra etiam quod intenſive: nam is cui remiſſa ſunt præterita plus peccat recidivando, ut patet ex parabola Salvatoris... ubi etiam debitum demiſſum exigitur ab eo qui noluit ignoſcere. Reſpondeo locum illum eſſe perplexum, nam revera peccata dimiſſa à Deo numquam exiguntur ab ipſo. Pro nunc dic circumſtantiam fuiſſe præſentem ingratitudinem non autem præterita peccata.

ACTIO IV.

Corrigitur communis doctrina Ethicorum de modo, quo circumſtantiæ influunt in actiones humanas.

Breviarium.

N. 1. *Ratio dubitandi de communi doctrina: Circumſtantias non mutare ſpeciem. Expoſitum Trident.*

2. *Circumſtantia non contrahunt priorem differentiam actus*

3. *Circumſtantiæ mutantes ſpeciem non ſunt per ſe circumſtantia*

4. *Circumſtant. damni aut lucri ſequentis non auget bonitatem &c. actus.*

1. PRæcedenti Actione imminuimus numerum circumſtantiarum; hic autem fortaſſis omnes omninò auferemus: ecce quomodo, nam circumſtantiæ ſupponuntur eſſe accidentia actus atque ita non intrare eſſentiam; at vero ſic eſt, quod illa quæ dicuntur à nobis circumſtantiæ videantur ipſam eſſentiam moralem actus conſtituere: hinc enim dicuntur mutare ſpeciem, v. g. utitur quis non ſuâ: eſt intemperantia; ſi illa ſit præterea aliena uxor, actus erit adhuc injuſtitiæ: ſi conſecrata Deo, ſacrilegium; unde conſecratio & conjugalia faciunt novam ſpeciem diſtinctam malitiæ, & non tantum augent præcedentem aut modificant eam: ſi autem ita ſit, vides circumſtantias omnes ferè in fumum abiiſſe: proferam breviter quæ mihi videntur præter veritatem etiam proprietatem loquendi ſcholaſticam attingere.

Ex his primo eſt, circumſtantias non mutare ſpeciem actus. Ratio quia mutari hoc in illud exigit deſtructionem huius, & adquiſitionem illius: at vero advenientibus circumſtantiis non deſtruitur prior ſpecies actus, ſed additur nova, v. g. quum quis, in exemplo poſito, accedit ad nō ſuam, ſi præterea femina illa ſit aliena, hæc circūſtantia *aliena*, quia addit malitiam injuſtitiæ luxuriæ, ſic accedit actui, ut non proinde deſierit prior malitia luxuriæ, ſed adhuc maneat, ergo.

Digitized by Google

Dices Tridentinum ſic loquitur; nam ſeſſion. 14. cap. 5. & can. 7. docet circumſtantias mutantes ſpeciem eſſe confitendas. Reſpondeo abſit ut negem hoc verè dictum; tamen ſicut ipſa Concilia non ſequuntur apices ſcholaſticos, ita non cogor fateri hoc eſſe in ſcholaſtico rigore propriè dictum. Sexta Synod. dixit Angelos eſſe immortales per gratiam, quum tamen certum ſit eos eſſe immortales per naturam; ita pro naturâ gratiam ſumpſit, non propriè, ut alibi, alii. Reſpondeo ſecundò: ipſum Tridentinum, ibidem, ſatis oſtendit ſe vidiſſe & approbaſſe in re quod dictum hic eſt: ſubdit enim cauſam ſui dicti de talibus circumſtantiis confitendis, *quod ſine illis peccata ipſa neque à pœnitente integrè exponantur &c.* ecce circumſtantias has dicit facere integritatem peccatorum: atque adeo ſequens circumſtantia integrat malitiam cum priori ſpecie, & conſequenter prior manet. Dices fieri poſſe ut ſequens circumſtantia contrahat priorem, & ita fiat ex duabus unum, tamquam ex genere & differentiâ ſpeciei. Reſpondeo primò hoc ipſum non fore mutationem ſpeciei ſimpliciter & per omnia, quia nimirum non deſinit prior differentia. Dices deſinit in ratione ſpecificâ differentiæ: quæ enim ante fuit ultima differentia, jam fit ſubalterna; ſed nihil proficiunt; iſta enim non eſt realis ſed intentionalis tantum mutatio. Reſpondeo etiam &

2. Dico ſecundò circumſtantias non contrahere differentiam priorem actus: hæc res & contraria habet probabilitatem & incertitudinem; eſtque ſpeculativa veritas potius quam practica, parum deſerviens ad mores; tamen quia veritas ubique quærenda eſt

Probo hanc partem primo ſic: ſit actus indifferens, & dum elicitur, ſuperveniat circumſtantia vitians, v.g. ludat quis aleâ, & interim meminerit imminere tempus miſſæ audiendæ, ita ut ſit periculum ne perdat miſſam, ſi pergat ludere: ſi adhuc ludat; accedit differentia circumſtantiæ malæ: dico hanc non contrahere præcedentem, quia implicat idem eſſe ſic indifferens & malum.

Dici poteſt argumentum reſilire contra me; nam neque poterunt ambæ indifferentiæ ſeorſim afficere actum, quia etiam ſic componendo rem contingeret idem eſſe indifferens & malum. Reſpondeo hucuſque non dixi circumſtantias addere differentias ſeorſim aut ſejunctas; tamen propter hanc replicam minus fido huic argumento, &

Adfero aliud ſic; non poteſt differentia infima contrahi per aliam ſpecificam inferiorem; differentia actuum & rerum omnium, quæ extra cauſas ponuntur, ſunt infimæ: ergo non poſſunt contrahi per alias differentias inferiores: ergo jam differentia moralis circumſtantiæ non poteſt contrahere differentiam actus ex objecto. Major eſt aperta, nam oppoſitum ejus implicat, eſt enim dicere aliquid infra infimum. Minor etiam, adeoque quando actus ex objecto malus afficitur circumſtantiâ inficiente: hæc malitia circumſtantiæ non contrahit malitiam præcedentem ex objecto, quia fuit infima; quum à parte rei non poſſit dari res non habens differentiam infimam, alter enim eſſet univerſale aut idea.

Tertiò ſic; valde enim abſurdum eſt ponere omnia contrahi ab omnibus etiam in moralibus, aut metaphoricis, ſed accommodandæ ſunt ſine dubio differentiæ generibus infimæ ſubalternis, & ſubalternæ ſupremis: nam regula illa Ariſtotelis *diverſorum generum non ſubalternatim poſitorum diverſæ ſunt ſpecies & differentiæ*, non nititur tantum authoritate ipſius, ſed naturæ rerum; ergo jam diſparatæ differentiæ non poſſunt ſe contrahere adeoque in adulterio: v.g. malitia injuſtitiæ, non contrahit malitiam luxuriæ, quia quiſque videt ambas has eſſe diſparatas. *In Ante-prædic.*

Objici tamen non male poteſt: quia ſi materia moralis debet expendi ad regulas ſpeculativas, redeunt ſimilia abſurda contra nos: ſequitur enim idem numero eſſe in diverſis ſpeciebus, quod ſine dubio intolerabile eſt: ecce rem, nam in exemplo poſito actus adulterii erit in ſpecie luxuriæ, & iterum in ſpecie injuſtitiæ: patet ſequela quia circumſtantia *aliena* non contrahit malitiam priorem, ſed aliam ſpecificam novam addit eidem actui.

Secundò in idipſum, quia ſi ita eſt ut nos volumus, tum nulla circumſtantia erit circumſtantia, contra hypotheſim totius hujus tractatus: oſtendo ſequelam, nam circumſtantia & malitia injuſtitiæ in adulterio, eſt ſpecifica & eſſentialis ſicut malitia intemperantiæ aut luxuriæ (& nullatenus accidentalis) imò paulo magis, quàm illa luxuriæ, quia actus denominatur ſimpliciter adulterium, non vero fornicatio &c. propter hæc & ſimilia ſupra dixi, & nunc repeto hanc partem eſſe, etiam probabilem: eamque ſic ulterius.

Probo tertiò, quia in actu habente malitiâ, circumſtantia, v.g. adulterii, aut ſacrilegii, aut eſt unicum peccatum, aut ſunt plura; non plura, quia eſt unicus actus, adeoque unum peccatum, ſi (ut ſupponimus,) ſit peccatum commiſſionis, & ita omnes malitiæ coeunt in unam, & contrahunt ſe invicem quod erat intentum.

Ad rationes prioris viæ: prima ſe ipsâ ruit, ut ibi viſum eſt; ſecunda tamen, & tertia urgent, ſed quia etiam tenendo illam viam, recedendum eſt à principiis ſpeculativis, ut patet in prima objectione, ſeu ratione pro hac parte poſitâ: nega hic genus aliquod non poſſe contrahi per differentias diſparatas, alioquin negabis aliud æquè adverſum, ſcilicet quod non poſſit aliquid idem eſſe in diverſis ſpeciebus diſparatis, ſeu conſtare diverſis eſſentiis. Ex his habes.

3. Dicendum ulterius circumſtantias mutantes ſpeciem non eſſe per ſe circumſtantias

Ratio quia ſi ſic, tales eſſent ſemper tales; at vero non eſt ita, ſed aliquando ſunt ſubſtantia non vero circumſtantia actus, aut certè æquo jure contendunt ad eſſe ſubſtantiam ac illæ quæ cenſentur tales; ſit exemplum Adulterium: in hoc cenſetur ſubſtantia, ſeu malitia ſpecifica eſſe luxuria, circumſtantia autem injuſtitia: quod omnino gratis dictum videtur: Quæro enim cur non poſſit ſic accipi, ut prima malitia ſit injuſtitia: ſecunda luxuria; non facilè reſpondebis. Dices quia injuſtitia præſupponit luxuriam; eſt falſum: nam ſi rapiam uxorem alterius & invito marito cogam mihi ſervire in negotiis domeſticis; abſque alterâ copulâ, eſt injuſtitia ſine luxuriâ circa eandem perſonam.

Imò videtur verius quod circumſtantiæ mutantes ſpeciem, ut loquuntur, non ſint propriè circum-

circumſtantiæ, ſed illæ tantum quæ augent malitiam intra eandem ſpeciem. Ratio habetur ex dictis, quia nimirum hæ concurrunt ad malitiam vel bonitatem ſpecificam & eſſentialem.

Quæres ſuppoſitâ probabilitate,(quam diximus) ſententiæ ponentis malitiam circumſtantiæ manere ſeparatam,& neque contrahere, neque contrahi: an ibi ſint duo peccata? vel ſi unum: an ſit æquale duobus, quorum ſingula eſſent in unâ tantum ſpecie: v.g. adulterium, an ſit æqualis malitiæ cum ſimplici fornicatione & præterea furto? Reſpondeo utrumque negative. Ratio primi; quia peccatum eſt actus in recto, non vero eſt malitia; ergo multiplicandum eſt ad numerum actuum, non vero ad numerum malitiarum. Vide ſi placet, quæ diximus de multiplicatione concretorum accidentalium.

Ratio ſecundi difficilius aſſignabitur; ſed ſit iſta mihi, quia in pluribus illis, multiplicatur conatus voluntatis, qui prohibitus eſt: novus conatus eſt in ſecundo actu, & ille qui hæc diverſis actibus facit, addit aliquid contra legem, quod non addit, qui iſta unico actu facit; ſcilicet novam operam, novum conatum, qui verbis legis vetatur.

Dices, quod addit ille non eſt malum, nam ſupra alium non addit niſi ſubſtantiam actus, hæc autem non eſt mala, ſed eſt bona, & in tantum mala eſt in quantum effecta eſt malitia; ſi ergo malitia utrobique eſt eadem cur plus mali erit hic quam ibi? Imò

Objici ſecundo poteſt quod gravius peccet, qui hoc uno actu facit, quia nimirum iidem gradus qualitatis plus præſtant intenſione, quam extenſione, idque ob unionem eorum inter ſe; ſi ergo in uno actu uniuntur iſtæ malitiæ reddent magis malum, adeoque.

Ad primum dico eſſe malum: licet non ſit malitia; actus enim à lege vetitus eſt, & non tantum malitia ejus. Ad ſecundum ibi non eſt intenſio, nam duæ diſparatæ differentiæ non intendunt ſe invicem. Inſtabis, ſaltem uniuntur; ergo faciunt magis; nam tota ratio intenſionis eſt unio. Reſpondeo non eſſe ita; ſit facies candida ut 4. & rubicunda ut 4. adhuc illa facies non eſt qualis, aut qualificata ut octo

Ex hoc habe primo cæteris paribus gravius eſſe peccatum commiſſionis, quam omiſſionis, puræ intellige, quia ibi conatur quis & laborat ad offendendum Deum; hic non.

Secundo eum qui furatur decem aureos per decem vices, gravius peccare quam alium qui furatur unâ centum. Ratio ſupra poſita eſt, & præterea hic non eſt materia in quâ poſſit eſſe periculum intenſionis ſi fortè noceret nobis

4. Quæres denique utrum circumſtantiæ damni aut lucri ſubſequentis augeant bonitatem vel malitiam actus? Reſpondeo negativè, quia non eſt illa tum cùm actus eſt: bonitas autem actus tunc eſt cum actus ipſe eſt. Dices, ergo ſcandalum non eſt peccatum, nec continet malitiam ullam. Nego, quia ſcandalum tunc eſt quando actus, damnum autem ſequens ex hypotheſi tunc non eſt. V. G. peccat Eccleſiaſticus coram populo, & defendit peccatum ſuum edito opere, quod fecerunt hæreſiarchæ plerique, Lutherus, &c. ſcandalum tunc dederunt cum peccatum ſuum publicum reddiderunt facto & ſcripto: at vero damnum poſt hæc ſequutum eſt, illud auxit malitiam peccati, hoc non.

Dices qui tunc non fuit natus, ſed poſt centum annos legit librum Lutheri, ſcandalizatur tunc quando legit, non vero quando Lutherus fuit, ergo ſcandalum à Luthero poſitum eſt, non cum ipſe eſſet, ſed poſtea. Reſpondeo in ſcandalo illius nati poſt centum annos aliquid ab ipſo eſt, aliquid à Luthero: illud Lutheri non hodie ponitur, (ſed ut maximè hodie applicatur) licet illud legentis hodie primum incipiat.

ACTIO V.

Vtrum finis & medium ſeorſim influant affectiones Morales ejuſdem rationis in Actum?

Breviarium.

N. 1. *Caſus quæſtionis. Recentes hic pleramque diſcipuli Ockam.*
2. *Electio boni medii ad ſimilem finem eſt bis bona.*
3. *Ratio huius à quibuſdā æſtimata, non æſtimanda.*
4. *Aliæ probationes huius à priori &c.*
5. *Rationes Theologicæ ejuſdem.*
6. *Proponitur & diſſolvitur fundamentum Nominalium pro oppoſito.*

1. VT veniamus ad caſum ſupponenda ſunt aliqua, puta ex pluribus finibus, nos loqui de fine extrinſeco, quem operans ſibi præſtituit, unde & dicitur finis operantis; non vero de intrinſeco, qui eſt finis operis & objectum ejus; ſi tamen objectum rectè dicatur finis, de quo nunc nolo diſputare cum Cornejo. Certè, quum immediatè feror in aliquid, & quùm ſimplici complacentiâ feror in impoſſibilia, habeo objectum actus mei; non tamen habeo finem, nam non eſt finis ſine mediis, ad impoſſibile autem non poſſum applicare media, & ad alia illa, nolo: hoc poſito.

Caſus præſentis Actio: eſt; utrum quando utor medio bono ad finem bonum actus meus habet duplicem bonitatem, unam ex fine, alteram ex medio? Et ſine dubio, idem erit quærendum & reſpondendum, ſi id fiat per duplicem actum intentionis & electionis, nam multiplicitas actuum eſt perinde.

Partem negativam attribuit P. Cornejo, & alius

alius quiſpiam Vaſqui, & revera ipſe eam tenuit; non proinde tamen ponendus fuit tanquam author opinionis, quam longè ante ipſum invenit & docuit noſter Ockam: ut vidit & refert Ægydius Conynck hic diſp. 3. dub. 7. & fatetur ipſe Vaſques. hic cap. 2. qui tamen diſtinguit de actu malo ac bono; nam electio mali medii ad finem malum, apud ipſum habet duas malitias: electio vero boni ad bonum, unam tantum bonitatem quæ eſt à fine, nullatenus autem à medio.

2. Dico reſolutivè ſententiam Ockam eſſe falſam, & electionem boni medii ad finem bonum accipere bonitate non ſolùm à fine: ſed etiam à medio. Theoriam caſus ſupraposui, nunc pono praxim: ſi v. g. utor temperantiâ ad acquirendam caſtitatem; dico uſum illum habere duas bonitates, unam temperantiæ, alteram caſtitatis, de quâ tamen non eſt quæſtio ſed ſolum de priori.

Probo ſic primò; nam authores oppoſiti, qui in hanc partem tranſierunt propter authoritatem Ariſtotelis videntur decepti circa textum qui certè non tam favet ipſis; quàm credunt: Ecce ipſum: *quæ vero ſecundum virtutes fiunt, non ſi aliquo modo ipſa ſe habeant continuo iuſtè & temperanter aguntur: ſed ſi etiam, qui agit aliquo modo affectus agat: primum quidem ſi ſciens: deinde ſi eligens, atque eligens propter ipſa* quæ ultima verba ſunt unicum fere fundamentum horum; ſed incertum: nam τὸ *ipſa* ambiguum eſt ad quod referendum ſit, ad fines an ad media? Dices per hoc intelligi actiones virtuoſas, ut patet clare ex antecedentibus. Ita eſt, ſed meminiſſe oportuit nos hic habere duas actiones virtuoſas, temperantiæ, & caſtitatis, ad quod ergo horum refertur? ſanè quamdiu id ambiguum eſt non poteſt facere certam probationem concluſionis adverſariorum: ut omittam intentum Ariſt. eo loco videri, quòd actus virtuoſi debent ex habitibus provenire: de quo videri poteſt Gallutius Tom. 1. Com. in dictum locum.

3. Probari ratione ſolet, quia melius eſt eligere Martyrium propter Deum ſummè dilectum, quam propter eundem eligere deambulationem: hæc autem diverſitas provenit à ſolo medio: ergo jam medium honeſtum dat bonitatem electioni illud amanti. Mirum eſt quanti æſtimetur hæc ratiuncula à quibuſdam: Aliquis ait adverſarios ſuos mirabiliter eo torqueri & coactos ad varias ſolutiones ac flexus; Ego tamen non video lumbos ejus; video autem infirmitatem, quam ſic exhibeo, quia nimirum non parum peregrinatur extra ſcopum: quis audivit *electionem propter* ac non magis electionem medii ad finem intellige conſequendum aut obtinendum.

Urgeo argumentum, quia illud *propter* non eſt finis de quo hic agimus ſive finis *qui*; ſed eſt finis *cuius*: & plane extra controverſiam; ut clarè videas repetendo caſum voluntatis abſtinendi ad acquirendam caſtitatem. De illo alio fine non eſt dubium, quis enim dubitet, quin gratius ſit Deo offerre ipſi melioris virtutis actum, quam inferioris, aut actum omninò indifferentem; ſicut magis gratus eſt mihi ille, cui donavi nummum aureum aut gemmam, quàm argenteum aut plumbum? Proſequor rationem, quia in caſu controverſo ſunt duo actus: ſcilicet electionis & intentionis, in caſu autem probationis adductæ eſt tantum unus, ſcilicet dare hoc Deo.

Poteſt tamen applicari mea illa ad propoſitum probandum ſic: quia melius facit qui ad habendam amicitiam Dei applicat actum unius virtutis, quam qui alterius: ergo medium, qua tale, refundit bonitatem in actum utentem ipſo. Conſequentia eſt evidens, quia iſti in fine ſunt pares: ergo ſi detur aliqua diſparitas inter ipſos, hæc debet oriri ex medio. Antecedens autem videtur prope fidem. *Melior enim eſt obedientia quam victima*; 1. Reg. 15. ergo jam ad placandum Deum melius quis utitur actu obediendi, quam actu immolandi; ſed placare Deum non eſt melius ſe ipſo: ergo exceſſus ille bonitatis omnino oriri debet ex medio obedientiæ, atque adeo hoc refundit bonitatem in actum.

Tertiò ſic à priori, quia actus quicumque ſumunt bonitatem & malitiam ex objecto, quod eſt ſemper indiſpenſabile, & primum principium, aut quaſi fundamentum in hac materia; atqui objectum actus electionis in hac materia eſt medium; ergo medium neceſſario influit aliquam bonitatem in ipſum. Urgeo, quia nemo hoc negabit, ſi ponatur actus ille abſolutus, ut ſcilicet non ſit electio; ſed ſola proſequutio: unde infero; ergo de facto tribuit bonitatem ei; ratio conſequentiæ eſt quia per eſſe electionem non impeditur, neque per annexam intentionem finis, quia hæc omnia ſunt poſteriora actu in ratione proſequutionis: prius autem actus ille eſt proſequutio objecti, quam ſit electio, aut exequutio: ergo

Principalem rationem à priori huius veritatis dabo in ſolutione objectionis, quam ſolam faciunt Adverſarii: interim addamus præcedenti alias: quando duo ad conſequendam ſalutem animæ eligunt duos ſtatus diverſos in Eccleſia, v. g. Clericalem, & Regularem; melius operatur, qui eligit regularem per obſervantiam voluntariæ paupertatis, quæ eſt doctrina Salvatoris, ut infra, patet autem quod ex fine non ſit differentia aut diſparitas ulla inter eos: ergo ex mediis, adeoque finis non extinguit bonitatem mediorum ut volunt Adverſarii, ſed potius adjuvat eam; & promovet à minori ad majus. Argumentum nititur Verbo Chriſti Domini, Matth. 19. ubi adoleſcenti ſciſcitanti neceſſaria ad æternam vitam: reſpondit D. eſſe obſervantiam mandatorum; ſi tamen ille perfectius agere vellet aſſignavit ei conſilia Evangelica; puta paupertatem voluntariam, abnegatione ſui &c. quæ portationem crucis, & ſtatum regularem integrant: ergò jam ad eundem finem arripitur unum medium cum majori perfectione, quam aliud, quod erat probandum.

Denique adfero hanc, quæ eſt proſequutio quædam præcedentis: ſi quis ad finem indifferentem, aut parvæ honeſtatis uteretur medio perfecto, hic haberet actionem ſtudioſam ac honeſtam, & quidem excellenter talem; ergo non eſt verum quod bonitas mediorum ſtatim abſorbetur à fine, v. g. S. Hieronymus fatetur ſe paſſum eſſe ſolitudinem eremi, periculum beſtiarum, inediam, frigus, & c. *ob metum gehennæ* ſive ad vitandam ipſam, tum ſic: metus gehennæ non eſt res tam perfecta, neque actus ſufficiens ad juſtificationem; impulſus quidē ſpiritus eſt, ſed moventis tantum, non- *Epiſt. ad Euſtoch. de cuſtod. Virgin.*

Digitized by Google

dum autem inhabitantis, ut definit Trid. ſeſſ. 6. cap. & tamen illa pœnitentia tam rigida in Sancto fuit ſine dubio actus ſummæ perfectionis: ergo aliâ perfectionem habebat ab illâ finis: atque adeo propriam mediorum: ſimile eſt quum quis orat Deum pro bono aliquo temporali, etiam indifferenti, ut pro lite pecuniaria, pro titulo honoris, &c. hic enim applicatio medii eſt honeſta & meritoria, etiam vitæ æternæ: ſi fiat ab homine juſto, & tamen finis non eſt ne quidem bonus moraliter: ſed impertinens aut indifferens, ut ſuppono.

Improbata etiam eſt hæc ſententia per nonnulla abſurda, quæ eam ſequuntur, & placet hic referre ut expendantur. Unum, quia ſequitur hinc juſtum, qui omnes ſuas operationes retulit in Deum ex Charitate, quamdiu relatio illa durat non poſſe exercere actum ullum virtutis, niſi ſolius charitatis; conſequens eſt nimis noxium fidelibus, quia privat eos meritis multis, & exercitio virtutum; etiam ipſi charitati præjudicat, quia facit eam incompatibilem virtutibus, & virtutes ipſi, quod ſine dubio falſum eſt; quia in intellectualibus nulla veritas repugnat alteri; cur ergo in moralibus bonitas repugnabit uni?

4. Hujus ſequelæ una pars eſt iſta; quod ſcilicet Chriſtus Deus nullius moralis virtutis actum in hac vitâ elicuit; nec temperantiæ, nec obedientiæ, patientiæ, &c. cauſa in promptu, quia Chriſtus D. ſemper habuit elicitum, & durantem actum charitatis, per quem omnes operationes ſuas referebat in Deum, neque unquam
cap. 5. v. 2. ceſſavit ab eo: inde illud Cantici, *Ego dormio & cor meum vigilat.* Hæc eadem illatio & abſurditas ejus poſſet transferri ad Beatos, in quibus ſine dubio manent aliqui habitus & actus virtutum, etiam moralium: Pſalm. 18. *Timor Domini permanens in ſeculum ſeculi.* Ecce virtus timoris æterna, ut exponit Aug. quæ tamen eſt ex minoris perfectionis. Imò poteſt ratio elevari uſque ad ipſum Deum, ut probet in eo nullam eſſe virtutem moralem imo neque ullam omnino, niſi unam charitatem: quia nimirum ipſe etiam om-
Prov. 16. v. 4. nia ex charitate agit ordinando ea, *omnia enim propter ſemetipſum operatus eſt*, quod eſt propriè agere ex charitate: & tamen hoc conſequens in Deo eſt falſum, habet enim alias virtutes & earum actus excellentiſſimè: putà juſtitiæ, providentiæ, miſericordiæ: Imò ubique plura concur-
Pſal. 24. v. 10. runt; *nam univerſa via Domini miſericordia & veritas.* Sequela tamen manifeſta eſt ut ſupra: ergo.

Alterum abſurdum eſt determinatè contra doctrinam Tridentini: ſeſſ. & cap. 6. quod ſcilicet in juſtificatione peccatoris non interveniant actus fidei, ſpei, aut pœnitentiæ; cujus oppoſitum determinatum eſt ibi: & inferius cap. 3. ſequela patet ut ſupra aliquoties. Dices non hic eſſe caſum, qui ſupra fuit: ibi enim actum eſt de juſtis, qui agebant ex charitate: hic Concilium agit de peccatoribus, qui ſupponuntur non habere charitatem, ſed ut maximè diſpoſitiones quaſdam ad ipſam. Sed non nocet hoc: quia non exigitur charitas habitualis ad caſum hunc: ſed tantum charitas actualis, & ordinans aliud à ſe quod in catechuminis illis contingere docet expreſſe Concil. cit. *Illum* (Deum) *tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea* (*nota cauſalem*) *moventur adverſus peccatum per odium aliquod & deteſtationem: hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet.*

Ultimum ſit iſtud, quia ex communi Theologorum charitas eſt forma virtutum, non eſſet autem, ſed ruina & deſtructio earum ſi ea præſente illæ non retinerent ſuas perfectiones & bonitates morales, ut cuique in ſe & ex terminis patet. Atque huc intrare poteſt aliquid primæ rationis ſupra rejectæ: nam Charitas ut aſſumpſi eſt forma virtutum, non actionum merè naturalium, aut etiam indifferentium: tamen ſi ſtat hæc doctrina Ockami, tam eſt bona forma harum, quam illarum, tantum præſtat his, quam illis: opus indifferens tantum valet relatum ad charitatem, quantum opus virtutis, tantum prodeſt jejunare ex charitate, quantum deambulare, aut jacere. Dant quidem adverſarii aliquas ſolutiones vel potius evaſiones hujus, ſed fragiles, & nullius nervi, unde & refutatæ ſunt facilè ab aliis.

Proponitur & diſſolvitur fundamentum oppoſitæ partis nominalium.

6. Eſt autem tam authoritas, quam ratio: quia nimirum (ut docuit Ariſtoteles ſupra citatus) ut aliquid ſit opus virtutis, requiritur, ut fiat à ſciente & volente propter ipſum; unde etiam dictus Philoſophus in ipſo titulo capitis diſtinguit juſtum agere, & agere juſtè; & applicari poteſt ratio in hunc modum; ut habeatur opus alicujus virtutis, intellige cum bonitate illius, neceſſe eſt, ut aſſumatur & fiat propter honeſtatem ejus; at vero quando una virtus aſſumitur ut medium ad aliam non aſſumitur propter honeſtatem ſuam, ſed propter illam alterius: v. g. mortificatio carnis ad acquirendam caſtitatem: non ſui cauſa, ſed caſtitatis aſſumitur; ergo non habet aliam bonitatem, quam illam caſtitatis.

Reſpondeo: ad authoritatem Ariſtotelis jam ſuprà ſatisfactum eſt: non enim Ariſtoteles eo loci plus favet Adverſariis, quam nobis, ut ſupra. Ad ipſam rationem quæ in argumento annexo ſita eſt, in primis nego univerſaliter requiri, ut fiat opus propter hoc aut illud; alioquin nullus actus eſſet bonus aut honeſtus niſi qui verſatur circa finem; quod falſum eſt, nam qui verſatur circa bonum, bonus eſt, etiamſi non verſetur circa illud ut finem, quod contingere poteſt ſine dubio: imo ipſe finis prius amatur, ut bonum eſt, quam ut finis eſt; quia ut finis non amatur neque intelligitur niſi cum ordine ad media: quæ ſine dubio non ſemper adhibentur: ſed tunc tantum quando quis efficaciter intendit illum acquirere.

Aliter ſecundò reſpondeo, etiam tum fieri opus propter virtutem aſſumptam ut medium; quia nimirum electio ipſius fit ob bonitatem illius, quod clarum eſt, utique enim ideo aſſumitur mortificatio carnis per jejunium, flagella, & alia acerba exercitia pœnitentiæ ad adquirendam caſtitatem, quia hæc conducunt ad ipſam caſtitatem.

Sed contra hoc inſtari poteſt, & inſtaurari argumentum; objiciendo ſecundo ſic: volens exercitia pœnitentiæ vult illa tamquam bonum utile; ſed bonum utile, qua talè non eſt honeſtum: ergo ſic volens illa non vult ea tamquam bonum

bonum honeſtum ſeu virtutis. In hoc eſt tota vis fundamenti Adverſariorum: ad quod tamen reſpondeo diſtinguendo minorem, vel etiam negando univerſaliter; quia nimirum aliquando utile, qua tale, eſt honeſtum: quando ſcilicet ſua honeſtate utile eſt ſeu conducit ad finem; tunc enim coeunt in unum utilitas & honeſtas; fateor in exemplo poſito non eſt ſic: nam jejunium non conducit merè ſuâ honeſtate ad caſtitatem; quia etſi fieret inhoneſte, adhuc extingueret fomitem, & adjuvaret caſtitatem: ſed etiam ſuâ honeſtate juvat, & clariſſimè oratio, eleëmoſyna ad hunc finem ſola ſuâ honeſtate conducunt, non enim habent naturalem proportionem ad hoc ſicut habet jejunium.

Adhuc tertiò tamen objici poteſt; ſi enim ita eſt, ut nos volumus, ſequitur, quod ſi quis aſſumat bonum medium ad finem indifferentem; quod inquam, talis, bene & ſanctè agat, cujus contrarium ſupponunt Theologi. Sequela tamen eſt aperta, quia nihil hic deeſt niſi finis, qui ſecundum nos non eſt neceſſarius: adeſt autem bonitas medii; quæ ſecundum nos ſufficit, ergo. Reſpondeo concedendo ſequelam, eſt enim certè vera, etſi fortaſſis non ſemper; inſtantiam ejus ſupra dedi, de fundente orationem, aut faciente eleëmoſynam ad habendum aliquid leve bonum & temporale; hic enim meretur orando, etſi finis orationis ſit fortaſſis indifferens, & omnino non bonus.

Supereſt una difficultas, quæ tamen Phyſica potius eſt; quia finis eſt, qui reddit media bona; alias enim iſta in ſe non habent bonitatem, quod inde patet, quoniam ſi deſinit finis eſſe bonus, deſinunt media eſſe utilia: ergo jam non media ſed finis ſolus reddit actionem bonam; caſus eſt frequentiſſimus; v. g. volo ire Neapolim per aquam; quia hæc conducit meæ ſaluti: mutata eſt conſtitutio corporis mei, ut aqua jam mihi noceat: Certè navis aut cymba quæ antea fuit mihi utilis, jam non eſt utilis; Explicatur argumentum, quia ſemper durat proportio, quæ eſt inter cymbam & iter per aquas, non ſemper durat utilitas cymbæ mihi, ergo utilitas non eſt aliquid immanens medio, ſed aliunde participandum, à fine utique, non per influxum Phyſicum; ſed per extrinſecam denominationem, adeoque denique ſola eſt hic bonitas finis, & conſequenter ſola ipſa reddit actum bonum. Reſpondeo hoc apparet eſſe aliquid, ſed ſeipſum ſolvit; negari enim non poteſt quin medium ſit utile, & affirmari non poteſt, quod finis ſit utilis; ergo jam eſt aliquid ex parte mediorum per quod redduntur verè bona, five intrinſecum, ſive extrinſecum: atque ita potuit eſſe aliquid ex parte actus tendentis in medium, per quod reddatur verè bonus ſive extrinſecus, ſive, &c. quod nunc nil refert.

At enim hic latet anguis in herba: licet enim ſic arguere: Medium & finis non habent plus bonitatis qua finis ſolus, ut viſum eſt; ergo nec actus qui ſunt circa finem, & media pluſquam actus, qui eſt circa finem ſolum; quod eſt directè intentum adverſariorum, & negatum à nobis. Hoc aliquid juvat illos, nec video quid ad ipſum rectius dicatur, quam media quæque retinere ſemper proportionem ſuam, & Phyſicam efficaciam reſpectu finis utcunque ipſe finis mutetur; tamen quod hæc efficacia ſit utilis, dependere à fine: habet ergo bonitatem & utilitatem fundamentalem ſeipſo, non item formalem; & quia in caſu noſtro illa fundamentalis bonitas eſt honeſtas (nam honeſtate ſua medium eſt utile) propterea ſemper retinent honeſtatem, & vim objectivam reddendi actum honeſtum.

ACTIO VI.

Vtrum ambo illa poſſint influere affectiones diverſæ rationis in eumdem actum; puta intentio bonitatem, electio malitiam?

Brevlarium.

N. 1. *Reſolutio negativa primo. Probatur.*
2. *Ex bona intentione non oritur electio prava.*
3. *Intentio bona non viciatur electione pravâ.*
4. *Suſtinet actus aliquis ex fine bonos, ex medio malos.*
5. *Habitus virtutis moralis poteſt concurrere ad actum malum.*
6. *Intentio bona non excuſat electionem pravam.*
7. *Ratio in oppoſitum ſoluta: An ſaltem minuat malitiam ejus?*

1. SUperſedeo prolegomenis & notis, quas fusè legas apud Suarem; & Salas utrobique eadem, ad verbum ferè; ſive ergo ſecunda moralitas oriatur ex circumſtantiâ; ſive ex fine, &c. quæro an ex duobus poſſint redundare duæ qualitates oppoſitæ in actum voluntatis, bonitas ex uno, & malitia ex altero?

Negativa probari poſſet, quia bonum & malum ſunt privativè oppoſita; ergo ſtatim unum expellit alterum ſubjecto, atque ita non poteſt ullus eſſe ſimul bonus & malus; ſed non placet probatio, quia ad eſſe bonum & malum non ſufficit habere bonitatem & malitiam; ſi enim habeat malitiam in gradu intenſo, at bonitatem in remiſſo erit abſolutè malus: ſicut corpus animalis, & alia mixta ut habet aliquid levitatis, eo quod participet qualitates elementorum ex quibus componitur, tamen eſt abſolutè grave.

At enim ratio redit etiam contra bonitatem & malitiam; nam hæc ſunt privativè oppoſita ut ſuppono. Reſpondeo ita eſſe, ſed non univerſaliter: malitia eſt privatio bonitatis: at non quælibet cujuslibet; nam intemperantia non eſt injuſti-

Digitized by Google

injuſtitia, adeoque non dicit privationem bonitatis, quæ eſt in juſtitiâ: ex hoc ergo capite non repugnat bonitatem univerſaliter ſtare cum quacumque malitia; ſed tantum aliquam determinatam, cum aliqua determinata. Aliter ergo ſic ſuadetur: non poteſt ullus idem actus permitti & prohiberi, quilibet aut permittitur, aut prohibetur; ergo nullus habet ſimul bonitatem & malitiam; probo conſequentiam quia rectu ratio non poteſt prohibere bonitatem: ſi autem actus aliquis haberet utramque qualitatem, contingeret, quod recta ratio prohiberet bonitatem.

Poteſt quis ludere dicendo actum aliquem eundem prohiberi poſſe ſecundum unam formalitatem & permitti ſecundum alteram; ſed hoc eſt tractare actus morales metaphyſicè, quod non licet ne quidem de ipſis phyſicis facere; nam non ſufficit diſtinctio formalis aliquorum, ut unum terminet actionem realem ſine alio. Animal in homine diſtinguitur à rationali, non proinde poterit animal Petri produci, aut riſibile ejus ſine rationali.

Confirmo probationem, quia licet chymeræ ſecundum aliquid inſit poſſibilitas; utique enim mons eſt quid poſſibile, tamen mons aureus nullam habet poſſibilitatem: ergo ſimiliter, licet hæc formalitas hujus actus ſit bona ſecundum ſe, tamen totus actus conſtans ex illa & aliis formalitatibus eſt malus, & nihil bonitatis habet; ſicut nec homo irrationalis habet aliquid poſſibilitatis, quamvis aliquid ejus ſibi relictum ſit poſſibile. Adhuc tertio in idem: ſi idem actus poſſit eſſe ſimul bonus & malus moraliter, vel etiam habere bonitatem & malitiam, fiat hoc ſimul & ſæpe; quæro quid futurum eſt de eliciente ipſos? æquo judicio caſtigari non poteſt niſi etiam præmietur: ſed caſtigari & præmiari ſimul non poteſt: quæ ratio magis urget, ſi Theologicè expendatur & currat de præmio & pœnâ damni; hoc enim dicit privationem illius; adeoque ſimul eſſe ambo non poſſunt. Imo non eget ratio transferri extra phyſicam ipſam, nam voluptas videtur etiam dicere privationem doloris, vel è cōtra potius, quia voluptas dicit temperiem qualitatum: dolor autem oritur ex inæqualitate earum & exceſſu unius ſupra aliam.

Lib. 1. de Divin. nomin. Aliqui hic nollent uti trita & communi probatione hujus ex illo S. Dionyſii quod *Bonum ſit ex integra cauſa: malum autem ex quolibet defectu*, idque propter rationem ſupra à me in ſecundâ & primâ probatione adductam; quia nimirum cum hoc quod aliquid ſit ſimpliciter malum, ſtat illud habere aliquid bonitatis; ſicut cum intenſo calore ſtat remiſſum frigus. Mihi tamen videtur dictum illud Dionyſii ſufficere probationi; idque ex illo capite quod bonum ſit ex integrâ cauſâ; clarum eſt enim non poſſe integritatem conſiſtere cum ullo defectu, ſed revera redit reſponſio, quod ſcilicet hinc ſequatur ſolummodo non poſſe eſſe ſimpliciter bonum cum aliquo defectu, non autem quod non poſſit eſſe habens aliquam bonitatem quæ tamen non reddat eum ſimpliciter bonum; Unde contra hanc aliter arguendum eſt: & oſtendendum quod non ſolum procedat ſententia de bono & malo ſimpliciter, ſed de quocumque; nam illud malum ex quocumque defectu non poteſt accipi de malo ſimpliciter propter hanc rationem: ſit enim per poſſibile vel impoſſibile pro nunc actus habens bonitatem ex objecto, atque etiam ex pluribus, puta ſeptem circumſtantiis; malitiam autē ex una; certè juſto judicio actus ille dicendus eſſet ſimpliciter bonus, & ſecundum quid tantum malus, non vero è contra ſimpliciter malus & ſecundum quid bonus; ergo jam malitia illa, quæ eſt ex quocumque defectu non eſt malitia ſimpliciter & abſolute, ſed ſolum ſecundum quid; jam deſcendendo ad caſus ſpeciales

Dic ſecundò, quotieſcumque voluntas uno actu fertur in finem & media, non poſſe actum eſſe ex medio malum & ex fine bonum, vel è contra, intellige de facto: ſed actum abſolutè fore malum: loquendo autem de pluribus actibus

Dic tertiò ex bona intentione non poſſe oriri malam electionem. Ratio, nullus finis poteſt honeſte adquiri per medium inhoneſtum; quia uſus medii inhoneſti ſemper eſt illicitus: ſi ergo adquiſitio finis fit per uſum talis medii: jam adquiſitio non eſt honeſta, atque adeo non fuit finis honeſtus, aut honeſtè adquirendus, (ſic enim accipio finem honeſtum,) qui impulit ad electionem talis medii; ſit exemplum: dico non poſſe contingere, ut quis velit furari ad elemoſynam erogandam pauperi ex charitate aut miſericordiâ; quia per hoc medium non poteſt adquiri ille finis; nam elemoſyna eo pacto data non eſt honeſta, neque ex virtute, ſed ex vitio procedit: cui rationi emphaſim addet hæc alia; quia nimirum in eo actu non ſolum eſt moralis implicantia, ſed etiam phyſica; nam implicat eleëmoſyna ex furto quia implicat eleëmoſyna ex alieno, atqui illa eſt ex alieno, quia per furtum non adquirit fur jus in raptum; quia ergo nemò dat quod non habet, omnino ſequitur quod &c. Adhuc dico intentionem bonam non vitiari per electionem pravam: patet, quia illa eſt prior & independens, hæc poſterior: tamen electio bona vitiatur per finem pravum. Ratio ex oppoſito ducenda eſt, quia electio eſſentialiter reſpicit finem, adeoque ſi hic malus eſt, erit electio mala, quod non poteſt hic contingere quia ſic homo ferretur proſequtione in malum, quod eſt omnino indiſpenſabile.

4. Dico quinto, non eſt planè improbabile, quod executio, ſeu applicatio mediorum habere poſſit duas ſpecies morales adverſas, puta bonitatis ex objecto, & malitiæ ex fine: hæc eſt multorum apud Salas hic, non tamen contraria concluſioni primæ ſupra poſitæ ut infra jam oſtendam.

Ratio, quia qualitas, quam deſumit actus exterior ex objecto eſt ſpecifica & eſſentialis, adeoque inſeparabilis ab actu, manente ſubſtantiâ ejus, ergo actus externus habens bonum objectum ſemper erit bonus taliter, v. g. largitio eleēmoſynæ: ſive ſubventio pauperis: non repugnat autem huic actui ſupervenire ordinem ad pravum finem: &, ſi ſuperveniat, depravabit eum ex hoc alio capite probabiliter, adeoque habebit ex diverſis capitibus bonitatem & malitiam.

Dices cur hoc aſſeris de actu externo potius quam de interno? Reſpondeo primo, quia in actu interno finis ille tranſit in rationem objecti, vult enim homo actum externum ſic circumſtantionatum, adeoque circumſtantiæ externi videntur objectum internum: v. g. vult dare eleēmoſynam ob vanam gloriam: eleēmoſyna & vana gloria ſunt objectum volitum.

Contra hoc tamen facit, quod ſi ita ſit: tunc actus

Digitized by Google

actus internus imperatus ab alio, numquam eſt in ſua ſpecie; ſed in ſpecie imperantis: v. g. volo dare eleëmoſynam ob amorem Dei: ille actus non eſt in ſpecie miſericordiæ, ſed in ſpecie charitatis. Reſpondeo primò, hoc non ſequitur proprie, ſed ad ſummum eum eſſe in ſpecie quadam mixta ex utroque: quia nimirum dixi totum eſſe volitum per modum objecti: tamen quia replica hæc eſt fundata: do aliam ſolutionem, quæ ſit iſta: quia actui interno immediatè competit ordo ille ad finem, & bonitas aut malitia ex ipſo deſumpta, atque adeo in illo pugnaret bonitas objectiva, & malitia ex fine, at vero actui externo competit quidem immediatè bonitas ex objecto; illa vero ex fine non competit ei immediate, ſed extrinſecè remotè, & mediatè, adeoque latum diſcrimen eſt interambo.

Illuſtro rem exemplo alterius oppoſitionis: nam ſine dubio pugnant inter ſe neceſſarium & liberum, non minus quam bonum & malum; tamen licet idem non poſſit eſſe immediatè liberum & immediatè neceſſarium, poteſt eſſe immediate neceſſarium, & mediate liberum; idque de facto in ipſo actu externo verificatur. nam viſio, v. g. immediatè & ex cauſâ proximâ eſt neceſſaria, tale enim agens eſt oculus: qui eſt immediata cauſa ejus; tamen mediatè & extrinſecè eſt libera ratione imperii voluntatis, alias enim non eſſet peccaminoſa aut meritoria; ſicut ergo in eodem actu externo concurrunt neceſſarium & liberum unum ab intrinſeco aliud ab extrinſeco: ita capi poteſt quomodo in eodem concurrere poſſint bonum & malum, unum intrinſecè & ab objecto, quod eſt immediatè principium ejus, alterum ab externo ſcilicet à directione voluntatis: ſed contra.

Objici poteſt adhuc ratio ſupra poſita contra actum internum; quod non poſſit idem ſimul permitti & prohiberi; poſſet autem ſi poſſet eſſe malus, & bonus. Reſpondeo tamen non redire rationem huc; ſed actum externum ſimpliciter eſſe permiſſum tunc; quia actus externus non dicit finem nec negationem ejus: ſed eſt quaſi res mortua, in quam aliunde imprimitur motus. Itaque tunc *actus malus* non eſt unus actus, ſed plures, dicit enim illum voluntatis præter externum corporis.

Objiciam alteram rationem: quod ſcilicet agens eſſet puniendus & præmiandus ſimul, quod non poteſt reduci ad praxim: ſed nego hanc ſequelam aut contingere hæc. Ratio ſtatim habetur ex dictis: quia agens ſeu ſubjectum, eſt quid unicum hic; atque adeo non poteſt affici duabus qualitatibus oppoſitis æque primo accedentibus: ſicut ergo actus internus non poteſt eſſe ſimul bonus & malus, ſed accedente malitia deſinit bonitas, & ipſe eſt abſolutè malus, v. g. ille unus quo ferrer ſimul in finem & media, ita hic agens reſpectu duorum actuum, quorum unus eſt intentio finis boni, alter electio medii pravi: ex quibus vides conſequenter

4. Dicendum eſſe quod actus etiam internus imperans poteſt ſuo modo utramque affectionem habere, bonitatis & malitiæ; illam ex objecto: aliam ex circumſtantia ſive fine ſive, &c. pro hac formabo rationes, quæ etiam pro præcedenti valent. Itaque utriuſque generis actum poſſe ambo hæc participare ſic probo; primum ab extrinſeco: ſi imperans, & is cui imperatur eſſent duo ſuppoſita numero diſtincta; & imperans ſeu ſuperior præciperet aliquid inferiori ex malâ intentione, puta laborare in vineâ ex motivo avaritiæ: inferior autem laboret ex motivo virtutis obedientiæ; tunc actus imperatus eſſet verè bonus, & tamen imperans vitiatus ex parte, ratione intentionis pravæ: ergo ſimiliter ſi in eodem concurrant actus imperans & imperatus, ut unius voluntas uno actu imperet alium, ſimpliciter erit unus idemque bonus & malus; cauſa patet, quia nimirum ratio inficiens, & dignificans actum in diverſis ſuppoſitis hic concurrit; unde non eſt quod quis neget conſequentiam: eo quod ibi ſit unicum ſuppoſitum, hic duo: nam hoc eſt materiale, & impertinens: ſi enim actus inferioris eſt verè imperatus denominatione proveniente ab imperio in altero exiſtente; cur non erit viciatus à vitioſâ intẽtione in eodem exiſtente? Probo ulterius paritatem ſic, ſaltem ad homines: non magis opponuntur in eodem actu bonitas & pravitas quam voluntarium, & involuntarium, ſeu invitum: atqui voluntarium & invitum, ſic ſe habent reſpectu ejuſdem actus, quod licet non poſſint ambo ſimpliciter competere alicui actui, aut æque primo, poſſunt tamen ſic, ut unum ſimpliciter competat, alterum ſecundum quid; nam projectio mercium in naufragio eſt ſimpliciter voluntaria & ſecundum quid invita, ut volunt adverſari mei, &c. quod etiam oſtendit exemplum, quod ipſe ſupra attuli de neceſſitate & libertate in eodem actu externo: ſi ergo neceſſitas & libertas, voluntarium & involuntarium poſſunt eidem competere, unum per ſe, alterum per accidens, quid ni actus idem ſit bonus per ſe, malus per accidens.

Tertia probatio huius erit inſtantia: nam qui communicat in paſchate facit actum obedientiæ erga Eccleſiam, & charitatis erga ſe, vitando excommunicationem, idque etſi ſacrilegè communicet: & tamen certum eſt quod ſacrilega communio ſit mala: ergo iam aliquis idem poteſt eſſe bonus & malus, ſive actus virtutis, licet aliundè inficiatur.

Dices eum non exercere obedientiam, nam ſi hanc vellet exercere, potius obediret Deo, diſponendo ſe ad communionem, quam Eccleſiæ communicando ſacrilegè. Reſpondeo conſequentias has non valere in voluntate: alias nemo vitaret unum peccatum, qui non vitaret omnia, nam ſi oppoſitum faciat, ſtatim veniet contra eum tuus diſcurſus: quod ſcilicet ſi ex amore Dei, aut timore, aut obedientiâ vitaret unum, vitaret omnia: nam omnia ſunt contra amorem & timorem Dei, & contra eius præcepta: Et quis credat, quin ille qui ſolvit pecuniam debitam, ex malitia aut ex aliquo colore: quin hic inquam exerceat actum iuſtitiæ, atque etiam charitatis ſi creditor egeat? & tamen circumſtantiæ illæ ſunt vicioſæ? non enim negari poteſt, quin ſolutio debiti ex iuſtitiâ proveniat, nec poſſit aliter contingere quam ut habeat conformitatem ad ipſam & ad rectam rationem, quæ dictat de eâ: quod etiam expreſsè D. Thom. docet. 21. q. 57. art. 1. qui ait hoc eſſe ſpeciale in iuſtitiâ, ultra alias virtutes morales quod *habeat rectitudinem qualitercumque fiat* intellige: *ſive bono, ſive iniquo animo:* & tamen claro clarius eſt eam poſſe infici circumſtantia aliqua aut fine: ut fiat, iniquo animo quo modo loquitur D. Thom. &c.

5. Occaſione huius oſtendo habitum virtutis moralis poſſe concurrere ad actum malum,

non ut

non ut quidam infert, eo quod intellectualis poſſit, ſed eo quod intellectualis poſſit concurrere ad actum falſum; inde enim habet quod moralis poſſit ad malum; quia intellectualis ſic affixus eſt vero, quomodo moralis bono: poſſe autem concurrere per accidens ad falſum, probo tam de habitu fidei, quam de habitu intellectus, ſive primorum principiorum: nam ex his præmiſſis poſſunt inferri iſtæ concluſiones: verbum aſſumpſit naturam humanam; ſed natura humana eſt impaſſibilis: ergo verbum aſſumpſit naturam impaſſibilem. Item omne quod eſt, neceſſe eſt eſſe aliquo modo: ſecundus Deus eſt, ergo neceſſe eſt ſecundum Deum eſſe; utrobique horum diſcurſuum concluſiones ſunt falſæ & tamen inferuntur ex præmiſſis partim revelatis: partim evidentibus, adeoque habitus harum præmiſſarum concurrunt ad eas: ſed tamen ideo non repugnat, quia non per ſe concurrunt ad eas, ſed per accidens, ergo ſimiliter poſſumus & debemus concoquere hoc quidquid eſt abſurdi, quod habitus virtutum moralium poſſint concurrere ad actus qui per accidens ſint mali.

Objicio rationem ſupra adductam: ſequi hinc quod idem actus poſſit eſſe bonus & malus: Conſequens autem eſſe falſum: ut ibi patuit: & præterea ex Aug. lib. 2. mendac. cap. 13. *Nihil poſſe abſurdius dici quam opus aliquod eſſe ſimul juſtum & injuſtum.* Reſpondeo vim hujus argumenti ex ratione, non recurrere huc, etenim fundata eſt in eo quod idem poſſit prohiberi, & permitti à Deo, vel à rectâ ratione: at vero id hic non habet locum; nam actus ille exterior omnino permiſſus eſt in illo caſu, & quod prohibitum eſt, eſt interior intendens finem.

Auguſtin.

Inſtabis, ipſe eſt malus, ergo prohibitus; vel, ſi non prohibitus, non malus: ergo non evadimus. Reſpondeo illum eſſe, ut ſic dicam, malatum, ſive affectum malitiâ, potius quam formaliter malum, ſicut dicitur ſtatua aurea, quæ deaurata eſt, non enim illa in ſe formaliter aurum habet, ſed extra ſe; ita hic, actus intra ſe non habet malitiam, ſed bonitatem potius, quia in ſubſtantiâ eſt bonus.

Dici poteſt nihil facere hoc, quia quilibet actus, quamtumvis pernicioſus, eſt in ſubſtantiâ bonus, quia entitas actus eſt revera bona. Reſpondeo non hoc ſolum eſt in præſenti, quod entitas phyſica actus ſit bona; ſed quod ipſe actus ut etiam in ſpecie morali ſuæ conſtitutus, eſt bonus; quod non contingit ubique. Ex his patet quid ſentiendum de eo an intentio bona rectificet electionem pravam?

6. Dicendum enim eſt omnino quod non; unde non licet mentiri ut ſalves vitam innocentis, nec furari, ut des eleëmoſynam; quamvis in hoc ultimo caſu ſit ſpecialis ratio quā ipſe ſupra attuli: Ratio jam aſſignata eſt quia intentio eſt extra actum electionis, & multo magis extra actum exequutionis medii, adeoque relinquit hanc in ſua ſpecie, &c. ut ibi.

Ca. 4. v. 7. Authoritas communiter adfertur ex Epiſtolâ Apoſtoli ad Romanos; ubi docet damnationem eorum juſtam eſſe qui dicunt *faciamus mala, ut eveniant bona.* Ita hunc locum citant Coimbr. hic diſp. 3. dub. 12. Sed enim locus ille non ſic ſe habet in fonte, nec verba Apoſtoli ſonant quaſi velit ipſe juſtè eos damnari, qui ita ſentiunt; ſed qui imponunt aliis, & blaſphemant: ecce textum *Quid adhuc ego tamquam peccator judicor, & non (ſicut blaſphemamur, & ſicut ajunt quidam nos dicere) faciamus mala ut veniant bona: quorum damnatio juſta eſt.* Scilicet, imponentium & blaſphemantium, ut vides in parentheſi ibi clauſâ; poteſt tamen inde elici probatio, quia Apoſtolus innuit nos blaſphemari cum talia imponuntur nobis; quod non eſſet niſi, quia illa ſunt horrenda mala & inexcuſabilia: Item quia ipſe infert illud tamquam abſurdũ, quod ſcilicet faciamus mala ut eveniāt bona.

Objicio: Deus permittit mala ut eveniant bona; ſic permiſit peccatum originale ad finem redemptionis; & lapſum S. Petri ad aliorum cautelam, &c. ergo & nos poſſumus facere mala ob fines bonos: cauſa conſequentiæ eſt quod factio noſtra reſpondet permiſſioni Divinæ; nam Deus non poteſt facere mala aliter quam permittendo. Reſpondeo hoc eſſe ab excellentiâ naturæ ipſius, quæ intrinſecè ſancta eſt, unde mala facere non poteſt, permittere poteſt; quia hæc non eſt factio, nec in illo, nec in nobis; unde nec erat aſcendendum ad Deum, quia nos ipſi poſſumus permittere mala, non ſolum ob bonum, ſed ob minus malum, ſic permittuntur fornicationes ad vitanda adulteria, nec tamen adulteria ſunt bona; quare ſi valeret argumentum à permiſſionibus, ſequeretur quod etiam ſine bono fine, mala poſſent fieri ſine malitia.

Objici ſolent quædam Scripturæ quas relinquo Theologis explicandas, ut illa Matth. 6. de oculo ſimplici: Exod. 1. de obſtetricibus quæ mentitæ ſunt & laudantur tamquam timuerint Deum, &c. de quibus non aliud hic dico niſi prioris illius loci nec propoſitionem, nec ſolutionem communem placere: ſecundum autem probare quod ego ſupra dixi medium in ſe bonum remanere tale quamvis extra apponantur pravi fines.

Quæres an bonus finis minuat ſaltem malitiam electionis pravæ: multis placet affirmatio; mihi non. Ratio, quia excuſantia, ſeu imminuentia peccatum ſunt illa, quæ Ethici communiter tradunt in principio hujus tractatus: ubi etiam nos de eiſdem, ſcilicet Vis, Metus, Ignorantia, Concupiſcientia. Aſſignent autem mihi illi aliquid horum in caſu poſito; non poterunt: ergo. Deinde timeo ne hoc modo prior concluſio evertatur; nam ſi finis minuat malitiam & creſcat bonitas ejus ad proportionē, omnino extinguet eam: atque ita quodlibet malum factum cum relatione aliquâ ad Deum, qui eſt finis infinitè bonus, ſtatim deſinet eſſe malum, quod eſt ipſo ipſum reprobatum ab Apoſtolo citato: *ſi veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipſius, quid adhuc ego tamquam peccator judicor.* Imò fortaſſe probari poteſt quod augeat aliquando malitiam, quia auget voluntarium cum magna bonitas apparet.

Videndi de his?

ARiſt. 3. *Eth cap.* 2. Aug. *lib.* 2. *cont. Mendac.* S. Bonav. *in* 2. *d.* 40. S. Thom. 1. 2. *q.* 19. S. Antonin. 1. *p. tit.* 4. *cap* 12. Henric. *quodlib.* 13. *q.* 10 Ægid. 2. *d* 37. Gabriel. *ibid. d.* 40 *q.* 1. Gregor. *d.* 42. Aſtor. *tom.* 1. *l.* 2. *cap.* 1. Sayr. *lib.* 1. *cap.* 4. Vaſq. *cit. diſp.* 70. Cordub. *lib.* 2. *q.* 23. Lorca *diſp.* 28. Granaten. *tract.* 9. *diſp. item* 9. Medin. 1 2. *q.* 19 Anton. Berez *ſect.* 1. *exam. p.* 3. Ripald. *de Ente ſupernat. diſp.* 10. Monteſin. *diſp.* 23. Zumel 2 2 *q.* 18. Joan. Salas *tract.* 1 *per totum.* Ægid. Conynck *diſp.* 3. *Moral.* Conymb. *diſp.* 5. *Ethic. q.* 1. Tarquinius Gallut. *in Ariſtotelem citatum.* Sfort. Palavicin. *in* 1. 2. *diſp.* 4. *q.* 2. *& diſp.* 9. *q.* 1. *&c.*

Digitized by Google

APOLOGIA QVINTA

De actu externo, & indifferenti.

ACTIO I.

Utrum actus interni ſint mali: & peccaminoſi?

ACTIO II.

Utrum exteriores ſint formaliter boni aut mali moraliter?

ACTIO III.

Utrum actus exterior addat bonitatem aut malitiam bonitati & malitiæ interioris?

ACTIO IV.

Utrum aliqua actio humana ſit indifferens: ſive media inter bonam & malam moraliter?

ACTIO V.

Utrum detur actus humanus indifferens in individuo?

Scotus *quodlib.* 18. *num.* 12.

DE tertio principali primo poteſt dici, quod actus exterior ſcilicet imperatus habet bonitatem moralem propriam aliquam, aliam quam actus interior elicitus, & ſecundo videbitur qualiter habet vel non habet, propriam impeccabilitatem. Primum probatur dupliciter, &c.

Idem 2. *diſt.* 41. *quæſt. un. num.* 4.

IDeo probabile videtur tales actus indifferentes ponere; quia non habent ſufficientem rationem malitiæ pertinentem ad peccatum veniale; quia poſſibile eſt nullam deordinationem eſſe in eis, quæ ſufficiat ad rationem peccati; non enim tenetur homo nec tentione neceſſitatis contra quam ſit peccatum mortale, nec tentione minori contra quam ſit peccatum veniale referre ſemper actum ſuum in Deum actualiter vel virtualiter?

ACTIO I.

Vtrum actus interni ſint mali & peccaminoſi?

Breviarium.

N. 1. *Ratio dubitandi prima de internis.*
2. *Secunda: quæ urgetur ibidem.*
3. *Tenendum internos eſſe malos moraliter: non tamen univerſaliter, ut creditur.*
4. *Interni aliqui ſunt certo mali. Alii non item æquè certò?*

1. SUppono in actibus ipſius voluntatis eſſe bonitatem, aut malitiam; his enim omnia omnino adſunt, etiam illa quæ creduntur deeſſe actibus externarum potentiarum, undè planè improbabilis eſt ſententia, quæ bonitatem ac malitiam ponit in actibus externis primò, & intrinſecè, in aliis autem internis, non niſi per denominationem ab illis; ſanè ſi hoc dicerem, negarem omnino bonitatem, aut ſaltem malitiam actuum externorum; nam ſi quid fundamenti eſt pro attribuendâ primariâ bonitate aut malitiâ actibus externis, illud ipſum facit pro negandâ totali bonitate, aut ſaltem malitia illis; puto autem eſſe non parvum, eſſeque iſtud.

Quia nimirum *ubi non eſt lex nec prævaricatio*: unde illud tantum eſt peccatum, quod eſt prohibitum, at vero ſoli externi prohibiti ſunt, ergo ſoli illi ſunt peccata: minor in qua eſt vis (nam major eſt Apoſtoli) patet ex ipſo decalogo. *Non occides, non Machaberis*, &c. quibus locis & verbis patet prohiberi actiones ſenſibiles, & externas; neque quidquam dictari de internis; cur ergo interni cenſebuntur prohibiti? &, ſi non prohibiti, quomodo mali? Exod. 10.

Reſponderi poteſt hoc fortaſſe evincere quod actus interni non ſint peccata propriè, non tamen efficere quo minus ſint mali; nam ſuprà jam oſtendi diſtinguenda eſſe iſta duo; ſed contra hoc & ſimul aſſertionem aut ſuppoſitionem factam

2. Objicio ſecundò: malitia etiam ut contradiſtinguitur à peccato conſiſtit in oppoſitione actus

ne actus ad rectam rationem; quæ aliter dicitur, oppoſitio ad naturam rationalem; ſed in actibus merè internis non eſt oppoſitio ad naturam rationalem, quod ſic ſuadeo: quia nimirum non offenditur natura per hos; ſaltem non ubique, quod ſufficit ad propoſitum, & ſic oſtendo: nam malitia mendacii: v.g. & oppoſitio ejus ad naturam inde eſt, quia ſic impediretur contractus hominum; neque unus poſſet fidere alteri: at vero clarum eſt voluntatem ſolam mentiendi ad hoc eſſe impertinentem: ſi enim ego numquam revera frangam fidem, neque decipiam proximum, ſanè reſpublica hominum ſemper erit ordinata, & natura bene affecta, neque umquam inferri poterit abſurdum illud de impediendis contractibus aut ſimilibus, ut vides.

Urgeo, & confirmo argumentum, transferendo ipſum ad aliam materiam juſtitiæ; nam non *occides*: non *furaberis* implentur etiam cum voluntate furandi, & occidendi: ecce quomodo, iſta enim fundantur in juſtitia, & prohibent injurias: at vero per voluntatem nocendi alteri Non infertur ei injuria, nam tantumdem habet ille in bonis poſtquam ego volui furari ei, ac antequam volui. Quod adhuc confirmatur, nam ſi per ſolam voluntatem pecco contra juſtitiam, poſt ejuſmodi, & propter ejuſmodi voluntatem, teneor ad reſtitutionem; omnia enim peccata contra juſtitiam obligant ad ipſam: non teneor autem, ut omnes concedunt; adeoque non peccavi contra juſtitiam, ergo.

3. Æſtimo hæc argumenta & optarem valere, ut miſeri mortales minus implicarentur pœnis ac peccatis; ſed credo ea non ſufficere abſolutæ probationi, aut univerſali; primò quia in ipſo Decalogo nonum, & decimum præceptum procedunt directè de ipsâ concupiſcentiâ, ſeu actu interno appetitus; quum etiam antea, quinto, ſexto, ſeptimo & octavo prohibuerit actus externos: cum ergo ſexto & ſeptimo prohibuerit raptum rei alienæ: & octavo in particulari uxoris; ibi *non occides*: non *mechaberis*; deinde nono & decimo dicendo *non concupiſces domum, &c. proximi tui*; *item nec deſiderabis uxorem* manifeſtè oſtendit legiſlator ſe non ſolum actus externos; ſed etiam internos aliquando prohibuiſſe. Deinde Matth. 5. habes quod *qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam mœchatus eſt*: &, Joan. 3. *qui odit fratrem ſuum homicida eſt*: atque ita jam actus interni reputantur pro externis, & ſunt certò mali: hæc quidem probatio oſtendit de facto ita eſſe: non oſtendit tamen ex natura rei: ſicut neque revera quodlibet odium eſt homicidium, unde remanet adhuc difficultas, quomodo actus interni ſint mali univerſaliter; ſane quoad me non video quin poſſit teneri quod non omnis prohibitio reddit actum internum malum: v.g. ſeptimo præcepto: *non falſum teſtimonium feres*, quod inquam hic volitio teſtandi falſum ſit mala ex prohibitione ipſius teſtimonii; pro quo ultra ſupradicta addam hanc rationem: ſi enim ex prohibitione actus externi eo ipſo actus internus eſſet prohibitus & malus; videtur quod fruſtra legiſlator poſt prohibitionem actus externi deſcenderet ſeorſim ad prohibendos actus internos: atqui Deus hoc fecit, nam, ut ſupra oſtendi, quum ſexto, & ſeptimo præcepto decalogi prohibuiſſet furtum rei alienæ, & uſum uxoris etiam alienæ, nono & decimo prohibuit horum concupiſcentias, ſeu appetitum, ſcilicet rei alienæ, & uxoris etiam alienæ: ex quo ſequi videtur quod quum hoc non fecerit in homicidio, & perjurio quod inquam ſola voluntas ſeu concupiſcentia horum non ſit mala.

Exod. 20. *5. v. 18.* *1. Ioan. 3.*

Utor etiam ad idem alia hac ratione: quia cenſuræ Eccleſiaſticæ quum feruntur contra actus externos non incurruntur internis actibus quantumcunque illos augeam & intendam, etiam in infinitum: imo nec ſi ipſe vellem incurrere illas cenſuras: ergo jam non licet transferre aut trahere prohibitionem ab actibus externis ad internos.

Dices, Eccleſia non præcipit niſi actus externos: & tamen quis peccat actibus merè internis contra ipſam: nam nolle ſolvere decimas v.g. eſt peccatum, & tamen Eccleſia ut vidimus præcipit tantum ſolvere decimas ſcilicet actum illum exteriorem. Reſpondeo hoc argumentum eodem filo & formâ verti poſſe in oppoſitum, ſic: Eccleſia non poteſt præcipere actus merè internos, & tamen poteſt præcipere externos: ergo præcipiens aut prohibens externos non proinde præcipit aut prohibet externos internos.

Tertiò utor argumento domiſtico ad hominem contra noſtros, & univerſaliter contra omnes, ſuppoſito quod probandum ſit à me id cui innitor, ſcilicet actum exteriorem addere aliquid malitiæ aut bonitatis actui interiori: & ſic arguo: quantumcumque intendam actum interiorem, numquam compenſat totaliter exteriorem: & ſemper ſupereſt aliqua bonitas in ipſo exteriori ultra interiorem, ergo jam eſt aliquid in exteriori, quod non redundat in interiorem: unde in illo non valet conſequentia: volo hoc, ergo habeo: ſit enim illud ſpeciale in actu exteriori B. illud numquam adquiram optando & volendo: & revera aliquid tale eſt & habemus hoc fateri omnes: nam Eccleſia docet Sanctos qui tales exteriores actiones aut paſſiones habuerunt in viâ, habituros præmium proprium, quod laureola dicitur, in patriâ: idque non habituros alios etiam majoris meriti ſanctos, qui non certaverunt his certaminibus, v.g. martyrii aut caſtitatis, ſicut ergo intelligitur quod hoc aliquid, quidquid ſit, remanet apud ſolos actus exteriores, nec poteſt trahi ad interiores: cur non poſſit idem intelligi de prohibitione?

4. Hoc autem de actibus internis non eſt univerſale ſine dubio, nam ex illis plerique ſunt de ſe mali & boni, ut odiſſe Deum, deſperare, perjurare: & è converſo de actibus his contrariis: Ita quidquid dictum eſt, accipiendum eſt de actibus internis, qui reſpiciunt externos prohibitos quos tamen non aſſero abſolutè liberos à malitiâ: imo pro contrario

Arguo ſic primò: velle malum eſt malum; idque indiſpenſabiliter, quia non poteſt actus ferri in objectum, quin objectum refundat ſuam qualitatem in ipſum: ergo actus interior qui fertur proſequutivè in externum malum eſt certiſſimè malus: ſecundò, quia quando finis eſt malus, etiam applicatio medii eſt mala: ſed volitio externi actus in eodem ſuppoſito, eſt quoddam medium ad externum: ergo certiſſimè malus. Tertiò ſic argumentor: quia aliquando actus internus eſt bonus, quando externus in quem fertur ſive objectum eſt impoſſibile: hinc autem ſtatim habes totam malitiam non eſſe in ſolo externo aut in interno, quatenus poſitivus aut productivus eius. Probo ergo antecedens inſtantiâ pœni-

Digitized by Google

pænitentiæ in cujus actibus unus eſt nolle peccaſſe, ſive deſtructio peccati olim poſiti; at vero clarum eſt hoc eſſe impoſſibile, non enim poteſt non præteriiſſe quod præteriit, nec ulla potentia ſufficit, ut facta infecta reddat; ergo. In fine, quæ ipſe attuli pro immunitate actuum internorum, relinquo aliis evadenda: ſi non vincant intentum totaliter, ſaltem id efficient, ut homines minus vexentur timoribus, & aculeis conſcientiæ, quando non poſſunt efficere mala, quæ moliuntur.

ACTIO II.

Vtrum actus exteriores ſint formaliter boni aut mali moraliter?

Breviarium.

N. 1. *Et 6. Scotus expenſus: quid hic ſenſerit?*

2. *Actus externi ſunt formaliter boni: non tantum per denominationem: probatur pluries.*

3. *Expenditur alia quorundam probatio.*

4. *Objectio: diſſoluta. An actus externus feratur ob finem?*

5. *Alia objectio: ubi, an actus externus ſit liber?*

6. *Tertia: motus inſtrumentorum. v. g. enſis an malus moraliter?*

1. Mirum videtur hoc in dubium verti poſt reſolutionem Actionis præcedentis, in qua illi declarati ſunt mali, & ferè ſoli, ut ibi. Eſt tamen ratio non parva dubitandi de hoc ipſo tam quoad rei veritatem, quam quoad mentem N. D. nam & hic citatur expreſſè pro parte negativâ tamquam qui nolit ullam bonitatem concedere actibus externis propriè, ſed tantum per participationem & denominationem ab internis. Ita videtur docere. d. 42. q. 2. num. 1. & infra ibidem num. 2. & num. 16. ut ſignificavit Franciſcus Felix tract. de bonitate & malitia cap. 1. difficul. 1. Et quidquid ſit de Noſtro, ſic alii docuerunt, & eſt communior hodie in Scholis, quod tota malitia, (idemque de bonitate) ſtet in internis actibus; externi autem denominativè tantum & æquivocè ſint tales, planè ſicut ſolum animal eſt verè ſanum, reliqua autem quæcumque ſic dicuntur non niſi per ordinem ad ipſum; ut medicina quia illi eſt cauſa ſanitatis, urina quia effectus, &c. Ita Seraphicus S. Bonavent. 2. d. 42. & cum ipſo Riccardus noſter: Ex aliis durandus Gabr. & noviſſimè Suar. hic diſp. 10. q. 1. ex D. Thom. 1. 2. q. 10. art. 3. & 3. cont. Gent. cap. 9. art. item 3. Oppoſitum eſt Subtilis, cum quo

2. Dicendum omnino eſt actus externos eſſe formaliter bonos & malos, ac non tantum ſic reddi aut denominari à bonitate vel malitiâ, quæ eſt in internis; ita clare noſter quodlib. 18. art. 3. & cum ipſo omnes omnino Subtiles ex profeſſo; unde non eſt audiendus Vaſq. hic diſp. 93. cap. 4. & eum ſequutus Salas tract. 7. d. 6. ſeſſ. 1. qui monet non eſſe controverſiam hic an bonitas, vel malitia moralis ſit aliquid formaliter & intrinſecè inhærens actioni humanæ externæ? id enim eſt quod hic ventilatur, num ſcilicet in hoc ſit diſparitas inter actus externos & internos, ut hi ſint formaliter & propriè boni, illi non, ſed uſurpativè, & extrinſecè.

Probo jam aſſertum primo ex dictis Actionibus præcedentibus, ubi oſtenſum eſt de internis actibus eſſe dubitandum: non eſt autem dubium ſive externos, ſive internos actus eſſe formaliter malos, ergo. Diceret quis utrumque eſſe malum: ſed aliter, & aliter, internum intrinſecè, externũ per denominationem ab iſto, ſicut paries dicitur viſus, quum tamẽ viſio à qua denominatur ſit in oculo. Hoc expectabam, refellendũ ex jam dictis ſic: Quando forma aliqua denominat duo ſubjecta unum intrinſecè, & aliud extrinſecè: omnino judicandum eſt, quod denominat intrinſece illud in quo primo eſt; (non enim primum eſſe ullius poteſt eſſe extrinſecum, & omnis extrinſeca denominatio ſupponit intrinſecum eſſe formam, quæ denominet.) Atqui malitia hic primo ineſt actibus externis, & propter eos internis; ergo cenſendum eſt omnino, quod exterui ſint intrinſecè mali; interni autem potius extrinſecè. Minorem hanc in qua eſt vis, ſic oſtendo: Quando accipimus utrumque actum externum & internum; v. g. homicidium, & voluntatem occidendi: vel omiſſionem ſacri in die feſto; ſic de illis eſt cenſendum, quod ſcilicet omnino velle occidere ſit malum, quia ipſum homicidium eſt malum; & ideo nolle audire Sacrum eſt malum, quia ipſa omiſſio ſacri eſt mala; non vero è contra, ideo omiſſio ſacri eſt mala, quia velle omittere ipſum eſt malum, & idem de homicidio: ergo. Declaro rem exemplo ipſorum de viſione, quæ reddit viſum & videntem, ſed aliter & aliter, ſcilicet unum extrinſecè, & aliud intrinſecè; nam forma à qua provenit utraque hæc denominatio non poteſt primò eſſe in eo quod extrinſecè denominat; ſcilicet in pariete, ſed debet eſſe primò in eo in quo intrinſece eſt; ſcilicet in oculo; neque verum eſt ideo oculum eſſe videntem, quia paries eſt viſus; ſed è contra, ideo parietem eſſe viſum, quia oculus eſt videns, ergo.

Probo ſecundò à priori, quia actus externus eſt difformis naturæ rationali; ſeu rectæ rationi ut voles, ergo malus formaliter. Conſequentiâ nihil clarius niſi ſit hoc antecedens, quia clariſſimum eſt quod frangere fidem, opprimere innocentem, &c. ſint adverſa rectæ rationi.

rationi. Reſponderi ſolet hæc quidem eſſe mala moralia, ſed tum tantum quando liberè fiunt: at vero ut fiunt externè non liberè fieri, quia in organis externis non eſt libertas, ſed in ſola voluntate, adeoque. Audio & inſto contra, eo quod hoc fere ſit totum fundamentum Adverſariorum. Detur ita eſſe, ut hæc & ſimilia non ſint mala moraliter niſi cum liberè fiunt; quum ergò liberè fiunt & ſunt mala, quæro, utrum ſint formaliter mala per libertatem, an vero per aliquam priorem formam, quam ante habuerunt? ſi ſecundum, eſt intentum, jam enim id quod dicitur & eſt malitia, eſt ex illis, quæ actui externo ſecundum ſe competunt independenter ab interiori: Unde hanc partem non poſſunt eligere Adverſarii: ſed nec alteram, quia incurrunt majus abſurdum, quod ſcilicet bonitas & malitia moralis habeantur ab eâdem forma in ſpecie, utique enim libertas eſt ejuſdem ſpeciei in omnibus actibus tam bonis quam malis; Si ergo libertas eſt forma quâ formaliter ſunt boni & mali, jam eadem in ſpecie eſt forma, quâ actus fiunt boni & mali, quod tamen falſum eſt non ſolum de actu bono & malo in genere, ſed etiam de actibus tam bonis, quam malis in ſpecie.

Tertiò ſic arguo contra reſponſionem, pro concluſione; aliquid eſt ſeipſo malum phyſicè homini & moraliter, (& loquor de aliquo externo, ut v.g. calore,) ex quo probo conſequentiam: quia ratio, quâ nituntur Adverſarii ad negandum actibus externis malitiam moralem, recurrit de hujuſmodi phyſicis formis ad negandam eis malitiam phyſicam: Dicunt illi actus hominis non eſſe malos, quia non ſunt liberi, adeoque ſe ipſis non eſſe malos, atque id ipſum concurrit hic, quia calor, aut venenum, vel morbus non eſt malus, nec nocet phyſicè homini niſi applicetur, hanc autem applicationem qualitates phyſicæ non habent ex ſe, ſicut nec morales habent libertatem, & tamen falſum eſt qualitates phyſicas non habere diſconvenientiam ad corpus hominis ſeipſis etiam quando non applicantur, ergo ſimiliter, nam nemo non videt paritatem.

Ultimo ſic arguo, ſunt enim quidam actus externi ideo prohibiti, quia mali, alii è contra mali quia prohibiti, de illis primi ordinis quæro cur neceſſario prohibiti ſunt, nec poterunt permitti? certè malitia aliqua debuit eſſe cauſa hujus; nam neque bonitas neque indifferentia, nec refert reſpondere, quod hæc habuerint fundamentalem malitiam, nam talem habent ſecundi generis actus, utique enim ſuper illos fundari poteſt malitia, quia poſſunt prohiberi, & ita reddi moraliter mali ac peccata, ut de facto ſunt.

3. Probant aliqui ex noſtris aſſertum ex PP. qui communiter dividunt peccata in cogitationes, verba, & opera, adeoque non ſolum intrinſeci actus, ſed externi ſunt peccata & mala. Reſponderunt autem Adverſarii, hinc tantum ſequi, quod actus externi ſunt mali objectivè non vero formaliter: Tum vero inſtiterunt noſtri in hunc modum; ſi actus externi non ſunt aliter mali quam objectivè, ſequitur adulterium, v.g. non aliter eſſe malum moraliter quam ipſa mulier, puta uxor aliena, hæc enim eſt objectivè mala, quia eſt objectum actus mali, & talis ut reddat proſequutionem atque uſum ſui objectivè malum, nemo autem non videt hoc eſſe abſurdum & ridiculum, ergo. Hic nihil ſolidi eſt præter ultimum, nam invaſio noſtrorum, & evaſio Adverſariorum non habent lumbos. Thomiſtæ & Recentiores nunquam negarunt verba & opera eſſe peccata, ſed negaverunt eſſe peccata per aliquid ſui, ſive per aliquod in ipſis receptum, quod tamen non aſſeruerunt P. P. ſic ergo fuit reſpondendum argumento; non vero per malitiam objectivam, quæ egregiè vapulavit ſequenti replica, Minor patet vera ratione, non enim ferendum eſt (ſaltem non fœminis,) quod illæ tam malæ ſint, quam ipſæ fornicationes & adulteria.

Videor etiam poſſe evacuare argumentum noſtrorum; nam ſi recta eſt diviſio peccatorum facta à Patribus, & communiter recepta ab Eccleſiâ, quam etiam in forma Confeſſionis adhibemus, debent omnia tria membra ſimiliter & univocè accipi, non enim eſſet apta diviſio in quâ unum membrum propriè, alterum æquivocè & tropicè acciperetur; quis enim ferat me dividentem animal in rationale & pictum, aut imaginatum? & tamen talis eſt hæc diviſio ſecundum Theologiam Adverſariorum; nam homo imaginatus ut ſic dicam, aut pictus eſt objective homo, quum objectum ejus ſit homo verus; Num rectè dividam perſonas Divinas in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum ac Judam, & tamen Judas eſt perſona Divina hujuſmodi denominatione, ſicut enim urina dicitur ſana, quia eſt effectus ſanitatis; ita Judas eſt effectus perſonæ Divinæ, adeoque.

Ante objectionum allationem & ſolutionem moneo, Adverſarios eſſe in duplici differentia, quidam enim concedunt actibus externis malitiam: ſed negant bonitatem; alii vero utrumque negant æqualiter. Ex primis illis eſt Gabriel Vaſquez, imo in illa parte, quod ſciam, ſolus, pro quo

4. Objicies, ut actus aliquis ſit bonus neceſſe eſt ut fiat, non ſolum in ſubſtantiâ benè; ſed ob bonum finem virtutis; atqui actus externus non attendit ullatenus bonum virtutis aut ullum omnino finem, ergo non eſt bonus; Ma- 2
jor eſt doctrina Ariſtotelis & cuilibet patet eſſe vera; nam alias poſſet quis fortuito fieri bonus, imò etiam invitè; contingit enim utroque modo horum fieri actum virtutis quoad ſubſtantiam, non tamen abſolutè, & ſimpliciter quia deficit ei finis, ſeu intentio ipſius virtutis; Ex oppoſitò huius putat ille patere quod actus exterior ſit malus ſe ipſo, quia ad malitiam non requiritur expreſſa intentio finis mali, ſed ſufficit virtualis: Fateor apparet argumentum, ideoque hic author ſæpè & libenter eo utitur; In primis tamen reſpondeo ipſum redire in authorem; nam quidquid ſit de intentione finis, an requiratur, certum eſt requiri libertatem ſine qua nec exterior eſt malus, & tamen in ipſo non eſt libertas, quo ergo ibit ad providendum externo? quod dicet ipſe de libertate, referri ſibi patiatur de intentione. Reſpondeo ſecundo ſi vera ſit doctrina eius externum nunquam fore malum, nam externo tam deeſt virtualis intentio quam formalis; ſicut enim ille non poteſt formaliter intendere, ita nec virtualiter; nam actus externus eſt indifferens ad omnes omnino fines; adeoque nullius determinati poteſt

 eſſe

Digitized by Google

eſſe virtualiter vel æquivalenter. Reſpondeo tertiò ultimate negando antecedens, non ergo requiritur hoc ad abſolutam bonitatem externi, etſi tam liberè ſupponatur ab arguente. Cauſa autem eſt quia bonitas externa competens eſt illa ex objecto, qua habita cum aliis externis, ſi quæ ſint, actus debet cenſeri ſimpliciter bonus bonitate ſui generis, quæ ſufficit; unde ſi ponatur ſeorſim, & ſeparatus talis actus deberet in bonis non vero malis aut indifferentibus cenſeri.

Inſtabis, ſi poneretur ille actus ſeparatus ab omni ſubjecto, & poſtea uniretur uni, puta homini; non redderet hominem bonum aut virtuosè agentem propter rationem in objectione adductam; ergo non fuit bonus in ſe; quia bonitas actus eſt reddere bonum agentem; Nego huic Conſequentiam, non enim actus reddit agentem ſed actio, iſta intentio finis eſt ex parte agentis & actionis, adeoque quamdiu deeſt facit ne quis benè aut ex virtute agat, non autem eſt ex parte actus, adeoque ſine ipſa actus poteſt eſſe ſimpliciter ſuo modo bonus.

Secundum fundamentum huius viæ, ſupra ſolutum eſt; eſt enim de libertate, quæ æqualiter & indiſpenſabiliter currit in actibus bonis & malis, ad utroſque enim ſimpliciter requiritur, & tamen in exterioribus non invenitur formaliter; ſed tantum per denominationem extrinſecam, ergo nec bonitas aut malitia. Dico hoc eſſe ſolutum & ſolvendum infra ſtatim, interim videbo ſi poſſem retorquere ipſum, quod etiam plus ſemel tentabo: Quum intendo finem efficaciter, qui finis unico ſolo medio adquiri poteſt; v. g. Beatitudinem, quæ non poteſt adquiri ſine actu aliquo charitatis, non eſt in me ulla libertas ad medium, niſi illa quæ eſt ad finem: nam ſuppoſitâ præſtitutione finis, aſſumptio medii eſt neceſſaria, adeoque non libera: & tamen nemo negat, quin medium ſit bonum, v. g. actus charitatis in eo caſu bonus, ergo jam non debet tanti fieri libertas ut propter ipſam ſolum negetur bonitas: Iterum ſic; ipſe actus voluntatis internus non eſt formaliter liber; ſive, non eſt talis per ullam formam in ipſo receptam, ſed per denominationem deſumptam à potentia ſic agente ut poſſit non agere, & tamen ipſi Adverſarii non negant actum internum ſaltem eſſe intrinſecè malum & bonum, ergo licet deſit actui externo libertas formalis, & adſit ſecundum eos extrinſeca ac denominativa, adhuc non deerit bonitas & malitia formalis: in quo ſimiliter ſolutum eſt ſecundum fundamentum illud principale Adverſariorum. Iterum etiam ſolvitur, concedendo libertatem eſſentialiter requiri ad bonitatem & malitiam moralem, ſed negando requiri intrinſecam, quia nimirum libertas non eſt forma, quâ actus ſunt boni, ſed conditio, hæc autem ſine dubio poteſt eſſe extrinſeca: nam ſi vera ſit (ut eſſe videtur) ſententia ponens unicam unionem in compoſito, jam planum eſt conditionem poſſe eſſe extrinſecam, nam unio, quæ eſt in ſubjecto eſt extrinſeca formæ; & tamen hæc per illa communicat ſuum effectum formalem. Alias etiam applicatio localis clariſſimum eſt quod eſt extrinſeca, & tamen ſufficit ad effectum formalem.

6. Objici nobis poteſt D. N. ipſe enim nimis clarè videtur tradidiſſe oppoſitum loco ſupra ex ipſo citato, ait enim: *Malitia primo & formaliter non eſt niſi in aliquo actu voluntatis*, & infra. *In ſolo velle eſt peccatum*: & ſimilia ſunt ibi ſparſim, ergo. Reſpondeo tamen immeritò eum propter hæc adferri ab Adverſariis pro ſe: Fateor, ſæpe hoc dicit, ſed nunquam abſolutè, cum ait: *In ſolo velle eſſe peccatum*, addidit *primò* quod etiam fecit in priore loco ut videas. Imò cum addit: *in aliis non niſi mediante voluntate*, apertè innuit eſſe in aliis peccatum; licet requiratur ad ipſum aliquid prius: ut omittam pro nunc reſolutionem eius de puncto Action. ſequentis, inde enim clariſſime patebit eum docuiſſe idem quod nos hic, ut conſtat ex Quodlib. 18.

Objicio denique rationem quæ magis movet; quia nimirum, ſi actus externi ſint boni & mali ac peccata: ſequitur quod in brutis ſint peccata, imò in rebus omninò non animatis v. g. in lapide, aut igne; quæ tamen certum eſt eſſe falſa, & potius riſu quam dubitatione ullâ digna; ſequela tamen aperta videtur quia in illis eſt actio externa, ſicut in homine, & rationes de homine huc redeunt, nam illi ſunt conformes & difformes rationi, ſi enim occiſio innocentis eſt difformis rationi, certè ictus lapidis ex alto cadentis erit talis, eſt enim ipſa occiſio hominis ut vides; Urgeo, quia ſaltem inſtrumenta quibus homo utitur in agendo haberent bonitatem & malitiam, nam in illis eſt illa actio aut motus quo perpetrantur peccata. V. G. homicidium & ſimilia; Cur enim motus manus erit peccatum non autem motus ferri? certè præſcindendo à voluntate, uterque eſt æqualis per omnia; ſcilicet eſt motus neceſſarius, ſi ergo voluntas reddit motum manus liberum & peccaminoſum; quidni etiam reddat motum ferri; nam etiam hic à voluntate provenit, nō minus quàm motus manus! unde cui prohiberetur diſtinctè uſus ferri, certè ipſe motus gladii eſſet ſpeciale peccatum ei, adeoque? Hoc poteſt nonnihil moleſtiæ adferre, ſed nego ei conſequentiam primò: quia recta ratio aut lex nihil prohibet jumentis & multo minus elementis, adeoque opera jumentorum non ſunt conformia aut difforma rectæ rationi, quia hæc nihil dictat de illis. Secundò, nego eamdem, quia opera jumentorum non ſunt in genere moris, adeoque nec bona nec mala, cum moralitas ſit quid genericum ad bonitatem & malitiam quaſi ſpecies ſubjectas & condividentes; & deniq; ad hoc exiſtimo diſtinguendum eſſe de inanimatis quæ ſunt inſtrumenta ab iis quæ non ſunt talia, neque exiſtimo improbabile, quod actus inſtrumentorum ſint mali moraliter; V. G. baculi quo alium ferio, aut enſis quo occido: quia nimirum hæc dum ſunt conjuncta homini habent motum liberum, & ſubordinantur ei non minus quàm organa corporis. Ex quo patet cur facta ab elementis & jumentis non ſint peccata, quia nimirum illa ſunt mala phyſica tantum non vero moralia. Imò in ipſo homine non tam opera aut acta prohibentur quam actiones: *Non furtum facies*; ita jam factio furti eſt prohibita potius quam ipſum; at vero licet furtum id eſt damnum poſſit eſſe ab elemento aut jumento, non tamen factio, ſeu illatio ejus niſi phyſica, non vero moralis.

Inſtari tamen poteſt quod moralitas ſeu libertas non eſt aliquid prohibiti; prohibetur enim furtum aut ad ſummū factio eius, non vero talis

talis factio; ſcilicet moralis: non enim ait lex: *Non facies furtum moraliter aut liberè*; ſed abſolutè: *non facies furtum*, & ſi oppoſitum dicatur: ſequitur quod ipſa libertas in actu malo ſit mala, quia prohibita & facta contra prohibitionem: quæ tamen falſa ſunt. Reſpondeo clarum eſt non prohiberi furtum in ſubſtantiâ ſolum, alioquin furtum pueri & amentis ac dormientis prohiberetur & puniretur, quod eſt falſum. Ergo libertas non eſt aliquid prohibiti tanquam pars, eſt tamen tanquam conditio: & licet non apponatur, intelligitur, quia lex liberis agentibus loquitur; prohibere autem opus phyſicum his, eſt prohibere idipſum moraliter eis: quia aliter non eſt ab agente libero ut tali. Denique libertas ex ſupra dictis eſt ex parte agentis non ex parte actus, adeoque.

ACTIO III.

Vtrum actus exterior addat bonitatem aut malitiam bonitati, & Malitiæ actus Interiorioris.

Breviarium.

N. 1. *Actus exterior affert ſecum propriam bonitatem &c. quorundam probatio excluſa.*

2. *Alia valida, & invalidæ ſolutiones cujuſdam Rec. ad ipſum.*

3. *Tertia probatio: opera pœnalia certò meritoria?*

4. *Alia probatio: adductus Ariſtoteles & S.Tho. pro concluſione.*

5. *Argumenta adverſariorum. An neceſſaria poſſint eſſe bona vel mala moraliter &c.?*

6. *Adiuvantur illi novo argumento.*

1. IN materia hujus actus D. N. in ſcholis agmen ducit, & vel maximè quæſtio cœpit eſſe controverſa propter Quodlib. 18. eius, in quo de hac ille accuratè; Et in primis moneo ſermonem eſſe de illis conjunctis in eodem ſuppoſito; item in eodem tempore: Adverto etiam intelligendum eſſe de actu efficaci, certum eſt enim actum efficacem cum quo ſolo conjungitur actus externus, meliorem eſſe inefficaci; qui eſt ſine externo. Quæritur ergo utrum qui habet voluntatem, quantum eſt de ſe efficacem faciendi mala; vel faciendi bona: puta eleemoſynæ dationem &c. ſi impediatur ab his aliunde, an tantumdem mereatur, ac ille qui vult nec impeditur; ac proinde eam re ipsâ dat petenti &c. ad quod.

Reſpondeo negativè: & ad titulum dico actiones exteriores addere interioribus bonitates & malitias, ſive merita, ac demerita: Ita noſtri, ad quos incipiunt accedere hodie Recent. ut fatetur verbo Ariaga, facto Sfortia. Noſtri multo tempore multas rationes ad hoc ſuadendum attulerunt: fatendum, non omnes efficaces, v. g.

Arguere ſolent ſic; qui vult ſacramentum puta Euchariſtiam percipere; & impeditur non tantum gratiæ accipit, quantum is qui vult nec impeditur, & proinde percipit ipſum: ergo exterior perceptio addit aliquid bonitatis ſupra interiorem animum percipiendi: adeoque ubique ita ſit, quia ſine dubio eadem eſt ratio de uno opere externo ac de alio. Sed non vicerunt per iſtud: non enim concurrit caſus concluſionis in caſu poſito ab ipſis; quia cauſa illius gratiæ non eſt exterior actio hominis, ſed ipſum ſacramentum: & gratia illa non eſt ex opere operantis, ſed ex opere operato, ut loquuntur. Hic autem agitur de bonitate, quæ adſit, aut abſit ex opere operantis. Hoc ita eſſe patet quia ſi formaretur argumentum hoc modo: Qui vult percipere ſacramentũ & impeditur non tantum meretur quantũ qui vult nec impeditur: tum Adverſar. qui conceſſit Antecedens in priori formâ negabit in iſta: quia nimirum gratia hæc non eſt ex merito percipientis, adeoque.

2. Eſt tamen in hac materia aliud argumentum ſacramentale; quo merito quidam & validè utuntur: eſtque in ſacramento pœnitentiæ, iſtud: ſi actus exteriores mali non adderent aliquid malitiæ interioribus, non eſſet neceſſe in confeſſione ſacramentali explicare illos, ſed tantum internos, hoc nemo admittet, ergo jam actus externi admittendi ſunt habere nonnihil malitiæ ultra illam interni: Explico & confirmo; Primò ſic: ad hoc ſacramentum non pertinent niſi mala, & malitiæ; ſed actus externi non ſunt mali neque malitiæ, ergo huc non ſpectat. Secundò ſic: ſufficit fateri omnia peccata ſua: ſed ſoli actus interiores ſunt omnia peccata ejus ergo ſufficit fateri eos. Confirmo amplius: nemo hic tenetur explicare aut enarrare actus merè indifferentes: atque ſecundum Adverſarios noſtros Thomiſtas & Recentiores, actus exteriores ſuppoſitis interioribus ſunt merè indifferentes; quia nec boni nec mali: quum tota malitia ſit in ſolis interioribus & ſola bonitas, ergo nemo eos tenetur enarrare. Hoc argumentum videtur mihi ſimile illi quod adfert S. Aug. 15. de Trin. cap. 5. dicens: quod quis efficitur quidem miſer per male velle: ſed *Miſerior poteſtate qua deſiderium malæ voluntatis impletur*. Utrumque enim Adverſariis eſt plus nimio moleſtum: unde & plures & varias gloſſas illi excogitarunt, & adhuc excogitant, quum nulli gloſſa alterius ſatisfaciat; ut videas apud *Fœlicem* citatum, quoad locum Auguſtini.

Ad hoc præſens, Recens quidam (nam veterum ſolutiones dimitto) tres attulit, & in omnibus negat conſequentiam: ſive fatetur eos eſſe confitendos; primò quia verè ſunt peccata, licet per denominationem ab alio: ſecundò quia actu externo melius intelligitur intentio interna à Confeſſario. Tertiò, quia ad ſatisfactiones imponendas eſt validè neceſſa[illegible]orum declaratio; ſed niſi erro, nemo non videt hæc eſſe violenta, & extorta ad fugiendũ abſurdum quod adhuc eum ſequitur: non enim quæritur an actus externi ſunt peccatum; ſed an diſtinctum ab interno? Si autem ſint diſtinctum habetur intentum; ſi non, cur erunt

Digitized by Google

erunt diſtinctè confitendæ nec ſufficiet confiteri internum? Urgeo, ſi Adam deberet confiteri omnia peccata ſua, certè ſufficeret ei in peccato originali confiteri ſuum actum; neque opus eſt enumerare, quot per denominationem extrinſecam infecit: vel, ſi dicat opus eſſe, ſequitur quod actio aut paſſio externa, etiam in alieno ſuppoſito auget malitiam internam, quod multò plus eſt, quã quod nos quærimus. Aliæ non egent refutari, clarum eſt enim poſſe hominem ſaltem doctum explicare efficaciam ſine actu externo, alioquin quomodo diſputamus de ipſa hinc inde: Tertiũ illud coincidit eam inventione alius dicentis explicandos eſſe, quia in ſacramento non ſolum abſolvimur à culpa per quam reddimur odibiles, ſed à reatu per quem reddimur pœnabiles, nam etſi verum ſit reatum pœnæ diſtingui à macula culpæ, tamen nullus reatus incurritur apud Deũ niſi ob culpam: ſi ergo actus exterior inducit novum reatum, ni fallor: fatendus eſt, &c.

3. Mihi placet admodum probatio illa: quod ſi actus exterior nihil habet bonitatis ultra interiorem, fruſtra tot moleſtiæ aſſumantur jejunando, vigilando, obediendo in rebus valde arduis, continendo ſe ab objectis placidiſſimis, quod tamen aſſerere eſt condemnare Eccleſiam, & accedere novis hæreticis, qui opera pœnitentiæ externa contemnunt, eo quod ſanctitas ſit in animâ: videtur enim currere hæc ſequela, hoc loco liberè adhuc multo magis ex evaſione Adverſariorum; dicũt enim actus externos requiri ut habeatur efficacia voluntatis: Inconſtanter, ni fallor; nam ſi non poteſt haberi voluntas efficax ſine actu externo, quomodo diſputant ipſi de voluntate efficaci, ſine illo externo?

Pergo in hoc medio, & oſtendo ipſum paulo plus valere quam creditur: dico enim non requiri ipſam efficaciam voluntatis, hoc eſt, id ſequi ex Adverſariis, atque ita quoslibet actus quantumvis inefficaces eſſe ſummè, ſaltem æquè meritorios quod falſiſſimum eſt, ſed probatur ſequi, nam efficacia actus interni eſt in procuratione externi: atqui hoc nihil facit, nihil boni, aut meriti adfert: ſecundum ſe; ecce quomodo: Nam velle aliquod non bonum, non eſt neceſſario bonum, neque centum volitiones rei indifferentis faciunt unum meritum; atqui ſecundum te actus externus & non bonus, & omninò indifferens: ergo volitio ejus, aut procuratio non poteſt eſſe bona, neque efficacia quæ conſiſtit in procurationе eius, quia efficacia eſt impertinens ad meritum, atque ita æquè refert habere actum efficacem, ac inefficacem, ſeu ſimplicem complacentiam, quam homines habent etiam quum actualiter peccant.

Hoc idem argumentum poteſt promoveri Theologicè ſic: ſequitur enim Adverſarios illud abſurdum quod D. Paulus infert: *ergo Chriſtus gratis mortuus eſt*, ſive paſſio Chriſti fuit ſupervacanea, quod eſt blaſphemum: ratio conſequentiæ, quia in paſſionibus externis nullum eſt meritum, imo nulla omnino bonitas moralis fuit, ſed ſolum in actibus internis, quibus tales paſſiones acceptavit. Tò ergo ſoli actus interni totum negotium perfecerunt, & poſſunt actus interni æquivalentes haberi eti[illegible]eo, qui non habet externos, nonne fruſtra inductus eſt Chriſtus ad illa tormenta? Imò dubitari poteſt an non malè & vituperabiliter, ſive ex parte ſuâ, ſive ex parte alterius, quia nimirum deſtinare innocenti mortem eſt indiſpenſabiliter malum, ſi ergo *gratis*, id eſt fruſtra fit, quid dicendum?

Dices Deum hoc poſſe facere ex ſupremo Dominio. Contra primum hoc non eximit ipſum hominem Chriſtum, qui quum omnia ſciverit, ſcivit etiam ſuam mortem externam planè nihil prodeſſe, non ergo potuit prodere eam. Deinde quamvis Deus id potuerit ex ſupremo Dominio, de facto tamen non eſt uſus omnipotentia hic ſed juſtitia, ex eodem Apoſtolo. *Quem propoſuit Deus ad oſtenſionem iuſtitiæ.* Rom. 3. 25.

Quartò ſic quaſi praxi quadam hujus: Actus fortitudinis ſine dubio eſt bonus & meritorius, hic autem neceſſario includit actum externum, ergo, idem eſt de temperantia, &c. Aſſumptum ſuadeo quia actus fortitudinis continet arduitatem, ſed in ſola paſſione externa eſt arduitas, nulla enim eſt in interiori, experimur enim omnes nullam eſſe difficultatem in actibus internis voluntatis circa ſenſibilia acerba, (quæ enim difficultas velle famere, velle flagellari?) & ratio neceſſaria id convincit, quia acerbitas actuum eſt ob contrarietatem objectorum, at vero hæc objecta ſcilicet fames, aut fuſtis, non ſunt contraria voluntati, quæ ſpiritualis eſt, ſed corpori, adeoq;

4. Denique applicari huc poſſunt duo argumenta, quæ ſupra attuli: Unum eſt, quod ex omnibus actibus (ſaltem in pleriſque materiis) qui primò malus eſt, eſt externus, ab hoc enim derivatur malitia in internum, quod autem primo tale eſt non poteſt per ſolam denominationem extrinſecam tale eſſe, item: propter quod unumquodque tale, illud magis tale: propter extrinſecum intrinſecus eſt malus, ideo enim velle furari malum eſt; quia ipſum furari malum eſt. Item alterum illud huc ſpectat, quia in Cælis ſpeciale præmium correſpondet quibuſdam actionibus & paſſionibus externis, ut Martyrio & Virginitati, quod ſi ita eſt, ſanè non poteſt totum meritum competere ſolis internis, ſi enim meritum illis ſolis adeſt, quidni præmium?

Pro oppoſita ſententia ſolent adferri S. Paulus & P. P. ut etiam pro meâ, ſed hos dimitte Theologis, videbo ſecundum, an Ariſtoteles ſtet pro mea parte, ſtat autem certiſſimè nam 2. Moral. cap. 1. dicit virtutem ſic gigni, ſicut gignitur ars, hanc autem planum eſt gigni externis. *Vtendo cithara & boni & mali fiunt citharœdi ſimilique ratione domus ædificatores &c. ſic igitur etiam in virtutibus ſe res habet: Agentes quippe ea, quæ in Clericis ſunt inter homines efficimur partim iuſti, partim iniuſti: tractantet autem eà quæ in periculis ſunt, & aſſueſcentes non metuere ſive confidere, partim fortes partim ſimiliter vero & in cupiditatibus ſe res habet, &* in Neque Adverſarii credant à ſe eſſe S. Thomam plane enim oppoſitum illis tradit. 1. 2. q. 20. art. 4. ubi de hoc ex profeſſo, nam licet obſcure loquatur, tamen cum mos eius ſit incipere articulos à parte quam non ſequitur, & abſolvere eoſdem ſolvendo argumenta adverſa, totum hoc facit de ſententia negante externis bonitatem. S. Tho. In ipſo etiam corpore *ſi loquimur de bonitate actus exterioris, quum ſit ſecundum materiam, & debitas circumſtantias ſic comparatus ad voluntatem, ut terminus & finis & hoc modo addit ad bonitatem vel malitiam voluntatis*; quid clarius.

* * *

Digitized by Google

Argumenta Adverſariorum.

5. Dices pro ipſis: In exteriori non eſſe libertatem, adeoque nec bonitatem ſaltem diverſam ab illa actus interni: Hæc eſt illa machina Adverſ. & totius rei baſis, qua illi etiam ut enſe ac clypeo utuntur arguendo, & reſpondendo, ſed jam ſupra plus ſemel expedita eſt, non enim idem aut ſynonyma ſunt bonitas & libertas: & ſi urgeant, ſaltem requiri eam ad omne meritũ; verum eſt, ſed una conditio ſufficit pro centum effectibus, neque ulltenus multiplicari debet pro omni effectu; Pergo: ſed inſtant illi;

Objiciunt enim iterum idipſum ſic: ſuppoſito interiori efficaci, exterior eſt neceſſarius, quando eſt in noſtra poteſtate: ergò non poſſumus de eo reprehendi, quia neceſſariis nec laudamur nec vituperamur. Reſpondeo huic, cui ſatis fidunt Adverſarii, in primis regerendo ipſum in authores ſic; ſuppoſito interiori ipſe interior eſt neceſſarius; omne enim quod eſt dum eſt neceſſe eſt: ergò interior nullam continet bonitatem. Negabunt Conſequentiam ſine dubio, patiantur ergo ſibi negari eam, aut aliam germanam ſororem eius. Reſpondeo nihilominus abſolutè negando Conſequentiam; nam non requiritur libertas de præſenti ad meritum de præſenti, nec fortè libertas ſenſus diviſi aut ſimilis; Actiones Chriſti & paſſiones eius erant ſine dubio ſummè meritoriæ, nec tamen omnes erant immediatè liberæ: nam ſuppoſito præcepto & impeccabilitate ſuâ non poterat non ſubire paſſionem: ſupra attuli inſtantiam huius in nobis, quando ſcilicet volumus efficaciter finem, qui non eſt adquiribilis niſi uno medio: imò valet univerſaliter in omni fine, quia in quolibet neceſſitamur, ad aliquod licet indeterminatum. Denique ſi ego actu obligem me ad erogandos centum aureos totidem diebus in pauperes, certè ſecunda die non habeo libertatem, aut ſaltem non novam, habeo tantum meritum, ergò.

Tertiò ſic: Nemo invitus, poteſt privari bonitate aut malitiâ; ſed ſi actus exterior adderet bonitatem aut malitiam interiori id eſſet falſum; poteſt enim quis facillimè impediri ab actu exteriori, ut planum eſt: ergò. Reſpondeo huc uſque non dixi actum externum eſſe peccatum, ſed tantum eſſe additamentum malitiæ; ſicut ergo poteſt qualitas, v.g. calor creſcere; licet non addantur ei calores, ſed tantũ novi gradus illius, ita &c. quod autem his gradibus ſeu incrementis meriti aut demeriti poſſit quis etiam invitè privari, non eſt dubium: nam is cui negatur ſacramentum privatur aliquo augmento gratiæ ſine dubio, poteſt autem negari invito: ita hic.

6. Arguo ipſe pro illis quarto ſic. Valet iſta conſequentia: volo male agere; ergò male ago: & volo agere male ut unum; ergò male facio ut unum: ſimiliter, ut duo, ut tria &c. quod, ſi fortè neges, ſic adſtruo; Velle male agere ut duo plus eſt quam velle male agere ut unum, ſed numeri ſunt indiviſibiles, neque poteſt aliquid eſſe plus uno, quin ſint duo; ſimiliter dic de tertio, & de quarto in æternum, & infinitum: adeoque jam valet dicere, volo malitiam actus externi: ergò habeo eam. Reſpondeo ſi mutetur paulum hæc forma apparebit ſtatim vitioſa: non enim valet, volo peccare actu externo: ergò pecco actu externo.

In formâ autem poſita primò reſponderi poteſt ex ſupra dictis Action. 1. num. 3. fortaſſis voluntatem ſolam non ſufficere ad malitias omnes & peccata, niſi re ipsâ faciat, quæ prohibita ſunt, ad peccatum enim attendenda eſt lex; Lex autem non præcipit nolle, ſed non facere: neque velle, ſed operari benè. Reſpondeo ſecundò admittendo calculationem illam, ſed ſicut ſolet, & debet, ſcilicet proportione Geometricâ non Arithmetica: quod quia non eſt huius loci diſtinctè explicare per ſingulos terminos, explico exemplo: creſcit bonitas actus ex objecto, quis neget? tamen ſi habeam actum circa objectum infinitè bonum non proinde habeo actum infinitè bonum. Ita hic: In fine hic videbimus, quibus ex cauſis aut inſtantiis tueantur ſe Adverſarii: ecce ipſas: ſi quis (inquiunt) jaculetur animo occidendi alium, coram Deo non eſt minus nocens ex eo, quod alter ſubtraxerit ſe, quam ſi non ſubtraxiſſet: ergò jam actus exterior impertinens planè eſt ad meritum vel reatum vero judicio, quale eſt illud Dei ſine dubio: nec refert quod ſequatur vel non ſequatur occiſio, quæ eſt externum in hoc negotio. Ita illi, quod miror, quaſi verò ille qui emiſit ſagittam haberet ſolummodo actum interiorem, ac non non magis ipſa emiſſio ſagittæ eſſet actio exterior & pernicioſa.

Inſtari tamen poteſt: non ſolum emiſſio ſagittæ, ſed etiam occiſio eſt actus exterior hominis qui revera occidit, altero non ſe ſubtrahente: at vero, illa non addit quidpiam malitiæ; ſicut non demit ſubtractio aut cautela hominis impetiti, (quid enim ad me actio alterius?) ergò jam denique verum eſt, quod aliqua actio externa non auget bonitatem aut malitiam operantis.

Hoc dupliciter expediri poteſt. Primò dicendo quod occiſio ſequuta, ſit alia actio hominis, quia eſt alia actio ſagittæ, cujus omnis motus attribuitur homini ejaculanti, quia agit in virtute eius: clarum eſt autem alium fore motum ſagittæ quando irruit in hominem, aut tabulam, & quando ſtatim ſuffocatur impetus à palude. Secundò Reſponderi poteſt negãdo ſubſumptum; hoc eſt, negando occiſionem re ipsâ ſequutam non gravare actionem illius hominis etiam coram Deo; quod tamen non certo, ſed topicè ſolum aſſero: probabilitas huius eſt ex ipſis rationibus concluſionis: quia nimirum poteſt augeri meritum & demeritum hominis, eo non ſolum non volente de novo, ſed invito, & præterea actio illa novum damnum reale infert proximo; continet expreſſam & primo-primam violationem legis: *Non occides*, eſt libera & difformis rectæ rationi, & naturæ rationali, quid ergò expectet?

Iterum ſic inſtant: ſi quis die Jovis putet eſſe diem Veneris, & comedat carnes, non minus peccabit quam ſi revera eſſet dies Veneris. Idem eſt, ſi quis credat ſuperiorẽ præcepiſſe aliquid, quod non præcepit, & tamen contemnit obedire; ille enim tam peccat jam ſine præcepto, quam ſi præcepiſſet alter, ergo jam facere aut non facere realiter contra præceptum, nil intereſt, ſed ſolus animus contra faciendi. Dico has & ſimiles inſtantias prodere in authoribus earum, infirmitatem; non enim adferunt veros caſus, in quibus contravenitur concluſioni, & in quibus deeſt actus externus. Nam in primo horum deeſt ſolum dies Veneris: quæro autem num dies Veneris ſit actus externus? Idem eſt de præcepto ſuperioris; eſt quidem ille actus externus; ſed ejus qui præcipit, non Subditi de quo eſt caſus: non vero de prælato

Ethic. cap.4. nec tamen eſt actus malus aut vitii: ergo jam datur actus aliquis, qui neque ſit virtutis nec vitii.

Tertiò quia bonum & malum moraliter ſunt idem ac laudabile & vituperabile, ſeu præmiabile & punibile, ſed inter hæc datur medium, quod oſtendo: quoniam in judice v. g. datur medium in diſtribuendo: poteſt enim aliquos neque caſtigare neque præmiare, ergò neque ipſa opera ſemper exigunt pœnam aut prœmium: hæc via adhuc confirmatur, quia inter amorem, & odium datur medium, quod eſt nec amare nec odiſſe, ergò inter meritum amoris & odii: atqui hæc ſunt bonum & malum, ergò

Quartò ſic: quia inter malum phyſicum & bonum tale datur medium quoddam, Ergò inter malum & bonum morale, vel aſſignetur diſparitas: nam ſi prætendatur, quod malitia moralis conſiſtat in privativo, nihil efficis, nam qui hoc tenent de malitia morali, tenent etiam de phyſicâ. Antecedens autem patet quia lux v. g. reſpectu corporum ſublunarium eſt indifferens, & neque nocet, neque prodeſt illis: ſimiliter accidentia ſublunaria reſpectu cæleſtium; nam odor & ſapor ſi ponatur in cœlo neque proderit neque oberit ei.

Quintò adhuc ad hominem: ponamus aliquem habituatum, ut ſex in aliquo genere; eumque elicere actum ſuo habitui parem; hic non intendit habitum, ſecundum pleroſq; Adverſarios: & multò minus intendit eum ſi eliciat actum debiliorem habitu, v.g. in caſu poſito, actum ut quinque; dico jam hunc gradum, ut quinque eſſe in hoc genere indifferentem; quia neque prodeſt habenti ad intenſionem, neque obeſt, & quæcumque ratio cogit ne actus aliquis ſecundum ſe totum ſit indifferens, certè faciet etiam ne ſit indifferens ſecundum quodlibet ſui, ſive formalitatem ſive gradum &c.

Tertiò principaliter arguo pro concluſione, quia nimirum apud omnes ſunt quædam opera prohibita, quia mala, alia vero mala quia prohibita; accipio illa poſteriora; quæ ideo mala præciſè ſunt quia prohibita; & accipio illa antequam prohiberentur; iſta inquā ſunt indifferentia in eo ſtatu; ſed ille eſt per ſe ſtatus eorum, & qui illis ex objecto competit, ergò jam dantur aliqua ex objecto indifferentia; majorem in qua eſt vis, ſi neges ſic adſtruo: ſi illa in eo ſtatu non ſunt indifferentia, erunt ergò in eo ſtatu mala; adeoque non ſunt ex illis, quæ ideo mala ſunt quia prohibita: ſed ex illis aliis, quæ ideo prohibita ſunt quia mala, nam ante prohibitionem continent malitiam ſecundum ſe; id autem eſt contra hypotheſim tuam & meam, ergò.

Objici tamen poteſt paritas, quia nimirum non datur propoſitio ulla abſtrahens à vera & falſa, ſed quælibet eſt aut vera aut falſa: ergò, non datur actus voluntatis abſtrahens à bono & malo, ſive indifferens inter utrumque, ſed quilibet eſt aut bonus aut malus. Ratio dubitandi videtur valida propter veriſſimam proportionem & æternam, quæ eſt inter duas has potentias, quam & Ariſtoteles tradidit. Et omnes agnoſcunt: unde laborávit Angelicus in evadendâ hac difficultate: nec eſt opus, aut tempus refutare ſolutionem eius; Mihi jam ad ipſam uſui erit doctrina quam tradidi tomo primo præcedenti diſput. ... in lib. Peri Herm. Action. ... unde hic Reſpondeo negando abſolutè Antecedens, dico ergo dari propoſitionem aliquam indifferentem vel ſtatum eius in quo ipſa nec ſit vera nec falſa, eſt autem propoſitio de futuro contingenti in ſtatu connaturali, ſive ſibi relicta, antequam ſuperveniat decretum ſeu diſpoſitio aliqua divina de ipſa: quo ſuppoſito ex loco jam dicto; hic non ſolum ſolvi poteſt argumentum: ſed etiam verti in probationem Concluſionis ſic: datur propoſitio quæ ex objecto nec ſit vera nec falſa; ergò dabitur amor ſive affectio, quæ nec ſit bona nec mala.

Abſque hoc etiam verti poteſt in ipſos, aut ſaltem ſolvi ne noceat nobis, nam non eſt hic abſolutè paritas, quia nimirum licet demus nullam propoſitionem ne quidem de futuro eſſe ſuſpenſam inter veram & falſam; tamen multæ ſunt quæ non exigunt eſſe determinatè veræ potius, quam falſæ, hoc autem eſt quod facit ad propoſitum: contendunt enim Adverſarii huius Concluſionis, quod nulla ſit actio humana, quæ ex naturâ ſuâ non ſit bona determinatè aut mala: ita ut non ſolum debeat habere alterum horum ex immediatâ oppoſitione harum formarum circa omne ſubjectum, ſed ex naturâ ipſius ſubjecti poſtulantis unum præ alio: Alias rationes contra videas apud Cornejo & Felicem hic: Addo ego &c. &

Objicio ſic: Eſſe otioſum non eſt quid indifferens ſed malum; atqui occupari actionibus indifferentibus eſt quoddam eſſe otioſum, quia nihil proficis, eſtque planè idem, aut æquivalens ac ceſſatio: ergò natura otioſa fuit in inſtituenda hujuſmodi eſſe atque adeò male occupata, quod quia eſſe non poteſt (redundaret enim defectus in Deum) dicendum eſt actus indifferentes nec à me factibiles, non eſſe à natura inſtitutos; atque ita multi ſunt ex naturâ ſuâ indifferentes. Reſpondeo ad majorem ita eſſe ſæpè, non tamen ſemper: imò expedit otiari, atque ita licet etiam agere indifferenter: non ergò magis reprehenſibilis eſt actus indifferens ex hoc capite quam actus virtutis moralis, in quâ quantumcunque bonâ exceſſus eſt vitioſus.

Objicio item ultimò ſic: ut actus eſſet indifferens ex objecto, deberet ipſum objectum eſſe indifferens, ut notum eſt; atqui id non ita eſt, non enim datur ulla ſpecies aut differentia ſpecifica in objectis, quæ ſit indifferentia; ergò nec in actibus, atque ita &c. Et ſi reſpondeas actum non eſſe poſitivè indifferentem, ſed negativè per carentiam bonitatis & malitiæ: non ſufficit, quia actus non poteſt eſſe contentus duabus carentiis pro differentiâ ſpecificâ: ſed debet habere poſitivum conſtitutivum, ſicut & ipſe poſitivum quid eſt. Ad hoc credo dicendum eſſe quod omnia ſint negativa tam in actibus, quam in objectis, neque proinde actus caret differentiâ poſitivâ conſtitutivâ; quia habet ſuam phyſicam differentiam independenter ab iſtâ morali. Dices ſaltem ſic male dividitur actus moralis in bonū, malum, & indifferentem; quia indifferens qua talis nihil eſt morale. Vide quæ dixi ſupra de hoc.

* * *

Digitized by Google

ACTIO V.

Vtrum detur actus humanus indifferens in Individuo?

Breviarium.

N. 1. *Suarez imponit Scoto.*
2. *Dari actus indifferentes etiam in individuo. Probatur.*
3. *Alia probatio qua improbatur fundamentum Adverſar.*
4. *Obiicitur pro Adverſariis & Reſpondetur?*

Mens Scoti expenditur & vindicatur?

1. Aſſeruit Subtilis, quem libentiſſimè ſequerétur Recentiores: niſi ſe D.Thom. adſtrinxiſſent, ſed denique incipiunt deſerere eum in hoc puncto: ut videas in Ariag. Vaſq. &c.

Sed antequam plenam doctrinam Scoti de hoc puncto producam: duo referre libet, quæ Franciſcus Suarez viſus & auſus eſt in illo reprehendere: ſunt autem duo; unum, quod actus ante habitum productus non ſit actus virtutis, ſed indifferens. Alterum, quod hujuſmodi actus non generant habitum ſimpliciter bonum: facile eſt impugnare quempiam quum quis ipſe ſtruit ſibi impugnanda. Hæc autem Scotus non dixit, unde fruſtra eum impugnat Suarez: ad textum provocemus: *Secundum philoſophum 2. Ethicor. habitus juſtitiæ generatur ex actibus juſtis non tamen iuſtè factis; iſte actus non eſt bonus moraliter*, *quia non ex virtute*, Ecce hoc quod Suarez carpit in Scoto eſt Ariſtotelis, non Scoti niſi de mente illius. Secundum autem illud adhuc clarius obſtat textui Scoti eo loco quo eum citat Suarez, nam ibi de actu elicito ſine habitu (quem Suarez credit eſſe Scoto indifferentem) nec vola nec veſtigium eſt. *Concedo* (ait) *quod ex ſimilibus actibus generari ſimilis habitus; & ita ex multis actibus indifferentibus poteſt generari conſimilis habitus ad conſimiles actus*: & quis hoc neget? Itaque fruſtra tentant illi Scotum in ullas anguſtias trudere, non enim aliud magis produnt quam ſe non intellexiſſe, certè autem non attendiſſe Subtilitatem Doctoris; id ita eſſe noſtri toties oſtenderunt. Videatur Franciſ. Felix, ubi ſupra eum citavi, Faber diſp.4.... Quod maximè in eo taxatur ab ipſis eſt quod videatur ſibi contradicere in hoc negotio, negando actum indifferentem in ſpecie, & concedendo eum in individuo; quaſi individuum poſſit eſſe ſine ſpecie; ſed enim ego ab his Ariſtarchis quæro num non hæc abſurditas, qualiſcumque ſit, reſilit contra doctrinam S. Thom. hic; utrum difficilius eſt individuum inveniri ſine ſpecie, quam ſpeciem ſine individuo? D. Thom. docet poſſe eſſe indifferentiam in ſpecie, negat in individuo. Ipſi invenerunt gloſſemata, quæ ſalvant ſuum Doctorem à contradictione: cur non credunt doctrinæ Scoti fundamentum ſubeſſe, diſcipulis ingenium, quibus eum à ſe ipſo defendant ne tam propè ſit in eâdem quæſtione contrarius? Dixi id dudum factum à noſtris; hic autem exhibebo tantum extraneos, qui lentius expendentes acumen Scoti, manifeſtè deprehenderunt nihil in eo contradictionis poſſe convinci. Petrus Cornejo Tom. 1. in 12. diſput.6. dub. ultimo; *Neque Scotus eſt ſibi contrarius negans actum indifferentem ſecundum ſpeciem: & concedens illum ſecundum individuum. Nam &c.* Gabriel Vaſquez egregiè ingenioſus eſt doctrinæ Subtilis æſtimator eodem loco quæſt. 18. diſp. 52. c.2. *Cæterum notandum eſt* (inquit) *circa doctrinam Scoti, quam Caiet. & Recent. in his articulis immerito arguunt contradictionis, non rectè fuiſſe ab eis intellectam.* Cornej. Vaſquez

Reſolutio.

2. Tenendum eſt ergo confidenter poſſe dari actum humanum etiam in individuo indifferentem. Ita Subtil. probabiliter 2. d. 41. ut, & cum eo S. Bonaventura ibidem ex fide Recentiorum; nam à Scoto videtur in oppoſitum citari; quidquid de eo ſit, ab ipſo Scoto ſtant alii PP. Nazianzen. Auguſt. Hieronym. citati à Cavello hic in ſcholio contra S. Thomam & ſuos, q.cit.art.9. contra quem

Probo ad hominem intentum ſic: poteſt dari actio indifferens in ſpecie; ergo in individuo: nulla enim ſpecies eſt, quæ non poſſit habere ſua individua; ſaltem unum pro ſingulis. Non utor hoc argumento utpote trito jam, & vetuſto, niſi ut refellerē ſolutionem etiam tritam ejus: eſt autem iſta, quod iſti actus qui ſecundum ſe ſunt indifferentes, in exercitio & exiſtentia ſemper habent conjunctam intentionem boni aut mali, quæ eos aut perficit aut inficit; adeoque in exercitio & exiſtentia in individuo, numquam ſunt indifferentes. Hoc alii impugnarunt meo judicio bene: nec repugnarunt ſatis ſequentes, qui pro S. Thoma ſteterunt. Vide Vaſq. & Corn. cit. ſic impeto eam: ſi poteſt dari objectum indifferens, poterit etiam dari finis indifferens; etenim poſſum præſtituere unum ex his objectis indifferentibus pro fine: nam quid ni? quis me vetat? tum autem actus erit omninò indifferens tam ex objecto quam ex fine.

Urgeo ſecundò: actus ille cui præſtitui finem, aut manet in ſuâ ſpecie jam, aut non manet; ſi manet, eſt indifferens: ſi non manet, non eſt ille, ſed alius; quæ ratio aliter formari poſſet; quia revera finis mutat ſpe-

Digitized by Google

ſpeciem actus, quod docuit ipſe, Subtilis Doctor hic & Trid. ſufficienter ſeſſ. 14. ante utrumque
5. Ethicor. cap. 2. Ariſtoteles: unde illud: *qui furatur propter adulterium magis eſt fur quam adulter*: ergo jam oppoſito fine pravo actui indifferenti, non manet amplius actus ille in ſua ſpecie indifferenti; nec ſufficit, quod ait aliquis, ambulationem externam ſemper eſſe in eadem ſpecie ſive apponatur, ſive non apponatur ullus finis, verum eſt enim de ſpecie Phyſicâ: non item de morali, quomodo verius eſt quod dantur circumſtantiæ mutantes ſpeciem actus externi: Ablatio rei alienæ ſimiliter eſt ſemper in eadem ſpecie: & tamen facta in Eccleſia tranſit in ſacrilegium.

Arguo tertiò paulo magis metaphyſicè, ut probem illam Conſequentiam à ſpecie ad individuum: Individualitas nullam addit malitiam aut bonitatem actui, ergo ſi poteſt dari in ſpecie indifferens, poterit in individuo: Antecedens hujus eſt apertum cuilibet vel leviter Metaphyſico, & adhuc nihilominus probatur in propoſito, quia licet percutere clericum ſit malum, & multò pejus occidere, tamen percutere eum hac numero percuſſione præ illa alia non eſt malum, ſicut nec percutere hoc fuſte aut occidere hoc enſe præ illo, alioquin referenda forent in confeſſione inſtrumenta & individuationes actionum, quod eſt ridiculum & præterea etiam impoſſibile.

Urgeo ultimo hoc ipſum argumentum; quia Deus determinat ad individuum actionis, non determinat autem ad malitiam ullam; ergo in individuatione actionis malæ nulla eſt malitia. Major hujus eſt Phyſica, Minor Theologica, atque etiam de fide, ergo.

Sed quia Thomiſtæ intelligunt ſuam ſententiam paulo magis practicè, & dicunt me teneri, quando elicio actum indifferentem, reddere illum bonum, oſtendo eos in hoc minus rectè ſentire: & revera mirabile eſt homines, tam ſedulos & ſudantes, ut denique eripiant ſibi libertatem aut certe probent eſſe ereptam.

3. Arguo autem contra fundamentum eorum, quod eſt, me debere ordinare omnes actus ad primum finem, puta Deum, ſalutem meam: &c. Actiones ex objecto indifferentes non ſunt omnes ſic ordinabiles; quæro enim quomodo ordinabo ad Deum aut ad ſanctitatem animæ cum ſub moveo capillos manu ad caput ubi decentius ſedent? eſt ne hic aliquid pietatis aut religionis, ut reſpicere poſſit Deum tamquam gratiæ authorem? debeone vim facere naturæ, & actibus naturalibus, ut extundam eis ſpiritum? ſi autem eſt propter me aut bonum ſpirituale meum; tum enimvero cadunt causâ illi; poſſum enim renunciare meo juri in augmentum boni ſpiritualis, alioquin ſemper male agerem, quando deſino optimè agere.

Ex quo formari poteſt alia ratio in hunc modum, non teneor operari ſemper præſtantiſſimè ergo poſſum operari etiam omnino non ſanctè, ſeu non meritoriè; ratio conſequentiæ quia quæcumque ratio inventa ab Adverſariis ſuadet unum, ſuadet alterum; applica & experieris: ecce una; non debeo habere potentias otioſas, ſed potius applicatas fini ad quem eas accepi, & aliunde potentia agens bonum ut unum, & potens agere bonum ut quatuor, certe reſpectu trium poſteriorum graduum eſt otioſa, adeoque.

Tertiò ſic, quia præcepta omnia Decalogi (nempè Thomiſtæ volunt hoc eſſe partem ejus) ſunt aut affirmativa, quæ non ligant niſi determinatis vicibus: aut negativa; quæ non violantur niſi commiſſione; hoc autem non cadit in ullam partem ex duabus: demus enim hominem agere actu indifferenti, quando eſt liber ab exequutione affirmativorum, tunc non peccat omiſſione finis boni, neque peccat contra negativa, quia peccatum contra hoc eſt commiſſio, ergo omiſſio finis non eſt prævaricatio ullius horum.

Quarto quia ſi feramur hoc filo adverſariorum plane laqueum nobis obducemus & vincula, undique obſeſſis etenim dabitur præceptum ſingulis momentis ligans nos ad ſingula & nova onera. Non poterimus unquam ceſſare ab agendo, id enim probat (ſi quidquam) ipſorum ratio, ſcilicet non debere actum eſſe otioſum: ſi enim actus non poterit eſſe otioſus quanto minus potentia? item non ſufficiet agere quomodocumque per potentias, ſed oportebit agere perfectiſſimè; nam (ut jam innui) illud reliquum virtutis eſſet tum otioſum: neque ſufficeret bonus finis: ſed opus eſſet optimo: quod falſum eſt, quum ipſe Deus aliquando præcipiat præferendum ſibi proximum ut videbis, Matth. 5. v. 23. ut egregiè notavit Chryſoſtom. ibid.

Itaque ſtandum eſt pro libertate naturæ noſtræ & arbitrii; itemque pro ſuavitate Evangelii, ut jugum Chriſti ſit ſuave, &, ad huc magis lex naturalis ad quam Adverſarii volunt hanc obligationem reduci: quum Chriſtus non innovaverit illam in ullo ſed auxerit; neque ferenda eſt ſententia in univerſum genus humanum ſine expreſſo fundamento in litterâ legis, quale ſane hi non habent; ſed tantummodo textus, ſequelas & illationes, ut videbis.

4. Objiciunt enim de Verbo otioſo reddendam eſſe rationem Matth. 2. quanto magis de opere otioſo? otioſum autem eſt quod non fit bono fine, nam ſi malum habet non ſolum eſt otioſum, ſed pernicioſum. Hoc eſt ferè unicum, ſaltem ſummum fundamentum Adverſariorum; cui alii ante me in fonte reſponderunt. Addo ego argumentum eſſe in oppoſitum, ſaltem non poſſe prodeſſe Adverſariis, quia nimirum ſecundum ipſos non poteſt dari verbum otioſum, ſed debet eſſe pernicioſum ſeu malum, quia ipſe defectus boni eſt pernicioſus ſecundum Thomiſtas, quia dicunt eo ipſo fore malum quia non habet finem. Urgeo ſolutionem: vult Thomiſta ut quodlibet verbû & opus ordinetur ad Dei laudem, quod ſi non fiat, erit malum: ſeu pernicioſum; quæro ergo, quando erit otioſum? an fortè quùm fuerit bonum? & tamen ſententia illa Chriſti expreſſe dictat futura, & judicanda eſſe in individuo aliqua verba otioſa: Itaque exiſtimo bene explicari locum illum per hoc quod in illa die omnia hominum opera apparebunt & expendentur, & judicium ſubibunt etiam dubia, qualia videbuntur eſſe otioſa, neque ibi plus dicitur, non enim dicit quod condemnabuntur otioſa, neque quod punientur, ſed quod ratiocinium ſeu judicium ſubibunt, quod fiet etiam de bonis verbis & factis: Hic ſenſus firmatur ex illo ejuſdem Chriſti D. Matth. 5. 22. ubi diſtinguit verba hominum in reatum conſilii, judicii, & gehennæ, ex quo patet non quodli-

quodlibet judicandum ſubiturum eſſe Gehennam: ſed quodlibet malum ſubibit gehennam: adeoque non quodlibet judicandum eſt malum, ſed verba ocioſa, ut maximè dicuntur eſſe judicanda: ergo.

Objicit unus Recentior poſt alios ſic; exercere aliquam potentiam ſine ordine ad finem, ad quem illa potentia inſtituta eſt à naturâ, eſt abuti illâ potentiâ, ſed liberum arbitrium inſtitutum eſt à natura unicè ad ultimū finem, ergo. Reſpondeo: neque natura inſtituit arbitrium ad ultimum finem, quum hic ſit ſupernaturalis, &c. & quod Deus inſtituerit illud unicè ad ſe, eſt probandum Adverſario, in hoc enim vertitur cauſa, quæ inter nos eſt, non vero fuit ei ſupponendum, & quaſi aſſumendum pro conceſſo; Inſtat. Viator debet ſemper progredi, ergo non licet aliquid facere, niſi tamquam medium ad patriam. Reſpondeo hic ferri legem non ſolum Eccleſiaſticam; ſed civilem; ſed ſimiles ſunt ambæ; Certè autem viatores hujus Mundi nolunt novam iſtam; ſed volunt poſſe ſubſiſtere non modo cum fatigantur, ſed cum lubet. Urget ergo aliter intentum ſic; ſi in aliquo caſu poſſet homo licitè agere ſine ordine ad primam regulam: jam illa non eſſet prima: ergo ſemper debet homo attendere ad Deum, & ſpiritualia; æſtimo acumen illorum; ſed puto illud non prævalere antiquitati. Reſpondeo non ſequi id ſicut nec ſequitur, quod non ſit prima cauſa, quia non informat, nec materizat, eſt ergo Deus primum efficiens, ſed reſpectu efficiendorum non aliorum, ita eſt prima regula ſed non niſi reſpectu eorum quæ regulantur; at vero indifferentia non ſubeunt omnino regulam, ſed ſunt irregularia.

Ex quo ſolves iſtud: nulla datur actio artificialis, quæ non ſit aut bona, aut mala, ergo non moralis. Ratio enim negandæ conſequentiæ eſt; quod actio artificialis omnis eſt juxta regulam, actio moralis non; quam reſponſionem habet admittere Adverſarius, nam ſaltem datur actio moralis indifferens in ſpecie, non datur autem artificialis.

Magis moveor iſto quod addo ultimò; omnis amor aut eſt boni honeſti, quem certum eſt eſſe honeſtum; aut eſt boni delectabilis; quod etiam rectè & honeſtè appetitur, quando non excedit modum; nam delectatio ſenſibilis eſt conveniens naturæ animali & corporeæ; qualis eſt humana: aut ergo hæc moderatè appetitur, & appetitus eſt rectus, aut immodicè & eſt pravus, inter hæc autem non datur medium; ut vides. Non numeravi inter bona utile, non quia tale non ſit, ſed quia referendum eſt ad claſſem illius ad quod eſt utile & amatur. Reſpondeo breviter, ne ſtem ad ſingula, dari adhuc actus qui poſſent eſſe indifferentes qualis eſt ille, quem ipſe ſupra attuli de componente comam decoris gratiâ, de criſpante togam; item ſimile eſſe exiſtimo appetitum divitiarum; nam ultra neceſſitatem habere neque vetitum eſt, neque laudabile, atque ita potuit bene recenſeri in argumento bonum utile; hoc enim facit actus aliquos indifferentes.

* * *

Videantur etiam

ARiſt. *citat.* S. Hieron. *Epiſt.* 11. *ad* Aug. *ipſe* Auguſt. *lib.* 2. *de ſermone Domin.* S. Bonavent. 2. *diſt.* 41. *art.* 1. Alenſis 2. *p. q.* 96. S. Thom. 1. 2. *q.* 74. *art.* 2. 3. 4. *&* *q.* 20. *art.* 4. *item q.* 2. *de Malo.* *Tartaret.* Baſſol. Rub. Lychet *cum* Scoto *cit.* Rada *tom.* 2. *Contro.* 16. *&c.* Herrera *diſp.* 33. Angles 2. *d.* 42. Jaberin *Adit. ad* 4. *diſp.* 3. Montepil. *tom.* 2. *p.* 2. *diſp.* 74; Cajetanus *&* Conrad. *cum* S. Thom. *cit.* Valent. *diſp.* 2. *q.* 15. Granad. *tract.* 14. *diſp.* 2. Suarez 1. 2. *d. q. ſext.* 2. Salas *tract.* 1. *d.* 4. 5. Fran. Felix *tract. de bonis act. cap.* 8. &c. Almain. *tract.* 1. *Moral. cap.* 14. Vaſq. *cum* S. Thom. *diſp.* 52. Hurt. *diſp.* 1. *diffic.* 14. &c. Cardin. Satnan *in Direct. Theolog. pag.* 104. Sfort. Palavic. *diſp.* 9. *q.* 2. Conynck. *diſp.* 3. *Moral. dub.* 3. Navar. *in ſum. prælud.* 7. Antonius Peres *lect.* 1. *Exam.* Sayr. *lib.* 2. *cap.* 4.

APO-

APOLOGIA SEXTA

De regula Actionis humanæ.

ACTIO I.

Quantum teneatur homo conformare ſe voluntati Divinæ?

ACTIO II.

Quid recta ratio, quæ regulat actiones humanas?

ACTIO III.

Utrum recta ratio ſit practica an ſpeculativa; & utrum debeat eſſe evidenter vera nec ne?

ACTIO IV.

Quanta ſit obligatio Conſcientiæ?

ACTIO V.

Decidit dubia aliquot de Conſcientiâ errante.

ACTIO VI.

De Conſcientia dubia.

Scotus 1. *diſt. ultima q. un.*

Voluntas creata conformis voluntati Divinæ in ſubſtantia actus ſive in ſubſtantia, ut circumſtantionata quacumque una circumſtantia; ſive ſit conformis ſibi in omnibus circumſtantiis pertinentibus ad bonitatem moris; & fortè ſi eſſet conformis ſibi in omnibus circumſtantiis; puta quod propter idem vellent; & eodem modo; & ſic de omnibus aliis circumſtantiis adhuc non oporteret eam eſſe bonam, &c.

Idem 3. *diſt.* 36. *quæſt.* 1, *num.* 16.

Poteſt dici quod non eſt neceſſaria conformitas unius virtutis moralis ad aliam; quia nulla eſt regula alterius; ſed cujuslibet neceſſaria eſt conformitas ad prudentiam, quia in diffinitione virtutis cadit quod ſit habitus electivus ſecundum rectam rationem: & ideo poteſt eſſe conſtitutio per modum concomitantis & hoc ipſius habitus in eſſe morali per prudentiam, &c.

ACTIO I.

Quantum teneatur homo conformare ſe voluntati Divinæ?

Breviarium.

N. 1. *Variæ diviſiones voluntatis Divinæ.*

2. *Phyſicè loquendo non poſſumus nolle quod ſic à Deo volitum eſt.*

3. *Sed nec moraliter: ſive non licet nobis ſic nolle.*

4. *Non tenemur ad objectum materiale à Deo volitum, neque ad ullam Dei voluntatem niſi ad antecedentem.*

1. Cum prima regula humanorum actuum ſit Divina voluntas, tametſi extrinſeca, ab illâ incipio; & quia illa multiplex eſt, prius dividenda eſt quam definienda: ſunt autem ferè infinitæ diviſiones ejus apud Theologos: quas ſufficit ſuo loco tradi. Ad propoſitum noſtrum una eſt neceſſaria: ſcilicet diviſio ejus in ſimplicem (intellige complacentiam) & efficacem: quæ quidem eſt ſubdiviſio alterius in voluntatem, ſcilicet ſigni & beneplaciti. Iſta ſignum eſt quâ Deus oſtendit ſe aliquid velle, quùm non velit: ita voluit Iſaac immolari loquens per Angelum Abrahamo: quùm tamen ipſe efficaciter prohibuerit mortem ejus, undè hoc membrum eſt potius non voluntas, quam voluntas; & diviſio in ipſam eſt ſimilis illi quâ divideretur homo in verum & pictum, hoc enim eſt picta, apparet tamen voluntas; vera

ergo

Digitized by Google

ergo voluntas eſt illa beneplaciti, quæ dividitur in efficacem, ac ſimplicem; & fortaſſe prius in antecedentem & conſequentem. Antecedens pro nunc intelligatur illa quæ non expectat occaſionem ex nobis. Conſequens è contra. Quid ſit efficax, cuique perſuaſum eſt, eſſe ſcilicet eam, quâ Deus abſolutè vult aliquod eſſe; ſimplex complacentia; quâ non item, ſed debiliter, & vincibiliter: vel quia non vult illud niſi cum conditione & limitatione, vel aliter, de quo loc. cit. ubi de voluntate præcepti, &c. quæ fere ſecum ferunt ſuam explicationem; tota autem materia tam trita eſt ut vix conſultum ſit eam tractare: dicam breviter quid videbitur mihi addendum, aut immutandum in aliis.

2. Dico à primo non poſſe nos nolle ſimpliciter quod ſic à Deo volitum eſt, licet illud nolimus ſub diversâ ratione; hanc concluſionem intelligo Phyſicè; & probo contra pleroſque, nam communiter video oppoſitum placuiſſe authoribus. Arguo autem ſic primo; quia non poſſumus ſimpliciter velle impoſſibile cognitum ut tale; at vero illud eſt impoſſibile: quod oſtendo exemplo: ſit enim mors Chriſti materiale objectum nolitionis; & duæ rationes formales ſint Salus Mundi, & occiſio innocentis, non poteſt ullo modo in re contingere ut Chriſtus occideretur, & non occideretur, licet diverſa eſſet cauſa ponendi occiſionem ejus; ſcilicet ſalus Mundi, ab ea quâ poneretur non occiſio ejus, ſcilicet damnum innocentis; ergo velle hanc etiam ſub hac diverſa ratione eſt impoſſibile.

Secundò quia nihil idem poteſt eſſe ſimpliciter volitum & nolitum, at vero tum contingeret oppoſitum hujus, nam licet rationes formales ſint plures, tamen ipſum volitum materiale eſt unum, unde non ſolum vultur (ut ſic dicam) formale objectum; ſed etiam materiale licet fortè paulò minus, ergo.

3. Dico etiam ſecundò de eodem quod non liceat nobis, ſive moraliter non poſſimus deſcendere à tali voluntate Dei efficaci, primò quia id eſſet conari, ne Deus eſſet omnipotens in actu ſecundo: nam quum omnipotentia ejus conſiſtat in exequutione irrefragibili eorum, quæ decrevit, impedire exequutionem eſt auferre ei omnipotentiam in actu ſecundo. Item quia hoc eſt præponere nos Deo, & reddere eo ſuperiores. ut cum Deus aliquid vult ſibi aut alteri, ſi aliud nobis placeat, ſubmittimus divinum beneplacitum noſtro quod eſt blaſphemum. Tertiò denique eſt contra juſtitiam, quia Deus quum ſit Dominus omnis creaturæ, habet jus in omnem uſum cujuſlibet rei; ergo jam velle aut conari ne fiat de re ullâ creatâ, quod Deus abſolutè ſtatuit, eſt irrogare Deo injuriam; quia eſt impedire eum ab uſu ſuæ rei, ne poſſit diſponere de ipsâ.

Objicies tamen Chriſtum Dominum; nam certò certius eſt hunc non peccaſſe; forte etiam non potuiſſe peccare, & tamen oppoſuit ſe voluntati efficaci Dei de ipſo agenti, & appoſuit media ad hoc conducentia; ſcilicet orationem; ergo jam licitum eſt opponere ſe etiam facto voluntati Dei efficaci. Reſpondeo id non colligi ex facto Chriſti, duobus enim modis fieri poteſt ut quis conſentiente altero aſſequatur ſuum intentum, uno ſi irrumpat in eum violenter, & ſit fortior, altero ſi inclinet eum ut conſentiat; hunc ſecundum elegit Chriſtus; quæ fuit potius maxima conformatio ſui ad voluntatem Patris. Dico etiam tertiò quod voluntati ſigni tenetur quis ſe conformare; voluntati etiam præcepti, quâ præcepti eſt, non quà efficax eſt. Ratio primi, quia quamdiu durat illud ſignum durat præceptum, de quo non eſt dubium, quin liget ad ſui obſervantiam; alioquin non eſſet præceptum ſive ulus poteſtatis.

Quod autem addidi obligationem noſtram ad voluntatem Divinam præcepti, eſſe ut præceptiva potius quâ ut efficax eſt, primo teneri debet; quia nimirum illa ut efficax eſt reſpicit pro termino obligationem, hoc enim eſt quod efficaciter vult, nos eſſe obligatos; at vero hoc non debet nec provenire poteſt à nobis. Ex altera parte ut præceptiva eſt reſpicit actus noſtros: hos enim præcipit, non autem obligationem: at verò reſpectu horum non eſt efficax: non enim ſemper ſequuntur actus noſtri: ſed ſæpiſſimè omiſſiones eorum, & commiſſiones peccatorũ.

4. Dico etiam quarto non teneri nos ad volendum objectum materiale à Deo volitum, imo poſſe ipſum nolle, neque ad ullam Dei voluntatem niſi ad antecedentem; unde de ipſâ accipienda eſt ſecunda concluſio ſupra poſita quam etiam infra probabo, ſed in primis præſentem, quæ eſt expreſſe Doct. diſt. 48. q un. D. Thom. etiam ut proinde mirum ſit, tam multos ab eâ receſſiſſe, quum reſpondeat ad principale quæſitum. Ratio primæ partis, quia obligatio non eſt niſi ex præcepto, hic autem non eſt illud, alioquin producatur. Imò præceptum ſubinde eſt in oppoſitum, numquam enim nos abſolvimur ab amore proximi, & multo minus noſtri ipſorum, adeoque numquam poſſumus velle malum proximo, & multo minus nobis non modo culpæ: ſed nec pœnæ: niſi forte ad correctionem: & tamen Deus vult mala pœnæ pluribus, etiam non ad correptionem, ſeu emendationem eorum, ut patet in his quos mulctat morte ſubitaneâ, & clariſſime in damnatis: Et demonſtratio quaſi ſenſibilis hujus eſt in morte Chriſti D. in quo Judæi peccaverunt conformando ſe voluntati Divinæ quoad materiale volitum, nam etiam Deus voluit efficaciter illam ipſam mortem, non ergo eſt univerſaliter virtus, ſed aliquando peccatum velle idem quod Deus.

Alterum illud concluſionis explicatione probabitur: quædam enim vult Deus ſe ſolo & ante omnem prævisam actionem noſtrâm, & hæc veriſſimè ſunt ab eo volita, quia placita ipſi, ut eſt productio rerum ad extra, prædeſtinatio horum præ illis, &c. Alia vult occaſione acceptâ, eo quod concurſus ipſius à cauſis ſecundis ad hæc quaſi determinatur, eo modo quo quidam Theologi, etſi non ſat exactè, dicunt homines ipſos reddere gratiam Dei efficacem cooperando illi, quæ alias erat ſufficiens, & vertendo eam in uſum: Ita enim pleraque fiunt inter creaturas à Deo non quia placita ipſi magis quam oppoſita, ſed quia cauſæ ſecundæ ſive naturales, ſive liberæ verterunt, ſeu applicarunt concurſum Dei ad iſta: tale eſt incendium ortum caſu in hac domo, inundatio Tyberis ex nimiâ pluviâ hyemali, homicidium à tali factum, &c. Iſta enim & ſimilia ſunt quidem volita à Deo, & quidem cum aliqua efficacia, eo quod effective & realiter eveniant, at non ſunt volita ei reduplicative ut ipſe eſt, ſive ob ſuum beneplacitum, ſed aliunde, ſive caſu, ſive ex lege univerſali concurrendi cum cauſis ſecundis.

Iſtis

Digitized by Google

Iſtis dico poſſe nos etiam repugnare cogitatione & opere: quod probo à priori, quia, ut dixi, hoc non eſt diſcordare à voluntate Divina propriè, neque enim iſta ſunt ei ſimpliciter placita, (imo optaret ipſemet ea neque à ſe neque ab aliquo fieri) ſed quo ad ipſum fuit indifferens, & huc adductus eſt à cauſa ſecunda, atque ita revera diſcordare hic non eſt diſcordare à cauſa prima, ſed à cauſa ſecunda.

Probo ſecundò id ipſum, quia actus virtuoſi & vitioſi tranſeunt in alias ſpecies quando tranſeunt in alia ſubjecta: Occidere hominem etiam reum non licet privato, licet Magiſtratui; in illo eſt injuria, in hoc ipſius juſtitiæ exercitium: atqui Deus eſt Magiſtratus ſupremus, & perſona longe altioris ordinis quam nos, non ergo poſſumus nos omnia, quæ ipſe, non ſolum facere, ſed nec velle, v.g. vult mortem patris mei, itemque fratris, aut ſororis, quis dubitat quin ſanctiſſimè omnia? in me tamen talis voluntas eſſet impietas & crudelitas. Urgeo, quæ licet efficaciter velle licet ad ea cooperari, quando non ſunt actus juſtitiæ publicæ reſpectu privati: at vero non licet cooperari ad ea quæ vult Deus, v.g. ad mortem parentis: unde iterum ſurgit argumentum pro hac parte, quia licet nobis reſiſtere volitis à Deo, licet enim applicare medicamenta infirmis; quum tamen Deus non ſolum infirmitatem ſed mortem eorum velit.

Unde inſanum fuit illud dogma Lutheri docentis non eſſe licitum Chriſtianis obſiſtere Turcæ eorum terras invadenti, eo quod ſic reſiſterent voluntati Divinæ, & alias ipſe *Turca* (inquit) *erit decies melior Principibus Chriſtianis.*

At vero primi generis objectis non licet reſiſtere ne intra quidem: hoc eſt actu interno voluntatis, v.g. non licet mihi nolle Mundum eſſe conditum, hos præ illis eſſe prædeſtinatos, &c. quia cum hæc à ſola voluntate Dei ortum habeant, qui ea recuſat, directè opponit ſe Deo, non vult Beatitudinem ejus; Beatitudo enim eſt habere omnia quæ quis vult. Item peccat inde, quia contra juſtitiam non vult dominum rerum uti ſuis ad libitum, quod multo magis facit is qui realiter & in opere ſe opponit his; iſte enim bellum gerit cum Deo, & tale videtur fuiſſe peccatum Angelorum, propter quod ſunt caſtigati. Dices beatitudo Dei non conſiſtit in uſu ullius creaturæ, ergo. Verum eſt de primariâ, ſed Deo debetur etiam ſecundaria & centeſima, ſi ſit.

Arguo etiam aliter ad idem: tenemur orare ut fiat voluntas Dei, ergo tenemur velle: Conſequentia certa, nam ſine dubio debemus velle quod oramus, oratio enim eſt cordis non labiorum. Antecedens autem eſt deſcriptum in ipſa formula orandi à Chriſto tradita, Matth. 6. *Fiat voluntas tua.*

Vereor tamen ne hæc ratio nimium probet, etenim oramus ibi pro complemento & executione voluntatis Divinæ ſicut fit in cœlo: ibi autem fit omnis omnino voluntas ejus, ac non ſolum antecedens. Reſpondeo verendum eſſe, ne etiam hæc replica nimium probet, nam ſi locus ille accipiendus ſit de voluntate Dei conſequente, certè nos hoc firmiter volendo non conformamur Divinæ voluntati; nam nec ipſe Deus firmiter vult omnes voluntates ſuas conſequentes impleri, alias implerentur. Credo ergo locum intelligendum eſſe de voluntate præcepti quæ in cælis exactè obſervatur & optanda eſt nobis etiam in terra impleri. Confirmo hoc: quia to *terra* hic non debet intelligi completè pro tota ipſa, quum Infernus ſit pars terræ, in quo tamen non impletur, nec orandum eſt ut impleatur voluntas Dei, ergo neque to *voluntas* eſt completè & univerſaliter accipiendum.

ACTIO II.

Quid recta ratio; quæ regulat actiones humanas?

Breviarium.

N. 1. *Occaſio quæſtionis ex Ariſtotele.*
2. *Circulus qui hic vitandus eſt.*
3. *Deciſio ad mentem Scoti.*
4. *Quomodo recta ratio deſcribi poſſit per rectum appetitum ſine circulo.*
5. *Quomodo ſuſtinendus Ariſtoteles: ſive rectitudo appetitus antecedens rectitudinem rationis?*
6. *Abſolute reſolvo: Recta ratio eſt judicium de agibilibus.*

1. ACriter de hoc Ethic. quod tolerabile, & laude dignum foret ſi ratione & non magis authoritate Ariſtotelis niterentur: ergo omnes ſentiunt actum moraliter tunc eſſe bonum, quando eſt conformis rationi rectæ: & tamen aliqui volunt rationem tunc eſſe rectam, quando eſt conformis actui ſeu appetitui bono. Ita nimirum Ariſt. 6. Ethic. cap. 2. docet *Contemplativa autem cogitationis & non activa, neque effectiva bene & male eſſe eſt verum & falſum, hoc enim totius cogitativa opus eſt, ſed activa & cogitativa veritas eſt que appetitui recto conſentanea eſt.* Scopulum hunc, quatenus Ariſtotelem ſolum affert, facile eſt evadere vel gloſſando vel etiam negando ipſum, ſed enim eſt aliquid ulterioris fundamenti hic ex naturâ rei ortum; nam contingit ſæpè rectè agere cum ratione errante, v.g. offert ſe mihi dives in formâ pauperis, do ei eleëmoſynam & mereor; & tamen ratio quæ fuit regula hujus actionis eſt erronea, iſta ſcilicet; hic eſt dignus eleëmoſyna: practicè eſt vera, quia ego conformando me illi rectè ago; adeoque veritas vel rectitudo rationis practicæ deſumenda eſt ab appetitu ſeu actu voluntatis.

2. Totus diſcurſus videtur legitimus, & tamen componendo utramque partem ejus faciet rotundum circulum, etenim declarat rationem rectam per appetitum rectum; & appe-

pretor, nō obliquatum, aut incurvum per immoderantiam effectuum, v.g. voluptatis, &c. atque ita aliquid veritatis latuit in illo dicto Ariſtotelis, quod videbatur paradoxum, ſed eſt ſanum, quia intelligendus eſt de appetitu in actu primo, non vero in actu ſecundo. Hinc Marcus Cicero definit oratorem quod ſit *vir bonus dicendi peritus*. Ita judicavit non poſſe perſuadere ſana, quod eſt officium oratoris, & dictaminis practici niſi eum qui in ſe ſanus & bonus eſſet.

Non placet autem eorum reſolutio, qui dicunt rectam rationem eſſe concluſionem deductam ex univerſali aut potius ſingulari in eadem materia ut in caſu poſito, Bonum eſt dare pauperi eleemoſynam, hic eſt pauper, ergo bonum eſt huic dare: quem Syllogiſmum alii corrigendum dicunt (eo quod minor ejus ſit falſa) in hunc modum, ei qui putatur pauper bonum eſt dare eleēmoſynam; hic putatur pauper, ergo. Dico non poſſe ſtare hanc Ethicam, quia evidens eſt homines non Syllogizare in agendo. Tum quia Angeli agunt bonum moraliter, & tamen non poſſunt diſcurrere ſecundum pleroſque Adverſarios: tertio ſic, quia nulli duo actus morales poſſent immediate ſequi ſe, v.g. in duobus inſtantibus immediatis, quod eſt falſum, maximè ſecundum Adverſarios qui negant actus indifferentes: ſed omnes quantumcumque immediati debent eſſe boni aut mali, adeoque: patet quia duo ſyllogiſmi non poſſunt ſequi ſe per duo inſtantia, quum nullus poſſit expediri in uno inſtanti: eo quod quilibet conſtet tribus judiciis. Denique ex Analyticis meis conſtat formam ſyllogiſmi re ipſa eſſe impertinentem ad aſſenſum, & totam includi in enthymemate: ſicut ergo habemus aſſertiones ſpeculativas etiam ſingulares immediate, ut quod hoc cadens ſit grave homini; ſonus quem audio ſit ſuavis, & ita aliquas practicas habemus immediatè; & plane ſtultum eſſet ad ſingulos actus expectare ſyllogiſmum: ut quando voluntas habet unum actum voluntatis debeat habere tres intellectus.

6. Dico ergo ultimo rectam rationem quæ eſt regula actuum humanorum eſſe judicium de agibilibus rationabile ſeu fundatum. Hoc in re ferè omnes dicunt: ſed vellem explicari mihi hunc modum: videmur enim hic implicari iterum infinito proceſſu, hoc enim quod eſt eſſe aut non eſſe *fundatum*, dependet à ratione, quæ reſolvat hominem eſſe in hac materia fundatum: ſive adhibuiſſe ſufficientem diligentiam; adeoque ante rectam rationem de agendis debet præcedere alia de menſurâ fundamenti, aut diligentiâ illius judicii, & ante hanc alia, quia aliud judicium, & ſic in infinitum & æternum. Reſpondeo nihilominus argumentum non poſſe univerſaliter valere, eo quod in aliquibus evidens ſit veritas judicii; quia nimirum ex terminis patet honeſtas aut pravitas, v.g. mentiri hic & nunc eſſe malum & ſimile. De aliis exiſtimo pro nunc id ad caput reduci poſſe ſic: ut ſcilicet quiſque videat num apud ſe certus ſit, nec ne? id autem experimento ſtatim addiſcit; ſi certus, ſufficit; ſi incertus iterum ad experientiam provocatur, ut quia quiſque ſcit ſuas vires, videat an proportionatam illis diligentiam adhibuerit.

ACTIO III.

Vtrum recta ratio ſit practica an ſpeculativa: & utrum debeat eſſe evidenter vera?

Breviarium.

N. 1. *Ratio recta non eſt ſolum cognitio practica.*

2. *Non eſt in rigore affirmatio vel negatio, &c.*

3. *Non debet eſſe abſque formidine aut evidens.*

4. *Regula moralis ex inſufficienti fit ſufficiens ſine mutatione ſui.*

1. Communis & antiquiſſima reſolutio quoad ſecundam partem eſt, quod recta ratio ſit practica: quia nimirum dictat de agibili & fugibili, ut ajunt, vel ut melius dixiſſent, de agendo & fugiendo, quod totum Ariſtoteles docuit plus ſemel.

Cenſeo tamen eorum veniâ rectam rationem & regulam morum non fuiſſe reſtringendam ad cognitiones practicas, ſaltem ita ut arceat ſpeculativas. Hæc ut dixi habet aliquid novitatis, ſed ſuadetur quâdam praxi: nam ut ſiſtamus in propoſitâ materia eleēmoſynæ; iſta, hic dignus eſt eleēmoſyna, atque illa Chriſti, dignus eſt mercenarius mercede ſuâ: quis dubitat, quin ſint regulæ morum, & rectæ rationes? & tamen ſunt ſpeculativæ quia affirmant hoc prædicatum, dignitatem eleēmoſynæ ineſſe huic ſubjecto; itemque dignitatem mercedis ineſſe operario. Hoc exemplum idcirco primo loco poſui ut ex illo gradum faciam ad aliud magis perplexum; ſeu dubium; eſtque iſta, & ſimiles: danda eſt huic eleēmoſyna, vel, ſolvendum eſt ſtipendium laboranti; nam hæ & ſimiles quæ ſunt illuſtriſſimæ practicæ, ſimiliter reddere poſſunt & debent ſenſum ſpeculativum, quod ſcilicet huic ſubjecto, ſcilicet ſtipendio & huic, ſcilicet eleēmoſynæ inſit illud alterum prædicatum, ſcilicet eſſe dandum, eſſe ſolvendum: imo in rigore ſimul dico; non aliud exigendum eſt ab eis. Cur enim quando dico: data eſt eleēmoſyna huic pauperi; ſolutum eſt ſtipendium huic laboranti, ſic intelligi debent, ut faciant ſenſum quod hoc prædicatum afficiat vel affecerit hoc ſubjectum, non vero quando dico dandum, vel ſolvendum?

Dices, tunc non eſſent dictamina de agendo aut fugiendo; quia agendum & fugiendum ſunt debitum, ſeu obligatio agendi aut omittendi, at vero illi ſubjecto, ſcilicet eleēmoſynæ nulla obliga-

Digitized by Google

obligatio ineſt, ergo. Reſpondeo volo totum ſuo modo & methodo accipere; ſit ſenſus iſtarum & ſimilium, quod detur obligatio hic & nunc ad iſta; nonne iſta; Petrus obligatus eſt ad jejunandum, nonne inquam iſta ſonat, & intelligi poteſt ſpeculative, ut ſcilicet huic ſubjecto quod eſt Petrus, inſit prædicatum quod eſt obligatio? plane ac ſi dicerem. Petrus eſt ſervus. Petrus eſt liber, indoctus, &c.

2. Propter hæc exiſtimo rectam rationem ſive dictamina, quæ vocamus practica, non eſſe tam propriè propoſitiones ſive affirmationes aut negationes, alioquin ut dixi, inciderent in claſſem ſpeculativam, ſed eſſe quædam edicta, juramenta, & præſcriptiones per modum conſilii aut præcepti, quæ aliquam neceſſitatem, aut quaſi neceſſitatem inferant homini ad agendum, & potius ad voluntatem quam ad intellectum pertinentia. Hoc ni fallor ſuadent iam dicta, ſuadet etiam hoc, quia hæc ab omnibus dicitur recta ratio, non autem vera ratio, rectitudo ergo potius ei competit quàm veritas. Quod etiam expreſſit Philoſophus 2. Met. *ſpeculativæ finis veritas practicæ autem, &c.* ubi aliud à veritate aſſignat practicæ, ipſam autem veritatem ſpeculativæ.

Dices ſi ita ſit tum non datur ſcientia, quæ ſit practica, quia ſcientia eſt cognitio, & pertinet ad intellectum. Reſpondeo, hic non reſolvo niſi dictamina ipſa immediatè practica, eſſe vel non eſſe talia, v.g. hoc, orandum eſt pro amicis, celebrandi dies feſti, ſatisfaciendum creditoribus, &c. at vero tota ſcientia quæ complectitur præmiſſas hujus & illius generis eſt longiſſimus tractatus, nec refertur ullo modo ad voluntatem.

Proſequor intentum ſic; quum enim dico: Triangulus faciendus eſt ex tribus lineis & totidem angulis æqualibus ad duos rectos, hæc propoſitio eſt Mathematica, adeoque ſpeculativa, eſt etiam practica, & ſic accipi poteſt, nam & ſic ſonat, unde colligo rationem practici in illâ non pertinere ad intellectum; ergo quidquid intellectuale hic eſt, eſt mathematicum, omne autem tale eſt ſpeculativum. Quum ergo ſit hic etiam aliquid practicum, ſequitur practicum non eſſe quid ſpectans ad intellectum.

3. Ad ſecundam partem tituli exiſtimo neque neceſſarium eſſe, neque in re verum quod dictamen conſcientiæ, quæ eſt regula actionis ſit ſine omni formidine: Facit directè contra quendam Recentem, qui palam aſſerit dictamen illud eſſe unicuique non ſolum metaphyſicè infallibile, ſed metaphyſicè evidens. Pro me eſt tota antiquitas authorum, in primis Ariſtoteles qui hoc ipſum punctum ex profeſſo tractans palam reſpondit contra Recent. ait enim; *Exacta tractatio non ſimili modo in unoquoque genere exquirenda eſt, nam & Mathematicum ſuaſionibus utentem approbare, & ab oratore demonſtrationes exigere, ſimile vitium videtur. Contenti igitur erimus ſi nos, quum de talibus diſſerimus pingui quadam Minerva, atque adumbrata figuratione verum oſtendamus*, quod etiam repetit Metaph. & in præſenti probat efficaciter, quia demonſtrationes ex neceſſariis fiunt, major autem moralis eſt omnino contingens &c. quod totum notat interpres eum dixiſſe contra Platonem, qui ex præſtantia hujus artis exiſtimavit non eſſe tradendum ſine demonſtrationibus: quomodo aliæ: de quo vide Giſan. & Tarq. Gall. hic nobis ratio ſit, quia ad tuto procedendum in moralibus ſufficit opinio, atqui omnis opinio eſt cum formidine, nulla autem cum infallibilitate; & multo minus cum evidentiâ. Quam rationem ſic proſequor, quia ad ſcientiam opus eſt ut judices rem non poſſe aliter ſe habere; atqui in operatione morali id non judico, ſed oppoſitum; ſcilicet eos qui tenent oppoſitam opinionem, & juxta eam operantur, tuto procedere in conſcientiâ, ſicut ego.

Tertiò arguo ſic; quia ſi ita ſit, tum nullum datur peccatum ex ignorantiâ; quod falſum eſt, tum quia contra receptam diviſionem peccatorum, tum quia amplius eſt contra fidem, ut jam oſtendam. Sequela patet quia qui operatur ex ignorantia putat id licere, & ita firmiter ſibi perſuaſit, quod ita verum eſt, ut ſi aliud ſciret, aliud feciſſet, at vero ſecundum Recentiores quoties quis hoc ſibi perſuaſit impoſſibile eſt ei peccare; id autem quod eſt conſequens falſum eſſe patet ex illo Chriſti *Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt.* Ecce enim utrumque conjunctum, ignorantiam & peccatum. Ignorantiam in illi *neſciunt* peccatum in illi *ignoſce*. Eandem ſententiam aliis verbis repetivit Act. 3. S. Petrus ad Judæos de traditione & occiſione Chriſti quæ ſecundum Anſelm. fuit ultimum peccatorum. *Fratres ſcio quia per ignorantiam feciſtis* & infra ſtatim. *Pœnitemini igitur*: quomodo enim pœnitentia ſine peccato?

Quarto quia ſi ita ſit, tum fruſtra eſſent dæmonis fraudes; nam quos ipſe decipit & deceptione inducit ad aliquid, certe illi ſibi omnino perſuadent licitum & conſultiſſimum eſſe ſibi quod faciunt, & tamen peccant, alioquin enim quid prodeſſet dæmoni inducere eos ad hæc vel illa agenda?

Objicit ſibi ille, ſi ita res eſſet, tum nullos fore ſcrupuloſos in Mundo, quum tamen tales ſint plerumque viri ſpirituales; & Reſpondit ſcrupulos non eſſe circa operationem factam in eodem inſtanti; ſed circa faciendam. Benè in inſtanti immediate præcedenti operationem ſint ſcrupuli, in ipſa autem operatione ſeu inſtanti ejus evidentia, quæro unde hæc evidentia? rationes ſunt eædem in utroque inſtanti; ſola voluntas intervenit, ſed an hæc reddit veritatem ex fallibilibus certam, ex obſcuris evidentem?

Objicit idem nobis hunc ſyllogiſmum: unicuique licet practicè facere quod exiſtimat ſibi licere ſuppoſitis omnibus cognitionibus certis vel incertis, quas habet in priori naturæ, (alioquin natura non ſufficienter providiſſet nobis, ſed reliquiſſet nos perplexos) ego hic & nunc exiſtimo hoc mihi licere; ergo: major eſt evidens ex ſe; minor autem experientiâ. Reſpondeo majorem in illis terminis eſſe etiam falſam, alioquin numquam teneremur inquirere aut addiſcere ſcientiam agendorum: ut valeret argumentum ſic fuit formandum, licet mihi facere quod præmiſſâ ſufficiente diligentiâ credo mihi licere, ſed tum neganda eſt minor, neque enim ſcio, & multo minus experior me adhibuiſſe ſufficientem: itaque evidens eſt hic non haberi evidentiam.

4. Quæres utrum conſcientia ſeu dictamen

quod

Digitized by Google

quod non eſt regula ſufficiens moris poſſit eſſe ſufficiens ſine ſui mutatione: ſive ſine acceſſu novæ actionis? videtur clarum quod non, alioquin regula actionis eſſet irrationalis: Teneo tamen probabiliter oppoſitum & caſus eſt quando habeo hinc inde duas ſententias probabiles neutra convincit me; Volo tamen in meum commodum ſequi unam: Rectè ago operando conformiter ad eam, quæ tamen non eſt omninò verior: ſed nec veriſimilior quam ante.

Dices hoc eſt aliquod fieri regulam per voluntatem: quod eſſe non poteſt. Alioquin quodlibet licet; ut ajunt & nunquam peccare poterimus ne quidem ſi velimus: patet ſequela, quia nunquam peccamus niſi contraveniendo regulæ: at vero ſi voluntas ſit regula non poterimus contravenire ei; implicat enim aliquem agere contra ſuam voluntatem.

Reſpondeo omnia hæc ſolida eſſe, proindeque voluntatem non poſſe eſſe regulam aut facere eam niſi per modum conditionis aſſumendo eam: ſicut poteſt aſſumere ſtatum vitæ, v. g. Regulã Minorum aut Prædicatorum, itaque hic plures opiniones ſunt plures regulæ ſufficientes; voluntas autem aſſumit unam: ſeu potius præcipit intellectui, ut judicet hanc eſſe tutam; quo facto illa eſt regula moris.

ACTIO IV.

Quanta ſit Obligatio Conſcientiæ.

Breviarium.

N. 1. *A Conſcientia operantis, licitè recedi poſſe ſuadetur?*

2. *Secundò & Tertiò idipſum*

3. *Standum tamen ſemper eſſe dictamini conſcientiæ propriæ. Adductus Apoſtolus Rom.* 14.

4. *Objectio: quomodo lex Dei non adferat homini perplexitatem?*

1. LOquor conſequenter & intelligo conſcientiam hic eſſe dictamen internum animi qui nos pulſat intimando hoc aut illud licere vel non licere, & vel maximè experimur illud in agendo male, quia tum renititur & remordet avertendo nos ab opere. Hanc omnes ſani hucuſque ſemper maximi fecerunt, tanquam inviolabile quid & ſacrum à quo non poſſit eſſe provocatio, ut videbimus in concluſione; quia tamen nulla cauſa tam deſperata eſt quæ non habeat patronum, non defuerunt qui dicerent Conſcientiam aliquando violari poſſe; ſive licitum eſſe contra eam agere: ſaltem quando ipſa errat, eam doctrinam refert S. Thom. hic quæſt. 19. art. 6. & nonnulli attribuunt noſtro Alenſi, D. Thom. etiam citat Gloſſam in Caput *Omnes*.

2. Supra inſinuavi modum quo utcumque ſuſtineri poſſit actum internum non eſſe judicandum (quando non eſt conjunctus externo) contra ea præcepta, quæ expreſſe procedunt de actu ipſo externo. Hic ſimiliter adfero unum vel alterum, quæ deſerviant ad mitigandos ſcrupulos puſillorum, ſuadendo utcumque actum contra conſcientiam errantem non eſſe peccaminoſum. Rom. 4. 15.

Primum, quia *ubi non eſt lex nec prævaricatio*: Atqui pro conſcientia errante non eſt lex, alioquin non erraret: ergò non ſolum tunc non eſt in ea, ſed neque poteſt eſſe prævaricatio; ſit exemplum: credit quis ex conſcientia errante quod calcare crucem in pavimento inciſam ſit peccatum mortale contra Religionem: Error eſt, quia nulla lex hoc prohibet, unde nulla malitia ſequitur actum. Conſequentia curreret niſi reſponderi poſſet non eſſe legem externam quæ id prohibeat, eſſe tamen internam mentis; quæ perinde eſt & tantumdem facit, quia efficit ut ille putet ſe violare legem, quod ſufficit. Audio & inſto contra ſic; aut ipſe homo ſive ſua conſcientia ſufficit facere ei legem, aut non ſufficit: ſi non ſufficit, durat argumentum, non durat ſolutio. Dici autem quod ſufficiat, non poteſt, quia lex neceſſario eſt à ſuperiori, nec ipſa ſola, ſed quodlibet præceptum, quia nemo habet imperium in parem, multo minus in eundem aut in ſeipſum; ergò nullus, & nullius conſcientia poteſt eidem facere legem.

Non ergo conſcientia eſt lex, ſed tantum applicatio legis, ex quo de novo ſumo argumentum, & formo ipſum ſic. Quamtumvis ultra formam requiratur applicatio eius tamen ſi per impoſſibile poneretur applicatio formæ ſine ipsâ in ſubjecto, non redderetur ſubjectum illud. V. G. album vel dulce: licet poneretur in ipſo vino v. g. applicatio albedinis, quia nimirum eſſe album provenit formaliter ab albedine, non verò ab unione: non poteſt autem dari effectus formalis formæ ubi non datur ipſa forma; ſi ergò conſcientia eſt applicatio tantum legis certè ubi lex ipſa revera non ſubſiſtet ibi non poterit eſſe revera peccatum, quæ neceſſariò eſt prævaricatio legis.

2. Secundò ad hoc propoſitum utor argumento, quod ſibi applicant authores affirmantes in hac materiâ, eſtque iſtud; voluntas non fertur in res prout in ſe ſunt, ſed prout in intellectu, per hunc enim proponuntur & applicantur ei objecta, unde perinde eſt quod lex à parte rei ſit ac quod non ſit, dummodo ab intellectu ei proponatur ut ſubſiſtens; ita illi: ex quo, ſtabiliendo oppoſitam partem infero: ergò omne peccatum, ideo peccatum eſt, quia contra conſcientiam & nullum pec-

peccatum ideo peccatum eſt quia contra legem; idque etiam quando lex extra revera ſubſiſtit. Cōſequens negatur illi, ſed videat an non conſequentia ſequatur eos: nam etiam quando lex extra eſt, ipſa lex extra non eſt, quæ pervenit ad voluntatem non objicitur aut applicatur ei, ſed lex putata conſcientiæ, adeoque voluntas non vult ullam unquam legem niſi illam conſcientiæ quod eſt contra praxim: *Scripturam* & Doctores. Confirmo: quia ſic non daretur diſtinctio legum obligantium, ut alia ſit poſitiva, alia naturalis, alia Divina, alia humana, &c. nam omnis & ſola lex obligans eſt illa conſcientiæ, quæ conſequentia inde valet quoniam lex conſcientiæ apud hos eſt naturalis.

Poſſet etiam argui ex hoc argumento iterum ſic: ſi enim Regula voluntatis non ſunt res in ſe ſed in cognitione, neque illa fertur in realiter, ſed intentionaliter acceptas, ſequitur, quod illi nolunt, etiam quando proponitur res ut bona quæ revera non eſt bona, quod tunc voluntas mereatur: idque ſecundum menſuram quam intellectus aſſignat, ut ſi dicat quod ſalutando Crucem habeam meritum martyrii, quo vix aliud abſurdius, & tamen ſequi vides, nam quod reſponderi ad hoc ſolet, non eſt nimis ſolidum, ut in decurſu apparebit.

3. Non eſt tamen recedendum à communi lenſu authorum, qui omnes ferè convenerunt in hoc quod agere contra conſcientiam numquam liceat, & ſemper ſit malum, itaque id dicendum eſt propter authoritates & rationes eorum: quas hic deſcribam quia videnter rem facere de fide.

Primo enim Apoſtolus Rom. 14. toto capite perſtat in hoc perſuadendo: tangit enim litem, quæ erat: num adhuc vetiti eſſent cibi aliqui Judæis converſis, & reſolvit quod non, tamen: *Qui infirmus eſt* (inquit) *olus manducet*; hoc eſt, qui puſillanimis aut ſcrupuloſus, ille omittat carnem: intellige propter conſcientiam: quam ſibi formavit: Item infra v. 14. aptius: *Scio & confido in Domino* JESV; *quia nihil commune per ipſum* (i. per Chriſtum, ſeu per legem Evangelicam, non autem ut exponit Cornel. per ipſum *cibum* cum cibi non præceſſerit mentio) *niſi ei qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt.* quo loco *commune* idem eſt ac profanum, eo quod cibos quibus Judæi abſtinebant gentes communiter edebant: Judæi autem reputabant Gentes eſſe pollutos & profanos: ſummâ, idem eſt hic ac immundum aut pernicioſum, animæ intellige.

Docet ergò Apoſtolus cibum qui ex lege non eſt immundus aut illicitus fieri talem ei qui credit eum eſſe illicitum, adeoq; ſola conſcientia, quando violatur ſufficit ad peccatum. Adfertur à quibuſdam alius locus ex eodem hoc capite verſ. 23. at enim ille directè huc non facit etſi videatur plus omnibus facere, ſed pro doctrina infra afferenda Action. 5. Interim pro hac veritate facit illud ejuſdem Apoſtoli ad Gal. 5. *ecce ego Paulus dico vobis quoniam ſi circumcidamini Chriſtus vobis nihil proderit* quia nimirum profitentur ſuo opere ſe non confiteri eum, ſed oppoſitum credere: unde ſubdit: *teſtificor autem rurſus omni homini circumcidenti ſe quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ*: quia nimirum ipſe exiſtimat vigere veterem legem Judæorum, ſed hæc omnia quum innitantur illationibus & conſequentiis, non faciunt fidei articulum, tam clarum: unde magis placet quod ait Cornejo oppoſitum eſſe periculoſum in fide, quam quod Vaſq. ait meritò hæreticum cenſeri.

Ratio communis eſt: quia Lex ſive Divina ſive humana non applicatur nobis niſi media cognitione noſtrâ, & voluntas non fertur neque regitur immediatè bonitate quæ eſt in objecto extra, ſed quæ eſt in eo ut propoſito ſibi per intellectum, adeoque reſpectu voluntatis attendendum eſt non quale ſit objectum, ſed quale judicetur ab intellectu, nam voluntas fertur in objectum cognitum non autem in objectum ſubſiſtens: unde quando voluntas violat legem cognitam, violat, & peccat quantum poteſt, adeoque.

Quæ contra hanc veritatem facere mihi viſa, adducta ſunt à me in principio Actionis, ubi etiam hæc ipſa ratio tracta eſt in oppoſitum, ut ibi, inferendo quod voluntas putans aliquid eſſe bonum eo ipſo redderet opus illud tale. Nam quod reſpondere ſolent Recentes cum D. Thom. hic ex D. Dionyſio, non videtur extinguere difficultatem: diſparitas inquiunt, eſt quod bonum ſit ex integra causâ, malum ex quolibet defectu; ſufficit ergo lex putata ad tranſgreſſionem, non ſufficit bonitas putata ad meritum aut honeſtatem actionis, ſed debet eſſe & putata ſive cognita bonitas, & præterea etiam ſubſiſtens in re ipſa. Hoc inquam non credo ſufficere ſolutioni. Concedo multa requiri ad bonum; at nullum unum poteſt eſſe multa, nec requiri multoties. Agamus de lege quæ unum quid eſt; aut hæc lex eſt lex credita, aut lex ſubſiſtens: ſi ſubſiſtens habeo intentum illius loci, quod tranſgreſſio conſcientiæ erroneæ non ſit peccatum, quia illa non eſt lex ſubſiſtens ſed putata: ſi autem eſt lex putata: ergò qui implet legem putatam meretur ſicut demeretur qui tranſgreditur; quod erat probandum; neque in hoc eſt diſparitas inter ambo illa.

4. Objectio communis adverſariorum iſta eſt, quod inde ſequatur perplexitas animi ſive ſtatus in quo quis neceſſitetur ad male agendum: demus enim aliquem ob ſuos ſcrupulos (ut ſæpè contingit) perſuaſiſſe ſibi quod utrumque extremum alicujus contradictionis ſit illicitum, v.g. ocoidere, & non occidere Tyrannum: hæc perplexitas eſt irrationabilis, & ita moraliter impoſſibilis, & tamen vitari non poteſt niſi dicatur quod conſcientia erronea non liget. Reſponſum eſt jam olim negando ſequelam perplexitatis, quia licet ex contradictoriis neceſſario unum fieri debeat, non tamen debet neceſſario fieri unum illud male: poteſt ergo facere alterum illud, ſcilicet non occidere ſine peccato, deponeudo conſcientiam erroneam, & ad hoc tenetur.

Sed quid ſi non poſſit neque per ſe, eo quod non ſit doctus, neque per alios, quia non poteſt eos accedere, & tamen urget exequutio eo quod conſcientia inſtat, & dictat pro nunc currere obligationem? Relpondit aliquis eum, ſi minus malum eligat non peccare, fundamentum eius eſt quia minus illud malum eſt ei neceſſarium, adeoque non peccaminoſum, quia nec liberum: fortaſſis hæc via habet

ali-

Digitized by Google

aliquid veri; ſed ſanè dat aliquam exceptionem à regula generali de eo quod non liceat agere contra conſcientiam; nam talis ſecundum ipſum licite agit, ſecundum ipſum & me agit contra conſcientiam: Neque verum eſt quod ille addit eum tunc non agere liberè, quod probo patenter etiam ex ore Adverſariorum, quia nimirum poteſt illud aliud malum, etſi majus eligere. Dices fortè hinc non haberi quin aliquod malum ſit ei neceſſarium, adeoque ab aliquo excuſatur etiamſi illud committat: facilius eſt autem illum excuſari à minori malo, ergò jam eligendo minus non peccat: Poſſet hæc prætendere ille, & utinam ſufficerent.

Contra illa ſic arguo: poteſt alicui disjunctum eſſe neceſſarium; licet ſingula membra illius disjuncti ſint libera: ergò licet non poſſit ille vitare utrumque malum tamen in ſingulis peccabit. Antecedens poſſem probare paulo remotè, quia neceſſarium eſt me nunc inſtante tentatione peccare, vel non peccare: tamen quidquid eligam liberum erit; ſed volo proprius probare ſic: non poteſt homo etiam juſtificatus vitare omnia peccata venialia ex definitione Trident. ſeſſ. 6. can. 23. atque adeo neceſſitatur ad disjunctum, vel hoc, vel illud, vel iſtud, & ſic de cæteris, & tamen quodcumque peccatum committit, liberè committit, alioquin committendo illud non peccaret, quod eſt idem ac dicere quod peccando non peccaret, ergo ſimiliter.

Sed inquies tali homini non poteſt exprobari factum, neque dici *Debuiſſes hoc omittere*: id enim eſſet dicere, debuiſti pejus facere, ergò non peccavit, quia cuilibet peccanti poſſunt iſta omnia exprobrari. Dum ſuſtineo illicitum eſſe agere contra conſcientiam erroneam; Dico huic exprobrari poſſe cur male fecerit? neque id eſſe ſynonymum alteri quæſtioni: cur non fecerit pejus? pro quo capiendo ſciendum eſt ad ſingulos actus malos aut bonos non requiri ſingulas libertates tum præſentes quibus fiant actiones aut paſſiones, ſed ſufficere pro multis unam, quæ ſit cauſa ſequentium: nam quando occido tyrannum, vel profiteor fidem coram eo, unde ſcio me addicendum eſſe tormentis multis, ego tum unam libertatem exerceo, & tamen ſingulæ paſſiones poſtea propter fidem vel propter patriam (cujus causâ occido tyrannum) ſunt mihi abſolutè liberæ, licet ſint in ſe ipſis immediatè, & in ſenſu compoſito neceſſariæ.

(***)

ACTIO V.

Decidit dubia aliquot de Conſcientia errante.

Breviarium.

N. 1. *Dubium eſſe quid ſit dubium?*
2. *Suadetur pluries agi poſſe cum dubio de legitimatione actionis.*
3. *Reſolvitur nihilominus non poſſe.*
4. *Non omne dubium reddit actionem peccaminoſam.*

1. DUbitant enim aliqui in primis an gravius ſit ſequi errantem conſcientiam quam prævaricari; ſive facere contra eam; quod revera mirum eſt: nam ſi authores conſtent ſibi, ſive ſuis principiis ac doctrinæ, non eſt locus dubitandi; aut enim agitur de caſu quo conſcientia erronea dictat unum tantum extremum eſſe peccatum, aut de caſu quo dictat duo; ſi dictat unum tantum eſſe peccatum tunc facere contrarium nullum erit peccatum, quia omne peccatum eſt contra conſcientiam, atque ideo peccatum, quia contra illam ſecundum ipſos.

Si dictat ambo eſſe peccata, tum utrumque erit æquale peccatum; quantum ad terminos huc uſque poſitos in dubio, niſi ex alio capite ſit diſparitas, v. g. conſcientia dictat mihi quod teneat occidere Magiſtratum: ſi non dictat quidquam tale de non occidendo eo, tunc facere contra conſcientiam eſt peccatum, facere cum eâ nullum eſt peccatum. Si autem dictet aliud etiam: & tam ſtulta ſit, ut putet tam occidere, quam non occidere eſſe peccatum, tunc utrumque eſt æquale ex hoc capite, ſiſtendo ut dixi in terminis generalibus, quod faciunt authores communiter quùm movent hoc dubium.

Deſcendendo tamen paulò ſpecialius reſpondetur id metiendum eſſe ex virtutibus, quæ violantur in utroque peccato: nam ſi in commiſſione violetur major virtus quam in omiſſione, tunc commiſſio gravior erit, è contra ſi in omiſſione v. g. ſi in uno violetur juſtitia, in alio temperantia, primum peccatum erit gravius; ſed meminiſſent authores huius ſuæ doctrinæ, quod nimirum peccatum non fiat faciendo contra virtutes in re, ſed in opinatione operantis, unde dicendum illis fuit quod ex duobus id gravius eſt quo violatur major virtus ex opinione operantis, quæ res quia non contingit niſi doctis, ideo non poteſt caſus eſſe univerſalis, aut certè authores debent favere illi parti, quam propoſui initio Action. præcedent. quod ſcilicet regula morum ſeu actionum humanarum: non ſit virtus aut vitium, lex aut aliud in opinione operantis, ſed in re extra.

6. An poſſit diſpenſari cum aliquo ut agat contra conſcientiam? Cornejo refert aliquos affirmaſſe; & Recentior. aliqui neſcio quam moderationem inducunt, ſed fruſtra fatigantur, quia illa diſpenſatio non ſolum moraliter,

liter, ſed Metaphyſicè eſt impoſſibilis: & non efficeret ut aliquid non ſit peccatum, ſuppoſitio ſemel quod regula Viatoris ſit ſua conſcientia, non autem lex in re extra; Non enim poteſt fieri ne definitio inferat definitum: imò ne ſit ipſum, ſed definitio peccati eſt eſſe factum contra legem, quod intelligendum eſt juxta authores de lege putatâ apud conſcientiam operantis: ergo implicat ut hoc non ſit illud, & è contra, ut factum contra conſcientiam non ſit peccatum.

Eſt tamen hic aliquid ſcrupuli, quia nimirum ſi nulla eſſet lex prohibens agere contra conſcientiam, tum ſic agere non eſſet peccatum: & ita authores communiter dicunt, quod ſit contra legem æternam: Tum ſic; ſed Deus poteſt auferre omnem legem, quia ipſe omnem poſuit, etiam illam quæ dicitur non tamen eſt æterna, quia non fuerunt tum quos obligaret; probatio hujus, quia illa lex eſt ſine dubio in ordine ad creaturas; adeoque eſt aliquid ad extra, ſed omne tale eſt contingenter factum à Deo; adeoque potuit omitti, ergò. Reſpondeo negando majorem huins authoribus communiter, & ad ſuadendam hanc ſolutionem ne videatur dura, quæro ex arguente; qua lege vetitum eſt agere contra legem; daturne alia lex, quæ hoc vetat, & alia quæ vetet violari hanc legem; ſi ſic, ibis in infinitum, in invio, & non in via: ſi non, jam capi poteſt aliquid male fieri quod non fiat contra aliam legem: ſta ergò in dicta reſolutione; ſic tamen ut

Dicas ſecundò, fieri poſſe ut agere contra conſcientiam non ſit propriè peccatum in omni rigore & plenitudine: non tamen fieri poſſe ne ſit malum morale, atque hoc modo rem eſſe indiſpenſabilem. Hæc nititur ratione in objectione poſita; quia nimirum peccatum ultra malum morale dicit debitum pœnæ incurrendæ à magiſtratu, quod non dicit malum morale, ſed ſolum dicit meritum, aut quaſi meritum laudis vel vituperii, atqui in eo caſu non daretur debitum pœnæ: ergò nec peccatum; ſuppono majorem, quæ eſt certiſſima, nam aliquod diſcrimen ponendum eſt inter malum morale & peccatum, quum illud poſſit eſſe ſine omni lege, imò etſi per impoſſibile non eſſet ullus legislator, ne Deus quidem: peccatum autem non item, ut conſtat tum aliunde, tum ex Apoſtolo ſæpè citato, & quidquid de hoc ſit quod eſt quid nominale, res ipſa loquitur, quod inter illud quod eſt meritorium pœnæ & præmii, & illud quod non: ſive inter illud quod eſt meritorium præmii realis, & quod eſt meritorium præmii verbalis ſit certum aliquod diſcrimen.

Probo ergò in eo caſu non eſſe meritum pœnæ, quia ubi non eſt pœna intentata aut aſſignata tranſgreſſori non incurritur ulla pœna à tranſgreſſore, atqui ſine lege poſitivâ, nulla eſt intentata aut aſſignata pœna tranſgreſſori; ergò. Urgeo: quia in Magiſtratu politico, quando violantur leges pœnales non ſolum reus eſt debitor patiendi pœnam, ſed ipſe magiſtratus habet debitum inferendi eam, ergò ubi non eſt lex nullus habet debitum inferendi, atque ita nec ullus debitum patiendi eam: atque ita quiquid ſit in Deo, quod reſpondet obligationi Magiſtrati creari, tunc non eſſet. Itaque ſi non eſſet revera lex lata, nec eſſet revera & propriè peccatum quantumcunque tranſgreſſor putaret eſſe illam; quia ipſe non poteſt ſuâ opinione inferre Magiſtratui debitum exigendi pœnam.

7. An Conſcientia poſſit dictare duo contradictoria? ſupponunt plerique; ſed nimis leviter, nulla enim poteſt eſſe tam ſtulta, ſi ſit hominis, aut Angeli, quia nemo eſt cui non ſtatim natura & ratio ipſa dictet quod impoſſibile ſit idem eſſe & non eſſe.

Dices conſcientia aliquando dictat hoc eſſe faciendum, & non eſſe faciendum, v. g. *mentiendum eſſe* ad vitandum majus malum; *& non eſſe mentiendum*, quia ipſum eſt intrinſecè malum. Reſpondeo primò hæc non ſufficere probationi in rigore; quia non ſunt rigidè contradictoria: nam; *eſt mentiendum* eſt idem ac dicere; debes mentiri; ſive, juſtum eſt te hic & nunc proferre falſum. *Non eſt mentiendum*; ſic reddendum eſt; juſtum eſt ut tu non proferas falſum: hæc autem non contradicunt cum ſint duo poſitiva; *juſtum* & *juſtum*; adeoque nullus eſt ſcrupulus hic niſi in expoſitione ſecundi illius: *non eſt mentiendum*, quam rectè factam eſſe oſtendo: nam ſi illa non ſit vera expoſitio ejus, debet eſſe iſta; non eſt juſtum ut tu proferas falſum: atqui non eſt iſta, quia illi conſcientia dictat id eſſe illicitum & operantem habere obligationem abſtinendi à mendacio: hæc autem & ſimilia non includuntur in illa expoſitione *non eſt licitum*; quia hæc non affirmat eſſe ſimpliciter illicitum, aut malum actum, ſed indifferentem, atque ita non dictaret conſcientia illa mentiri eſſe malum contra omnium omninò judicium: ergò jam neceſſe eſt dicere illud; *non eſt mentiendum*: facere hunc ſenſum; æquum eſt, neceſſe eſt, ut tu non mentiaris; ſeu non proferas falſum.

Reſtat tamen adhuc aliquid nodi; qui enim ſuadet omiſſionem: diſſuadet commiſſionem: & dicere, commiſſionem eſſe neceſſariam practicè, eſt dicere omiſſionem eſſe impoſſibilem, quæ patet eſſe contradictoria: &, ſi velis reducere ad alios terminos potes ſic: nam ſi commiſſio eſt maculata, omiſſio debet eſſe immaculata; & denique ne circumferamur amplius, ipſa commiſſio, & omiſſio ſunt contradictoria: ergò conſcientia quæ ſuadet utrumque dictat contradictoria.

Reſpondeo quod inter nos vertitur, & ego negavi in aſſertione, eſt, nullam conſcientiam habere aut dictare contradictionem formalem; non vero quod non poſſit dictare contradictionem objectivam: volo ergò, quod conſcientia, ſeu intellectus non poſſit habere judicia practica contradictoria ſimul: tamen poteſt ferri duobus judiciis non contradictoriis in objecta contradictorum, puta in affirmationem & negationem eiuſdem: Aliud eſt enim dicere: eſt mentiendum, non eſt mentiendum: aliud proſequere affectu tuo mendacium: proſequere affectu omiſſionem mendacii: nam ut demus prima eſſe contradictoria, ſecunda ſunt potius contraria. Denique quamvis intellectus aliquis haberet ſimul dictamina contradictoria: tamen non habet ea pro eodem nunc exequenda: licet enim decipiatur quod cenſeat ob diverſa motiva eſſe mentiendum, & non eſſe mentiendum, tamen nunquam decipitur, ut putet ſimul ponendum eſſe à ſe mendacium & negationem mendacii in eodem inſtanti.

Ulti-

Digitized by Google

Ultimò experiamur, quid haberi debeat revera pro conſcientia, putat quiſque ſe hoc experiri, ego puto non omnes experiri ad certitudinem & evidentiam. Cenſent conſcientiam eſſe impulſum internum animi, hunc vel ſimilem actum, iſtud eſt faciendum, iſtud eſt omittendum. Et revera ita eſt; at non univerſaliter, quia nimirum iſti & ſimiles actus poſſunt haberi in animo ab extrinſeco impreſſi, homine ipſo paſſive ſe habente; id autem non eſt plene judicare, ſed opus eſt activitate aliqua ipſius ſubjecti, & non tantùm paſſione aut receptione ejus. Veritas majoris inde nobis conſtat, quia Deus illuſtrat intellectum hominum hoc modo, producendo in eis cognitiones quaſdam de agibilibus, imò non ſolùm cognitiones in eo producit, ſed etiam volitiones. Auguſtinus: *Multa bona opera fiunt in homine, quæ non facit ipſe homo, nulla tamen opera facit homo, quæ non efficit Deus ut faciat homo.* Ex quo habemus aliquos actus judicii poſſe in homine ab extrinſeco produci, quod ſi verum eſt, tunc etiam poterit diabolus aliquos tales producere, neque homo facit ſtatim contra conſcientiam, faciendo contra iſta, quia hæc non ſunt judicia eius.

Lib. 2. cont. duas epiſt. Pel. c. 8.

Ex quo habes conſcientiam deponi aliquando poſſe non expectata ratione, quia nimirum concepta eſt ſine ratione ſubitis impreſſionibus huiuſcemodi; at verò quando concepta eſt cum aliquo fundamento, non poteſt deponi niſi aut ſolutione huius fundamenti, ſeu rationis, aut adquiſitione novi quod opponat ei, & ita plerique loquuntur: Sed latet hic locus dubitandi, utrùm reſolutio intelligenda ſit de impotentia phyſica, an de morali? ſive, utrùm ſenſus ſit quòd non poſſit deponere etſi velit, an verò quòd poſſit, non tamen liceat ei hoc ultimo modo? De morali impotentia videntur authores intelligere, ſed exiſtimo etiam primum eſſe verum, quia non poteſt ratio ab intellectu repelli, quin aſſentiatur ei quantum poſtulat ipſa; neque id ſolum verum eſt, ſed etiam hoc alterum, quòd ſcilicet non poſſit moveri ab alio quàm à ratione, quum veritas ſit obiectum formale eius, adeoque non ſufficit voluntas ad efficiendum, ut concipiat aut deponat hoc vel illud judicium. Redeo ad confirmandum quod ſupra dixi, nam poſſum ſimiliter in intellectu habere contradictoria, alioquin non poſſem de iis quidquam ſcire, puta, quòd ſimul eſſe non poſſint neque vera neque falſa, & tamen non poſſum aſſentiri ſimul illis, ergo iam ſtat ſæpe in intellectu eſſe propoſitiones ſine aſſenſu.

* * *

ACTIO VI.

De conſcientia dubia.

Breviarium.

N. 1. *Non eſſe dubitandum quid ſit dubitare, num liceat agere cum dubio?*

2. *An ſemper ſit malum exponere ſe periculo?*

3. *Conſcientia dubia inficit opus.*

4. *Non omnis tamen aut ſemper.*

5. *Dubius de jure ſuo non tenetur dubitare de debito reſtituendi.*

1. MOnui aliquoties nihil eſſe nobis ignotius ad explicationem, quàm quæ otiſſima ſunt ad experimentum. Ex his eſt dubium, & dubitare, quod aliquis ex Ariſtot. nobis definivit eſſe actum intellectus judicantis neutram partem contradictionis ſatis manifeſtam, neque uni præ altera aſſentiendum, quod non admitto, quia dubium non exigit actum, ſed potius ſuſpendit eum, aut certè poteſt eſſe cum tali ſuſpenſione. Deinde ille actus eſt evidens, quid ergo habet commune cum dubio? Relinquatur ergo cuique apud ſe definire dubium ſuum; quo poſito, huius loci communis reſolutio eſt, quod non licet agere cum conſcientia dubia de honeſtate actus, quam doctrinam per ſequentia examinabo.

Obiici enim poteſt primo, quod ſi ita ſit, tum non licet agere cum opinione probabili, id autem eſt contra omnes omnino, & merito, quia aliàs nunquam liceret operari, eo quod de moralibus non poſſint haberi demonſtrationes; ſequela patet, quia omnis opinio involvit dubitationem, ſi enim ſit certa ſcientia, iam non eſt probabile tantum, adeoque. Reſpondeo, aliud eſt dubitatio, aliud eſt formido, opinio habet formidinem, at non habet dubitationem, quia ſtatuit ſe ab una parte, quod non facit dubitans.

Inſtabis, dubius opponitur certo, adeoque qui non eſt certus, eſt dubius, ſed opinans non eſt certus, aliàs non timeret; ergo opinans eſt dubius, adeoque æquè illicitum eſt operari cum opinione ac cum dubio. Reſpondeo dubiũ propriè non opponi certo, ſed opponi fixo, eſt autem fixus, qui alicui parti adhæret præ alia, quod non facit dubius, quod autem allatum eſt in probationem, vergit in oppoſitum, nam timor non eſt niſi in eo qui aliquam partem amplectitur, hic enim timet ab alia, nam qui neuter eſt, hic ut aiunt, eſt extra aleam belli, nec perdere nec lucrari poteſt.

2. Obiici ſecundo poteſt ipſa ratio Adverſariorũ pro ſe, quod ſcilicet exponere ſe periculo ſit malum, ut infra videbimus, id enim eſſe falſum oſtendo, ſi enim eſſet ut illi volunt, quod eiuſdem pravitatis eſſet periculum rei & ipſe incurſus eius, tum quicunque mercator qui traiicit mare, ut mutet merces, ille inquam eſſet reus prodigalitatis; conſequens eſſe falſum tenent omnes etiam qui nobis adverſantur hic: Probatio ſequelæ

Digitized by Google

habetur ex duobus capitibus; unum eſt quod trajiciendo mare ſemper ſit periculum perdendi; ſecundum, quòd perdere merces ſua ſponte ſine ullo lucro ſuo vel proximi ſit prodigalitas, horum utrumque eſt evidens, & tamen ſtatim inferunt interitum, ergo. Hujus reſponſio non poteſt alia eſſe, quàm quòd bona illa ſint ipſius hominis, adeoque diſponere de illis poteſt prout vult: At verò lex Dei non eſt ipſius, ſed ſupra ipſum: unde fit, ut ille non poſſit exponere eam periculo. Neque nego dari hanc diſparitatem, ſed timeo ne non ſufficiat, nam licèt bona ſint ipſius, & poſſit de ipſis diſponere, ſed non ſunt ipſius ad abuſum, non poteſt de ipſis diſponere prodigaliter. Sed quòd palmariter hic impugnat ſolutionem, eſt vita hominis, quæ non eſt ipſius ſub dominio, ut poſſit deponere eam quando placet, & tamen licitè exponit eam periculo, ergo. Doctrinam hujus ſolutionis reſumam infra in reſolutione Actionis, quam fundabo in ipſa, interim

Objicio tertiò, quando homo nullum actum habet circa materiam in qua acturus eſt, puta quia obliviſcitur prohibitionis, vel aliàs diſtractus eſt, tum inquam non peccat agendo, ergo nec quando dubitat. Cauſa conſequentiæ, quia utrobique redit idem, ſcilicet ſuſpenſio illa ſeu æquipendentia intellectus inter utramque partem, quæ reddit formaliter dubium, ideo enim dubius peccat, quia neutri parti adhæret; atqui hoc contingit in aliis illis caſibus, in quibus tamen non peccat, ergo nec in dubio. Reſpondeo caſum hujus argumenti ſimilem eſſe caſui de omiſſione pura, quæ aliquando peccatum eſt & meritum, aliquando non, & tamen ſemper eſt ſibi ſimilis carentia omnis actus; ſicut ergo carentia omnis actus in voluntate fit libera & peccaminoſa per hoc, quòd intellectus advertat ad rem, & videat pravitatem omiſſionis, ita hic omiſſio omnis actus, vel ſuſpenſio ejus, licèt quoad ſubſtantiam ſint paria, tamen quoad imputabilitatem non ſunt, quia ibi intellectus non advertebat, hic autem advertit.

3. Dic ergo abſolutè conſcientiam dubiam reddere operationem peccaminoſam; Hæc eſt communis, & quoad authoritatem vel maximè fundari poteſt in illo Apoſtoli Rom. 14. ubi poſtquam tradidit doctrinam de conſcientia errante, & quomodo obediendum ſit ei ut ſupra vidimus, ſubdit ad propoſitum hujus loci: *Qui autem diſcernit*, (hoc eſt, diſputat, dubitat, vel hæret,) *ſi manducaverit, damnatus eſt*: quia nimirum operatus eſt cum dubio de bonitate ſuæ actionis, adeoque ſecundùm Apoſtolum non ſolùm agere contra conſcientiam, ſed etiam agere illa non favente eſt damnabile. Facit huc illud Eccleſiaſtici: *Qui amat periculum, in illo peribit*, quod non eſt verum univerſaliter de perditione materiali aut corporali, ſæpè enim evadunt omnes talia, adeoque intelligendum eſt de periculo ſpirituali, quòd ipſum ſolum ſufficit ad perditionem animæ.

Atque hinc ſumitur ratio hujus rei, ſcilicet ex periculo, nam qui committit ſe periculo, convincitur, velle quodcunque ex duobus ſuccedet, atque ita conſentit in offenſam Dei, &, quantum eſt in ipſo ponit eam, nam quod deeſt, dependet à caſu aut fortuna, non verò ab illo, qui jam partem ſuam poſuit. Et quidem hæc doctrina eſt ſana, quam optandum eſt omnibus perſuaſam, & in praxi obſervandam; ſed quia ſcholaſticè agimus, neque unquam timendum eſt à veritate, pono aliam partem aſſertionis, &

4. Dico, non omne dubium inficere actionem, ſed poſſe plurima ſtare cum honeſtate ejus, licèt à nobis difficulter poſſint hæc dubia aſſignari; Propter hanc non feci præcedentem concluſionem univerſalem, ſed reliqui indefinitam; oſtendo ergo veritatem hujus expoſitis ſupra in ſecunda objectione, nam qui navigat, & tranſportat merces, utique objicit eas periculo, nec peccat. Neque valet dicere, quòd utitur ſuo jure, quia cùm ſint ſua, poteſt eas injicere non ſolùm periculo, ſed etiam perditioni & mari; hoc inquam non ſufficit, quia non eſt dominus earum niſi ad certos fines, non autem ſine limite: unde peccant certiſſimè homines, quantumvis divites, qui pro ſola libidine projiciunt merces ſuas in ignem aut mare. Sed quidquid ſit de hoc, ſaltem vitæ ſuæ non eſt dominus, & denique quàm minimè eſt dominus vitæ famulorum, quos omnes tamen in navi ſecum objicit mortis periculo. Neque dicat quiſquam eum non dubitare, ſed feciſſe ſibi dictamen conſcientiæ, quòd evadent omnes mortem; Id enim & ſtultè fieret, & re ipsâ non poteſt fieri, quomodo enim poteſt judicare ille abſolutè quòd evadet? ſcit non venturas tempeſtates, non occurſuros hoſtes? &c. Itaquè hic non eſt aliud quod ſalvat navigantem, niſi ſpes, quæ non repugnat, ſed cohabitat dubio, ut ex his ipſis patet, adeoque quando quis habet ſpem conceptam de parte, quæ ipſi favet, extincta eſt malitia dubii ne poſſit inficere actionem, neque tam rigide opus eſt actu expreſſo intellectus, quo quaſi dictat poſitivè, hic abſolutè non eſſe incurrendam malitiam peccati; Id ita eſſe, mihi perſuaſi, ſed ſemper fateor difficile eſſe deſignare caſum, in quo innitendum ſit ſpei, non verò adhærendum dictamen de legitimatione actionis. Neque putetur hæc doctrina qualiſcunque incidere in eam, quâ quidam dicunt aliquod idem eſſe ſpeculativè dubium & practicè certum: Imo hanc non poſſum approbare prout eam video traditam ab aliis, ad quod juvaret fortaſſe recolere, quæ ſuprà hac ipſa Apolog. dixi; nunc autem addo non ſatis probari ab illis, quod ajunt in hoc genere, ſcilicet exiſtente dubio ſpeculativo poſſe eſſe certitudinem practicam de oppoſito; ſcilicet probant hoc, ſi Deo placet, exemplo illius qui dubitat an res, quam bona fide poſſidebat hactenus, ſit ſua, & tamen practicè certus & ſecurus in conſcientia eſt non eſſe reſtituendam, uſque dum facta diligentia conſtiterit, vel probatum fuerit ab alio eam eſſe ſuam, non verò ejus, qui eam retinet. Dico hoc & ſimilia non ſufficere ad probationem, non enim idem eſt de quo quis certus eſt practicè, & de quo dubitat ſpeculativè, nam dubitat an ſit ſua, non dubitat autem, an ſit reſtituenda, ſed hoc eſt illud, de quo practicè certus eſt quoad nos, adeoque certitudo practica & dubium ſpeculativum non incidunt in idem.

Inſtabis

Digitized by Google

Inſtabis: ad hoc, quod eſt, rem hanc eſſe alterius, ſequitur eam eſſe reſtituendam alteri, ergo ad dubium de alteritate eius ſequitur dubium de reſtitutione. Nego ſequelam, id eſt paritatem, quia nimirum evidentia, de qua antecedens, tollit omnem rationem dubitandi & detinendi, adeoque ubi res eſt evidenter alterius, ſequitur ſine ullo obice eam eſſe reſtituendam. At verò dubium non tollit, quin imò ponit ab una parte rationes tales, quæ præponderent fundamentis alterius, & ita extinguant dubium; ſicque in re fit, quòd quando poſſeſſio eſt penes unam partem ex dubitantibus, illa pars non tenetur reſtituere ſtante dubio, ſed poteſt certo retinere rem controverſam: Adſero ipſe aliud exemplum: Dubium eſt ſpeculativè, an valeat hæc forma Baptiſmi: In nomine Genitoris, Geniti, & procedentis ab utroque; certum tamen eſt non licere ulli adminiſtrare baptiſmum illa forma; Ita videtur dubium ſpeculativum & practicum non cadere in idem, ſed aliud eſſe de quo ſpeculativè dubitatur, aliud de quo habetur practica certitudo: non ergo hæc doctrina coincidit cum mea, ſed neque in ſe ſolida eſt, ſi penetretur, quod non videntur facere plerique, qui ea utuntur.

***

De his

ARiſt. 6. *Ethic.* S. Anſelm. *lib. de volun. Dei.* S. Bonav. 1. *diſt.* 48. *q.* 1. Altiſſ. *lib.* 1. *c.* 13. S. Thomas 1. 2. *q.* 19. Ock. 1. *cit. diſt. ult.* Enric. *Quodlib.* 12. Ioan. Gerſon. Durand. 2. *diſt.* 38. Abulen. *in lib.* 1. *Reg. q.* 36. & 48. Cordub. *lib.* 1. *q.* 23. Gabriel Vaſq. cum D. Thom. hic *diſp.* 58. *cap.* 2. Alphonſ. Toletan. 1. *diſt.* 48. Martin. de Magiſt. Lorc. 1. 2. *q.* 19. Corneio. *diſp.* 1. Emanuel Rodr. *tom.* 1. *ſum. cap.* 72. Zanch. *lib.* 1. *cap.* 11. Rayner. *in* 2. *p.* Panthol. Franc. Felix. *tract. de Actib. cap.* 6. Bellarm. *lib.* 1. *de bon. oper.* Salas. 1. 2. *tract.* 7. *diſp.* 8. *Vide Gloſſ. in caput Omnes.* 28. *q.* 1. Stor. Palav. 1. 2. *diſp.* 9. *q.* 4.

APOLOGIA SEPTIMA

De opinione probabili.

ACTIO I.

Utrum ſufficiat opinio probabilis, & quis ſit ſecurus in agendo?

ACTIO II.

Utrum ſaltem neceſſe ſit probabiliorem & tutiorem in praxi præferre minus probabili & minus tutæ?

ACTIO III.

Utrum ſint aliquæ exceptiones ab hac doctrina, nec ne?

ACTIO IV.

Quæſtiones aliquot de hac materia motæ & ſolutæ.

ACTIO V.

Aliter reſolvendum in dubio facti propriè.

ACTIO VI.

Quomodo deponenda ſit conſcientia erronea & ſcrupuloſa?

Scot. 4. *diſt.* 27. *quæſt.* 2.

DIco quòd ibi poteſt eſſe certitudo talis, qualis requiritur in actibus humanis, in aliis enim contractibus, puta venditionis vel commutationis rerum, non requiritur certitudo demonſtrativa, ſed ſufficit probabilis, & ut in pluribus, & talis eſt, &c.

Digitized by Google

Idem *ib. diſt.* 30. *quaſt.* 1. *num.* 4.

DIco quod nullus eſt perplexus in lege Divina, etiam quocunque actu proprio poſito, &c. Dico ergo quod via tutior eſt non facere ſibi conſcientiam quod aliter doloſè conſenſerit, imo quod tunc veraciter conſenſit, ſed modo mentitur, & in hoc caſu faciat ſicut veræ coniugi. Si autem non poteſt tollere conſcientiam quam habet in verbo privativo alterius coniugis, ſtante illa conſcientiâ, peccat mortaliter reddendo debitum quia fornicatur, non reddendo autem, & multo magis recedendo exponit ſe periculo, &c.

ACTIO I.

Vtrùm ſufficiat opinio probabilis, ut quis ſit ſecurus in agendo.

Breviarium.

N. 1. *Ratio dubitandi, ſive ſuadens non ſufficere opinionem.*
2. *Reſolvo affirmativa. Probatur pluries.*
3. *Non eſt neceſſarium abeſſe formidinem agenti.*
4. *Objectio ſolvitur; ſi judico probabile eſſe quòd non peccem, an ſim tutus?*
5. *Alia objectio: ſequi hinc licere quod libet.*

1. FAteor, hanc & ſequentes quæſtiones eiuſdē Apologię lubens omitterē, utpote toties tractatas ut vix ſuperſint dicenda niſi iam dicta. Expendam tamen fundamenta communis doctrinæ, quam ipſe approbabo, ut tutius deinde ad praxim deſcendere poſſimus. Ratio dubitandi poſita à me eſt ſupra Act. 5. Apolog. 6. præcedentis, quia nimirum non licet operari cum dubio: Qui autem opinatur, dubitat, adeoque; ita Cajet. &c. quam rationem ibidem ſolvi, ſed hic inſtauro in hunc modum: Dixi enim hominem tunc eſſe tutum, quia non dubitat, ſed ſtatuit apud ſe fixè hoc ei licere; atqui hoc non poteſt, quod ſic oſtendo; non poteſt hoc ſtatutum vel reſolutio mea eſſe magis certa quàm ſit fundamentum ejus; ſed fundamentum reſolutionis non eſt certum, eſt enim opinio fallibilis, ergo & reſolutio illa; adeoque non certa aut ſecura: Explico & confirmo, ad agendum tutò in praxi non ſufficit opinari, ſed homo innixus opinioni ſoli non poteſt plus quàm opinari, ergo. Majorem hujus in qua eſt vis, ſuadeo in primis confeſſione noſtra; id enim docemus etiam ipſi, & ulterius ſic: Quia ſi quis dicat, puto eſſe licitum hoc, non poteſt pergere ad opus; atqui opinio non dat plus ſecuritatis. Tertiò ſic, quia revera qui ſic fundatus eſt, non eſt fundatus ſed dubius, quod ſic oſtendo, nam qui opinatur tantùm aliquid ſibi licere, opinatur idem ſibi non licere; id autem eſt planè eſſe ancipitem ac dubium, ergo ſi non licet in dubio operari, ut revera non licet, tali non licet operari, niſi aliam regulam habeat. Probatio majoris, quia homo innixus opinioni ſic fertur in objecta formaliter, quemadmodum opinio intentionaliter & fundamentaliter: ſed opinio ſic fertur in hanc partem, ut relinquat etiam ſuam probabilitatem alteri parti, ergo & homo opinans ſic credit probabilem eſſe hanc partem, quam amplectitur, ut tantundem credat de oppoſito. At verò hoc eſt plane pleneque eſſe dubium, eſt enim non adhærere uni parti præ altera, adeoque: nihilominus

Reſpondeo & teneo certò ſufficere ad tutò agendum in moralibus opinionem: Hæc fuit ſemper in ſpeculatione & in praxi Doctorum, Subtilis 3. diſt. 25. quæſt. 1. & in 4. diſt. 27. quæſt. 2. & alibi paſſim, nec ipſius tantùm, ſed exterorum, etiam eorum qui id in proprio hoc loco negant, quod inde conficio contra ipſos ad hominem, quia non licet docere, quod non licet facere; atqui ipſi Adverſarii multa docent, quæ ſunt ſolummodo probabilia; num enim omnes concluſiones ſuas demonſtrant? non ſanè, ne prope quidem, quæ ratio inverti poteſt, & ſic formari: Ipſi Adverſarii faciunt quæ hic nobis negant fieri poſſe; multa enim agunt de quibus non habent aliam notitiam quàm probabilem, & tamen non paterentur improperari ſibi quòd peccent. Denique certum eſt nullum cogi ad peccandum, neque neceſſitari; atqui cogeretur, niſi teneri poſſet opinio probabilis tantùm, contingit enim neutram partem contradictionis eſſe claram, utramque ambiguam, ut quùm v. g. lex eſt obſcura, neque legislator accedi poteſt, tum aliquam partem ſequi quis debet, utraque autem eſt probabilis tantùm, adeoque jam datur caſus in quo eſt invincibilis carentia rectitudinis.

Sed enim iſte non eſt punctus hodiè controverſus, quia jam dicta videntur adferre evidentiam aliquam reſolutioni poſitæ. Sed litigatur, an quis operans moraliter debeat eſſe certus de honeſtate illius quod agit, ita ut non formidet, an verò poſſit operari cum formidine oppoſiti? Quamvis revera prioris reſolutio videatur etiam hujus reſolutionem inferre: quidquid illud, hic volunt Recentes aliqui neceſſa-

Digitized by Google

neceſſarium eſſe, ut operans non formidet, ſed ſit quietus & certus, in quo, niſi fallor, falluntur.

3. Dicendum enim eſt id non requiri, neque formidinem impedire ſcientiam aut conſcientiam debitam in agendo. Sic intelligo Subtilem locis ſupra allegatis, eamque poſt eum defendit Gabriel Vaſq. diſp. 52. in 1. 2. cap. 5. & poſt ipſum Corneio, qui tamen quod ſciam non rectè citat alios Recentes, pro eodem, quum omnes quos viderim ſtent ex adverſo. Contra illos

Probo reſolutionem argumento poſito in confirmatione primæ rationis ſupra pro concluſione præcedenti, quæ tota huc recurrit, ut patet applicanti ſic, quia non poteſt quis in intellectu maiorem quietem, maiorem certitudinem habere, quàm ſit ratio ſeu motivum, cui illa quies innititur: Atqui ratio *cui* quies illa innititur in operante moraliter non eſt ſine formidine, ſed cum illa, neque poteſt carere ea, ergo; præmiſſæ huius ſi penetrentur ſunt certæ, prima quidem, quia nihil dat quod non habet, ſecunda ex definitione ipſa opinionis, adeoque iam deductæ ſunt ambæ illæ ad totidem prima principia; ergo iam non ſolùm non contingit, quod volunt illi, ſed neque fieri poteſt, ut quis propter motivum merè topicum & probabile formet ſibi aſſenſum, non topicum, aut non formidantem, quæ ſunt idem; Et ſanè ſi Adverſarii reducerentur extra hanc materiam, non dubito, quin ad ſimilem quæſtionem reſponſuri eſſent nobiſcum. Quæretur enim utrùm numerus aſtrorum ſit par an impar? ſi accedam ego probaturus eſſe parem ſic: Quod perfectius eſt, id adſcribendum eſt corporibus cœleſtibus; ſed numerus, par eſt perfectior impari, ergo attribuendus cœleſtibus aſtris; hæc eſt topica aliqua ratio, ſed an potuerunt illi proinde formare ſibi certum & ſtabile iudicium de paritate numeri, ut non formident de oppoſito? nequaquam ſane, ſicut nec de eo quòd hæc mater diligat ſuum filium, & quamvis ſecundùm authores paſſim probabilis ſit univerſalis illa, quòd omnis mater diligit filium.

Arguo etiam iterùm in idipſum, quia etiamſi requiratur aliqua certitudo in operante, ſed male proinde diceretur excludendam eſſe formidinem, quod ſic oſtendo, quia ſpes Theologica eſt certa ſine dubio, unde dicitur anchora; at verò hæc ipſa non excludit, ſed compatitur, & quodammodo exigit formidinem: *Cum tremore & timore ſalutem veſtram operamini.* Phil. 2. Certum eſt non eſſe imprudentiam, aut impoſſibile operari cum ſpe, ergo nec cum timore ſeu formidine, quod idem eſt.

Tertiò ſic, quia tota hæc firmitas Adverſariorum innititur illi principio, quòd ſufficiat opinio probabilis ad ſecure agendum, atque hoc ipſum eſt tantum probabile, & ex adverſo eſt etiam ſua probabilitas; multi enim tenent non ſufficere niſi ſummè probabilem & ſumme tutam, ergo nullum iudicium huic innixum poteſt carere formidine, quum hoc trepidet. Et revera mirabile eſt, ullos velle concluſionem eſſe maioris certitudinis, quàm ſint præmiſſæ, quum debeat ſemper habere quidquid infirmitatis eſt, non ſolum in utraque præmiſſa, ſed in ſingulis; eſt enim dicere hominem inſidentem ramo, qui à vento quatitur non moveri, aut eum qui vitium habet in uno tantùm pe non claudicare. Reſpondet quidam, aliud eſ me non eſſe certum, quòd liceat mihi ſequ hanc opinionem probabilem; aliud verò, quò ſi ſemel iudico mihi id licere, non peccem & de hoc ſum certus, primum eſt probabil tantum, ſecundum autem iudicium eſt certum, ſic ille: Sed ego inquiro unde id ſit certum aut evidens? nunquid ex terminis? non credo dicturos, alioquin nemo illud negaret; ſi autem ex aliis præmiſſis proferant ullas duas, quarum una non ſit probabilis tantum, & vicerunt. At enim id non faciunt, ſed aſſumunt ſemper, quòd ſi ſemel iudicas licitam eſſe ſequelam opinioni probabilis, iam eo ipſo es extra periculum peccandi, quod quidem ego pro nunc non nego eſſe verum, ſed nego eſſe ſine formidine, quum habeat fundamentum opinativum tantum, ad quod eſſentialiter ſequitur formido. Audiamus ipſos:

4. Obiiciunt: Non ſufficit quòd homo probabiliter judicet ſe non peccare, nam ſi ſolùm eſt probabile illum non peccare, ergo poterit re ipſa falli, & re ipſa peccare: Patet conſequentia, quia opinio probabilis poteſt re ipſa falſa eſſe; hoc autem eſt abſurdum, repugnat enim, ut homo bona fide operans nihilominus peccet. Reſpondeo hic confundi diſtinguenda: dico ſufficere judicium probabile de immunitate operantis, non volo quòd probabiliter judicet, ſed quòd abſolutè judicet, ſed hoc ipſum judicium eſt probabile tantum; jam ad illationem illam: ſi ſolum probabile eſt illum non peccare, ergo poterit re ipſa falli, & re ipſa peccare: Concedo primam conſequentiam hujus, & nego ſecundam, non enim concomitantia ſunt falli & peccare, aut non falli, & non peccare; ſed poteſt *non peccare* conjungi cum *falli*; neque enim moralitas actionis ſequitur ad objectum in ſe, ſed ad ipſum in judicio operantis non ſolum metaphyſicè ſed moraliter ſumptum. Et verò quid dicent, ſi ego etiam ſecundam illam concedam, quòd etiam poſſit peccare? Detur hoc, quid inde habebunt? Oſtendo quòd nihil, à ſimili, etenim ſufficit ad immunitatem hominis in conſcientia, quòd in ſuis operationibus non peccet, non autem requiritur ne poſſit peccare; ſi ergo per iudicium probabile liberet ſe ſemper à peccato, quamvis non liberet à formidine vel cauſa eius, quid ei obeſt? Ipſa Dei gratia ſic ſalvat hominem, ut tamen poſſit non ſalvare; *utpotè quam abjicere poteſt* ex doctrina Tridentini; ergo iam poſſe falli aut etiam poſſe peccare nil faciunt, nec efficiunt, dummodo adſit non peccare. Cuius ſolutionis veritas magis apparet ex ſequenti diſcurſu, quem pro ipſis in primis ſic formo: ſi enim poteſt homo illo actu peccare, ergo obiicit ſe periculo eliciendi eum; atqui hoc non poteſt facere ſine peccato, nam *qui amat periculum, peribit*, non poſtea, ſed *in illo*; utique autem non licet peccare, ergo neque ſic operari. Hunc diſcurſum dico retundi ſtatim inſtantia à me facta; ſi enim conjunctio probabilitatis ad oppoſitum facit, ut operans exponat ſe periculo, ſequitur Deum non prudenter, adeoque non rectè agere, quando concedit huiuſmodi gratias efficaces, hoc autem eſt falſum & blaſphemum, ſed probatur ſequi, quia exponit ſe periculo non conſequendi finem à ſe præſtitutum effica-

Digitized by Google

citer & abſolutè , ſcilicet ſalutem electorum, nam conſecutio & executio hujus fit à Deo per auxilia gratiæ efficacis ; ſi ergo huic ſubeſt periculum, jam Deus objicit ſe periculo , ne exequatur quod propoſuit abſolutè habendum; item periculo mendacii, ne det gloriam iis, quibus promiſit eam, &c.

Sed contra hoc ultimum referri poteſt, quòd Deus non promiſit nec providit gloriam niſi præviſis meritis, ſi ergo deſunt merita, quæ dependent à gratia, nihil ad Deum, adeoque. Sed non proficit replica, primò , quia falſum eſt id in quo fundatur, ſcilicet gloriam non eſſe proviſam aut præparatam, niſi poſt merita viſa ut futura, quod ſuppono probatiſſimum ex proprio loco. Secundò , quia quidquid ſit de providentia, ſaltem prævidentia ejus falleretur, nam Deus vidit eam gloriam futuram ſive habendam à D. Petro, v.g. adeoque ſi non ſequatur, errabit, &c. quæ aliò ſpectant.

5. Objectio magis ſolida contra me eſt iſta , quòd ſi ſufficiat conſcientia opinativa, licebit unicuique ſequi quod volet , & eligere quamcunque opinionem ; cuius abſurditas in praxi valde magna eſt , quia quum in rebus moralibus omnia ferè ſint ſub opinione , ſi licitum ſit ſequi quamcunque, poterit quis nunc hanc, nunc illam amplecti, hodie hoc, & cras contrarium facere , ex quo maxima ſequetur morum perturbatio. Reſpondeo ſine dubio occurrendum eſſe huic inconvenienti, at verò id non fieri negando concluſionem à me poſitam, redit enim illud in eos etiam, qui exigunt certitudinem aſſenſus. Non enim illi à nobis differunt , quòd concluſiones habeant magis probatas, aut nos opiniones tantùm, illi verò ſcientiam, ſed differimus quòd illi reputent ſuas certas , & forment ſibi ſola voluntate certitudinem: nos autem quum poſſimus id ipſum, nolumus, quia non putamus neceſſarium, fortè nec rationabiliter factum. Quid autem in re faciendum , ne abſurda illa contingant? dicam fusè in ſequentibus, ſingula ſuo loco. Sit ergo.

* * *

ACTIO II.

Vtrùm ſaltem neceſſe ſit probabiliorem & tutiorem in praxi præferre minus probabili, & minus tutæ?

Breviarium.

N. 1. *Quid magis tutum? quid magis probabile?*
2. *Nemo tenetur ſequi magis probabilem, imò nec ſummè probabilem. Probatur.*
3. *Objicitur contra primum & reſpondetur.*
4. *Objicitur ſecundò : An ſtante ſcientia ab oppoſito ſufficiat probabilitas operanti?*
5. *Quid dubium juris, quod dubium facti?*
6. *Neutrum dubium cogit ad ſequendam partem magis tutam : ubi examinatur illa regula juris :* In dubiis tutior pars eſt eligenda.
7. *Adferuntur alia jura contra ipſum.*
8. *Movetur objectio contra, & ſolvitur.*

1. PArs magis probabilis eſt , quæ ſolidiores rationes aut maiorem numerum authorum pro ſe habet. Pars tutior eſt , quæ magis abeſt peccato & periculo eius , v. g. in quæſtione, an liceat petere pecunias ad uſuram ab eo ; qui paratus eſt eam ſic dare ? Probabilior eſt pars affirmativa , quia nititur maiori numero Doctorum , & rationes pro ea ſunt magis prægnantes: nihilominus certum eſt , quòd tutius ſit non petere , quia hic non ſolùm moraliter ſed phyſicè etiam impoſſibile eſt peccatum eſſe. Prior probabilitas ex rationibus ducitur & eſt per principia intrinſeca; ſecunda autem eſt per principia extrinſeca; quia authores tractantes quæſtionem ſunt omninò extranei ipſi reſolutioni & veritati. Quo poſito, authores iam & ſemper ferè abiverunt in duas claſſes : una veterum affirmavit , poſteriores eos ſequuti negârunt : Reſpondeo autem neutros rectè reſolviſſe. In illa generalitate, utroſque bene ſi indefinitè, non autem univerſaliter intelligantur. Specialiter autem ad punctum præſens.

2. Dicendum eſt non teneri homines ad ſequendam in praxi partem probabiliorem , imo nec probabiliſſimam. Hæc dudum iam perſuaſa eſt vulgo authorum , & auditorum , meritò quidem quoad ipſam concluſionem, non item quoad rationes eius.

Attulit aliquis iſtam , quia inde dicitur opinio aliqua probabilis*, quòd poſſimus ei conformare conſcientias noſtras ſine culpa, ergo implicat quòd aliqua opinio ſit utcunque probabilis, & quòd nos non poſſimus illam ſequi. Optima illatio niſi antecedens erraret ; nego enim ei iſtam cauſalem , & dico formandam eſſe oppoſito modo, ut ſcilicet proinde poſſimus ſequi aliquam , quia eſt probabilis, non verò ideo probabilis ſit , quia poſſumus eam ſequi. Nam ſi incipiendum ſit ab hoc quod eſt , nos poſſe ſequi aliquam, quæro cur poſſimus hanc ſequi ? aliqua huius cauſa adferri debet, nulla poteſt niſi referendo unam ex duabus à me ſupra poſitis , quod ſcilicet habeat rationes pro ſe, vel authores pro ſe : hæ autem duæ ſunt duæ definitiones probabilitatis, ergo.

Dices

Digitized by Google

Dices cum Medina, etiam errores habent aliquando pro ſe rationes & defenſores, nec tamen ſunt proinde probabiles, ergo judicium probabilitatis non debet hinc ſumi, ſed potius ex ſequibilitate ejus in praxi. Reſpondeo, quoquò te verſas, nunquam poteris incipere ab eo, quod eſt opinionem poſſe teneri, aut practicari, hujus enim reſtat ratio reddenda. Deinde dico antecedens ſibi obſtare; ſi enim habet pro ſe rationes & legitimos defenſores, non eſt error, aut ſi eſt, non habet. Videbitur rationabilitas hujus in exemplo, nam ante tempora Concilii Viennenſis probabile fuit, juſtificationem fieri ſine habitu inhærente, ſaltem eum non infundi ſeſ. 6. parvulis; Jam verò poſt Tridentinum, quando oppoſitum definitum eſt, illa doctrina non eſt amplius probabilis, ſed error, nam non ſolùm deſerta eſt à ſequentibus Theologis, ſed, (ut ſupponi debet,) à ſuis, qui ideo ei adhæſerunt, quia Eccleſia aliud non determinavit, adeoque jam poſita determinatione ejus ſequitur, &c. quia illa jam non habet legitimos defenſores.

Probo jam aliter intentum incipiendo à probabilitate, quia ipſa opinio probabilior non ideo teneri poteſt, quia magis probabilis, ſed quia probabilis eſt, adeoque iam quævis probabilis; tametſi minus talis ſit, teneri & practicari poteſt; Vis eſt in antecedenti, quod ſic ſuadeo: Si non daretur alia opinio quam hæc excederet, adhuc hæc teneri poteſt, ergo; ſed in tali caſu hæc non eſſet probabilior, ergo iam non eſſe probabiliorem, ſed eſſe probabilem, eſt, quod facit aliquam opinionem talem, ut teneri poſſit.

Probatio alia, quia ſi probabiliter iudicatur, nulla eſſe obligatio hoc aut illud faciendi, tum lex illa non eſt ſufficienter promulgata, at verò quando lex non eſt ſufficienter promulgata, tranſgreſſio non eſt peccatum, ergo. Valeat quantum poteſt, ſine dubio aliquid præſtat, ſed in illa formà, non nimis: formetur ergo ſic: Quando lex aliqua eſt anceps & amphibologica in terminis, nemo tenetur ad partem duriorem, ſed in tali caſu quo illius ſcientiæ profeſſores eam in diverſum trahunt exponentes, hoc & oppoſito modo eſt anceps & amphibologicà, ergo nemo tenetur ad partem duriorem, ſed obligatio ad agendum aut patiendum ſine dubio eſt dura & oneroſa, ergo nemo ad illam tenetur, quamdiu durat ille ſtatus rei. Attuli ipſe Act. præcedenti probationem aliquam huius, quia vero res eſt ſeria, & quia honeſtas morum & ſalus animæ inde dependet, libet eam validius firmare: Alius me hoc faſce liberavit congeſtis rationibus quæ meritò placuerunt: ſuperſedeo à labore inventionis, & ipſas trado.

Quia nimirum ex oppoſito, ſcilicet ex obligatione ſequendi probabiliorem, ſequuntur plura inconvenientia, hæc autem nemo tenetur ſequi aut pati, adeoque nec oppoſitam doctrinam. Primum eſt eum qui reputat aliquid eſſe probabilius non poſſe licitè conformare conſcientiam ſuam iudicio ſapientiorum, nec eorum contrariam opinionem probabilem amplecti, quod videtur derogare prudentiæ, humilitati, & paci, ut colligit Navarrus cap. 27. num. 268. & 289. ex cap. *Prudentia*, de offic. de leg. & cap. *De quibus*, diſtinct. 20. Secundum eſt, quod non poſſit iudex ſequi opinionem magis communem, & uſu receptam, ſi ſibi videatur minus probabilis, nec poſſit ſimiliter aliquis movere litem alteri, nec advocatus eum defendere, niſi exiſtimet habere pro ſe opinionem probabiliorem, quamvis videat ab aliis viris peritis, imò etiam ab ipſis iudicibus, coram quibus eſt litigandum, opinionem contrariam, quæ ipſi favet, reputari probabiliorem, & futurum eſſe, ut in favorem ipſius eam determinet. Tertium eſt, iudicem in eadem omnino cauſa teneri paſſim contrarias ſententias pronunciare, & Doctores contrariis reſolutionibus ſubſcribere, & confeſſarium in eodem caſu ad contraria pœnitentes illiteratos obligare, quandoquidem eadem opinio ſingulis momentis apparere poteſt magis & minus probabilis. Quartum eſt, neminem, etiam neceſſitate urgente, poſtulare poſſe diſpenſationē à Papà, in re, quam probabilior opinio iudicat indiſpenſabilem, quamvis oppoſitum ſit probabile, quod eſt contra id, quod omnis experientia docet. Quintum eſt, quia durum & intolerabile onus videtur, obligare homines, ut quoties aliquid ſunt facturi, conferant ſingulas opiniones, & expendant earum rationes & fundamenta, ut poſtquam viderint, quæ earum ſit probabilior, eam ſequantur. Et denique quia oppoſita ſententia nimio ſuo rigore cruciat aliquos timoratos; nam cùm per ſingula momenta eadem opinio appàreat eidem homini magis & minus probàbilis, etiam per eadem ſingula momenta deberent variari eius obligationes, quod eſſet ſatis gravè iugum, nam poſtquam quis, verbi gratia, reſtitueret ſecundùm unam opinionem, quæ ſibi tunc videatur probabilior, aut abſtineat à celebratione contractus ſibi maximè utilis, ſi poſteà oppoſita opinio probabilior appareret, valde cruciaretur animo: quare non eſt credendum, Deum obligaſſe nos ad ſequendum ſemper opinionem probabiliorem, vel ſaltem quod eſt probabilius?

Objiciunt authores pleraque contra iſtam, ſed immeritò, non enim hic locum habent, (aut certè non proprium,) ſed infra, contra partem de opinione tutiori: quo loco dabimus ea: Quod hic rectè ſedet eſt iſtud, ſcilicet neminem poſſe operari contra conſcientiam, at verò ſi liceret ſequi opinionem minus probabilem, id poſſet: nam quilibet judicat id eſſe in re, quod ipſi probabilius videtur; ergo ſi licet operari contra opinionem quæ ei apparet probabilior, licet operari contra propriam conſcientiam, ſeu judicium, quod idem eſt. Contemnitur hoc communiter, quia nimirum quilibet putat ſe illud ſolvere, ſed non eſt contemnendum, & involvit difficultatem non ſolùm practicam, ſed ſpeculativam; facit enim dubitare, utrùm poſſit id fieri? & non tantùm an id liceat? quia nimirum nemo poteſt perſuadere ſibi oppoſitum ejus quod ipſi verius videtur, non magis quàm efficere, ut oculus clarius videat res in tenebris poſitas, quàm illuminatas, ſed quod apparet probabilius per principia intrinſeca, videtur verius, ergo non poterit intellectus removeri ab eo, & transferri ad partem minus probabilem. Urgeo rationem, quia intellectus accedente opinione minus probabili, aut deſerit magis probabilem, aut non deſerit; ſi non deſerit, jam habet duo judicia contradictoria, quod implicat, quod verò deſerat, dici non poteſt,

quia

Digitized by Google

quia eſt cauſa naturalis ſicut bilanx, quæ ſemper vergit in eam partem unde plus accipit.

Poſſemus hæc leviter evadere dicendo argumentum & locum hunc ſupponere poſſibilitatem hujus rei, & quærere de legitimatione ejus, ſed ſatisfaciam omnibus, in primis autem dico eum qui facit contra opinionem viſam ſibi magis probabilem non facere contra conſcientiam amplectendo minus probabilem, ſed potius cum conſcientia ſi formavit ſibi (ut debet) dictamen de legitima ſequela minus probabilis. An autem poſſit formare hoc, nec ne? incidit in difficultatem ſpeculativam, ad quam reſpondeo, hic eſſe quandam quaſi fraudem aut fucum; videntur enim oppoſitæ propoſitiones currere ſuper objecta, quum tamen revera currant de opinionibus: ſit exemplum: Quæritur an v. g. talis contractus ſit ſymoniacus? poſitis opinionibus hinc inde non dicit intellectus: *eſt uſura*: non *eſt uſura*: ſed dicit, *probabile eſt non eſſe hic uſuram*, & item, *probabile eſt eſſe uſuram*, quæ non repugnant, ſenſus enim eſt: pro parte aſſerente uſuram ſunt fundamenta congrua; pro parte negante ſunt etiam congrua, quæ duo non repugnant, adeoque

Dices, ſi probabile eſt hic eſſe uſuram, & probabile eſt non eſſe uſuram, jam uſura intervenit hic probabiliter, & uſura non intervenit hic probabiliter; atqui intervenire & non intervenire, quodcunque adjungas, eſt contradictio, ergo, &c. Reſpondeo negando primam conſequentiam, quia eſt ſaltem à terminis intentionalibus ad terminos reales, quod non licet: *Probabilitas*, & *improbabilitas* ſunt termini intentionales, *eſſe* aut *non eſſe* termini reales, unde etiam iterum vitioſa eſt illatio, quum dicit: uſura intervenit hic probabiliter, nam probabilitas quum quid intentionale, non poteſt eſſe differentia exiſtentiæ, quæ eſt quid reale, ſed accommodanda ſunt hinc inde diviſum reale, & differentiæ naturales, item intentionale, & intentionales, iam in forma ad argumenta illa ſupra dico non eſſe opus, ut quis perſuadeat ſibi oppoſitum eius, quod iudicat verius, non enim tenetur ille dicere, hic non eſt uſura, ſed tantum: probabile eſt hic non eſſe uſuram, quod non repugnat cum illo iudicio probabili quod ille habet de eo, quod ſit hic uſura; nam oppoſita poſſunt eſſe probabilia, unde patet ad conſequentiam, non enim eſt opus contradictoriis iudiciis, neque ut ille deſerat ſententiam priorem, etiamſi illa non ſit tantum de modo, ſed etiam de ineſſe, ut ſcilicet dicat, *hic eſt uſura*: ac non tantum: probabile eſt hic non eſſe uſuram, nam quum una propoſitio eſt de ineſſe, altera de modo, non contradicunt, ſed poteſt una ſtare, etiam adveniente ſecunda, adeoque iſtæ duæ: *hic eſt uſura*, item, *probabile eſt hic non eſſe uſuram*, non ſunt contradictoria, quia una eſt de ineſſe, alia de modo, ſimiles iſtis: *Petrus currit*, &c. *Petrum non currere eſt* poſſibile, vel contingens, ſed contra.

4. Obiicio ipſe ſecundo, ſi licet ſequi opinionem probabilem tantum, licet adſit probabilior & verior, ergo etſi adeſſet ſcientia ab una parte, liceret ſequi opinionem probabilem ab oppoſita; patet conſequentia non ſolùm à paritate, ſed etiam oſtenſione ſic: quia majus & minus poſſunt eſſe intra eandem ſpeciem, & ita unum eſt compatibile, cum quocunque eſt compatibile alterum; ſi ergo parva certitudo, quæ eſt in opinione probabiliori, non impedit ſequelam opinionis probabilis tantum, neque magna certitudo, quæ eſt in ſcientia, impediet eandem. Reſpondeo tamen negando conſequentiam, ratio, quia poſitâ ſcientiâ ab una parte, iam amplius oppoſita non eſt probabilis, (ſicut ſupra dixi, quod poſita definitione Eccleſiæ opiniones antiquorum hodiè non ſunt probabiles,) non enim eſt probabile oppoſitum ejus, quod evidenter conſtat; Item opinio probabilis eſt judicium prudens, licèt non ſit prudentiſſimum; at verò non eſt judicium prudens, quòd illud non ſit, de cujus exiſtentia habetur evidentia aut experimentum; Ex hoc diſcurſu cenſeo moderandam eſſe reſolutionem ſupra poſitam, quæ eſt omnium ferè hodiè, &

Dicendum, quando in opinione probabiliori eſt notabilis exceſſus veritatis & rationum pro ea, ut evidentiam aliquam faciant; ſi non in re, ſaltem in intellectu operantis, non licere tum ejuſmodi opinanti ſequi probabilem tantùm, ſed teneri eum ad probabiliorem. Ratio ex dictis jam proximè habetur, quia opinio probabilis tantum apud hunc perdit multum de ſua probabilitate, ſi non ipſam totam, tantundem enim perdit quantum alia pars adquirit; ſi ergo ſupponimus hanc habere notabilem exceſſum, jam illa notabiliter defecit à probabilitate, &c. ut ſupra.

Quid cenſendum de minus tutâ?

5. Diſtinguendum: nempe aliud eſt de jure, aliud de facto; ſive rectius, aliud de dubio iuris, & aliud de dubio facti. Primum eſt, quando dubitatur an detur lex aliqua aut præceptum præcipiens vel prohibens talem actionem? itemque, ſi detur, an ita ſit intelligenda, ut comprehendat hunc caſum, nec ne? addo ad dubium iuris pertinere, an lex illa ſit ſufficienter promulgata, nec ne? & in ſumma, ad dubium iuris pertinent omnia antecedentia & externa, quæ ſcilicet antecedunt noſtram actionem, & pertinent ad inducendam obligationem. Dubium facti eſt de noſtra actione & obſervantia, an ſcilicet ſatisfecerimus obligationi nobis inductæ? neque audiendus eſt Recentior aliquis, qui dubium de exiſtentia legis non vult eſſe legis, ſed facti; nam ut omittam hic recedi ab inſtitutione terminorum, & confundi lectorem, nihil lucratur, tantundem enim & idipſum reſolvendum eſt, ſi dubia intelligantur hoc modo, & ſi illo alio

Dices: Dubium an hodie ſit feſtum, eſt dubium, an Epiſcopus illud poſuerit in Calendario feſtorum; hoc autem patet eſſe facti. Reſpondeo, reſpectu mei eſſe dubium iuris, reſpectu Epiſcopi eſſe dubium facti, nam reſpectu mei illa eſt actio inducens obligationem, Epiſcopus autem per eam ſatisfacit ſuæ obligationi, & quæro cuius facti dubium eſt, utrùm mendacium ſit prohibitum & per ſe malum? quæ actio naturæ habita vel adhibita eſt ad prohibitionem mendacii? ſed voces non ſunt dignæ hoc duello, ad rem ipſam reſpondeo, &c. &

Digitized by Google

Nego in ullo dubio horum neceſſariè ſequendam eſſe partem tutiorem univerſaliter aut per ſe: imo ſic loquendo, dico ſimpliciter ſufficere partem minus tutam; hæc hodie eſt communior; unde lapſus eſt Cornejo qui oppoſitam dixit eſſe receptam apud authores.

Concluſio eſt deciſio hujus caſus in genere tantum, præſcindendo à particularibus, de quâ infra: & quia tota Machina volvitur circa hunc axem qui eſt, *in dubiis eligendam eſſe partem tutiorem*: libet expendere hoc axioma; tam celebratum, ut videamus quantum hic premat.

Probo ergo tam jure quam ratione ex eo non confici quod debeamus neceſſario, ſive quod teneamur ſub culpa ad tutiora; etenim illud axioma in jure habetur quidem aliquoties, non tamen pro regulâ aut præcepto; ſed pro ratione, at enim clarum eſt præcepta ſuperiorum obligare, intentiones aut rationes non obligare, finis præcepti non cadit ſub præcepto, neque ratio legis eſt lex; ſicut nec rationes Eccleſiæ definientis aliquid, non inquam ipſæ ſunt de fide, ſed poſſunt eſſe fragiles; quam ſolutionem cum apud me excogitaſſem, legi ex parte apud quendam Recentem. Pro hac regula citantur quatuor capita Juris in Decret. quorum tria priora habentur titulo *de homi:* ultimum tit. de ſponſal. *Cap. ad audientiam*, *cap. ſignificaſti cap. Petitio tua* & cap. *Juvenis*. At vero in tribus ex his eſt tantum ratio præcepti, & ut talis à Pontifice adfertur; quartum autem caput quod eſt ſecundum ordine. *Significaſti*: plane pro nobis contra adverſarios pugnat, quod totum liquidum erit legenti: unum tantum deſcribere libet; quod cætera ſequuntur: ait enim Pontifex *cap. ad audientiam. Quia vero utrum occaſione vulneris deceſſiſſet, dubium, hoc veſtræ diſcretioni duximus reſpondendum, quod quum in dubiis ſemitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere presbytero memorato, ut in ſacris ordinibus non miniſtret.* Unde non ſatis maturè ait Vaſq. hanc eſſe regulam traditam hoc loco, &c. non enim traditur per modum regulæ, ſed per modum rationis & ne ſic quidem in Cap. *ſignificaſti*, quin oppoſito modo; unde arguere poſſumus contra Adver. & contra alia capita; nam caſus hujus capitis eſt ſimilis caſibus aliorum; & tamen Pontifex non reſpondet Clericum eſſe irregularem; ſed oppoſitum. *Mandamus* (inquit) *ad cautelam injungas ei pœnam competentem, qua peracta non impedias, quo minus in ſuſceptis miniſtret ordinibus.* ergo jam ne quidem de mente Pontificis aut juris in dubiis juris tenemur nos reputare obligatos.

Arguo jam contra axioma ſive regulam, & oſtendo eam ſibi ipſi obſtare; adeoque non poſſe ſubſiſtere. Dubitatur an ego debeam Paulo centum aureos, imus uterque ad magiſtratum, coram quo neuter partem ſuam clarè convincit; hic jam adferri volo regulam illam, nam ſi bona & vera ſit, magiſtratus non poteſt ferre ſententiam in me de reddendo, ſed tenetur abſtinere à me cogendo, quùm ſit dubius, & tutius ſit non imperare mihi ſolutionem, ne forte auferat mihi mea: ex altera parte, ego debeo ſolvere Paulo centum aureos, quia tutior ſum reddendo, ne forte teneam apud me aliena. Ecce illa regula imperat imcompoſſibilia.

Dices fortè, illa non eſſe incompoſſibilia; quia non fiunt ab eodem, neque judex imperat retentionem pecuniarum; ſed omittit coactionem ſolutionis. Audio, at non refert; nam nullum jus deeſt ſibi ipſi, ſicut in ſpeculativis nulla veritas pugnat aut deeſt alteri veritati, deinde expreſſius contra ſic arguo, Magiſtratus poteſt imperare cuilibet ut faciat quod tenetur, loquendo de actionibus externis; ſecundum te ego teneor numerare Paulo centum aureos, ergo magiſtratus poteſt illos mihi imperare. Oſtenſum eſt autem quod non; & ut contrahamus caſum paulo amplius in actum, oportet dicere quod ex duabus paribus una teneatur obſtare alteri in obſervatione hujus regulæ; nam ego teneor dare Paulo pecuniam ex regulâ illâ: Paulus autem non poteſt eam recipere, vides duellum actionum ortum ex hac regulâ. quæ ab utraque parte ſibi obſtat: præcipit dare, & non permittit recipere, quaſi datio poſſit eſſe ſine receptione, totum patet, nam mihi tutius eſt dare, Paulo tutius eſt non recipere.

7. Redeo ad jura & adfero plura contra unum, nam inter regulas Juris in Sex: una eſt iſta. *Cum ſunt partium jura obſcura reo favendum eſt potius quam actori.* Hic autem lex eſt actor, homo eſt reus, ergo favendum eſt homini potius quam legi; atque ita dicendum quod non incurrit pœnam is de quo dubitatur an incurrat.

Item *favores ſunt ampliandi, odia vero reſtringenda*; at vero odioſum eſt incurrere pœnam aut perdere libertatem, ergo in dubiis reſtringenda ſunt talia; & recurrendum ad favores; adeoque, quia favorabile eſt hominem eſſe immunem à pœna & obligatione legis, ita judicandum eſt in facto, at enim non auſim fidere huic regulæ in propoſito; verti poteſt æquè contra me; nam ſicut favorabile eſt privato non eſſe obligatum ad hæc aut hæc onera; ita favorabile eſt magiſtratui eum ad iſta obligari, adeoque ſi ſequenda ſit hæc regula, ferenda eſt ſententia non minus contra ipſum, quàm pro ipſo: atque ita hæc ratio nulla eſt. Audio & ajo aliquam eſſe, quia ſaltem efficit, ut ipſe homo non habeat ſe pro obligato, ſed pro libero; neque deponat quæ habet ſed retineat, atque ita reddit eum ſecurum in conſcientiâ, quod eſt aliquid, imo totum de quo quæritur hic, denique addita conſequentia præcedenti facit ut lex aut magiſtratus nil habeant hic, adeoque.

Tertia regula eſt *quod in dubiis melior eſt conditio poſſidentis.* Adeoque pro illo ſententia ferenda eſt, aut ſaltem ille retinere poteſt quod habet; ſic enim præferet ſe alteri parti non poſſidenti, unde qui poſſidet libertatem ſuam quamdiu dubium eſt an amiſerit eam per legem ſuperioris vel per promiſſionem ſuam, poteſt ipſa uti, quaſi nihil in contrarium accidiſſet: quia revera quod accidit eo quod ſit dubium, nullum præjudicium eſt. Iſta quidem ſunt jura, non tamen à jure vim habent, ſed à ratione naturali, in quâ fundantur, ut oſtendi poſſet ſi ferret tempus atque adeo ad nullam materiam reſtringi debent; unde immerito Vaſq. voluit ultimam hanc locum habere.

Quarto etiam ad hominem arguo ex ipſa regula contra ipſam; nam revera in iſtis terminis videtur ſibi derogare. Ecce quomodo? ſi enim pars eligenda eſt tutior ut ille aſſerit, tum pars relinquenda eſt tuta, non enim ullum quid eſt tutius niſi eo quod eſt minus tutum; neque quidpiam minus tutum niſi quod eſt tutum. At vero non eſt prudentia, ſaltem non eſt ullatenus neceſſarium relinquere partem tutam, eo quod nihil proficit; nam tantundem habes in tuto quantum in tutiſſimo: oſtendo totum, ſim ego in loco ad quem non poſſunt accedere globi emiſſi ab hoſte, ſed omnes debent ſubſiſtere lato ungue citra tamquam in ultimo termino ſuæ activitatis, certè ego ſum tutus, & tam illæſus ab ipſis, quam ſi eſſem ſex palmis diſtans, imo ſexcentis, ergo jam tutum & tutiſſimum ſunt idem. Periculum erat ne ferretur ſententia contra me, quia parum mihi ſuberat Juris ſupra Adverſarios, ſed denique lata eſt pro me, certè tam tutus tam indemnis ſum quam ſi haberem centum jura pro me. Vide, ſi placet, quæ dixi quodlibeto proprio de hoc, quod eſt tom. 2. ordine quarta: Et quia dixi ſuprà dubium facti eſſe quando incertum eſt an ſatisfecerim juri, & ita; eſt ſed apud quoſdam invaluit acceptio illa, quà dubium facti ſupponit pro omni actione hominis ſubjecti legi quoad transgreſſionem vel oppoſitum ejus: v. g. an ſit lata cenſura in ſymoniacos? eſt dubium juris, an ego fecerim ſymoniam ut proinde contraxerim cenſuram, eſt dubium facti, ſit ita ne contendamus, revera autem videtur eſſe dubium juris, quia dubitatur de incurſu pœnæ ſtatutæ per legem, atque ita de inducendâ obligatione quæ ſpectat ad jus & ad actum primum.

Dic ergo de hac per omnia ſicut de dubio juris; ſcilicet licere ſibi reſolvere pro te, ad nihil te teneri, eſſe in poſſeſſione libertatis tuæ, ſicut ante actionem. Rationes poſitæ ſunt, etenim ſunt eædem ut patebit applicanti; atque hoc ipſum perſuadere debet hæc eſſe juris dubia; quia per omnia ſubeunt qualitates dubii juridici aut legalis.

Experiamur quod dicimus: ſcio raptorem inhabilem eſſe ad contrahendum matrimonium, ſed neſcio an ipſe rapuerim, quia dubito an puella conſenſerit, vel alias: Scio percuſſorem clerici excommunicatum, ſed neſcio an talis ego ſim, quia dubito an ictus pertigerit ad ipſum, vel alias, poſſum contrahere matrimonium; & communicare fidelibus, &c. omnia, quia nimirum duo faciunt ad incurrendam pœnam, & lex, & violatio legis, cur ergo dubium de uno facit ſecurum, & non de alio quod æque eſſentialiter requiritur? imo magis certum debet eſſe de lege, quia hæc eſt quæ infligit pœnam, non autem actio mea, in his ergo ſi ignorantia legis abſolvit, quidni ignorantiæ actionis?

Adhuc aliter ſecundò: Judex non poteſt condemnare quempiam ex delicto dubio, nam contra terminos juſtitiæ videtur, pro delicto incerto imponere pœnam certam ſicut pro parvo magnam, aut è contra, in omnibus enim eſt improportio, ergo multo minus homo ipſe debet ferre ſententiam contra ſe in dubio, ſed potius debet ſe relinquere indemnem in foro animæ, ſicut fecerat ante judex in foro contentioſo.

Tertiò redeunt huc regulæ illæ, hic enim ego ſum reus, & lex aut Magiſtratus eſt actor, ſi ergo in dubiis favendum eſt reo, ferenda eſt ſententia pro me, quod ſcilicet non ſim obnoxius ulli pœnæ. Denique hic eripitur mihi libertas poſſidenti, at non debet in dubiis ut vidiſti, adeoque.

Movetur objectio contra & ſolvitur.

8. Eſt tamen hic aliquis ſcrupulus, nam qui dubius eſt num admiſerit tale peccatum necne, tenetur illud confiteri, & tamen recurrunt huc omnes rationes ſupra factæ in favorem eius ne teneatur, quia nimirum poſſeſſio eſt ipſius; ipſe eſt reus, & lex confitendi, actor, &c. Hoc dubium deinde vidi apud aliquem Recentem, qui reſpondit eum non habere certam poſſeſſionem gratiæ & innocentiæ, ſed coram Deo eſſe dubium, utrum ſit in gratia an in peccato; unde tenetur ſe gerere: ſicut is qui habet de ipsâ poſſeſſione dubium, quod eſt dividere rem cum alio domino eius, item dubio: ſed neſcio quomodo hæc ad rem faciant, non enim eſt quæſtio num ſit in gratiâ necne? & quamvis foret in gratia quæ pars maximè faveret ſic reſpondenti, poſſet eſſe obligatus ad confitendum, nam contritus & oblitus ſunt in gratiâ, & tamen uterque eſt obligatus ad confitendum.

Cenſeo ergo non fuiſſe excipiendum hunc caſum à cæteris, ſed involvendum indice aliorum, in quo, ut me exponam clarius, dico talem non teneri lege confeſſionis ad illud peccatum clavibus ſupponendum, neque Deum unquam judicaturum eſſe talem de hac omiſſione, ſive de violatâ lege divinâ aut humanâ confeſſionis; Rationes pro hoc allatæ ſunt: ratio contra expuncta eſt: & præterea ſuadeo ego ſic: nemo tenetur ad ſupponendum clavibus hoc eſt poteſtati abſolutivæ, niſi quod eſt materia abſolutionis. Parum dixi, quia non tenetur nequidem ſi ſit materia ſupponere niſi ſit materia neceſſaria: at vero peccatum dubium, eſt materia non modo non neceſſaria, ſed nec ſufficiens abſolutionis, ergo.

Secundò ſic: peccatis dubiis ſufficit authoritas dubia, ſemper enim in vigore ſtat ius pro portionis quam natura ipſa dictat ſequendam, adeoque non requiritur plus authoritatis pro his quod confirmo quia contra naturam eſſet imponere pænam certam pro peccato dubio: cur ergo exigetur judex certus aut authoritas talis: Atqui nemo tenetur confiteri dubiæ authoritatis Confeſſario; quia nimirum eſſet ejuſdem conditionis cujus erat prius, ſcilicet dubius de ſua gratia & ſalute. Teneo nihilominus talem obligari ad Confeſſionem peccati dubii, ſed ex alio capite quod non præjudicat præſenti concluſioni, ut putavit ille Recens.

Digitized by Google

ACTIO III.

Vtrum ſint aliquæ exceptiones ab hac doctrina necne?

Breviarium.

N. 1. *An medicus excipiatur ab illa Ethica; & debeat eligere tutiora?*

2. *An Sacerdos in adminiſtrandis Sacramentis?*

3. *Vtrum in dubio liceat habenti non ſolum re-tentio rei; ſed uſus?*

4. *Quod directè negatur habenti eſt conſumptio rei.*

1. COmmuniter cenſentur, & numerantur plures; una medici, altera Sacerdotis, quam tamen (ſi quæ illa ſit) ego non exiſtimo aliam à præcedenti, ſicut neque facio ſacerdotem alium à medico in hoc negotio, quod quiſque approbabit, quum viderit rationes dubitandi hinc inde formaliter eaſdem, & differre ſolâ materiâ; tertia de judice; Alia denique de conjugibus in matrimonio dubio.

Reſpondeo tamen & dico nihil rectè poſſe excipi ab hac regula, ſi adæquatè ſumatur; ſed complecti omnes caſus etiam enumeratos, & alios; eſſe tamen diſcrimen inter hos caſus & alios, ut regula aliter applicari debeat. Patebit reſolutio reſpondendo objectis.

Objicitur ergo illud de medico in primis; nam licet probabile ſit hoc pharmacum collaturum ſanitatem infirmo; tamen eſt alia opinio probabilior, quod non ſufficiat ad hoc, quin potius nocebit, hic certum eſt medicum non poſſe miniſtrare pharmacum illud de quo eſt ſola probabilitas, ergo jam contingit aliquando quod quis teneatur ad partem tutiorem. Quod autem hæc ratio faciat contra noſtram reſolutionem patet: quia hic aut eſt dubium juris aut facti; ſed utrumque diximus poſſe reſolvi in partem minus tutam. Ad hoc poſſim inprimis dicere non eſſe contra præſentem concluſionem; ſed contra concluſionem Apol. & Act. 6. num. 4. poſitam de dubio; at enim id fruſtra dicerem nam ſi non ſufficit opinio ad partem minus tutam, multo minus ſufficit ad dubium.

Reſpondeo ergo, aliter me hoc ſupra ſolviſſe; ſcilicet hic eſſe probabilitatem ſpeculativam, quum opus eſſet practicâ; nam licet ſit probabile illam medicinam collaturam ſanitatem infirmo; non eſt probabile illam poſſe à medico miniſtrari, ſi aliam habeat.

Reſpondeo etiam ſecundò non eſſe proprie ad rem, quia hic cum agimus de tutiori ſupponitur alia pars tuta; at vero miniſtratio illius medicinæ non eſt tuta, ſed periculoſa, adeoque.

Dices illam pro ſe habere probabilitatem; aut ergo probabilitas aufert periculum, aut non aufert periculum; ſi aufert, hic non eſt periculum; ſi non aufert, remanet periculum in omnibus caſibus; quos nos ſupra diximus eſſe tutos nec involvere peccatum; quod multo magis erit verum in dubiis, quia dubia minus præſtant quam opiniones, quæ involuunt certum aſſenſum intellectus. Reſpondeo probabilitatem auferre periculum morale, ſive periculum incidendi in malum morale; ſcilicet in peccatum; hoc autem ſufficit, quia hoc ſolum eſt proportionatum ei, at vero periculum Phyſicum non aufert; non enim efficit probabilitas opinionis ne medicina illa occidat recipientem; ex quo capies quid dicendum ad hoc quod

2. Objicitur ſecundò de Sacerdote in miniſtrandis Sacramentis, hic enim debet tutiorem partem eligere, ut quamvis probabile ſit, hanc materiam, puta aquam diſtillatam, ſufficere baptiſmo, ipſe tamen non poſſit eam adhibere ſine peccato ſi alia adſit; ſimiliter in conſecratione calicis probabile eſt reliqua à relativo; *qui* incluſivè non eſſe de eſſentia formæ, & tamen peccaret ſacerdos ſine dubio, qui duceretur hac opinione & omitteret ea. Nec refert dicere quod hoc fieret, quia talis faceret contra præceptum Eccleſiæ; nam non reperitur præceptum ſpeciale Eccleſiæ de hoc; neque tam pauca materia videtur eſſe mortalis, adeoque ultimo refundendum eſt negotium in periculum irritandi ſacramentum; ergo. Ego huic igni ligna apponam; poterant enim arguentes addere exceptionibus his caſum non ſolum de miniſtrante ſed etiam de recipiente ſacramentum; nam licet probabile ſit talia peccata non eſſe reſervata, v. g. hæreſim externam ſine aſſenſu, tamen non licet mihi fidere confeſſori non habenti authoritatem abſolvendi à reſervatis, quia licet fieret per opinionem illam, fortè ne ego peccarem confitendo aut recipiendo abſolutionem, non fieret tamen ne peccarem aut ne inferrem mihi magnum damnum ſi forte in re & coram Deo ille non abſolveret me; ita ut remanerem in peccato, proinde damnandus, ergo aliquando neceſſe eſt ſequi partem tutiorem non ſolum in dubio, ſed

etiam in probabilitate. Adhuc tamen ſtat doctrina tradita de probabilitate; neque hæc nocent, nam ubi valent iſtæ inſtantiæ ibi non recurrit doctrina: quod oſtendam in hoc ultimo caſu; talis enim tutus eſt quamdiu utitur probabilitate: at enim probabilitas non ſemper eum ſequitur, & *hæc* eſt cauſa cur aliquando in hoc negotio peccetur. Opinio probabilis currit de materia aut miniſtro Sacramenti & propterea talis in materia Sacramentorum non peccabit; puta non confitendo & recipiendo abſolutionem à tali miniſtro, non deinde recipiendo Euchariſtiam ab illo, aut alio, &c. At vero eſt hic aliud annexum ſcilicet remanſio peccati apud ipſum; hoc non tollitur per opinionem illam quia neque opinio illa quidquam dictat de ipſâ, & propterea ſi aliud effugium non habent, peccat tam ille recipiendo quam alter dando abſolutionem, quia nimirum non obſtante eâ remanet malum quod per illa eſt incurabile, & tamen eſt grave: atque hoc filo poteris per omnia duci.

Dices, quid ſi detur opinio probabilis de hoc ipſo ſecundo puncto & practico: puta quod ego poſſim fidere huic ſoli; & quod ille miniſtrando non peccet etiam extra neceſſitatem, licet ſciat me alteri non confeſſurum? Reſpondeo primo opinionem de hoc non poſſe eſſe probabilem, quia nec prudentem; non enim poteſt prudenter fieri, ut quis relinquat ſe in periculo alicuius mali ſequentis, etiam materialis, cum poſſit leviter ſe ſubducere ipſi. Reſpondeo ſecundò ipſum per talem opinionem liberandum à novo peccato, non tamen à veteri: volo dicere quod talis recipiendo ſacramentum ab hoc ſolò non peccat; damnabitur tamen, quia peccatum vetus, atque ita *ira Dei manet ſuper eum.*

Cenſeo tamen in his omnibus & ſimilibus recurrere quod ſupradixi de opinionibus imparis probabilitatis, ut quando quis in dubio habet majores rationes dubitandi notabiliter quam alius, tum teneatur cedere rei: quod hic vocatur, eligere tutiorem partem, etiam quamvis habeat poſſeſſionem. Rationes pro opinionibus ſupra poſitæ, huc redeunt; nec eſt opus eas repetere. Addo alias: Primò quia regula Juris in 6. non dicit ut circumfertur cæco modo aut abſolutè, quod in dubiis melior ſit conditio poſſidentis ſed ait. *In pari cauſa & delicto melior eſt conditio poſſidentis*: at vero tunc non eſt par cauſa, ſed impar eſt illa poſſidentis, ergo illius conditio non eſt ex hac parte melior.

Præterea poſſeſſio non eſt titulus in rem, neque dat jus; ſed eſt exercitium quoddam juris, ergo poſſeſſio non facit licitum, quod alias tale non eſſet; probo hoc, quia poſſeſſio eſt indifferens ad uſtam & injuſtam; nullum autem jus eſt indifferens ad juſtum & injuſtum. Deinde bonæ fidei poſſeſſor, vel etiam verus & legitimus poſſeſſor non auget titulum ſuum in rem quotidie per habitionem vel etiam uſum rei; non enim plus juris habet homo in domum, aut agros ſuos poſt multos dies quam poſt paucos. Itaque poſſeſſio eatenus prodeſt quatenus juribus exiſtentibus hinc inde paribus non eſt neceſſitas cogens ad mutationem; quamdiu autem non fit mutatio, res manet apud ipſum; unde ni fallor non rectè ſentiunt, qui dicunt poſſeſſionem ſupplere proprietatem.

3. Quæri etiam poteſt, utrum in dubio licita ſit habenti, non ſolum retentio rei, ſed uſus? ad quod reſpondetur à pleriſque affirmativè; ſed non mihi placet reſolutio, & potius cenſeo cum Corduba noſtro oppoſitum, ſaltem hanc aliorum reſponſionem non poſſe eſſe univerſalem. Concedo in quibuſdam currere quod illi volunt; quando ſcilicet res non teritur uſu, uti eſt domus, quam concedo habitari poſſe à poſſidente, quia domus tam teritur ſi habitetur, quam ſi non habitetur. Tamen quæ teruntur, & maximè quæ uſu conſumuntur, non ſubeunt hanc regulam, quod oſtendo ex ipſorum ratione.

Dicunt enim poſſe illum uti re etiamſi non ſolum teratur ſed etiam conſumatur uſu, quia non exponit ſe periculo conſumendi rem alienam invito domino, dummodo habeat animum reſtituendi ei tantumdem, ſi comperiatur quod ad ipſum de jure pertinebat. Hic illi conquieſcunt, ſed inde ni fallor excitabo eos hac ratione: verus dominus alicujus rei habet jus non ſolum in æqualitatem ſed in identitatem ſuæ rei. Aliquis furatus eſt mihi librum: deprehenſus & coactus ad reſtitutionem emit mihi alium ejuſdem Speciei, & offert, dico in manu meâ ſitum eſſe quod velim admittere librum emptum & poſſe ſemper exigere meum, ut quantumvis daret mihi pretia centum librorum ſimilium, poſſem non eſſe contentus, eo quod habeam ius in identitatem, & non ſolum in æqualitatem: ergo qui dat mihi æquale duntaxat, non vero idipſum, lædit jus meum in aliquo: declarabo & confirmabo hoc ſeorſim, primum ſic, poteſt enim fieri quod iſte ſit liber relictus mihi à meo patre, huic ab avo; illi ab atavo, & ſic longâ ſerie, propter quod eſt mihi chariſſimus, & non tamen ob valorem ejus: at vero dans æqualem dat ſolum valorem, ergo non reddit totum. Secundum hoc modo, quia quando fur ſurripuit mihi librum, non aliud abſtulit niſi poſſeſſionem, jus enim non adquiſivit in librum, ergo jam mihi ſemper remanet jus in eundem librum.

Objici mihi poteſt ipſum axioma: ſi enim ita eſt ut ego volo, tum non eſt melior conditio poſſidentis, quid enim prodeſt poſſeſſori, ſi non detur uſus? imo tunc eſſet deterior conditio eius, quia poſſeſſio eſt oneri, quando vetitum eſt alicui uti poſſeſſis: Reſpondeo: quod negavi potiſſimum eſt conſumptio rei vel alienatio, uſum autem ideo vel maximè *nego*, quia eſt via ad conſumptionem, imo quia numquam eſt res in alicuius poſſeſſione, quin aliquid ei conſtet; ſi eſt equus debet ali: ſi eſt veſtis aut ſuppellex, debet locari, ideſt ſpacium occupare, quod ipſum eſt pretio æſtimabile, ideo ſemper aliquis uſus debetur poſſidenti, non debetur tamen deſtructio aut commutatio, nego ergo aſſumptum: nam hic ipſe uſus reddit meliorem conditionem poſſidentis. Deinde do aliam viam: ad conditionem ejus meliorandam, ut ſcilicet faciat inquiſitionem de vero domino, quem ſi non invenerit,

Digitized by Google

nerit, poterit conſumere & cõmutare, &c. Alia hic addi & decidi ſolent ut de reſolutione conjugum in dubio matrimonii: de ſententiâ Judicis in cauſa dubia, &c. ſed hæc partim propriè Theologica ſunt, partim habent proprias materias; ut de juſtitia & Jure, de contractibus, unde hoc loco locum non habent niſi importunè & per aliquam anticipationem: ſit ergo nobis hic

ACTIO IV.

Quæſtiones aliquot de hac materia motæ & ſolutæ.

Breviarium.

N. 1. *An dubius dominus debeat inquirere verum?*
2. *Quid judex faciet, quum neutra pars habet poſſeſſionem?*
3. *An poſſit rem ſortibus committere tunc nec ne?*
4. *Caſus in quo poſſeſſio non præfert habentem alteri.*

1. PRima, an dubius poſſeſſor teneatur adhibere diligentiam ut verum dominum addiſcat, ſi non conſtet ipſi cujus ſit, neque ullus ei litem intendat? ſupponitur communiter quod ſic, & quod ex die quo omittit diligentiam non ſit bonæ fidei poſſeſſor, ſed non video fundamentum pro hoc, video pro oppoſito.

Res enim inventa apud aliquem non facit pejorem conditionem ejus: faceret autem ſi obligaret eum ad ſtudium de ipsa. Item contingit quod diligentia non poteſt fieri ſine ſumptibus; ſed ille non tenetur ad ſumptus faciendos, cum fortè ceſſuri ſint in perniciem ejus, quia fortaſſe conſtabit res eſſe alterius.

Dices: quum comperietur res eſſe alterius, ille alter rependet ei ſumptus: non poſſum negare quod rependet, poſſum negare quod teneatur ad rependendum: quo jure enim, ſi ſumptus non ſint facti ipſius juſſu, conſilio, aut conſcientiâ ſaltem?

Dices ſecundò, niſi fecerit diligentiam, exponit ſe periculo injuriæ irrogandæ, ſcilicet tenendi rem alienam invito domino. Reſpondeo alium, etſi eſſet dominus (quod tamen in caſu eſt incertum) hic non eſſe invitum niſi materialiter reſpectu poſſidentis, quia nimirum poſſidens neſcit eum eſſe invitum.

Dices id præſumi: præſumitur enim quemque velle ſuum habere. Reſpondeo præſumi poteſt invitus, ſed quia non poteſt præſumi dominus, ut ſupponimus, ſequitur, &c.

2. Secunda ſit, an quando neutra pars eſt in poſſeſſione, & tamen inæqualis, an judex poſſit decernere poſſeſſionem alteri? in quo non loquor de ultimatâ ſententiâ, & Reſpondeo negativè. Ratio quia judex non poteſt reddere meliorem cauſam ullius partis, ſed invenire eam talem, &, qualem invenit, judicare, at vero poſſeſſio facit meliorem cauſam partis, adeoque à judice non poteſt ulli conferri ante ſententiam. Vis hujus rationis oritur ex veritate quæ tacetur hic, etſi ſubintelligatur, quod ſcilicet nemo poſſit reddere deteriorem cauſam ullius, nam reddere bonam nil prohibet; ſed ideo hic prohibetur judex reddere meliorem cauſam partis unius, quia redderet pejorẽ illam alterius & inferret ei præjudicium.

Non vidi oppugnatam reſolutionem, quia nec motam; poteſt tamen pro alterâ parte affirmativâ ſic argui: Totum jus in poſſeſſionem eſt in partibus, (hoc enim in caſu poſito non diſtinguitur à jure in ſubſtantiam rei) ergo illarum uni concedenda eſt res; urgetur: quia ſi neutri illarum concedatur debet relinqui tertio atque hic nullum jus habet in ipſam, atque ita omnino minus debet apud ipſum eſſe, quàm apud ullam partium, quantumcumque debile ſit jus ejus: & urgeri adhuc poteſt quia cui poſſeſſio obvenit eidem etiam uſus rei obvenit ſecundum communem; at vero non videtur juſtum ut invitis dominis, etiam dubiis aliquis utatur re quæ uſu teritur, quando ipſe nc quidem dubius hæres eſt; quod ulterius ſuadeo ipſe hac ratione, quia nimirum hic præjudicatur partibus etiam abſolutè loquendo, quia licet jam nulla illarum habeat abſolutum ius, tamen aliqua habebit hic, undè præiudicatur iuri quod habendum eſt; quia iam interim res uſu fit deterior nec umquam pertinget ſana ad eum cui per ſententiam aſſignabitur; hæc & hoc genus acumina poſſunt meditanti occurrere; propter quæ tamen non credo deferendam reſolutionem traditam, ſed totum componendum per hoc, quod apud tertium remaneat lite pendente; qui tamen re uti non poſſit niſi ad proportionem ſumptuum quos facit, aut certè de conſenſu partium.

3. Tertiò quæri poteſt an in dubio & pari iure liceat iudici rem ſortibus committere? Reſpondeo non licere niſi de ipſarum partium conſenſu. Ratio, quia ſic exponit periculo partem quæ revera ius habet in rem illam. Confirmo quia non licet ipſi iudici inauditis partibus temere ferre ſententiam; hoc autem eſt tale, eſt inſtar eius, adeoque.

Dicamus etiam ad illud quæſitum; cur in dubio tota res relinquenda ſit poſſeſſori? an non ſatis ſit ſi detur ei pars maior, ſive aliquid plus altero? ſi enim alter habet ius, videtur ratione eius aliquid ei deberi: etſi infrà medietatem aut paritatem cum altero.

Reſpondeo hic non tam propriè relinqui rem; ſed remanere poſſidenti: non enim ab ullius ſententiâ vel diligentia provenit, ſed quia donec mutentur res, ibi eſſe debet quælibet ubi inventa eſt; at vero ante iudicis ſententiam non debent mutari conditiones partium.

Deinde poſſidens habet æquale ius in utramque

Digitized by Google

que medietatem, adeoque vel una vel nulla relinquenda eſt ei.

Eſt tamen hic aliquid adhuc difficultatis, ſi poſt examinata utriuſque partis jura inveniantur paria; an poſſit relinqui res penes poſſidentem propter ipſam poſſeſſionem? videtur enim quod ſic quia natura reliquit ipſi in dubio poſſeſſionem; cur ergo ars ſive induſtria judicis non poſſit relinquere eam illi propter ipſam per ſententiam? Reſpondeo primo non poſſe contingere ut duo habeant jus in eandem rem in creatis; quia non poſſunt duo eſſe domini in ſolidum ejuſdem ultimo nec in Divinis oppoſitum hujus contingit; quia etſi duo habeant jus in eandem, non tamen ſunt duo domini. Jam ad caſum ipſum reſpondendum videtur negativè, quod tamen (credo equidem) non placebit communiter authoribus modernis: Ratio, quam ſupra contra ipſos formavi, eſt; quod poſſeſſio non ſit jus, ſed exercitium juris, quod etiam ſine ullo jure poteſt haberi.

Nec refert, ſi dicas quod quando jura partium ſunt paria, poſſeſſio reddit meliorem illam poſſidentis; id enim ſupra explicavi, & excuſſi ne nocere poſſet, ergo reddit meliorem conditionem poſſidentis, propterea quod ante ſententiam res non debeat mutari; adeoque relinquenda ſunt omnia apud eos, apud quos cæptâ lite inveniuntur; At verò per ſententiam, & poſt ipſam poſſunt res mutari, adeoque poſſeſſio tunc nil facit pro poſſeſſore; ex quo habes quod judex nullo modo debet moveri à poſſeſſione ad adſcribendam rem habenti, neque ab ablatione ejus ad ferendam ſententiam contra partem cui ablata eſt, nam, ut dixi, poſſeſſio juvat tantum uſque ad ipſum excluſivè, intellige uſque ad actum judicialem & ſententiam ultimam ac diffinitivam.

4. Dico etiam ultimo poſſeſſionem non facere in caſu jam referendo; ut res remaneat apud habentem: accommodavi Petro librum, dubito etiam an non donaverim, liber autem ipſe manet adhuc apud Petrum; qui judicat me donaſſe ſibi illum, adhuc poſſem vendicare mihi librum; ratio quia in dubio donationis factæ, ſicut in dubio voti, ergo habeo dominium libertatis meæ; atque ideo ſicut poſſum reſolvere quod non vovi; ita poſſum reſolvere quod non donavi; tum autem habeo plenum jus in rem, ſi enim non donavi, adhuc mea eſt; ſicut ante donationem.

Dici poteſt diſparem eſſe rationem: quia in materia voti habeo poſſeſſionem rei promiſſæ, ſcilicet jejunii, continentiæ, &c. quæ ſunt actiones meæ; at vero hic non habeo; quia liber non eſt materia promiſſionis, eſtque apud alium. Reſpondeo quidquid ſit de hoc, dominium eſſe adhuc apud me; quia nimirum non conſtat quod alienaverim illud, ſed ſolum uſum, ſeu poſſeſſionem; ergo quæcumque bonitas conditionis provenit ex dominio, apud me eſt adhuc, at vero qui habet plenum dominium rei, utique poteſt ſibi aſſerere poſſeſſionem ejus. Ubi id obiter adverto, quod hic forum conſcientiæ diſſidet à foro externo & contentioſo, nam in foro conſcientiæ tes eſt ut jam eam eſſe reſolvi, at vero in foro contentioſo externo, judex poteſt eam adjudicare habenti aut ſaltem ei relinquere; eo quod coram ipſo jura partium ſunt æqualia, ſcilicet unus affirmat alius negat; adeoque propter exceſſum qualemcumque, qui provenit à poſſeſſione in ipſius foro melior eſt conditio poſſidentis, & poterit continuare poſſeſſionem.

* * *

ACTIO V.

Aliter reſolvendum in dubio facti propriè.

Breviarium.

N. 1. *Iterum diſtinguo dubium juris & facti.*

2. *In dubiis facti pejor eſt pars dubitantis.*

3. *Ratio hujus à priori.*

4. *Objectio: quando dubium facti incidat in dubium iuris?*

1. Supra recenſui acceptionem dubiorũ, ut iuris dubium ſit de exiſtentiâ legis, facti aũt de actione hominis iuxta legem vel è contra; quomodo apud antiquos ſonuit hoc *τὸ factum*: At enim etſi nulla acceptio vocis ſit damnanda, quia quælibet poteſt imponi ei, tamen ad rem præſentem melius intelligitur dubium iuris eſſe, quando dubitatur de impoſitione legis præceptivæ aut pœnalis: idq; ſive dubitetur de exiſtentia ipſius legis, ſive de eo an ego incurrerim obligationem eius opere aliquo vetito per ipſam; undè dubium facti erit propriè de eo an ego ſatisfecerim obligationi legis, quam induxi mihi per actionem meam, vel aliter ad quæ Reſpondeo, &c. &

Dico in dubiis facti contrarium eſſe tenendum & practicandum, ſcilicet dubitantem debere reſolvere contra ſe in favorem alterius, oſtendam exemplis quod aſſero, ſcio me obligatum ad decimas contribuendas Eccleſiæ, dubito an hoc anno ſolverim, licet in re ſolverim teneor adhuc ad aliam ſolutionem, non dubito me voviſſe peregrinationem dubito me ſolviſſe, teneor peregrinari, & ſic de cæteris caſibus qui facile ex iſtis capientur.

Probo concluſionem primò, quia axioma illud: In dubiis tutior pars eſt eligenda, utique aliquando veritatem & neceſſitatem habet, nuſquam aut niſi hic aut in ſimilibus, nam in dubiis iuris ſupra iam oſtendimus illud non procedere.

Secundò & propriè, quia hic directè militat aliud axioma: & quidem id ipſum quo ſupra perſuaſi in dubio iuris oppoſitum, hoc ſcilicet; In

Digitized by Google

In dubiis melior eſt conditio poſſidentis; id enim evincit me teneri ad decimandum, & ad peregrinandum, quia nimirum in poſitis caſibus poſſeſſio eſt penes alium; in primo penes Eccleſiam, in ſecundo penes Deum; hæc enim eſt pars ipſorum; ſcilicet obligatio mei ad faciendum hæc aut illa in favorem ipſorum, atque adeo ipſi poſſident quod illorum eſt, ſcilicet obligationem mei; hæc enim certa eſt ut ſupponimus, nec ego ipſe eam nego; at vero mea pars, ſeu quod mihi faveret, ſcilicet ſolutio, eſt dubia; quum ergo melior ſit conditio poſſidentis, melior eſt conditio Dei & Eccleſiæ hic, atque adeo ferenda eſt ſententia pro ipſis contra me, ut ego teneat illis ad ſolutionem. Suadeo ſic tertiò; quia ſi res agitur in foro externo, ſic omnino erit decidenda, & licet non ſemper valeat conſequentia ab uno foro ad alterum, tamen quamdiu non habentur propriæ probationes fori interni, & poſſunt ei applicari illa externa, utendum eſt illis; ſic autem ducitur forum externum ut patebit in hoc caſu. Accepi centum aureos à Joanne cui etiam dedi Syngrapham ſeu confeſſionem debiti contracti, ſolvi ei confidenter neque petivi aut accepi, ut debui, ipſius ſyngrapham, quæ eſſet confeſſio ſolutionis, ſi ipſe repetat iterum pecunias, & deferat rem ad magiſtratum, certè hic feret ſententiam contra me quia ille productis coducillis probat ſe credidiſſe mihi nummos, & dicit me non ſolviſſe, nec ego probo contrarium; at vero hic ſimile eſt, nam mea conſcientia eſt inſtar illius judicis cui conſtant jura unius partis, non conſtant jura alterius, adeoque debeo ſententiam ferre pro illâ ſeu priori.

3. Et totum poteſt revocari ad rationem quaſi à priori ſic; quia nimirum ut eſſent pares hinc inde partes, nec poſſet ferri ſententia contra unam pro aliâ deberent jura illarum æqualiter conſtare; at vero ita non eſt, nam unius quidem conſtant, etiam de alterius confeſſione; at vero alterius jura non conſtant; unus eſt in poſſeſſione clarâ, ut non egeat probatione, quia alter fatetur: At vero alter met non item, ſed eget probatione, quam non poteſt proferre, adeoque quamdiu ſic jacent res, *in omni foro* ferenda eſt ſententia contra ipſum, nam fora non diſcordant niſi ubi eſt præſumptio fundata aut rationabilis, ſaltem apparenter in externo, hic autem non eſt quid tale aliter, quam in ipſo interno, ergo, &c.

Dici poteſt primò eſſe nihilominus hic aliquam diſparitatem, idque à naturâ fororum, nam in externo conſtat mihi creditorem exigere ſolutionem, quia intendit mihi litem, at vero in interno, quando res eſt cum Deo, non conſtat mihi an creditor exigat ſolutionem? poteſt enim fieri, quod Deus ſit contentus, eo quod ipſe videat me revera ſatisfeciſſe ſibi. Reſpondeo poteſt eſſe in re diſparitas, non poteſt quo ad me eſſe, quamdiu id mihi non conſtat, quia nimirum conſtat mihi mea obligatio, atque adeo video ſtare ius creditoris; & quamdiu non conſtat mihi illud eſſe extinctum, debeo reputare me obligatum ad ſatisfaciendum.

Objici ſecundò poteſt, hoc dubium facti incidere in dubium Juris; nam ſi ego ſum dubius num ſolverim, dubito an aliquid debeo; hæc enim ſunt ſynonyma non ſolviſſe, & adhuc debere, ſicut enim ſi certus ſim quod ſolverim, certus ſum quod nihil debeam, ita, ſi dubius ſim an ſolverim, dubito etiam an aliquid debeam; tum autem dubito de iure ut vides adeoque ſi in dubio iuris poſſum favere mihi poſſum etiam in præſenti ut vides. Reſpondeo non ſufficit idem niſi ſit etiam eodem modo ſumptum, in moralibus, imo nec in Phyſicis: Generatio & corruptio ſunt inter eoſdem terminos planè; differunt tamen implacabiliter, nam termini non eodem modo diſponuntur utrobique; ſed quod uni eſt, *à quo*, alteri eſt *ad quem*. Ita hic: nam in utroque caſu diſputatur de obligatione, & hæc eſt, quæ ad rem facit; tamen aliud eſt quod obligatio ſit dubia ex poſſeſſione ſui, aliud an ſit dubium ex ſatisfactione meâ, nam ſi dubium ſit ex parte eius, perdit ille obligationem & retineo ego libertatem, ſi ex parte meâ, è contra, perdo ego libertatem & retinet ille obligationem, atque ita expedit exactè ſcire materiam dubii, utrum ſit iuris an facti propriè: nam iuxta hæc aliter, & aliter facienda eſt reſolutio in conſcientiâ, atque etiam in foro contentioſo, ad quod iuvabit ſequens quæſitum.

Utrum ſcilicet quando dubito an impetraverim diſpenſationem legis, puta in gradibus prohibitis matrimonii, an, inquam, tunc poſſim reſolvere in meum favorem, dicendo quod poſſim contrahere cum conſanguinea necne? videtur enim quod ſic, quia dubium eſt de iure, an ius illud ſubſiſtat? non autem de facto, quia ego certus ſum me hactenus ſatisfeciſſe, neque contraxiſſe cum ulla infra prohibitos gradus.

Dic tamen te non poſſe contrahere, quia dubium eſt facti: ſcilicet diſpenſationis impetratæ à te: & quomodocunque hic explicetur factum, jus eſt in poſſeſſione ſuæ obligationis. conſtat enim quod lata eſt illa lex prohibens, non conſtat quod ſit derogatum ei per diſpenſationem, vel aliter, adeoque melior eſt conditio legis, & ei concedenda eſt victoria, ſive ferenda ſententia pro ipsâ.

Inſtari tamen adhuc poteſt contra dicta, ſi in dubiis melior eſt conditio poſſidentis, tum ſi quis dubitet an non contraxerit matrimonium cum tali, ſi in favorem eius cedant nuptiæ, poteſt reſolvere quod ſic, & ita uti ea, hoc autem cenſetur abſurdum, ergo. Reſpondeo ita eſſe, nec ſolum tunc, ſed ſi dubitet an contraxerit rectè, etſi ſit certus de abſoluto contractu, & ratio patebit ex explicatione axiomatis, quando enim dicitur quod in dubiis melior ſit conditio poſſidentis, ſenſus eſt quod poſſidens non debet privari aliquo quod habuit ante actum: de quo dubitatur; non vero quod omnia de quibus dubitat ſtatim cedant ei, abſit enim: at vero ante contractum illum dubium, fœmina non erat ipſius, adeoque nec propter axioma illud debet cedere ei, & ex his poterunt reſolvi alii caſus perplexi in hac materiâ, nam deſcendere ad ſingulos non eſt Ethici, videantur Caſuiſtæ qui hoc nos faſce exonerabunt, item D. D. in materia de matrimonio: quæ plurimas difficultates parit, atque item illa de Juſtitia & Jure, nobis ſit.

ACTIO VI.

Digitized by Google

ACTIO VI.

Quomodo deponenda ſit Conſcientia erronea & Scrupuloſa?

Breviarium.

N. 1. *Sententia Cajetan. reprehenſa à Recent.*
2. *Conſcientia non poteſt ſolâ voluntate deponi, poteſt tamen ſine nova ratione.*
3. *Varii modi deponendi conſcientiam erroneam.*
4. *Defenditur Cajetanus à Cenſuris Recent.*
5. *Scrupulus quid? & ex quibus cauſis proveniat?*
6. *Remedia contra ſcrupulos ex quibuſcumque cauſis.*

1. Oprimum vini ſervatum eſt uſque modo; quia hæc ultima eſt utiliſſima pars Apologiæ; quomodo debeamus ſalvare nos à periculis erroneæ conſcientiæ? ſub qua comprehendi poterat ſcrupuloſa, niſi ad majorem claritatem uſus eas diviſiſſet. Hoc autem loco mirum eſt quot colaphis cædatur Cajetanus à Recentibus eum ſequutis; quod ut rectius expendamus, placet ipſam doctrinam Cajet. in medium adferre; ait ergo Cajet. primò conſcientiam erroneam poſſe ſine ullo motivo deponi aliquando; deinde ait, quod poſt univerſalem aſſenſum de eo quod hoc, puta iter agere in feſto, ſit malum, adhuc poſſit formare ſibi dictamen quod ipſe iter agendo non peccet; in quorum utroque gravius carpitur quam meretur: Primum contra eum hoc objicitur, quod revocetur intellectus à vero ſine ulla veritate, vel ratione, quod implicat; quia ratio ſeu veritas (quod idem eſt,) eſt motivum formale hujus potentiæ, ſine quo non poteſt ferri in ullum. Contra ſecundum autem hoc, quod talis diſpoſitio intellectus ſit aſſenſus contradictoriarum; nam affirmare univerſalem, & negare particularem in eo incluſam eſt affirmare & negare idem, ſcilicet illud particulare; neque ego nego quin poſſit melius reſponderi quam Cajet. reſponderit, ſed non uſque adeo à vero abſceſſit.

2. Dico ergo primò: Conſcientia ſive erronea ſive vera non poteſt ſolâ voluntate deponi, poteſt tamen ſine nova ratione poſitivâ. Prima pars probata eſt jam, quia implicat potentiam ferri extra motivum ſuum; ſed motivum adæquatum intellectus eſt verum: deinde ſi intellectus poteſt trahi à voluntate, jam non eſt neceſſaria.

Dices non ſequi illatum, quia locomotiva eſt neceſſaria, & tamen trahitur à voluntate quo illi libet. Reſpondeo primò negando ſequelam propter diſparitatem; quæ eſt inter utramque, nam locomotiva ſubordinatur voluntati, intellectus non, ſed prævenit eum: ſicut ergo habitus eſt neceſſarius licet ſubordinetur potentiæ, ita locomotiva; ergo neceſſitas ſola non infert hoc, ſed neceſſitas ſine ſubordinatione qualis competit intellectui. Deinde intellectus non eſt deſpoticè ſubordinatus voluntati, & in hoc diſtinguitur à locomotivâ. Denique ſi intellectus trahi poteſt quocumque placet voluntati, non rationibus, ſed obſecrationibus utendum eſt cum homine ut credat, ut aſſentiatur & convincatur, quæ omnia falſa ſunt, ergo. Secundam partem ſic ſuadeo: quia concipi poteſt conſcientia ſine ratione poſitiva, & deponi quorum utrumque ideo contingit, quia aliquando videtur homini prædicatum ſeipſo conjungi ſubjecto ſaltem morali judicio, & tunc aſſentitur: ſi ergo poſtea appareat ei non eſſe tanta connexio illorum ad invicem quam putabat, poterit benè revocare aſſenſum, hic autem non intervenit ulla ratio poſitiva, ut vides; ſed ſoli ipſi termini propoſitionis.

Cenſeo etiam ſecundò non ſatis exactè (ſalvâ tamen authoritate ſic loquentium) hic quæri de depoſitione conſcientiæ erroneæ ſub his terminis. Moveor, quia ſi conſtet eſſe erroneam eo ipſo deponi deberet, imo ſtatim ceſſaret, nec eſſet opus regulis aut rationibus. Neque tamen moveri debet quæſtio de modo quo vera deponatur, hæc enim non eſt deponenda. Fateor. finis quæſiti, eſt deponere errorem, vel rectius, eſt efficere ne conſcientia nos impediat ab objectis & actionibus utilibus & placitis; at vero propterea non tradendæ ſunt regulæ ad deponendam conſcientiam univerſaliter; etenim poteſt contingere ut conſcientia quæ deponitur in re ſit vera adeóque.

Dico ergò ad hoc reſolutivè: Conſcientiam quæ concepta eſt ſine ratione poſitivâ ut ſupra, poſſe ſimiliter ſine ipſa deponi. Hæc jam tradita eſt, & accipienda ut ibi, quod ſcilicet quantumcumque ſit leve motivum ex quo concepta eſt conſcientia, non poſſit à voluntate imperari depoſitio ejus, ſed debet eſſe ſimile fundamentum ad hoc, quale fuit ad inceptionem ejus.

Addo eam deponi poſſe per reflexionem ſic dicendo: habeo quidem dictamen hoc conſcientiæ, ſed video me illud concepiſſe ex levibus motivis: adeoque quia illa non ſunt quid ſufficiens ad judicium prudens, ego adhuc ſum in poſſeſſione libertatis meæ, & poſſum facere quidquid ante hanc conſcientiam potui, quia nimirum illa non obſtat.

Tertiò deponi poteſt à doctis per lectionem authorum qui caſum tractant, ab indoctis per conſilium doctorum, accedédo & interrogando eos: quod ſi nihil horum prævaleat, ſequenda eſt ſub peccato contravenientis. Ultimò, quod primo loco narrandum fuit, deponi poteſt per auxilium gratiæ Dei, ad quam ex noſtra parte adhibendæ ſunt orationes & alia opera; ſed hoc medium ideo ultimo poſui quia cum cætera omnia deſunt, poteſt hoc prodeſſe.

Ad ſecundum modum pro doctis ſpectat hoc aliud (ſi tamen ſit aliud) medium ut ſcilicet apud

apud ſe ſtudeant invenire rationes probabiliores; vel æquales pro oppoſito, imo etiam debiliores; quæ ſi tales ſint ut poſſint fundare aſſenſum probabilem, ſufficient ei ad mutandum dictamen conſcientiæ & ſequendum jam mutatum.

Ad alium pro ſimplicibus vulgi, adde iſtum, ut ſcilicet attendant quid faciant communiter viri, quos ipſe reputant doctos & probos, in tali caſu communiter & publicè; v. g. aliquis putat eſſe violationem jejunii ſi bibetur interdiu, poterit attendere an Sacerdotes & Religioſi vel profeſſores academici bibant datâ occaſione, & ſi quidem, ipſi etiam hauſtum ſumere judicando ex praxi doctorum quod liquidum non frangit jejunium.

4. Antequam ad ſecundam partem de remedio ſcrupulorum accedam, expediam quod cœpi in defenſionem Cajetan. & quidem primum quod ei objiciebatur, credo jam rejectum ſufficienter ſupra, quod ita verum eſt ut ex iis qui eum carpunt aliquis unus hoc ipſum debuerit ex ſe aſſerere: nam Gabriel Vaſq hic diſp. 67. cap. 1. cum de Cajet. conquereretur ob hoc, tandem ipſe ſubſcribit, ait enim: præterea dupliciter deponi poſſe rectè judicium conſcientiæ, primò abſque ullâ ratione, ſi etiam abſque ullâ ratione conceptum fuit.

Alterum illud habet quidem ſpeciem abſurdi; quia & duo illa membra habent ſpeciem contradictionis, at non ipſam: etenim duo illa judicia, dubium eſt an liceat iter agere in die feſto; non dubito quin mihi liceat iter agere feſto; non pugnant omni modo, ſi enim diverſo modo ſumantur, conciliari poſſunt; & ita eſt in propoſito quia unum ſumitur ſpeculativè, aliud practicè. Quære ex rudi aliquo utrum liceat mactare gallinam, & objice ei legem quæ dicit: *Non occides*, forte non poterit reſpondere; non tamen propterea omittet ſuo tempore gallos & gallinas occidere, quia judicat practice hoc ſibi licere. Poſſem alterum Recentem ſimiliter contra ſe ducere: videatur ubi ſupra, & nos præbeamus remedia ſcrupuloſis.

Eſt autem ſcrupulus, formido aut ſuſpicio quod hoc aut illud ſit peccatum, non examinatâ materiâ, ſed leviter ac temerè concepta. Morbus valde moleſtus: & qui difficillime curatur, in cujus ſignum plaga illa quam Deus per Moyſen Ægyptiis intulit omnes ſanati ſunt præter ſciniphes. *Exod. 8. v. 18.*

Notant autem Doctores quod ſcrupuloſitas ex diverſis cauſis oritur, puta ex naturali complexione, quando quis eſt melancholicus & pituitoſus: aliquando à Dæmone, aliquando à Deo permittente hoc ſicut alias pœnas.

Dices non videri congruum à Deo procedere principium & periculum tot peccatorum. Audio & quæro nonne fomes concupiſcientiæ à Deo eſt? ipſe naturam ſic inclinatam fecit; & cum deinde per illius gratiam refrenatus fuiſſet, ipſe in pœnam peccati abſtulit hoc frenum, & reliquit illam effrenem ac inſanam, & quid ſi non ſolum periculum peccati, ſed ipſum poteſt eſſe alterius pœna.

Melius excipi crederem contra primum modum, quo dicuntur provenire à naturâ; nam quod provenit à natura eſt timiditas in genere, quod autem applicetur peccatis, unde fit ſcrupuloſitas aliunde eſt: quidquid ſit, certum eſt omnia hæc capita poſſe eſſe principia ſeu cauſas ſcrupulorum, licet non adæquatè: & proinde juvabit ex omni parte horum applicare remedia, licet ſingula non extinguant eos.

Contra primum oportet medicos & chirurgicos conſulere ut applicent opportuna pharmaca atræ bili evacuandæ, puta. Agaric. ℥ ij. Rabarbari ℥ ij & ſimilia.

Novi virum doctum aliorum opinione & reipſa, qui tamen his perplexitatibus ita vexatus eſt ut putaret utramque partem contradictionis eſſe peccatum; habui etiam pœnitentem virum plebeium & mæchanicum, cui caput ita plenum erat his tumultibus ſcrupulorum, ac ſi nihil aliud haberet cogitandum, cum tamen haberet familiam, uxorem & liberos ſuo ſudore alendos, ut mirum ſit quod vacaverit ei cogitare tales ſubtilitates, & multo magis invenire.

Contra ſecundum & tertium, unicum eſt remedium, placare Deum piis operibus, terrere Diabolum ſacramentis frequentatis, circumferre reliquias Sanctorum.

Quia vero timor ille (ut dixi) quatenus in ſcrupulos degeneravit, eſt aliquid non omnino naturale ſed morale etiam, pertinet quoad hoc propriè ad Ethicum & medicum ſpiritualem: propter quod breviter hic ſubdam aliqua, quæ ſi obſerventur non ſolum omnia ſed aliqua aut unum, non parum juvabunt ut infirmus curari poſſit, etiam curare. Et

Primum ſit negativum, ut ſcilicet quis non attendat, ſed quantum poteſt divertat imaginationem & intellectum ab objecto, vel materia in qua patitur hujuſmodi vexationem, etenim iſta ſe ſeminant & ſequuntur cohærenter plane quomodo lateres in cumulo, quorum ſi unum loco moveris aut auferas è medio, ſequuntur alii, primum propinquior, tum tertius, deinde alii, quiſque ad motum vicini. Ergo contemnere hos expedit & prætervadere quam animosè, quomodo equi generoſi latrantes caniculas non curant, ſed contemnunt & vias ſuas vadunt.

Tum ad poſitiva declinando, optimum conſilium his eſt, ut quod in tali caſu conſulti aliis ſuaderent agendum, ipſi exequantur, utique enim non ſuaderent eis quod crederent eſſe peccatum; at vero ſcrupuloſi non hæſitant in reſolvendis negotiis aliorum, ſicut ſuis, adeoque mutando perſonas non mutando conſilia poſſunt ſibi eſſe duces & Medici.

Tertium hoc quod ſubdo magni faciendum eſt illis, ut ad mitigandos tremores & timores ſtatuant firmiter, (quod certiſſimum eſt) neque Deum neque Eccleſiam velle nos obligare ad id quod agendo reputaremur fatui, aut exponeremus nos ludibrio: Item Eccleſiam nunquam obligare ad quidquam moraliter impoſſibile, ſivè ſummæ difficultatis; quod etiam de Deo credi poteſt extra materiam ſalutis ut eſt confeſſio fidei, aut ſimile.

Deinde uti poſſunt epicheiâ & ſuavi interpretatione quam patiuntur omnes leges humanæ atque etiam Divinæ ut plurimum adeoque quum lex aliqua habet duos ſenſus aut poteſt dupliciter obſervari, præferenda eſt via

Digitized by Google

ria ſuavior & exiſtimanda fuiſſe mens legiſlatoris: ita enim jubet ipſe *ſentire de Domino in bonitate.* Specialiter ad excommunicationes ſciendum eſt, quod non incurrantur niſi adſit præter ſcientiam cenſuræ, contumacia, quod etiam videtur locum habere in omnibus præceptis poſitivis juris humani.

Denique excuſat à transgreſſione præſumptio, quæ in dubio poteſt vergere in partem magis favorabilem; quandocumque enim quis eſt ita diſpoſitus, ut ſi ſciret id eſſe mortale, non faceret, tutus eſt. Videantur authores hoc loco. Item Magiſtri vitæ ſpiritualis Gerſon. S. Antonini. &c.

ALTERA PARS
Ethicæ Ariſtotelis.

APOLOGIA PRIMA
De Bono.

ACTIO I.

Quomodo definiendum Bonum?

ACTIO II.

Utrum Bonum coincidat cum pulchro?

ACTIO III.

Utrum bonum adæquet voluntatem, ita ut hæc non poſſit ferri in malum?

ACTIO IV.

Utrum Bonum recte dividatur in honeſtum, jucundum, utile? & an coincidat cum fine?

Scotus 4. *diſt.* 49. *q.* 10. *num.* 8.

NOlle eſt actus poſitivus nolentis ſicut & velle; & ita liberum unum ſicut aliud, quia neutrum elicio neceſſario circa quodcumque objectum, & ideo poſſum non elicere nolle circa malum ſicut velle circa bonum: tamen ſicut circa malum oſtenſum non poſſum elicere actum voluntatis niſi nolle, ſic circa bonum oblatum non poſſum elicere actum voluntatis niſi velle, & ideo, &c.

Idem *diſt.* 46. *quæſt.* 4.

BOnum autem naturæ intellectualis in genere duplex eſt, bonum ſcilicet commodi, & bonum honeſti. Bonum quidem utile quod ponitur tertium ad alterutrum illorum reducitur, ſecundum quod ad ipſum ordinatur; & licet quandoque in eodem concurrunt rationes boni, commodi, & honeſti, ut in fruitione Dei in Patria, imo generaliter omne honeſtum ſit commodum, licet enim è converſo; tamen ſummum commodum, &c.

ACTIO I.

Digitized by Google

ACTIO I.

Quomodo definiendum Bonum?

Breviarium.

N. 1. *Bonum indefinibile, & cur?*

2. *Deſcribitur ſufficienter ab Ariſtotele.*

3. *Objectiones aliquæ contra Ariſtotelem motæ & ſolutæ.*

4. *Adſertur & præfertur alia definitio boni.*

1. IAm aliquoties monui quædam eſſe, quæ facile intelliguntur, difficile explicantur, propter quod ſanè ſuperſedendum foret explicatione illorum; quorſum enim illa quando finis ejus, ſcilicet intellectio rei, jam prohibitus eſt? ex his credo eſſe bonum, quum enim ſit primus aut fere primus terminus (utpote proximus enti,) certè autem uſitatiſſimus, omnes illud capiunt primo intuitu, ut doceri illud non poſſint.

Nihilominus Ariſtoteles definire illud tentavit ſtatim in principio Ethicæ ſuæ libro & cap. 1 ita non facile, ut lis ei ſit cum Platone de ipſo; & Recens quidam fuſiſſimus eſt in ejus explicatione per aliquot capita, tamquam poſſet clarius aliquid adferre; & quoniam res eſt tam nota, ut quælibet definitio, imo nulla ſufficiat, accipio unam quæ eſt Peripatetica, &c. &

Dico, bonum eſſe quod omnia appetunt: ve eſſe quid amabile aut appetibile; ita Ariſtot. cit. quo loco ſuam Methodum obſervavit ut diffiniret pro abſtracto concretum; ſic enim pro Relatione definivit relativa, pro quantitate quantum, pro æquivocatione æquivoca; id eſt horum concreta ſive connotativa; ita hic pro bonitate bonum explicavit, quod perinde eſt, quia definitio facilè accommodari poteſt, quamquam hoc ipſum patiatur aliquam difficultatem, de qua infra.

Interim via Ariſtotelis in hac definitione, inde commendatur, quia eſt explicare objectum per potentiam, ac ſi diceret, ſonum eſſe quod auditu percipitur; luminoſum quod viſu, &c. quæ Methodus tunc eſt tolerabilis quando non deſcribit circulum, ut ſcilicet definiat objectum per potentiam & potentiam per objectum; ſi ergo poſſit adferri definitio appetitus non inſerendo bonum aut bonitatem, hæc præſens explicatio ex hoc capite tuta eſt.

Aliter eam ſuadeo; quia hæc, tamquam veſtis, benè convenit rei; quod ut pateſiat, pono hinc inde res, & animam; & ex applicatione mutuâ horum apparebit bonum reſpondere appetitui; etenim in quolibet ſunt tria; ſcilicet, entitas, bonitas & veritas: In anima è contra eſt ipſe truncus ſeu ſubſtantia ejus à quâ emanant potentiæ; ſcilicet voluntas & intellectus. Primum primo reſpondet, quia ex entitate emanant paſſiones, ex anima ſeu ſubſtantiâ, potentiæ. Primum & dignius in quolibet uno eſt bonitas; prima & dignior potentia eſt voluntas: ſequitur ibi veritas, hic intellectus; vides connubia potentiarum & objectorum hinc inde: adeoque. Cætera ſi quæ ſint inſeram in ſatisfactione objectionum.

Objicit enim Ariſtoteli in primis Cajet. ideo aliquid appeti, quia eſt bonum; ergo bonum eſt aliquid antecedens appetitum, ſolvit autem hoc Recens citatus; quaſi concedendo totum quod aſſumit; ſcilicet hanc non eſſe perfectam definitionem; ſed etſi fortè ipſi talis non ſit, tamen ex hoc capite non deficit; ſi accipiatur ut ego pro concluſione eam adhibui, ſcilicet bonum eſſe appetibile, non vero quod appetitur præcisè; ſic enim applicata ratio Cajetani non nocet ei, ut patebit applicanti; ſi enim dicas, ideo aliquid eſſe appetibile quia bonum negabo, niſi forte ſit ſenſus concomitans, aut intelligatur cauſa formalis, ac ſi dicerem, ideo Petrum eſſe hominem quia eſt animal rationale, ſed contra.

Objicio ipſe ſecundò: ex duobus his, quæ ſe mutuo inferunt & explicant, ſcilicet objectum & potentia, nec tamen adhiberi mutuo poſſunt ni fiat circulus, unum tantum adhiberi poteſt, ut vides evidenter; quo poſito planum eſt alterum non poſſe adhiberi illi, at vero quod prius eſt id rectè adhibetur ad explicandum aliud, quum ex laudibus diffinitionis ſit quod tradatur per priora, ergo poſterius non poteſt adhiberi, ex his autem ſequitur potentiam poſſe explicari per objectum, quia nimirum ex duobus his prius eſt objectum, quum illius ſit movere potentiam; ergo, unde infero ego non rectè objectum ſcilicet bonum explicari per potentiam quæ eſt voluntas.

Reſpondeo diſcurſum non malè fundari; definitio tamen ſubſiſtit ſi poſſit quis definire potentiam non adhibendo objectum; tum autem nil nocet niſi objectum eſſe prius, adeoque diffinitionem tradi per poſterius, quod tamen eſt malum neceſſarium reſpectu humani ingenii pro hoc ſtatu: nam illa receptiſſima & exemplar cæterarum: homo eſt animal rationale, labitur in hanc foſſam, etenim eſt definitio potentiæ per actus qui ſunt poſteriores, in præſenti autem id non contingit ex natura potentiæ definientis, ſed ex naturâ definiti, quod cum ſit primum non poſſunt adhiberi definientia niſi poſteriora.

Tertiò ſic infero, ſi ita ſit, tum nulla ſubſtantia erit bona, quod tamen eſt falſum, quum ſint meliores accidentibus: Conſequentia probatur quia non appetuntur eo quod non conjungantur appetenti, appetitus enim eſt concupiſcentia quæ ſemper optat aliquid eſſe ipſius ſive conjungi ſibi; at vero ſic conjungi poſſunt ſola accidentia, nam quælibet ſubſtantia eſt extra aliam, quùm ſit ſub-

Digitized by Google

ſiſtens. Reſpondeo argumento dandū eſſe quod appetitus propriè feratur in formas conjungibiles & proinde in ſola accidentia communiter: patet hoc in aquâ quam ſitibundus appetit non propter ipſam, ſed propter accidentia ipſius puta frigus, & humiditatem, quæ quia non inveniuntur ſeparata, ideo applicat ſibi ſubſtantiam in quâ ſunt. Nihilominus falſum eſt ipſas ſubſtantias non appeti aut conjungi: nam in primis incompletæ invicem conjunguntur tam eſſentiales, ut forma materiæ, quam integrales, ut caput collo. Deinde ſubſiſtentia Verbi conjungitur humanitati Chriſti, ipſe Deus voluntati Beati, quæ delectatur & perficitur non tantum ab actione ſua ſed etiam ab objecto: hic enim datur aliqua conjunctio intentionalis.

Habeo etiam adhuc unam difficultatem contra eandem: aut enim appetitus hic propriè ſumitur pro deſiderio abſentis, aut largè pro omni affectu voluntatis: ſi primum, ſequitur ſummè bona non eſſe bona, ſcilicet Divina: nam hæc non deſiderantur à Deo eo quod poſſideantur. Secundum autem non poteſt reſponderi quia amore amicitiæ poſſumus in malum ferri. Ad hoc dic appetitum propriè ſumi, at non ſemper pro deſiderio ſed etiam pro complacentiâ, ſic materia dicitur appetere formam quam habet.

4. Dico nihilominus bonum melius dici eſſe, quod eſt in ſuo genere perfectum. Hanc præfero præcedenti, primò quia illâ videbatur definire bonum alteri, cum tamen res in ſe ſunt bonæ aut malæ, & quidem priuſquam alteri. Secundò quia appetitus eſt motus, adeoque res non terminatur ibi; ſed pergit ad quietem, ideo enim appetit ut habeat & perficiatur ab habito, ergo jam principale in bono eſt perficere: atque ita eſſe patet; dicitur enim bonus ignis, bonus latro, &c. quæ nemo vellet ſibi habere. Hic autem cum dico perfectum noli intelligere completum; ſed perfectum, ideſt affectum aliqua perfectione ſui generis, non vero omni.

ACTIO II.

An Bonum coincidat cum pulchro?

Breviarium.

N. 1. *Ratio dubitandi, adductus ad hoc Ariſtoteles & explicatus.*
2. *Concluſio negativa probatur pluries.*
3. *Objectiones contrariæ adjectæ & rejectæ.*
4. *Conceditur bonum morale coincidere cum pulchro.*

1. HÆc difficultas orta eſt ex ſecunda definitione Boni ſupra proximè tradita Actione præcedenti, ſi enim bonum non debet appeti, ſed tantum approbari, jam non videtur diſtingui à pulchro: hoc enim vel maximè tale eſt: imò videtur plus eſſe quam bonum; quia bono ſufficit ut vidimus perfectio, pulchro autem videtur convenire aliqua excellentia, & alias dubitari non poteſt quin inter Bonum & Pulchrum ſit magna ſympathia & ſimilitudo, ut ægrè diſcerni poſſint, licet non pauci id tentaverint. Ariſtoteles nodum advertens tetigit aliquando, non niſi obiter & obſcurè ſuo more: ait ergo libr. Met. 13. cap. 3. Cum autem *Bonum & pulchrum differant; ſiquidem illud ſemper in operatione: pulchrum vero etiam in immobilibus eſt, &c.* quæ verba pauci interpretati ſunt; fortè quod non agnoſcerent librum illum decimum tertium pro partu genuino Ariſtotelis; certè Scotus non commentatur niſi duodecim libros ejus; ſed nec Angelicus D. Thom. In Averroë leguntur, ſed ſine commentario. Ergo, quantum poſſum conjicere vult Ariſtoteles ambo illa diſcriminari, per hoc quod bonum propoſitum excitet in nobis motum, pulchrum non item, quia nimirum bonum excitat appetitum, pulchrum autem placet quidem, ſed non generat ſui appetitum: ſive quod deſperemus illud conſequi, ſive quod nobis non conduceret adquiſitum, vel undecumque alias. Hanc fuiſſe illius mentem colligo tum ex præſenti primo Moral. ubi ait bonum appeti ab omnibus: tum ex Metaph. cit. nam ibidem ſtatim ait pulchrum eſſe conſiderationis Mathematicæ; at vero ſcimus Mathematicam verſari circa quantitates, quæ ſunt ignavæ & non activæ. Itaque Ariſtoteles hic conſequenter loquutus eſt, & ſuſtinendo primam definitionem boni quæ ipſius eſt, hæc eſt opportuna diſtinctio boni & pulchri.

Quia tamen nos aliam non ſolum attulimus, ſed prætulimus illi, non æque poſſumus conquieſcere in hac diſtinctione, ſed adhibenda alia eſt, quam ex ipſo Ariſtotele deducam, itaque ad quæſitum

Dico reſolutive bonum non coincidere cum Pulchro, ſed differre formaliter ab eo. Hæc habet adverſarium Platonem, (& in gratiam ejus Plotinum,) nam is in Memnone ait omne bonum pulchrum eſſe: & in Alcibiade, vel hoc ipſo aliquid eſſe bonum, quod pulchrum ſit; quod etiam alibi repetit; nam in lib. de pulchro, ait pulchritudinem, ſi videretur admirabilem ac flagrantiſſimum ſui amorem eſſe genituram. Vidimus autem hanc eſſe boni diffinitionem, adeoque. Sed eo non obſtante

Do tres diſparitates inter ambo illa quæ erunt totidem probationes Concluſionis: ad quarum primam præmitto, quod à nemine negari poteſt, pulchritudinem propriè dictam & acceptam eſſe illam quæ in corpore, maximè in vultu animalis cernitur: hoc enim eſt quod communiter importatur per illam vocem; & à quo ad alia derivata eſt, ſicut ly *ſanum* aut *ſanitas* primò convenit animali, ab ipſo deinde derivata eſt ad alia quibus accommodatur, unde jam incipio primam diſparitatem, quia nimirum ad pulchritudinem opus eſt pluribus, ad bonitatem non. Nullum ſimplex poteſt eſſe pulchrum, aliquid ſimplex poteſt eſſe bonum. Aſſumptum horum patet inprimis ex primo denominato horum, quod eſt pulchrum animal, aut pulchra facies, hæc enim neceſſario dicunt

Digitized by Google

dicunt & exigunt plura. Deinde ex Ariſtotele, qui ut habes loco jam cit. tria exigit ad pulchritudinem, ordinem, commenſurationem, ſymmetriam, & definitum, græce ἀριςμένον.

Dices Ariſtotelem eſſe in oppoſitum; nam illo loco 13. Met. ubi hæc exigit ad pulchritudinem, vocat ea ſpecies pulchri, non verò partes: hinc autem habetur ſingula ſufficere ad pulchritudinem; nam genus totum in ſingulis ſpeciebus reperitur.

Reſpondet Gallut. ipſum velle dicere quod ſint partes, at cur non dixit: ſed dixit contrarium? vel unde id ex eo colligitur? duo mihi occurrunt ad evadendum hunc nodum; unum quod Ariſt. ibi conjunctim agit de bono & pulchro; at verò ſingula horum etſi non ſint ſpecies pulchri, ſunt eius, vel boni. Secundum & melius quod τὸ *ſpecies* non ſonat hic logicè ex inſtitutione Porphyrii omni rigore, ſed potius participat de antiqua impoſitione juxta ſubjectam materiam, ut ſpecies ſignificet aliquid pulchritudinis, unde res dicuntur ſpecioſæ; at vero ſpecies in hac acceptione ſunt partes pulchri, adeoque.

Secunda diſparitas & probatio Concluſionis eſt, quod pulchritudo ad intellectū pertinet: bonitas ad voluntatem: etenim pulchritudo in corporibus oculum oblectat non autem affectum, qui reſpondet voluntati: qua res complectimur, & quaſi contrectamus.

Tertiò denique, res tametſi bona & pulchra ſit, tamen non appetitur ut, pulchra ſed ut bona; Multa enim pulchra non quærimus nobis, licet approbemus ea, & placeant.

. Objici poteſt quod pulchrum quà tale ſit amabile: at verò nil æquè convenit bono ac eſſe amabile; adeoque. Antecedens ita experimentis firmatur, ut non egeat probatione. Reſpondeo non nego pulchrum & bonum valde vicina eſſe: ſi ſequamur primam definitionem Ariſtotelis de bono. In ſecundâ tamen diſtinguuntur quod ſufficit nobis; ſed quia id non ſufficit Ariſtoteli; diſtinguo antecedens, eſt amabile amore concupiſcentiæ nego, alio, puta amore complacentiæ vel amicitiæ tranſeat; at verò bonum non eſt definitum ab Ariſtotele per quemcumque amorem, ſed per appetitum.

Objicio ſecundò, ſequitur enim hinc Deum non eſſe pulchrum, quod eſt contra omnium ſenſum, & contra rationem, quia omnis perfectio ſimpliciter & abſolutè eſt in Deo, pulchritudo cenſetur talis, & quidem excellenter; adeoque: Sequela autem probatur dupliciter primo ex ultima conditione, qua exigitur illud ἀριςμένον id eſt magnitudo certa ac definita; hinc enim ſequitur nullum infinitum poſſe eſſe pulchrum, Deus autem eſt infinitus, & ſimplex eſt. Reſpondeo Deum & alia ſimplicia ac infinita, ſi quæ ſint, eſſe pulchra, id eſt ſpectabilia ac præclara: Quomodo dicimus pulchrum colorem, etiam unum ſpecie & numero: puta rubedinem, virorem &c. tamen rigorem pulchritudinis non habere, niſi fortè pulchritudo non exigat compoſitionem, ſed tantum multitudinem, quod verius eſt, in Deo autem etſi non detur compoſitio, datur multitudo perfectionum: Cæterum de hac non leve dubium eſt quid intelligi debeat per eam condirionem: ſi enim rectè latinè transferatur, definitum, tum dico eam requiri ad pulchritudinem, at non abſolutè, ſed reſpectu intellectus finiti, qui non poteſt comprehendere infinitum: adeoque nec pulchritudinem ejus; ſicut ſi daretur facies humana, cuius ſingulæ partes eſſent mille paſſibus longæ: licet tota eſſet pulcherrima; tamen oculus corporalis non poſſet de illius venuſtate judicare.

4. His tamen non obſtantibus cenſeo Bonum morale poſſe confundi cum pulchro. Ratio, quia bonum morale ex pluribus coaleſcit, non enim ſufficit ad ipſum ipſa ſubſtantia actus; ſed debent adeſſe circumſtantiæ finis, præcepti, mediorum, &c. quæ multitudinem faciunt: at verò hæc multitudo eſt quæ conſtituit pulchrum, & diſtinguit illud à bono quam maximè

Inſtabis recurrere huc illud ſupra poſitum de infinitate; nam actus infiniti ſeu quod idem eſt actus Divini ſunt boni moraliter ſine dubio: non tamen conſtant ſubſtantiâ & circumſtantiis, quum ſint ſimpliciſſimi. Propter hoc exiſtimo actus Dei excipiendos ab hac regula, quam univerſaliter tradidit Gallutius; non quod actus Dei non ſint boni: ſed quia non ſunt boni per circumſtantias, aut alia adjacentia, ſed per ſubſtantiam & entitatem ſuam, ſicut in Pſalmo 18. ſcriptum eſt. *Judicia Domini juſtificata in ſemetipſis:* ſicut ergò in entitate ſunt ſupernaturales, ita ſua entitate ſunt boni non per ullas regulas aut accommodationem circumſtantiarum: itaque illi non ſunt pulchri niſi eminenter, ſed pluſquam pulchri quia in ſua ſimplicitate habent quidquid decoris accedit aliis per multiplicitatem.

Digitized by Google

ACTIO III.

Vtrum Bonum adæquet voluntatem ita ut hæc non poſſit ferri in Malum?

Breviarium.

N. 1. *Concludit voluntatem poſſe proſequi malum; non tamen appetere.*

2. *Cætera aliò refert, ad Apologiam de Anima.*

1. HÆc eſt examen aliquod primæ definitionis ſuprà; ſi enim voluntas poſſit ferri in malum, intelligo proſequutive ſive volendo, jam bonum non erit ſolum volitum, ut dicebat definitio: De hoc autem vide, ſi placet, quæſtionem... Apol.... de Anima: quo loco quoniam videor reſolviſſe affirmativè, quod voluntas poſſit tendere in malum per proſequutionem & amorem, hic nihilominus defendò definitionem Ariſtotelis ab eo incurſu; ſtat enim illa adhuc, eo quod voluntas etſi poſſit proſequi malum non tamen appetere, id eſt ſibi velle: vide cætera ibi: hic ſit

ACTIO IV.

Vtrum Bonum rectè dividatur in Honeſtum, Iucundum, Vtile; & an coincidat cum fine, nec ne?

Breviarium.

N. 1. *Notata aliqua circa diviſionem.*

2. *Ipſa diviſio vitioſa oſtenditur.*

3. *Bonum & finis coincidunt: unde media non erunt bona.*

4. *Voluptatem poſſe honeſtè percipi: etiam optari.*

5. *In diviſione etiam trimembri Boni, includendus honor.*

1. LIceat mihi in primis monere, terminos nō eſſe exactos in hac tam diu recepta diviſione boni: non enim bonum eſt delectabile, ſed delectans; ipſum autem agens ſive operans quicumque ſit, eſt delectabilis, ſicut eſt amabilis, & ſimilia; ſed hæc ſunt voces & aura: quamvis in quovis minimo præſtet bene ferri quam errare.

Ad rem ipſam, non eſt dubium diviſionem illam trimembrem eſſe adæquatam & ſanam in eo ſenſu quo ſonat, quodlibet enim quod appetitur ſub aliqua ratione ex his tribus appetitur, ut conſtat cuique experientiâ, atque ita apud vulgus diviſio relinquenda eſt in poſſeſſione ſuæ perfectionis, ſi tamen liceret Ethicæ Metaphyſicam inferre.

2. Dicerem diviſionem non placere. Ratio, quia hæc tria ſunt bona alteri: non ergò dividunt adæquatè bonum ut ſic: quia hoc non ſolum eſt alteri bonum ſed ſibi; & quidem prius. Exprimo argumentum in materiâ; nam humanitas v. g. eſt bona ſecundum ſe ſumpta (eſt enim melior equinimitate ſine dubio, quod non eſſet niſi ipſa foret in ſe bona;) at verò humanitas non eſt ſibi honeſta nec utilis, nec delectans; ut cuique credo patere, vel inde, quia nulla res eſt ad ſe ipſam; v.g. nil eſt utile ſibi; cum debeat *quod* utile eſt eſſe aliud ab eo *cui* utile eſt; & in re diviſio iſta eſt, ac ſi ego ſtatim immediatè dividerem ens in tres modos relativorum, quod nemo ferre poſſet cum reliquerim potiſſimum membrum, quod eſt ens abſolutum ſive ad ſe.

Aliud etiam vitium ex jam dictis impingi ei poſſet quod ſcilicet tertium membrum puta utile, non ſit ex numero bonorum; Cauſa, quia hoc non conjungitur habenti, ſed conjungitur fini, adeoque non ſit appetibile juxta ſupradicta: ſed non reputo hoc vitium tam vitioſum, aut certè non valde verum; videmus enim divitias appeti & adquiri quod eſt conjungi habenti ſuo modo. Melius ergò impugnatur hoc membrum inde, quia bonum quodque reddit habentem talem: utile non reddit: ergò utile non eſt bonum. Maior fundatur in ratione communi omnium formarum quæ tribuunt habenti quod ſunt: & in illo Ariſtotel. cap. 4. prædic. quod *qualitas eſt qua quales dicimur*: tota ipſa ratio explicatur quadam praxi: nam bonum honeſtum puta operatio virtuoſa reddit habentem honeſtum, operatio item jucunda, ſeu delectans, puta comeſtio, reddit habentem bonum; non enim habens aliquid utile redditur ipſe utilis ad talem finem, & multò minus redditur honeſtus aut jucundus per hoc præciſè, adeoque.

Dices reddit me habentem utilitatem. Nego hoc, alioquin redderet me utilem, quid enim eſt eſſe utile, niſi habere utilitatem? Inſtabis, ſaltem reddit me habentem bonum utile: at quid eſt, quod cætera bona non ſolum reddunt me habentem tale bonum, puta jucundum, aut honeſtum,

ſtum, ſed reddunt me ipſum jucundum & honeſtum? hoc fortaſſis probat non dari bonitatem in mediis; ſed denominari ea talia ab extrinſeco, fine ſcilicet; ſed nolo adhuc cogi ad hanc ſententiam, quin independenter ab eâ dabo aliam cauſam hujus; quod ſcilicet bona jucunda & honeſta ſint formæ, & quidem actuales, quæ proinde afficere nos, & denominare formaliter poſſunt, at vero bona utilia non, ſed ſubſtantia, ut gladius, pecunia, veſtis, &c.

Inſtari tamen poteſt quod licet bonum utile eſſet etiam forma, adhuc non denominaret me bonum; nam labor in vinea eſt bonum utile; tamen ego laborans non ſum bonus; dicerem propter hoc in medio non eſſe bonitatem niſi conſequenter cogerer dicere non eſſe in eo utilitatem, quia nec ego laborans ſum utilis, licet labor ſit utilis alioquin eſſem medium.

Sed quid ſi hoc dicerem, neque bonitatem neque utilitatem eſſe in medio formaliter ſed tantum per denominationem extrinſecam: ecce fundamentum, nam ſicut probari poteſt non eſſe in eo bonitatem, aut amabilitatem, ſed in ſolo fine, eo quod ablata amabilitate à fine auſertur à medio (cum enim deſinit ſanitas eſſe bona mihi, deſinit medicina eſſe bona) ita enim contendi poſſet non eſſe in eo utilitatem, nam nec medicina eſt mihi utilis in eo caſu.

Dicet fortè aliquis utilitatem ad ſalutem non poſſe ſeparari à medicina, ſed falſo, connexio quidem & cauſalitas ſanitatis non poteſt ab ea ſeparari, utilitas poteſt, etenim ſi attendas, τὸ utilitas non tantum dicit cauſalitatem aut productivitatem, ſed conducentiam & juvamen ei cui præſtatur, at vero tunc non conduceret, non juvaret me.

3. Dic ergo probabile bonum & finem coincidere in præſenti; quod eſt dicere utile qua tale non eſſe æque proprie bonum, cætera enim poſſunt fines eſſe, utile qua tale eſt eſſentialiter non finis.

Attamen ex altera parte teneo finem & bonum non converti, & do promptè rationem, quia nimirum finis apud authores communiter dividitur in finem, *quo* & finem *cui*, at vero finis *cui* non ſemper eſt bonus, poſſumus enim conſtituere nobis malum & illi velle bene, de quo vide dicta loc. cit. phyſ. tom. 2.

Cenſeo etiam tertiò non bene reſtringi à pleriſque bonum delectabile ad voluptates ſenſuum, & addo non ſolum delectationes illas diſtinctas, ſed ipſas in ſe voluptates honeſtè percipi poſſe atque intendi. Moveor ad primam partem inde quia beatitudo ipſa ſupernaturalis eſt cum delectatione, alioquin non redderet beatos ſive ſummè felices.

Imò Deus ipſe qui ſumme ſanctus eſt ſummè beatus & jucundus eſt; datur ergo aliqua jucunditas, quæ non ſit corporalis aut organica: unde pſalm. *torrente voluptatis tuæ potabis eos*, & antea *inebriabuntur* id eſt magnitudine delectationis extra ſe fient, quod eſt proprium ſummæ voluptatis; & revera niſi ita eſſet, peſſimè ageretur cum natura ſpirituali, quæ hoc condimento laborum careret quo abundat corporalis. Hoc jam eſt aliquod bonum, non aliud quam jucundum, ſi enim dixeris eſſe honeſtum, non negabo id ego, cum ſit altera pars concluſionis; ſed contendo habere aliam rationem, quam honeſtatis, quia honeſtum eſt quatenus reſpondet rectæ rationi, at vero delectat quatenus reſpondet non rationi ſed naturæ.

Jam probo alterum illud quod cœpi, ſcilicet delectationem poſſe honeſtè percipi, etiam intendi, quod quidem indiffinite dictum eſt evidens, nam certo certius eſt beatitudinem eſſe honeſtè perceptibilem, atque etiam appetibilem, at vero beatitudo adfert ſine dubio maximam delectationem quantam nos in hac vita non experiri, ſed nec cogitare poſſumus, etiam poſt hauſtas omnium corporum voluptates. Quo loco latet alia ſatis firma confirmatio propoſiti, nam in beatitudine ſaltem poſt reſurrectionem ſenſus corporis, ac non tãtum potentiæ animæ, fruentur objectis ſuis & voluptate ex ipſis reſultante, ut communiter docetur à Theologis, viſus delectabitur pulchritudine luminum & corporum, auditus harmonico concentu ſonorum, tum orbium cæleſtium, tum aliorum; guſtus ſimiliter erit in perpetuo uſu ſaporum, quod etiam de odore & tactu ſine dubio tenendum erit, cum hæ non ſint cæteris inferiores, imo fruitio tangibilium cenſeatur fæcundiſſima voluptatis. Videantur Ægid. &c. Qui omnes conſpirarunt in hoc quod eſt ſenſus corporis habituros ſua objecta & oblectamenta poſt reſurrectionem.

At enim hoc non eſt principale punctum concluſionis, ſed aliud, quod eſt, voluptates corporeas poſſe à nobis non ſolum admitti, ſed optari & intendi, quod ſic ſuadeo: quia nimirum Deus & natura voluerunt nos poſſe & velle intendere eas: ergo id licet. Conſequentiam nemo negabit, antecedens autem probatur; quia Deus & natura indidit delectationes corporeas, & voluptuoſas quibuſdam objectis ad invitandos homines ad earum uſum, v. g. cibis, potibus, actioni generativæ, quia iſta neceſſaria erant; prima quidem ad individui conſervationem, tertia ad conſervationẽ ſpeciei, ne igitur natura perderet quod fecit, hac delectatione quaſi ſtipendio latenter conduxit animalia ad ſui & mundi conſervationem, quod ſane non negari, ſed laudari debet; hinc autem ſequitur manifeſtè intentum, qui enim addidit alicui objecto delectationem, ut homo propter illam frequentaret actum, utique voluit hominem intendere talem delectationem, quid enim aliud ſignificat nobis illud *τὸ propter*? capiamus exemplum à nobis, quando appendimus eſcam hamo, utique optamus ut piſcis mordeat & appetat eſcam.

Placet tamen diſcurſum hunc paulo magis Biblicè promovere, etenim vult Deus ut aliqua agamus & omittamus formidine pœnæ: hinc enim tam terribiliter minatur ſubinde in Scripturis, ex quibus placet unam proferre Deut. 26. *Niſi cuſtodieris & feceris omnia verba legis hujus, quæ ſcripta ſunt in volumine hoc, augebit Dominus plagas tuas, & plagas ſeminis tui, plagas magnas & perſeverantes, infirmitates poſſimas & perpetuas, & convertet in te omnes afflictiones Ægypti quas timuiſti & adhærebit tibi*, &c. ibidem aſpertimè, atque etiam capite ſequenti, quæ clare inferunt velle Deum, ut nos utamur obſervantia aliquarum tamquam medio ad evadendas pœnas dum ille utitur illarum comminatione tamquam medio ad inducendos nos in obſervantiam præceptorum; cur autem poſſumus intendere fugam dolorum, & non uſum delectationis;

Quarto etiam ad hominem arguo ex ipſa regula contra ipſam; nam revera in iſtis terminis videtur ſibi derogare. Ecce quomodo? ſi enim pars eligenda eſt tutior ut ille aſſerit, cum pars relinquenda eſt tuta, non enim ullum quid eſt tutius niſi eo quod eſt minus tutum; neque quidpiam minus tutum niſi quod eſt tutum. At vero non eſt prudentia, ſaltem non eſt ullatenus neceſſarium relinquere partem tutam, eo quod nihil proficit; nam tantundem habes in tuto quantum in tutiſſimo: oſtendo totum, ſim ego in loco ad quem non poſſunt accedere globi emiſſi ab hoſte, ſed omnes debent ſubſiſtere lato ungue citra tamquam in ultimo termino ſuæ activitatis, certè ego ſum tutus, & tam illæſus ab ipſis, quam ſi eſſem ſex palmis diſtans, imo ſexcentis, ergo iam tutum & tutiſſimum ſunt idem. Periculum erat ne ferretur ſententia contra me, quia parum mihi ſuberat Juris ſupra Adverſarios, ſed denique lata eſt pro me, certè tam tutus tam indemnis ſum quam ſi haberem centum jura pro me. Vide, ſi placet, quæ dixi quodlibeto proprio de hoc, quod eſt tom. 2. ordine quarta: Et quia dixi ſuprà dubium facti eſſe quando incertum eſt an ſatisfecerim juri, & ita; eſt ſed apud quoſdam invaluit acceptio illa, quà dubium facti ſupponit pro omni actione hominis ſubjecti legi quoad transgreſſionem vel oppoſitum ejus: v. g. an ſit lata cenſura in ſymoniacos? eſt dubium juris, an ego fecerim ſymoniam ut proinde contraxerim cenſuram, eſt dubium facti, ſit ita ne contendamus, revera autem videtur eſſe dubium juris, quia dubitatur de incurſu pœnæ ſtatutæ per legem, atque ita de inducendâ obligatione quæ ſpectat ad jus & ad actum primum.

Dic ergo de hac per omnia ſicut de dubio juris; ſcilicet licere ſibi reſolvere pro te, ad nihil te teneri, eſſe in poſſeſſione libertatis tuæ, ſicut ante actionem. Rationes poſitæ ſunt, etenim ſunt eædem ut patebit applicanti; atque hoc ipſum perſuadere debet hæc eſſe juris dubia; quia per omnia ſubeunt qualitates dubii juridici aut legalis.

Experiamur quod dicimus: ſcio raptorem inhabilem eſſe ad contrahendum matrimonium, ſed neſcio an ipſe rapuerim, quia dubito an puella conſenſerit, vel alias: Scio percuſſorem clerici excommunicatum, ſed neſcio an talis ego ſim, quia dubito an ictus pertigerit ad ipſum, vel alias, poſſum contrahere matrimonium; & communicare fidelibus, &c. omnia, quia nimirum duo faciunt ad incurrendam pœnam, & lex, & violatio legis, cur ergo dubium de uno facit ſecurum, & non de alio quod æque eſſentialiter requiritur? imo magis certum debet eſſe de lege, quia hæc eſt quæ infligit pœnam, non autem actio mea, in his ergo ſi ignorantia legis abſolvit, quidni ignorantiæ actionis?

Adhuc aliter ſecundò: Judex non poteſt condemnare quempiam ex delicto dubio, nam contra terminos juſtitiæ videtur, pro delicto incerto imponere pœnam certam ſicut pro parvo magnam, aut è contra, in omnibus enim eſt improportio, ergo multo minus homo ipſe debet ferre ſententiam contra ſe in dubio, ſed potius debet ſe relinquere indemnem in foro animæ, ſicut fecerat ante judex in foro contentioſo.

Tertiò redeunt huc regulæ illæ, hic enim ego ſum reus, & lex aut Magiſtratus eſt actor, ſi ergo in dubiis favendum eſt reo, ferenda eſt ſententia pro me, quod ſcilicet non ſine obnoxius ulli pœnæ. Denique hic eripitur mihi libertas poſſidenti, at non debet in dubiis ut vidiſti, adeoque.

Movetur objectio contra & ſolvitur.

8. Eſt tamen hic aliquis ſcrupulus, nam qui dubius eſt num admiſerit tale peccatum necne, tenetur illud confiteri, & tamen recurrunt huc omnes rationes ſupra factæ in favorem eius ne teneatur, quia nimirum poſſeſſio eſt ipſius; Ipſe eſt reus, & lex confitendi, actor, &c. Hoc dubium deinde vidi apud aliquem Recentem, qui reſpondit eum non habere certam poſſeſſionem gratiæ & innocentiæ, ſed coram Deo eſſe dubium, utrum ſit in gratia an in peccato; unde tenetur ſe gerere: ſicut is qui habet de ipsâ poſſeſſione dubium, quod eſt dividere rem cum alio domino eius, item dubio: ſed neſcio quomodo hæc ad rem faciant, non enim eſt quæſtio num ſit in gratiâ necne? & quamvis foret in gratia quæ pars maximè faveret ſic reſpondenti, poſſet eſſe obligatus ad confitendum, nam contritus & oblitus ſunt in gratiâ, & tamen uterque eſt obligatus ad confitendum.

Cenſeo ergo non fuiſſe excipiendum hunc caſum à cæteris, ſed involvendum indice aliorum, in quo, ut me exponam clarius, dico talem non teneri lege confeſſionis ad illud peccatum clavibus ſupponendum, neque Deum unquam judicaturum eſſe talem de hac omiſſione, ſive de violatâ lege divinâ aut humanâ confeſſionis; Rationes pro hoc allatæ ſunt: ratio contra expuncta eſt: & præterea ſuadeo ego ſic: nemo tenetur ad ſupponendum clavibus hoc eſt poteſtati abſolutivæ, niſi quod eſt materia abſolutionis. Parum dixi, quia non tenetur nequidem ſi ſit materia ſupponere niſi ſit materia neceſſaria: at vero peccatum dubium, eſt materia non modo non neceſſaria, ſed nec ſufficiens abſolutionis, ergo.

Secundò ſic: peccatis dubiis ſufficit authoritas dubia, ſemper enim in vigore ſtat ius proportionis quam natura ipſa dictat ſequendam, adeoque non requiritur plus authoritatis pro his: quod confirmo quia contra naturam eſſet imponere pænam certam pro peccato dubio: cur ergo exigetur judex certus aut authoritas talis: Atqui nemo tenetur confiteri dubiæ authoritatis Confeſſario; quia nimirum eſſet ejuſdem conditionis cujus erat prius, ſcilicet dubius de ſuæ gratia & ſalute. Teneo nihilominus talem obligari ad Confeſſionem peccati dubii, ſed ex alio capite quod non præjudicat præſenti concluſioni, ut putavit ille Recens.

ACTIO III.

Vtrum ſint aliquæ exceptiones ab hac doctrina necne?

Breviarium.

N. 1. *An medicus excipiatur ab illa Ethica; & debeat eligere tutiora?*

2. *An Sacerdos in adminiſtrandis Sacramentis?*

3. *Vtrum in dubio liceat habenti non ſolum retentio rei; ſed uſus?*

4. *Quod directè negatur habenti eſt conſumptio rei.*

1. Communiter cenſentur, & numerantur plures; una medici, altera Sacerdotis, quam tamen (ſi quæ illa ſit) ego non exiſtimo aliam à præcedenti, ſicut neque facio ſacerdotem alium à medico in hoc negotio, quod quiſque approbabit, quum viderit rationes dubitandi hinc inde formaliter eaſdem, & differre ſolâ materiâ; tertia de judice; Alia denique de conjugibus in matrimonio dubio.

Reſpondeo tamen & dico nihil rectè poſſe excipi ab hac regula, ſi adæquatè ſumatur; ſed complecti omnes caſus etiam enumeratos, & alios; eſſe tamen diſcrimen inter hos caſus & alios, ut regula aliter applicari debeat. Patebit reſolutio reſpondendo objectis.

Objicitur ergo illud de medico in primis; nam licet probabile ſit hoc pharmacum collaturum ſanitatem infirmo; tamen eſt alia opinio probabilior, quod non ſufficiat ad hoc, quin potius nocebit, hic certum eſt medicum non poſſe miniſtrare pharmacum illud de quo eſt ſola probabilitas, ergo jam contingit aliquando quod quis teneatur ad partem tutiorem. Quod autem hæc ratio faciat contra noſtram reſolutionem patet: quia hic aut eſt dubium juris aut facti, ſed utrumque diximus poſſe reſolvi in partem minus tutam. Ad hoc poſſim inprimis dicere non eſſe contra præſentem concluſionem; ſed contra concluſionem Apol. & Act. 6. num. 4. poſitam de dubio; at enim id fruſtra dicerem nam ſi non ſufficit opinio ad partem minus tutam, multo minus ſufficit ad dubium.

Reſpondeo ergo, aliter me hoc ſuprà ſolviſſe; ſcilicet hic eſſe probabilitatem ſpeculativam, quum opus eſſet practicâ; nam licet ſit probabile illam medicinam collaturam ſanitatem infirmo; non eſt probabile illam poſſe à medico miniſtrari, ſi aliam habeat.

Reſpondeo etiam ſecundò non eſſe proprie ad rem, quia hic cum agimus de tutiori ſupponitur alia pars tuta; at vero miniſtratio illius medicinæ non eſt tuta, ſed periculoſa, adeoque.

Dices illam pro ſe habere probabilitatem; aut ergo probabilitas aufert periculum; aut non aufert periculum; ſi aufert, hic non eſt periculum; ſi non aufert, remanet periculum in omnibus caſibus; quos nos ſupra diximus eſſe tutos nec involvere peccatum; quod multo magis erit verum in dubiis, quia dubia minus præſtant quam opiniones, quæ involuunt certum aſſenſum intellectus. Reſpondeo probabilitatem auferre periculum morale, ſive periculum incidendi in malum morale; ſcilicet in peccatum; hoc autem ſufficit, quia hoc ſolum eſt proportionatum ei, at vero periculum Phyſicum non aufert; non enim efficit probabilitas opinionis ne medicina illa occidat recipientem; ex quo capies quid dicendum ad hoc quod

2. Objicitur ſecundò de Sacerdote in miniſtrandis Sacramentis, hic enim debet tutiorem partem eligere, ut quamvis probabile ſit, hanc materiam, puta aquam diſtillatam, ſufficere baptiſmo, ipſe tamen non poſſit eam adhibere ſine peccato ſi alia adſit; ſimiliter in conſecratione calicis probabile eſt reliqua à relativo; *qui* incluſivè non eſſe de eſſentia formæ, & tamen peccaret ſacerdos ſine dubio, qui duceretur hac opinione & omitteret ea. Nec refert dicere quod hoc fieret, quia talis faceret contra præceptum Eccleſiæ; nam non reperitur præceptum ſpeciale Eccleſiæ de hoc; neque tam pauca materia videtur eſſe mortalis, adeoque ultimo refundendum eſt negotium in periculum irritandi ſacramentum; ergo. Ego huic igni ligna apponam; poterant enim arguentes addere exceptionibus his caſum non ſolum de miniſtrante ſed etiam de recipiente ſacramentum; nam licet probabile ſit talia peccata non eſſe reſervata, v. g. hæreſim externam ſine aſſenſu, tamen non licet mihi fidere confeſſori non habenti authoritatem abſolvendi à reſervatis, quia licet fieret per opinionem illam, fortè ne ego peccarem confitendo aut recipiendo abſolutionem, non fieret tamen ne peccarem aut ne inferrem mihi magnum damnum ſi forte in re & coram Deo ille non abſolveret me; ita ut remanerem in peccato, proinde damnandus, ergo aliquando neceſſe eſt ſequi partem tutiorem non ſolum in dubio, ſed

etiam in probabilitate. Adhuc tamen ſtat doctrina tradita de probabilitate; neque hæc nocent, nam ubi valent iſtæ inſtantiæ ibi non recurrit doctrina; quod oſtendam in hoc ultimo caſu; talis enim tutus eſt quamdiu utitur probabilitate: at enim probabilitas non ſemper eum ſequitur, & hæc eſt cauſa cur aliquando in hoc negotio peccetur. Opinio probabilis currit de materia aut miniſtro Sacramenti & propterea talis in materia Sacramentorum non peccabit; puta non confitendo & recipiendo abſolutionem à tali miniſtro, non deinde recipiendo Euchariſtiam ab illo, aut alio, &c. At vero eſt hic aliud annexum ſcilicet remanſio peccati apud ipſum; hoc non tollitur per opinionem illam quia neque opinio illa quidquam dictat de ipſâ, & propterea ſi aliud effugium non habent, peccat tam ille recipiendo quam alter dando abſolutionem, quia nimirum non obſtante eâ remanet malum quod per illa eſt incurabile, & tamen eſt grave: atque hoc filo poteris per omnia duci.

Dices, quid ſi detur opinio probabilis de hoc ipſo ſecundo puncto & practico: puta quod ego poſſim fidere huic ſoli; & quod ille miniſtrando non peccet etiam extra neceſſitatem, licet ſciat me alteri non confeſſurum? Reſpondeo primo opinionem de hoc non poſſe eſſe probabilem, quia nec prudentem; non enim poteſt prudenter fieri, ut quis relinquat ſe in periculo alicuius mali ſequentis, etiam materialis, cum poſſit leviter ſe ſubducere ipſi. Reſpondeo ſecundò ipſum per talem opinionem liberandum à novo peccato, non tamen à veteri; volo dicere quod talis recipiendo ſacramentum ab hoc ſolo non peccat; damnabitur tamen, quia peccatum vetus, atque ita *ira Dei manet ſuper eum.*

Cenſeo tamen in his omnibus & ſimilibus recurrere quod ſupradixi de opinionibus imparis probabilitatis, ut quando quis in dubio habet majores rationes dubitandi notabiliter quam alius, tum teneatur cedere rei; quod hic vocatur, eligere tutiorem partem, etiam quamvis habeat poſſeſſionem. Rationes pro opinionibus ſupra poſitæ, huc redeunt; nec eſt opus eas repetere. Addo alias: Primò quia regula Juris in 6. non dicit ut circumfertur cæco modo aut abſolutè, quod in dubiis melior ſit conditio poſſidentis ſed ait. *In pari cauſa & delicto melior eſt conditio poſſidentis*: at vero tunc non eſt par cauſa, ſed impar eſt illa poſſidentis, ergo illius conditio non eſt ex hac parte melior.

Præterea poſſeſſio non eſt titulus in rem, neque dat jus; ſed eſt exercitium quoddam juris, ergo poſſeſſio non facit licitum, quod alias tale non eſſet; probo hoc, quia poſſeſſio eſt indifferens ad juſtam & injuſtam; nullum autem jus eſt indifferens ad juſtum & injuſtum. Deinde bonæ fidei poſſeſſor, vel etiam verus & legitimus poſſeſſor non auget titulum ſuum in rem quotidie per habitionem vel etiam uſum rei; non enim plus juris habet homo in domum, aut agros ſuos poſt multos dies quam poſt paucos. Itaque poſſeſſio eatenus prodeſt quatenus juribus exiſtentibus hinc inde paribus non eſt neceſſitas cogens ad mutationem; quamdiu autem non fit mutatio, res manet apud ipſum; unde ni fallor non rectè ſentiunt, qui dicunt poſſeſſionem ſupplere proprietatem.

3. Quæri etiam poteſt, utrum in dubio licita ſit habenti, non ſolum retentio rei, ſed uſus ad quod reſpondetur à pleriſque affirmativè; ſed non mihi placet reſolutio, & potius cenſeo cum Corduba noſtro oppoſitum, ſaltem hanc aliorum reſponſionem non poſſe eſſe univerſalem. Concedo in quibuſdam currere quod illi volunt; quando ſcilicet res non teritur uſu, uti eſt domus, quam concedo habitari poſſe à poſſidente, quia domus tam teritur ſi habitetur, quam ſi non habitetur. Tamen quæ teruntur, & maximè quæ uſu conſumuntur, non ſubeunt hanc regulam, quod oſtendo ex ipſorum ratione.

Dicunt enim poſſe illum uti re etiamſi non ſolum teratur ſed etiam conſumatur uſu, quia non exponit ſe periculo conſumendi rem alienam invito domino, dummodo habeat animum reſtituendi ei tantumdem, ſi comperiatur quod ad ipſum de jure pertinebat. Hic illi conquieſcunt, ſed inde ni fallor excitabo eos hac ratione: verus dominus alicujus rei habet jus non ſolum in æqualitatem ſed in identitatem ſuæ rei. Aliquis furatus eſt mihi librum: deprehenſus & coactus ad reſtitutionem emit mihi alium ejuſdem Speciei, & offert, dico in manu meâ ſitum eſſe quod velim admittere librum emptum & poſſe ſemper exigere meum, ut quantumvis daret mihi pretia centum librorum ſimilium, poſſem non eſſe contentus, eo quod habeam ius in identitatem, & non ſolum in æqualitatem: ergo qui dat mihi æquale duntaxat, non vero idipſum, lædit jus meum in aliquo: declarabo & confirmabo hoc ſeorſim, primum ſic, poteſt enim fieri quod iſte ſit liber relictus mihi à meo patre, huic ab avo, illi ab atavo, & ſic longâ ſerie, propter quod eſt mihi chariſſimus, & non tamen ob valorem ejus; at vero dans æqualem dat ſolum valorem, ergo non reddit totum. Secundum hoc modo, quia quandò fur ſurripuit mihi librum, non aliud abſtulit niſi poſſeſſionem, jus enim non adquiſivit in librum, ergo jam mihi ſemper remanet jus in eundem librum.

Objici mihi poteſt ipſum axioma: ſi enim ita eſt ut ego volo, tum non eſt melior conditio poſſidentis, quid enim prodeſt poſſeſſori, ſi non detur uſus? imo tunc eſſet deterior conditio eius, quia poſſeſſio eſt oneri, quando vetitum eſt alicui uti poſſeſſis: Reſpondeo: quod negavi potiſſimum eſt conſumptio rei vel alienatio, uſum autem ideo vel maximè nego, quia eſt via ad conſumptionem, imo quia numquam eſt res in alicuius poſſeſſione, quin aliquid ei conſtet; ſi eſt equus debet ali: ſi eſt veſtis aut ſuppellex, debet locari, ideſt ſpacium occupare, quod ipſum eſt pretio æſtimabile, ideo ſemper aliquis uſus debetur poſſidenti, non debetur tamen deſtructio aut commutatio, nego ergo aſſumptum: nam hic ipſe uſus reddit meliorem conditionem poſſidentis. Deinde do aliam viam ad conditionem ejus meliorandam, ut ſcilicet faciat inquiſitionem de vero domino, quem ſi non invenerit,

Digitized by Google

nerit, poterit conſumere & cõmutare, &c. Alia hic addi & decidi ſolent ut de reſolutione conjugum in dubio matrimonii: de ſententiâ Judicis in cauſa dubia, &c. ſed hæc partim propriè Theologica ſunt, partim habent proprias materias, ut de juſtitia & Jure, de contractibus, unde hoc loco locum non habent niſi importunè & per aliquam anticipationem: ſit ergo nobis hic

ACTIO IV.

Quæſtiones aliquot de hac materia motæ & ſolutæ.

Breviarium.

N. 1. *An dubius dominus debeat inquirere verum?*
2. *Quid judex faciet, quum neutra pars habet poſſeſſionem?*
3. *An poſſit rem ſortibus committere tunc nec ne?*
4. *Caſus in quo poſſeſſio non præfert habentem alteri.*

1. Prima, an dubius poſſeſſor teneatur adhibere diligentiam ut verum dominum addiſcat, ſi non conſtet ipſi cujus ſit, neque ullus ei litem intendat? ſupponitur communiter quod ſic, & quod ex die quo omittit diligentiam non ſit bonæ fidei poſſeſſor, ſed non video fundamentum pro hoc, video pro oppoſito.

Res enim inventa apud aliquem non facit pejorem conditionem ejus: faceret autem ſi obligaret eum ad ſtudium de ipſa. Item contingit quod diligentia non poteſt fieri ſine ſumptibus; ſed ille non tenetur ad ſumptus faciendos, cum fortè ceſſuri ſint in perniciem ejus, quia fortaſſe conſtabit res eſſe alterius.

Dices: quum comperietur res eſſe alterius, ille alter rependet ei ſumptus: non poſſum negare quod rependet, poſſum negare quod teneatur ad rependendum: quo jure enim, ſi ſumptus non ſint facti ipſius juſſu, conſilio, aut conſcientiâ ſaltem?

Dices ſecundò, niſi fecerit diligentiam, exponit ſe periculo injuriæ irrogandæ, ſcilicet tenendi rem alienam invito domino. Reſpondeo alium, etſi eſſet dominus (quod tamen in caſu eſt incertum) hic non eſſe invitum niſi materialiter reſpectu poſſidentis, quia nimirum poſſidens neſcit eum eſſe invitum.

Dices id præſumi: præſumitur enim quemque velle ſuum habere. Reſpondeo præſumi poteſt invitus, ſed quia non poteſt præſumi dominus, ut ſupponimus, ſequitur, &c.

2. Secunda ſit, an quando neutra pars eſt in poſſeſſione, & tamen inæqualis, an judex poſſit decernere poſſeſſionem alteri? in quo non loquor de ultimatâ ſententiâ, & Reſpondeo negativè. Ratio quia judex non poteſt reddere meliorem cauſam ullius partis, ſed invenire eam talem, &, qualem invenit, judicare, at vero poſſeſſio facit meliorem cauſam partis, adeoque à judice non poteſt ulli conferri ante ſententiam. Vis hujus rationis oritur ex veritate quæ tacetur hic, etſi ſubintelligatur, quod ſcilicet nemo poſſit reddere deteriorem cauſam ullius, nam reddere bonam nil prohibet; ſed ideo hic prohibetur judex reddere meliorem cauſam partis unius, quia redderet pejorē illam alterius & inferret ei præjudicium.

Non vidi oppugnatam reſolutionem, quia nec motam; poteſt tamen pro alterâ parte affirmativâ ſic argui: Totum jus in poſſeſſionem eſt in partibus, (hoc enim in caſu poſito non diſtinguitur à jure in ſubſtantiam rei) ergo illarum uni concedenda eſt res; urgetur: quia ſi neutri illarum concedatur debet relinqui tertio atque hic nullum jus habet in ipſam, atque ita omnino minus debet apud ipſum eſſe, quàm apud ullam partium, quantumcumque debile ſit jus ejus: & urgeri adhuc poteſt quia cui poſſeſſio obvenit eidem etiam uſus rei obvenit ſecundum communem; at vero non videtur juſtum ut invitis dominis, etiam dubiis aliquis utatur re quæ uſu teritur, quando ipſe ne quidem dubius hæres eſt; quod ulterius ſuadeo ipſe hac ratione, quia nimirum hic præjudicatur partibus etiam abſolutè loquendo, quia licet jam nulla illarum habeat abſolutum ius, tamen aliqua habebit hic, undè præiudicatur iuri quod habendum eſt; quia iam interim res uſu fit deterior nec umquam pertinget ſana ad eum cui per ſententiam aſſignabitur; hæc & hoc genus acumina poſſunt meditanti occurrere; propter quæ tamen non credo deſerendam reſolutionem traditam, ſed totum componendum per hoc, quod apud tertium remaneat lite pendente; qui tamen re uti non poſſit niſi ad proportionem ſumptuum quos facit, aut certè de conſenſu partium.

3. Tertiò quæri poteſt an in dubio & pari iure liceat iudici rem ſortibus committere? Reſpondeo non licere niſi de ipſarum partium conſenſu. Ratio, quia ſic exponit periculo partem quæ revera ius habet in rem illam. Confirmo quia non licet ipſi iudici inauditis partibus temere ferre ſententiam; hoc autem eſt tale, eſt inſtar eius, adeoque.

Dicamus etiam ad illud quæſitum; cur in dubio tota res relinquenda ſit poſſeſſori? an non ſatis ſit ſi detur ei pars maior, ſive aliquid plus altero? ſi enim alter habet ius, videtur ratione eius aliquid ei deberi: etſi infrà medietatem aut paritatem cum altero.

Reſpondeo hic non tam propriè relinqui rem; ſed remanere poſſidenti: non enim ab ullius ſententiâ vel diligentia provenit, ſed quia donec mutentur res, ibi eſſe debet quælibet ubi inventa eſt; at vero ante iudicis ſententiam non debent mutari conditiones partium.

Deinde poſſidens habet æquale ius in utramque

Digitized by Google

que medietatem, adeoque vel una vel nulla relinquenda eſt ei.

Eſt tamen hic aliquid adhuc difficultatis, ſi poſt examinata utriuſque partis jura inveniantur paria; an poſſit relinqui res penes poſſidentem propter ipſam poſſeſſionem? videtur enim quod ſic quia natura reliquit ipſi in dubio poſſeſſionem; cur ergo ars ſive induſtria judicis non poſſit relinquere eam illi propter ipſam per ſententiam? Reſpondeo primo non poſſe contingere ut duo habeant jus in eandem rem in creatis; quia non poſſunt duo eſſe domini in ſolidum ejuſdem ultimo nec in Divinis oppoſitum hujus contingit; quia etſi duo habeant jus in eandem, non tamen ſunt duo domini. Jam ad caſum ipſum reſpondendum videtur negativè, quod tamen (credo equidem) non placebit communiter authoribus modernis: Ratio, quam ſupra contra ipſos formavi, eſt; quod poſſeſſio non ſit jus, ſed exercitium juris, quod etiam ſine ullo jure poteſt haberi.

Nec refert, ſi dicas quod quando jura partium ſunt paria, poſſeſſio reddit meliorem illam poſſidentis; id enim ſupra explicavi, & excuſſi ne nocere poſſet, ergo reddit meliorem conditionem poſſidentis, propterea quod ante ſententiam res non debeat mutari; adeoque relinquenda ſunt omnia apud eos, apud quos cæptâ lite inveniuntur; At verò per ſententiam, & poſt ipſam poſſunt res mutari, adeoque poſſeſſio tunc nil facit pro poſſeſſore; ex quo habes quod judex nullo modo debet moveri à poſſeſſione ad adſcribendam rem habenti, neque ab ablatione ejus ad ferendam ſententiam contra partem cui ablata eſt, nam, ut dixi, poſſeſſio juvat tantum uſque ad ipſum excluſivè, intellige uſque ad actum judicialem & ſententiam ultimam ac diffinitivam.

4. Dico etiam ultimo poſſeſſionem non facere in caſu jam referendo; ut res remaneat apud habentem: accommodavi Petro librum, dubito etiam an non donaverim, liber autem ipſe manet adhuc apud Petrum; qui judicat me donaſſe ſibi illum, adhuc poſſem vendicare mihi librum; ratio quia in dubio donationis factæ, ſicut in dubio voti, ergo habeo dominium libertatis meæ; atque ideo ſicut poſſum reſolvere quod non vovi; ita poſſum reſolvere quod non donavi; tum autem habeo plenum jus in rem, ſi enim non donavi, adhuc mea eſt; ſicut ante donationem.

Dici poteſt diſparem eſſe rationem: quia in materia voti habeo poſſeſſionem rei promiſſæ, ſcilicet jejunii, continentiæ, &c. quæ ſunt actiones meæ; at vero hic non habeo; quia liber non eſt materia promiſſionis, eſtque apud alium. Reſpondeo quidquid ſit de hoc, dominium eſſe adhuc apud me; quia nimirum non conſtat quod alienaverim illud, ſed ſolum uſum, ſeu poſſeſſionem; ergo quæcumque bonitas conditionis provenit ex dominio, apud me eſt adhuc, at vero qui habet plenum dominium rei, utique poteſt ſibi aſſerere poſſeſſionem ejus. Ubi id obiter adverto, quod hic forum conſcientiæ diſſidet à foro externo & contentioſo, nam in foro conſcientiæ res eſt ut jam eam eſſe reſolvi, at vero in foro contentioſo externo, judex poteſt eam adjudicare habenti aut ſaltem ei relinquere; eo quod coram ipſo jura partium ſunt æqualia, ſcilicet unus affirmat alius negat; adeoque propter exceſſum qualemcumque, qui provenit à poſſeſſione in ipſius foro melior eſt conditio poſſidentis, & poterit continuare poſſeſſionem.

***

ACTIO V.

Aliter reſolvendum in dubio facti propriè.

Breviarium.

N. 1. *Iterum diſtinguo dubium juris & facti.*

2. *In dubiis facti pejor eſt pars dubitantis.*

3. *Ratio hujus à priori.*

4. *Objectio: quando dubium facti incidat in dubium juris?*

1. SUpra recenſui acceptionem dubiorũ, ut iuris dubium ſit de exiſtentiâ legis, facti aut de actione hominis iuxta legem vel è contra; quomodo apud antiquos ſonuit hoc τὸ *factum*: At enim etſi nulla acceptio vocis ſit damnanda, quia quælibet poteſt imponi ei, tamen ad rem præſentem melius intelligitur dubium iuris eſſe, quando dubitatur de impoſitione legis præceptivæ aut pœnalis: idq; ſive dubitetur de exiſtentia ipſius legis, ſive de eo an ego incurrerim obligationem eius opere aliquo vetito per ipſam; undè dubium facti erit propriè de eo an ego ſatisfecerim obligationi legis, quam induxi mihi per actionem meam, vel aliter? ad quæ Reſpondeo, &c. &

Dico in dubiis facti contrarium eſſe tenendum & practicandum, ſcilicet dubitantem debere reſolvere contra ſe in favorem alterius, oſtendam exemplis quod aſſero, ſcio me obligatum ad decimas contribuendas Eccleſiæ, dubito an hoc anno ſolverim, licet in re ſolverim teneor adhuc ad aliam ſolutionem, non dubito me voviſſe peregrinationem dubito me ſolviſſe, teneor peregrinari, & ſic de cæteris caſibus qui facile ex iſtis capientur.

Probo concluſionem primò, quia axioma illud: In dubiis tutior pars eſt eligenda, utique aliquando veritatem & neceſſitatem habet, nuſquam aut niſi hic aut in ſimilibus, nam in dubiis iuris ſupra iam oſtendimus illud non procedere.

Secundò & propriè, quia hic directè militat aliud axioma: & quidem id ipſum quo ſupra perſuaſi in dubio iuris oppoſitum, hoc ſcilicet: In

In dubiis melior eſt conditio poſſidentis; id enim evincit me teneri ad decimandum, & ad peregrinandum, quia nimirum in poſitis caſibus poſſeſſio eſt penes alium; in primo penes Eccleſiam, in ſecundo penes Deum; hæc enim eſt pars ipſorum; ſcilicet obligatio mei ad faciendum hæc aut illa in favorem ipſorum, atque adeo ipſi poſſident quod illorum eſt, ſcilicet obligationem mei; hæc enim certa eſt ut ſupponimus, nec ego ipſe eam nego; at vero mea pars, ſeu quod mihi faveret, ſcilicet ſolutio, eſt dubia; quum ergo melior ſit conditio poſſidentis, melior eſt conditio Dei & Eccleſiæ hic, atque adeo ferenda eſt ſententia pro ipſis contra me, ut ego teneat illis ad ſolutionem. Suadeo ſic tertiò; quia ſi res agitur in foro externo, ſic omnino erit decidenda, & licet non ſemper valeat conſequentia ab uno foro ad alterum, tamen quamdiu non habentur propriæ probationes fori interni, & poſſunt ei applicari illa externa, utendum eſt illis; ſic autem ducitur forum externum ut patebit in hoc caſu. Accepi centum aureos à Joanne cui etiam dedi Syngrapham ſeu confeſſionem debiti contracti, ſolvi ei confidenter neque petivi aut accepi, ut debui, ipſius ſyngrapham, quæ eſſet confeſſio ſolutionis, ſi ipſe repetat iterum pecunias, & deferat rem ad magiſtratum, certè hic feret ſententiam contra me quia ille productis codicillis probat ſe crediſſe mihi nummos, & dicit me non ſolviſſe, nec ego probo contrarium; at vero hic ſimile eſt, nam mea conſcientia eſt inſtar illius judicis cui conſtant jura unius partis, non conſtant jura alterius, adeoque debeo ſententiam ferre pro illâ ſeu priori.

3. Et totum poteſt revocari ad rationem quaſi à priori ſic; quia nimirum ut eſſent pares hinc inde partes, nec poſſet ferri ſententia contra unam pro aliâ deberent jura illarum æqualiter conſtare; at vero ita non eſt, nam unius quidem conſtant, etiam de alterius confeſſione; at vero alterius jura non conſtant; unus eſt in poſſeſſione clarâ, ut non egeat probatione, quia alter fatetur; At vero alter met non item, ſed eget probatione, quam non poteſt proferre, adeoque quamdiu ſic jacent res, in omni foro ferenda eſt ſententia contra ipſum, nam fora non diſcordant niſi ubi eſt præſumptio fundata aut rationabilis, ſaltem apparenter in externo, hic autem non eſt quid tale aliter, quam in ipſo interno, ergo, &c.

Dici poteſt primò eſſe nihilominus hic aliquam diſparitatem, idque à naturâ fororum, nam in externo conſtat mihi creditorem exigere ſolutionem, quia intendit mihi litem, at vero in interno, quando res eſt cum Deo, non conſtat mihi an creditor exigat ſolutionem? poteſt enim fieri, quod Deus ſit contentus, eo quod ipſe videat me revera ſatisfeciſſe ſibi. Reſpondeo poteſt eſſe in te diſparitas, non poteſt quo ad me eſſe, quamdiu id mihi non conſtat, quia nimirum conſtat mihi mea obligatio, atque adeo video ſtare ius creditoris; & quamdiu non conſtat mihi illud eſſe extinctum, debeo reputare me obligatum ad ſatisfaciendum.

Objici ſecundò poteſt, hoc dubium facti incidere in dubium Juris; nam ſi ego ſum dubius num ſolverim, dubito an aliquid debeo; hæc enim ſunt ſynonyma non ſolviſſe, & adhuc debere, ſicut enim ſi certus ſim quod ſolverim, certus ſum quod nihil debeam, ita, ſi dubius ſim an ſolverim, dubito etiam an aliquid debeam; tum autem dubito de iure ut vides adeoque ſi in dubio iuris poſſum favere mihi poſſum etiam in præſenti ut vides. Reſpondeo non ſufficit idem niſi ſit etiam eodem modo ſumptum, in moralibus, imo nec in Phyſicis: Generatio & corruptio ſunt inter eoſdem terminos planè; differunt tamen implacabiliter, nam termini non eodem modo diſponuntur utrobique; ſed quod uni eſt, *à quo*, alteri eſt *ad quem*. Ita hic: nam in utroque caſu diſputatur de obligatione, & hæc eſt, quæ ad rem facit; tamen aliud eſt quod obligatio ſit dubia ex poſſeſſione ſui, aliud an ſit dubium ex ſatisfactione meâ, nam ſi dubium ſit ex parte eius, perdit ille obligationem & retineo ego libertatem, ſi ex parte meâ, è contra, perdo ego libertatem & retinet ille obligationem, atque ita expedit exactè ſcire materiam dubii, utrum ſit iuris an facti propriè: nam iuxta hæc aliter, & aliter facienda eſt reſolutio in conſcientiâ, atque etiam in foro contentioſo, ad quod iuvabit ſequens quæſitum.

Utrum ſcilicet quando dubito an impetraverim diſpenſationem legis, puta in gradibus prohibitis matrimonii, an, inquam, tunc poſſim reſolvere in meum favorem, dicendo quod poſſim contrahere cum conſanguinea necne? videtur enim quod ſic, quia dubium eſt de iure, an ius illud ſubſiſtat; non autem de facto, quia ego certus ſum me hactenus ſatisfeciſſe, neque contraxiſſe cum ulla infra prohibitos gradus.

Dic tamen te non poſſe contrahere, quia dubium eſt facti; ſcilicet diſpenſationis impetratæ à te: & quomodocunque hic explicetur factum, jus eſt in poſſeſſione ſuæ obligationis. conſtat enim quod lata eſt illa lex prohibens, non conſtat quod ſit derogatum ei per diſpenſationem, vel aliter, adeoque melior eſt conditio legis, & ei concedenda eſt victoria, ſive ferenda ſententia pro ipsâ.

Inſtari tamen adhuc poteſt contra dicta, ſi in dubiis melior eſt conditio poſſidentis, tum ſi quis dubitet an non contraxerit matrimonium cum tali, ſi in favorem eius cedant nuptiæ, poteſt reſolvere quod ſic, & ita uti ea, hoc autem cenſetur abſurdum, ergo. Reſpondeo ita eſſe, nec ſolum tunc, ſed ſi dubitet an contraxerit rectè, etſi ſit certus de abſoluto contractu, & ratio patebit ex explicatione axiomatis, quando enim dicitur quod in dubiis melior ſit conditio poſſidentis, ſenſus eſt quod poſſidens non debet privari aliquo quod habuit ante actum: de quo dubitatur; non vero quod omnia de quibus dubitat ſtatim cedant ei, abſit enim: at vero ante contractum illum dubium, fœmina non erat ipſius, adeoque nec propter axioma illud debet cedere ei, & ex his poterunt reſolvi alii caſus perplexi in hac materiâ, nam deſcendere ad ſingulos non eſt Ethici, videantur Caſuiſtæ qui hoc nos faſce exonerabunt, item D. D. in materia de matrimonio: quæ plurimas difficultates parit, atque item illa de Juſtitia & Jure, nobis ſit.

ACTIO VI.

Digitized by Google

apud ſe ſtudeant invenire rationes probabiliores; vel æquales pro oppoſito, imo etiam debiliores; quæ ſi tales ſint ut poſſint fundare aſſenſum probabilem, ſufficient ei ad mutandum dictamen conſcientiæ & ſequendum jam mutatum.

Ad alium pro ſimplicibus vulgi, adde iſtum, ut ſcilicet attendant quid faciant communiter viri, quos ipſe reputant doctos & probos, in tali caſu communiter & publicè; v. g. aliquis putat eſſe violationem jejunii ſi bibetur interdiu, poterit attendere an Sacerdotes & Religioſi vel profeſſores academici bibant datâ occaſione, & ſi quidem, ipſi etiam hauſtum ſumere judicando ex praxi doctorum quod liquidum non frangit jejunium.

4. Antequam ad ſecundam partem de remedio ſcrupulorum accedam, expediam quod cœpi in defenſionem Cajetan. & quidem primum quod ei objiciebatur, credo jam rejectum ſufficienter ſupra, quod ita verum eſt ut ex iis qui eum carpunt aliquis unus hoc ipſum debuerit ex ſe aſſerere; nam Gabriel Vaſq hic diſp. 67. cap. 1. cum de Cajet. conquereretur ob hoc, tandem ipſe ſubſcribit, ait enim: prætereà dupliciter deponi poſſe rectè judicium conſcientiæ, primò abſque ullâ ratione, ſi etiam abſque ullâ ratione conceptum fuit.

Alterum illud habet quidem ſpeciem abſurdi, quia & duo illa membra habent ſpeciem contradictionis, at non ipſam; etenim duo illa judicia, dubium eſt an liceat iter agere in die feſto; non dubito quin mihi liceat iter agere feſto; non pugnant omni modo, ſi enim diverſo modo ſumantur, conciliari poſſunt; & ita eſt in propoſito quia unum ſumitur ſpeculativè, aliud practicè. Quære ex rudi aliquo utrum liceat mactare gallinam, & objice ei legem quæ dicit: *Non occides*, forte non poterit reſpondere; non tamen propterea omittet ſuo tempore gallos & gallinas occidere, quia judicat practice hoc ſibi licere. Poſſem alterum Recentem ſimiliter contra ſe ducere: videatur ubi ſupra, & nos præbeamus remedia ſcrupuloſis.

Eſt autem ſcrupulus, formido aut ſuſpicio quod hoc aut illud ſit peccatum, non examinatâ materiâ, ſed leviter ac temerè concepta. Morbus valde moleſtus; & qui difficillime curatur, in cujus ſignum plaga illa quam Deus per Moyſen Ægyptiis intulit omnes ſanati ſunt præter ſciniphes.

Exod. 8. v. 18. Notant autem Doctores quod ſcrupuloſitas ex diverſis cauſis oritur, puta ex naturali complexione, quando quis eſt melancholicus & pituitoſus; aliquando à Dæmone, aliquando à Deo permittente hoc ſicut alias pœnas.

Dices non videri congruum à Deo procedere principium & periculum tot peccatorum. Audio & quæro nonne fomes concupiſcientiæ à Deo eſt? ipſe naturam ſic inclinatam fecit; & cum deinde per illius gratiam refrenatus fuiſſet, ipſe in pœnam peccati abſtulit hoc frenum, & reliquit illam effrenem ac inſanam, & quid ſi non ſolum periculum peccati, ſed ipſum poteſt eſſe alterius pœna.

Melius excipi crederem contra primum modum, quo dicuntur provenire à naturâ; nam quod provenit à natura eſt timiditas in genere, quod autem applicetur peccatis, unde fit ſcrupuloſitas aliunde eſt: quidquid ſit, certum eſt omnia hæc capita poſſe eſſe principia ſeu cauſas ſcrupulorum, licet non adæquatè: & proinde juvabit ex omni parte horum applicare remedia, licet ſingula non extinguant eos.

Contra primum oportet medicos & chirurgicos conſulere ut applicent opportuna pharmaca atræ bili evacuandæ, puta. Agaric. ℥ ij. Rabarbari ℥ ij & ſimilia.

Novi virum doctum aliorum opinione & reipſa, qui tamen his perplexitatibus ita vexatus eſt ut putaret utramque partem contradictionis eſſe peccatum; habui etiam pœnitentem virum plebeium & mæchanicum, cui caput ita plenum erat his tumultibus ſcrupulorum, ac ſi nihil aliud haberet cogitandum, cum tamen haberet familiam, uxorem & liberos ſuo ſudore alendos, ut mirum ſit quod vacaverit ei cogitare tales ſubtilitates, & multo magis invenire.

Contra ſecundum & tertium, unicum eſt remedium, placare Deum piis operibus, terrere Diabolum ſacramentis frequentatis, circumferre reliquias Sanctorum.

Quia vero timor ille (ut dixi) quatenus in ſcrupulos degeneravit, eſt aliquid non omnino naturale ſed morale etiam, pertinet quoad hoc propriè ad Ethicum & medicum ſpiritualem: propter quod breviter hic ſubdam aliqua, quæ ſi obſerventur non ſolum omnia ſed aliqua aut unum, non parum juvabunt ut infirmus curari poſſit, etiam curare. Et

Primum ſit negativum, ut ſcilicet quis non attendat, ſed quantum poteſt divertat imaginationem & intellectum ab objecto, vel materia in qua patitur hujuſmodi vexationem, etenim iſta ſe ſeminant & ſequuntur cohærenter plane quomodo lateres in cumulo, quorum ſi unum loco moveris aut auferas è medio, ſequuntur alii, primum propinquior, tum tertius, deinde alii, quiſque ad motum vicini. Ergo contemnere hos expedit & prætervadere quam animosè, quomodo equi generoſi latorantes caniculas non curant, ſed contemnunt & vias ſuas vadunt.

Tum ad poſitiva declinando, optimum conſilium his eſt, ut quod in tali caſu conſulti aliis ſuaderent agendum, ipſi exequantur, utique enim non ſuaderent eis quod crederent eſſe peccatum; at vero ſcrupuloſi non hæſitant in reſolvendis negotiis aliorum, ſicut ſuis, adeoque mutando perſonas non mutando conſilia poſſunt ſibi eſſe duces & Medici.

Tertium hoc quod ſubdo magni faciendum eſt illis, ut ad mitigandos tremores & timores ſtatuant firmiter, (quod certiſſimum eſt) neque Deum neque Eccleſiam velle nos obligare ad id quod agendo reputaremur fatui, aut exponeremus nos ludibrio: Item Eccleſiam nunquam obligare ad quidquam moraliter impoſſibile, ſivè ſummæ difficultatis; quod etiam de Deo credi poteſt extra materiam ſalutis ut eſt confeſſio fidei, aut ſimile.

Deinde uti poſſunt epicheiâ & ſuavi interpretatione quam patiuntur omnes leges humanæ atque etiam Divinæ ut plurimum adeoque quum lex aliqua habet duos ſenſus aut poteſt dupliciter obſervari, præferenda eſt via

via ſuavior & exiſtimanda fuiſſe mens legislatoris: ita enim jubet ipſe *ſentire de Domino in bonitate.* Specialiter ad excommunicationes ſciendum eſt, quod non incurrantur niſi adſit præter ſcientiam cenſuræ, contumacia, quod etiam videtur locum habere in omnibus præceptis poſitivis juris humani.

Denique excuſat à transgreſſione præſumptio, quæ in dubio poteſt vergere in partem magis favorabilem; quandocumque enim quis eſt ita diſpoſitus, ut ſi ſciret id eſſe mortale, non faceret, tutus eſt. Videantur authores hoc loco. Item Magiſtri vitæ ſpiritualis Gerſon. S. Antonini, &c.

ALTERA PARS
Ethicæ Ariſtotelis.

APOLOGIA PRIMA
De Bono.

ACTIO I.

Quomodo definiendum Bonum?

ACTIO II.

Utrum Bonum coincidat cum pulchro?

ACTIO III.

Utrum bonum adæquet voluntatem, ita ut hæc non poſſit ferri in malum?

ACTIO IV.

Utrum Bonum recte dividatur in honeſtum, jucundum, utile? & an coincidat cum fine?

Scotus 4. *diſt.* 49. *q.* 10. *num.* 8.

Nolle eſt actus poſitivus nolentis ſicut & velle; & ita liberum unum ſicut aliud, quia neutrum elicio neceſſario circa quodcumque objectum, & ideo poſſum non elicere nolle circa malum ſicut velle circa bonum: tamen ſicut circa malum oſtenſum non poſſum elicere actum voluntatis niſi nolle, ſic circa bonum oblatum non poſſum elicere actum voluntatis niſi velle, & ideo, &c.

Idem *diſt.* 46. *quæſt.* 4.

Bonum autem naturæ intellectualis in genere duplex eſt, bonum ſcilicet commodi, & bonum honeſti. Bonum quidem utile quod ponitur tertium ad alterutrum illorum reducitur, ſecundum quod ad ipſum ordinatur; & licet quandoque in eodem concurrunt rationes boni, commodi, & honeſti, ut in fruitione Dei in Patria, imo generaliter omne honeſtum ſit commodum, licet enim è converſo; tamen ſummum commodum, &c.

ACTIO I.

Digitized by Google

ACTIO I.

Quomodo definiendum Bonum?

Breviarium.

N. 1. *Bonum indefinibile, & cur?*

2. *Deſcribitur ſufficienter ab Ariſtotele.*

3. *Objectiones aliquæ contra Ariſtotelem motæ & ſolutæ.*

4. *Adſertur & præfertur alia definitio boni.*

1. IAm aliquoties monui quædam eſſe, quæ facile intelliguntur, difficile explicantur, propter quod ſanè ſuperſedendum foret explicatione illorum; quorſum enim illa quando finis ejus, ſcilicet intellectio rei, jam prohibitus eſt? ex his credo eſſe bonum, quum enim ſit primus aut fere primus terminus (utpote proximus enti,) certè autem uſitatiſſimus, omnes illud capiunt primo intuitu, ut doceri illud non poſſint.

Nihilominus Ariſtoteles definire illud tentavit ſtatim in principio Ethicæ ſuæ libro & cap. 1 ita non facile, ut lis ei ſit cum Platone de ipſo; & Recens quidam fuſiſſimus eſt in ejus explicatione per aliquot capita, tamquam poſſet clarius aliquid adferre; & quoniam res eſt tam nota, ut quælibet definitio, imo nulla ſufficiat, accipio unam quæ eſt Peripatetica, &c. &

Dico, bonum eſſe quod omnia appetunt: ve eſſe quid amabile aut appetibile; ita Ariſtot. cit. quo loco ſuam Methodum obſervavit ut diffiniret pro abſtracto concretum; ſic enim pro Relatione definivit relativa, pro quantitate quantum, pro æquivocatione æquivoca; id eſt horum concreta ſive connotativa; ita hic pro bonitate bonum explicavit, quod perinde eſt, quia definitio facilè accommodari poteſt, quamquam hoc ipſum patiatur aliquam difficultatem, de qua infra.

Interim via Ariſtotelis in hac definitione, inde commendatur, quia eſt explicare objectum per potentiam, ac ſi diceret, ſonum eſſe quod auditu percipitur; luminoſum quod viſu, &c. quæ Methodus tunc eſt tolerabilis quando non deſcribit circulum, ut ſcilicet definiat objectum per potentiam & potentiam per objectum; ſi ergo poſſit adferri definitio appetitus non inſerendo bonum aut bonitatem, hæc præſens explicatio ex hoc capite tuta eſt.

Aliter eam ſuadeo; quia hæc, tamquam veſtis, benè convenit rei; quod ut pateſiat, pono hinc inde res, & animam; & ex applicatione mutuâ horum apparebit bonum reſpondere appetitui; etenim in quolibet ſunt tria; ſcilicet, entitas, bonitas & veritas: In anima è contra eſt ipſe truncus ſeu ſubſtantia ejus à quâ emanant potentiæ; ſcilicet voluntas & intellectus. Primum primo reſpondet, quia ex entitate emanant paſſiones, ex anima ſeu ſubſtantiâ, potentiæ. Primum & dignius in quolibet uno eſt bonitas; prima & dignior potentia eſt voluntas: ſequitur ibi veritas, hic intellectus; vides connubia potentiarum & objectorum hinc inde: adeoque. Cætera ſi quæ ſint inſeram in ſatisfactione objectionum.

Objicit enim Ariſtoteli in primis Cajet. ideo aliquid appeti, quia eſt bonum; ergo bonum eſt aliquid antecedens appetitum, ſolvit autem hoc Recens citatus; quaſi concedendo totum quod aſſumit; ſcilicet hanc non eſſe perfectam definitionem; ſed etſi fortè ipſi talis non ſit, tamen ex hoc capite non deficit; ſi accipiatur ut ego pro concluſione eam adhibui, ſcilicet bonum eſſe appetibile, non vero quod appetitur præcisè; ſic enim applicata ratio Cajetani non nocet ei, ut patebit applicanti; ſi enim dicas, ideo aliquid eſſe appetibile quia bonum negabo, niſi forte ſit ſenſus concomitans, aut intelligatur cauſa formalis, ac ſi dicerem, ideo Petrum eſſe hominem quia eſt animal rationale, ſed contra.

Objicio ipſe ſecundò: ex duobus his, quæ ſe mutuo inferunt & explicant, ſcilicet objectum & potentia, nec tamen adhiberi mutuo poſſunt ni fiat circulus, unum tantum adhiberi poteſt, ut vides evidenter; quo poſito planum eſt alterum non poſſe adhiberi illi, at vero quod prius eſt id recte adhibetur ad explicandum aliud, quum ex laudibus diffinitionis ſit quod tradatur per priora, ergo poſterius non poteſt adhiberi, ex his autem ſequitur potentiam poſſe explicari per objectum, quia nimirum ex duobus his prius eſt objectum, quum illius ſit movere potentiam; ergo, unde infero ego non recte objectum ſcilicet bonum explicari per potentiam quæ eſt voluntas.

Reſpondeo diſcurſum non malè fundari; definitio tamen ſubſiſtit ſi poſſit quis definire potentiam non adhibendo objectum; tum autem nil nocet niſi objectum eſſe prius, adeoque diffinitionem tradi per poſterius, quod tamen eſt malum neceſſarium reſpectu humani ingenii pro hoc ſtatu: nam illa receptiſſima & exemplar cæterarum: homo eſt animal rationale, labitur in hanc foſſam, etenim eſt definitio potentiæ per actus qui ſunt poſteriores, in præſenti autem id non contingit ex natura potentiæ definientis, ſed ex naturâ definiti, quod cum ſit primum non poſſunt adhiberi definientia niſi poſteriora.

Tertiò ſic infero, ſi ita ſit, tum nulla ſubſtantia erit bona, quod tamen eſt falſum, quum ſint meliores accidentibus: Conſequentia probatur quia non appetuntur eo quod non conjungantur appetenti, appetitus enim eſt concupiſcentia quæ ſemper optat aliquid eſſe ipſius ſive conjungi ſibi, at vero ſic conjungi poſſunt ſola accidentia, nam quælibet ſubſtantia eſt extra aliam, quum ſit ſub-

ſiſtens. Reſpondeo argumento dandũ eſſe quod appetitus propriè feratur in formas conjungibiles & proinde in ſola accidentia communiter: patet hoc in aquâ quam ſitibundus appetit non propter ipſam, ſed propter accidentia ipſius puta frigus, & humiditatem, quæ quia non inveniuntur ſeparata, ideo applicat ſibi ſubſtantiam in quâ ſunt. Nihilominus falſum eſt ipſas ſubſtantias non appeti aut conjungi: nam in primis incompletæ invicem conjunguntur tam eſſentiales, ut forma materiæ, quam integrales, ut caput collo. Deinde ſubſiſtentia Verbi conjungitur humanitati Chriſti, ipſe Deus voluntati Beati, quæ delectatur & perficitur non tantum ab actione ſua ſed etiam ab objecto; hic enim datur aliqua conjunctio intentionalis.

Habeo etiam adhuc unam difficultatem contra eandem: aut enim appetitus hic propriè ſumitur pro deſiderio abſentis, aut largè pro omni affectu voluntatis: ſi primum, ſequitur ſummè bona non eſſe bona, ſcilicet Divina; nam hæc non deſiderantur à Deo eo quod poſſideantur. Secundum autem non poteſt reſponderi quia amore amicitiæ poſſumus in malum ferri. Ad hoc dic appetitum propriè ſumi, at non ſemper pro deſiderio ſed etiam pro complacentiâ, ſic materia dicitur appetere formam quam habet.

4. Dico nihilominus bonum melius dici eſſe, quod eſt in ſuo genere perfectum. Hanc præfero præcedenti, primò quia illâ videbatur deſinire bonum alteri, cum tamen res in ſe ſunt bonæ aut malæ, & quidem priuſquam alteri. Secundò quia appetitus eſt motus, adeoque res non terminatur ibi; ſed pergit ad quietem, ideo enim appetit ut habeat & perficiatur ab habito, ergo jam principale in bono eſt perficere: atque ita eſſe patet; dicitur enim bonus ignis, bonus latro, &c. quæ nemo vellet ſibi habere. Hic autem cum dico perfectum noli intelligere completum; ſed perfectum, id eſt affectum aliqua perfectione ſui generis, non vero omni.

ACTIO II.

An Bonum coincidat cum pulchro?

Breviarium.

N. 1. *Ratio dubitandi, adductus ad hoc Ariſtoteles & explicatus.*
2. *Concluſio negativa probatur pluries.*
3. *Objectiones contrariæ adjectæ & rejectæ.*
4. *Conceditur bonum morale coincidere cum pulchro.*

1. HÆc difficultas orta eſt ex ſecunda definitione Boni ſupra proximè tradita Actione præcedenti, ſi enim bonum non debet appeti, ſed tantum approbari, jam non videtur diſtingui à pulchro; hoc enim vel maximè tale eſt; imò videtur plus eſſe quam bonum; quia bono ſufficit ut vidimus perfectio, pulchro autem videtur convenire aliqua excellentia, & alias dubitari non poteſt quin inter Bonum & Pulchrum ſit magna ſympathia & ſimilitudo, ut ægrè diſcerni poſſint, licet non pauci id tentaverint. Ariſtoteles nodum advertens tetigit aliquando, non niſi obiter & obſcurè ſuo more: ait ergo libr. Met. 13. cap. 3. *Cum autem Bonum & pulchrum differant; ſiquidem illud ſemper in operatione: pulchrum vero etiam in immobilibus eſt, &c.* quæ verba pauci interpretati ſunt; fortè quod non agnoſcerent librum illum decimum tertium pro partu genuino Ariſtotelis; certè Scotus non commentatur niſi duodecim libros ejus; ſed nec Angelicus D. Thom. In Averroë leguntur, ſed ſine commentario. Ergo, quam poſſum conjicere vult Ariſtoteles ambo illa diſcriminari, per hoc quod bonum propoſitum excitet in nobis motum, pulchrum non item, quia nimirum bonum excitat appetitum, pulchrum autem placet quidem, ſed non generat ſui appetitum; ſive quod deſperemus illud conſequi, ſive quod nobis non conduceret adquiſitum, vel undecumque alias. Hanc fuiſſe illius mentem colligo tum ex præſenti primo Moral. ubi ait bonum appeti ab omnibus; tum ex Metaph. cit. nam ibidem ſtatim ait pulchrum eſſe conſiderationis Mathematicæ; at vero ſcimus Mathematicam verſari circa quantitates, quæ ſunt ignavæ & non activæ. Itaque Ariſtoteles hic conſequenter loquutus eſt, & ſuſtinendo primam definitionem boni quæ ipſius eſt, hæc eſt opportuna diſtinctio boni & pulchri.

Quia tamen nos aliam non ſolum attulimus, ſed prætulimus illi, non æque poſſumus conquieſcere in hac diſtinctione, ſed adhibenda alia eſt, quam ex ipſo Ariſtotele deducam, itaque ad quæſitum

Dico reſolutive bonum non coincidere cum Pulchro, ſed differre formaliter ab eo. Hæc habet adverſarium Platonem, (& in gratiam ejus Plotinum,) nam is in Memnone ait omne bonum pulchrum eſſe: & in Alcibiade, vel hoc ipſo aliquid eſſe bonum, quod pulchrum ſit; quod etiam alibi repetit; nam in lib. de pulchro, ait pulchritudinem, ſi videretur admirabilem ac flagrantiſſimum ſui amorem eſſe genituram. Vidimus autem hanc eſſe boni diffinitionem, adeoque. Sed eo non obſtante

Do tres diſparitates inter ambo illa quæ erunt totidem probationes Concluſionis; ad quarum primam præmitto, quod à nemine negari poteſt, pulchritudinem propriè dictam & acceptam eſſe illam quæ in corpore, maximè in vultu animalis cernitur; hoc enim eſt quod communiter importatur per illam vocem; & à quo ad alia derivata eſt, ſicut ly *ſanum* aut *ſanitas* primò convenit animali, ab ipſo deinde derivata eſt ad alia quibus accommodatur, unde jam incipio primam diſparitatem, quia nimirum ad pulchritudinem opus eſt pluribus, ad bonitatem non. Nullum ſimplex poteſt eſſe pulchrum, aliquid ſimplex poteſt eſſe bonum. Aſſumptum horum patet inprimis ex primo denominato horum, quod eſt pulchrum animal, aut pulchra facies, hæc enim neceſſario

dicunt

Digitized by Google

dicunt & exigunt plura. Deinde ex Ariſtotele, qui ut habes loco jam cit. tria exigit ad pulchritudinem, ordinem, commenſurationem, ſymmetriam, & definitum, græce ὡρισμένον.

Dices Ariſtotelem eſſe in oppoſitum; nam illo loco 13. Met. ubi hæc exigit ad pulchritudinem, vocat ea ſpecies pulchri, non verò partes: hinc autem habetur ſingula ſufficere ad pulchritudinem; nam genus totum in ſingulis ſpeciebus reperitur.

Reſpondet Gallut. ipſum velle dicere quod ſint partes, at cur non dixit: ſed dixit contrarium? vel unde id ex eo colligitur? duo mihi occurrunt ad evadendum hunc nodum; unum quod Ariſt. ibi conjunctim agit de bono & pulchro; at verò ſingula horum etſi non ſint ſpecies pulchri, ſunt eius, vel boni. Secundum & melius quod τὸ *ſpecies* non ſonat hic logicè ex inſtitutione Porphyrii omni rigore, ſed potius participat de antiqua impoſitione juxta ſubjectam materiam, ut ſpecies ſignificet aliquid pulchritudinis, unde res dicuntur ſpecioſæ, at vero ſpecies in hac acceptione ſunt partes pulchri, adeoque.

Secunda diſparitas & probatio Concluſionis eſt, quod pulchritudo ad intellectũ pertinet: bonitas ad voluntatem: etenim pulchritudo in corporibus oculum oblectat non autem affectum, qui reſpondet voluntati: qua res complectimur, & quaſi contrectamus.

Tertiò denique, res tametſi bona & pulchra ſit, tamen non appetitur ut, pulchra ſed ut bona; Multa enim pulchra non quærimus nobis, licet approbemus ea, & placeant.

Objici poteſt quod pulchrum quà tale ſit amabile: at verò nil æquè convenit bono ac eſſe amabile; adeoque. Antecedens ita experimentis firmatur, ut non egeat probatione. Reſpondeo non nego pulchrum & bonum valde vicina eſſe: ſi ſequamur primam definitionem Ariſtotelis de bono. In ſecundâ tamen diſtinguuntur quod ſufficit nobis; ſed quia id non ſufficit Ariſtoteli; diſtinguo antecedens, eſt amabile amore concupiſcentiæ nego, alio, puta amore complacentiæ vel amicitiæ tranſeat; at verò bonum non eſt definitum ab Ariſtotele per quemcumque amorem, ſed per appetitum.

Objicio ſecundò, ſequitur enim hinc Deum non eſſe pulchrum, quod eſt contra omnium ſenſum, & contra rationem, quia omnis perfectio ſimpliciter & abſolutè eſt in Deo, pulchritudo cenſetur talis, & quidem excellenter; adeoque: Sequela autem probatur dupliciter primo ex ultima conditione; qua exigitur illud ὡρισμένον id eſt magnitudo certa ac definita; hinc enim ſequitur nullum infinitum poſſe eſſe pulchrum, Deus autem eſt infinitus, & ſimplex eſt. Reſpondeo Deum & alia ſimplicia ac infinita, ſi quæ ſint, eſſe pulchra, id eſt ſpectabilia ac præclara: Quomodo dicimus pulchrum colorem, etiam unum ſpecie & numero: puta rubedinem, virorem &c. tamen rigorem pulchritudinis non habere, niſi fortè pulchritudo non exigat compoſitionem, ſed tantum multitudinem, quod verius eſt, in Deo autem etſi non detur compoſitio, datur multitudo perfectionum: Cæterum de hac non leve dubium eſt quid intelligi debeat per eam conditionem: ſi enim rectè latinè transferatur, definitum, tum dico eam requiri ad pulchritudinem, at non abſolutè, ſed reſpectu intellectus finiti, qui non poteſt comprehendere infinitum: adeoque nec pulchritudinem ejus; ſicut ſi daretur facies humana, cuius ſingulæ partes eſſent mille paſſibus longæ: licet tota eſſet pulcherrima; tamen oculus corporalis non poſſet de illius venuſtate judicare.

4. His tamen non obſtantibus cenſeo Bonum morale poſſe confundi cum pulchro. Ratio, quia bonum morale ex pluribus coaleſcit, non enim ſufficit ad ipſum ipſa ſubſtantia actus; ſed debent adeſſe circumſtantiæ finis, præcepti, mediorum, &c. quæ multitudinem faciunt: at verò hæc multitudo eſt quæ conſtituit pulchrum, & diſtinguit illud à bono quam maximè

Inſtabis recurrere huc illud ſuprapoſitum de infinitate; nam actus infiniti ſeu quod idem eſt actus Divini ſunt boni moraliter ſine dubio: non tamen conſtant ſubſtantiâ & circumſtantiis, quum ſint ſimpliciſſimi. Propter hoc exiſtimo actus Dei excipiendos ab hac regula, quam univerſaliter tradidit Gallutius; non quod actus Dei non ſint boni: ſed quia non ſunt boni per circumſtantias, aut alia adjacentia, ſed per ſubſtantiam & entitatem ſuam, ſicut in Pſalmo 18. ſcriptum eſt. *Judicia Domini juſtificata in ſemetipſis*: ſicut ergò in entitate ſunt ſupernaturales, ita ſua entitate ſunt boni non per ullas regulas aut accommodationem circumſtantiarum: itaque illi non ſunt pulchri niſi eminenter, ſed pluſquam pulchri quia in ſua ſimplicitate habent quidquid decoris accedit aliis per multiplicitatem.

Digitized by Google

ACTIO III.

Vtrum Bonum adæquet voluntatem ita ut hæc non poſſit ferri in Malum?

Breviarium.

N. 1. *Concludit voluntatem poſſe proſequi malum: non tamen appetere.*

2. *Cætera alio refert, ad Apologiam de Anima.*

1. Hæc eſt examen aliquod primæ definitionis ſuprà; ſi enim voluntas poſſit ferri in malum, intelligo proſequutive ſive volendo, jam bonum non erit ſolum volitum, ut dicebat definitio: De hoc autem vide, ſi placet, quæſtionem... Apol..., de Anima: quo loco quoniam videor reſolviſſe affirmativè, quod voluntas poſſit tendere in malum per proſequutionem & amorem, hic nihilominus defendo definitionem Ariſtotelis ab eo incurſu; ſtat enim illa adhuc, eo quod voluntas etſi poſſit proſequi malum non tamen appetere, id eſt ſibi velle: vide cætera ibi: hic ſit

ACTIO IV.

Vtrum Bonum rectè dividatur in Honeſtum, Iucundum, Vtile; & an coincidat cum fine, nec ne?

Breviarium.

N. 1. *Notata aliqua circa diviſionem.*
2. *Ipſa diviſio vitioſa oſtenditur.*
3. *Bonum & finis coincidunt: unde media non erunt bona.*
4. *Voluptatem poſſe honeſtè percipi: etiam optari.*
5. *In diviſione etiam trimembri Boni, includendus honor.*

1. Liceat mihi in primis monere, terminos nō eſſe exactos in hac tam diu recepta diviſione boni: non enim bonum eſt delectabile, ſed delectans; ipſum autem agens ſive operans quicumque ſit, eſt delectabilis, ſicut eſt amabilis, & ſimilia; ſed hæc ſunt voces & aura: quamvis in quovis minimo præſtet bene ferri quam errare.

Ad rem ipſam, non eſt dubium diviſionem illam trimembrem eſſe adæquatam & ſanam in eo ſenſu quo ſonat, quodlibet enim quod appetitur ſub aliqua ratione ex his tribus appetitur, ut conſtat cuique experientiâ, atque ita apud vulgus diviſio relinquenda eſt in poſſeſſione ſuæ perfectionis, ſi tamen liceret Ethicæ Metaphyſicam inferre.

2. Dicerem diviſionem non placere. Ratio, quia hæc tria ſunt bona alteri: non ergò dividunt adæquatè bonum ut ſic: quia hoc non ſolum eſt alteri bonum ſed ſibi; & quidem prius. Exprimo argumentum in materiâ; nam humanitas v. g. eſt bona ſecundum ſe ſumpta (eſt enim melior equinimitate ſine dubio, quod non eſſet niſi ipſa foret in ſe bona;) at verò humanitas non eſt ſibi honeſta nec utilis, nec delectans; ut cuique credo patere, vel inde, quia nulla res eſt ad ſe ipſam; v. g. nil eſt utile ſibi; cum debeat *quod* utile eſt eſſe aliud ab eo *cui* utile eſt; & in re diviſio iſta eſt, ac ſi ego ſtatim immediatè dividerem ens in tres modos relativorum, quod nemo ferre poſſet cum reliquerim potiſſimum membrum, quod eſt ens abſolutum ſive ad ſe.

Aliud etiam vitium ex jam dictis impingi ei poſſet quod ſcilicet tertium membrum puta utile, non ſit ex numero bonorum; Cauſa, quia hoc non conjungitur habenti, ſed conjungitur fini, adeoque non ſit appetibile juxta ſupradicta: ſed non reputo hoc vitium tam vitioſum, aut certè non valde verum; videmus enim divitias appeti & adquiri quod eſt conjungi habenti ſuo modo. Melius ergò impugnatur hoc membrum inde, quia bonum quodque reddit habentem talem: utile non reddit: ergò utile non eſt bonum. Maior fundatur in ratione communi omnium formarum quæ tribuunt habenti quod ſunt: & in illo Ariſtotel. cap. 4. prædic. quod *qualitas eſt qua quales dicimur*: tota ipſa ratio explicatur quadam praxi: nam bonum honeſtum puta operatio virtuoſa reddit habentem honeſtum, operatio item jucunda, ſeu delectans, puta comeſtio, reddit habentem bonum: non enim habens aliquid utile redditur ipſe utilis ad talem finem, & multò minus redditur honeſtus aut jucundus per hoc præciſè, adeoque.

Dices reddit me habentem utilitatem. Nego hoc, alioquin redderet me utilem, quid enim eſt eſſe utile, niſi habere utilitatem? Inſtabis, ſaltem reddit me habentem bonum utile: at quid eſt, quod cætera bona non ſolum reddunt me habentem tale bonum, puta jucundum, aut honeſtum,

ſtum, ſed reddunt me ipſum jucundum & honeſtum? hoc fortaſſis probat non dari bonitatem in mediis; ſed denominari ea talia ab extrinſeco, fine ſcilicet; ſed nolo adhuc cogi ad hanc ſententiam, quin independenter ab eâ dabo aliam cauſam hujus; quod ſcilicet bona jucunda & honeſta ſint formæ, & quidem actuales, quæ proinde afficere nos, & denominare formaliter poſſunt, at vero bona utilia non, ſed ſubſtantia, ut gladius, pecunia, veſtis, &c.

Inſtari tamen poteſt quod licet bonum utile eſſet etiam forma, adhuc non denominaret me bonum; nam labor in vinea eſt bonum utile; tamen ego laborans non ſum bonus; dicerem propter hoc in medio non eſſe bonitatem niſi conſequenter cogerer dicere non eſſe in eo utilitatem, quia nec ego laborans ſum utilis, licet labor ſit utilis alioquin eſſem medium.

Sed quid ſi hoc dicerem, neque bonitatem neque utilitatem eſſe in medio formaliter ſed tantum per denominationem extrinſecam: ecce fundamentum, nam ſicut probari poteſt non eſſe in eo bonitatem, aut amabilitatem, ſed in ſolo fine, eo quod ablata amabilitate à fine auſertur à medio (cum enim deſinit ſanitas eſſe bona mihi, deſinit medicina eſſe bona) ita enim contendi poſſet non eſſe in eo utilitatem, nam nec medicina eſt mihi utilis in eo caſu.

Dicet fortè aliquis utilitatem ad ſalutem non poſſe ſeparari à medicina, ſed fallo, connexio quidem & cauſalitas ſanitatis non poteſt ab ea ſeparari, utilitas poteſt, etenim ſi attendas, τὸ utilitas non tantum dicit cauſalitatem aut productivitatem, ſed conducentiam & juvamen ei cui præſtatur, at vero tunc non conduceret, non juvaret me.

3. Dic ergo probabile bonum & finem coincidere in præſenti; quod eſt dicere utile qua tale non eſſe æque proprie bonum, cætera enim poſſunt fines eſſe, utile qua tale eſt eſſentialiter non finis.

Attamen ex altera parte teneo finem & bonum non converti, & do promptè rationem, quia nimirum finis apud authores communiter dividitur in finem, *quo* & finem *cui*, at vero finis *cui* non ſemper eſt bonus, poſſumus enim conſtituere nobis malum & illi velle bene, de quo vide dicta loc. cit. phyſ. tom. 2.

Cenſeo etiam tertiò non bene reſtringi à pleriſque bonum delectabile ad voluptates ſenſuum, & addo non ſolum delectationes illas diſtinctas, ſed ipſas in ſe voluptates honeſtè percipi poſſe atque intendi. Moveor ad primam partem inde quia beatitudo ipſa ſupernaturalis eſt cum delectatione, alioquin non redderet beatos ſive ſummè felices.

Imò Deus ipſe qui ſummè ſanctus eſt ſummè beatus & jucundus eſt; datur ergo aliqua jucunditas, quæ non ſit corporalis aut organica: unde pſalm. *torrente voluptatis tuæ potabis eos*, & antea *inebriabuntur* id eſt magnitudine delectationis extra ſe fient, quod eſt proprium ſummæ voluptatis; & revera niſi ita eſſet, peſſimè ageretur cum natura ſpirituali, quæ hoc condimento laborum careret quo abundat corporalis. Hoc jam eſt aliquod bonum, non aliud quam jucundum, ſi enim dixeris eſſe honeſtum, non negabo id ego, cum ſit altera pars concluſionis; ſed contendo habere aliam rationem, quam honeſtatis, quia honeſtum eſt quatenus reſpondet rectæ rationi, at vero delectat quatenus reſpondet non rationi ſed naturæ.

Jam probo alterum illud quod cœpi, ſcilicet delectationem poſſe honeſtè percipi, etiam intendi, quod quidem indiffinite dictum eſt evidens, nam certo certius eſt beatitudinem eſſe honeſtè perceptibilem, atque etiam appetibilem, at vero beatitudo adfert ſine dubio maximam delectationem quantam nos in hac vita non experiri, ſed nec cogitare poſſumus, etiam poſt hauſtas omnium corporum voluptates. Quo loco latet alia ſatis firma confirmatio propoſiti, nam in beatitudine ſaltem poſt reſurrectionem ſenſus corporis, ac non tãtum potentiæ animæ, fruentur objectis ſuis & voluptate ex ipſis reſultante, ut communiter docetur à Theologis, viſus delectabitur pulchritudine luminum & corporum, auditus harmonico concentu ſonorum, tum orbium cæleſtium, tum aliorum; guſtus ſimiliter erit in perpetuo uſu ſaporum, quod etiam de odore & tactu ſine dubio tenendum erit, cum hæ non ſint cæteris inferiores, imo fruitio tangibilium cenſeatur fæcundiſſima voluptatis. Videantur Ægid. &c. Qui omnes conſpirarunt in hoc quod eſt ſenſus corporis habituros ſua objecta & oblectamenta poſt reſurrectionem.

At enim hoc non eſt principale punctum concluſionis, ſed aliud, quod eſt, voluptates corporeas poſſe à nobis non ſolum admitti, ſed optari & intendi, quod ſic ſuadeo: quia nimirum Deus & natura voluerunt nos poſſe & velle intendere eas: ergo id licet. Conſequentiam nemo negabit, antecedens autem probatur; quia Deus & natura indidit delectationes corporeas, & voluptuoſas quibuſdam objectis ad invitandos homines ad earum uſum, v. g. cibis, potibus, actioni generativæ, quia iſta neceſſaria erant; prima quidem ad individui conſervationem, tertia ad conſervationẽ ſpeciei, ne igitur natura perderet quod fecit, hac delectatione quaſi ſtipendio latenter conduxit animalia ad ſui & mundi conſervationem, quod ſane non negari, ſed laudari debet; hinc autem ſequitur manifeſtè intentum, qui enim addidit alicui objecto delectationem, ut homo propter illam frequentaret actum, utique voluit hominem intendere talem delectationem, quid enim aliud ſignificat nobis illud *τὸ propter*? capiamus exemplum à nobis, quando appendimus eſcam hamo, utique optamus ut piſcis mordeat & appetat eſcam.

Placet tamen diſcurſum hunc paulo magis Biblicè promovere, etenim vult Deus ut aliqua agamus & omittamus formidine pœnæ: hinc enim tam terribiliter minatur ſubinde in Scripturis, ex quibus placet unam proferre Deut. 28. *Niſi cuſtodieris & feceris omnia verba legis hujus; quæ ſcripta ſunt in volumine hoc, augebit Dominus plagas tuas, & plagas ſeminis tui, plagas magnas & perſeverantes, infirmitates peſſimas & perpetuas, & convertet in te omnes afflictiones Ægypti quas timuiſti & adhærebit tibi*, &c. ibidem aſpertimè, atque etiam capite ſequenti, quæ clare inferunt velle Deum, ut nos utamur obſervantia aliquarum tamquam medio ad evadendas pœnas dum ille utitur illarum comminatione tamquam medio ad inducendos nos in obſervantiam præceptorum; cur autem poſſumus intendere fugam dolorum, & non uſum delectationis;

tionis; imo ſine conſequentiis ſequitur immediatè intentum ex eo loco Deut. nam ibi ille proponit etiam temporalem utilitatem ac voluptatem ad alliciendos homines ad obſervantiam ut videas à principio uſque ad hoc, & alibi in lege ac prophetis paſſim.

Objicitur: quare ergo prædicatores tam liberè deterrent nos ab uſu voluptatis corporeæ, tamquam à re certiſſimè mala ac illicita? Reſpondeo merito, quia revera eſt mala ac illicita, & talis potius dicenda eſt quam licita, quando enim in uno caſu licet, in centum caſibus eſt illicita. Licet tantum ad finem à naturâ intentum quæ eſt conſervatio individui & ſpeciei: in cæteris non licet; at vero quotus eſt qui continet ſe à voluptate extra hos caſus, cum multi ſectentur eam etiam cum diſpendio individui ac ſpeciei, ut faciunt qui ſe inebriant, &c.

6. Denique de ipſa diviſione trimembri dixi ſupra ſemel meum ſenſum, nunc addo eam aliter tradi potuiſſe, includendo aliud quod omiſit, & ſunt bona honorabilia, ſcilicet ipſe honor, dignitas, imperium in alios, &c. non enim videntur iſta ſufficienter comprehenſa ullo illorum trium. Utilia non ſunt cùm ſint fines, nec honeſta ex ſe, ut patet, quod vero delectabilia propriè non ſint, inde ſuadeo quia non pertinent ad ſenſum; non enim ſenſu ſed voluntate percipiuntur, at vero voluptas pertinet ad ſenſum. Formo rationem paulo accuratius: nam in bonâ philoſophiâ diſtinguenda ſunt voluptas & gaudium: item triſtitia & dolor, nam dolor in carne eſt, nec ſine illa eſſe poteſt, triſtitia vero è contra in animâ ſeparata invenitur. Voluptas propriè non eſt ſine carne, gaudium eſt, &c. At vero hæc objecta, quæ attuli non pariunt voluptatem aut delectationem ejuſmodi, ſed gaudium, non ergo ſunt proprie bonum delectabile, quam emendationem vulgaris diviſionis infero ex ſcriptura, quæ enumerans bona hujus mundi, ſive illa quæ deterrent nos à virtute, ait: *omne quod in mundo eſt eſſe aut concupiſcentiam carnis, aut concupiſcentiam oculorum, aut ſuperbiam vitæ.* Ecce diſtinguit ſuperbiam vitæ, ad quam pertinent honores, à concupiſcientia carnis in qua eſt delectatio & voluptas: accurate quidem illa, quam omnis ſcientia ſeculi deberet imitari, & addiſcere. Confirmo ad hominem contra communem Thomiſtarum, illi enim docent primum Angelum peccaſſe ex ſuperbia; non autem ex luxuria, ergo aliud genus boni appetivit quam delectabile: certum autem eſt quod non appetivit honeſtum, aliter non peccaſſet, nec utile ſolum ut patet, ergo jam genus illud in quo eſt honor diſtinguitur à genere delectabilis.

Plura apud

PLat. *in Menon. in Alcib. in* Hipp. Ariſtot. *lib. & cap. Ethic. & lib.* 3. *Met. tex.* 3. Circer. *lib.* 3. *de fin. bonor. &c.* Averr. 2. *Met.* Plotin. *Enned.* 6. *cap.* 19. Senec. *Epiſt.* 118. Simplic *in Epictet. cap. ſi* S. Aug. *tom.* 6. *lib. de bon. nat.* S. Thom. 1. *p. q.* 5. Durand. 1. *diſt.* 46. Maiſil. 2. *q.* 16. Buridan. 3. *Ethic. q.* 5. *&c.* Angeſt. *Moral. cap.* 2. Medin. 1. 2. *q.* 1. Theod. Smiſ. *de Deo un. tract.* 3. *d.* 1. Suar. *diſp.* 10 *Met.* Tarquin. Gallut. *in Ariſt. cit. q.* 1. *&c.* Vaſq. 1. 2. *d.* 1. *&* 1. *p. d.* 23. Joannes Stob. *in Eglog. Phyſic.* Jodoc. Loric. *in Feſar. Theolog.* Conimbric. *d.* 1. *Ethic.* Palavicin. *de Bon. per totum* ‿ *d.* 1. *in* 1. 2. Rayner. *de Piſ. in Pantheol.* Ludovic. Granat. *in fil. locor.* Petrus Canis *oper. Gatechet.*

APOLOGIA SECVNDA

De ultimo fine.

ACTIO I.

Utrum Homo non ſolum à Deo authore gratiæ, ſed etiam à natura habeat aliquem ultimum finem omnium actionum?

ACTIO II.

Utrum Homo potuit à natura relinqui in ſtatu quem jam ducimus vivendo? & an poſſit ſatiari bono aliquo infra Deum viſum & fruitum: necne?

ACTIO III.

Reſolvit quædam dubia ſparſim de ultimo fine.

Scotus *q.* 1. *prolog. num.* 9.

OMnis natura creata eſſentialiter dependet à qualibet per ſe cauſa, & propter talem dependentiam ex cauſato cognito poteſt demonſtratione, *quia* quælibet ejus cauſa per ſe cognoſci: ergo cum natura hominis, ſit homini naturaliter cognoſcibilis, quia non eſt potentia cognitiva improportionalis, ſequitur quod ex iſta natura cognita poſſit naturaliter cognoſci finis illius naturæ, &c.

ACTIO I.

ACTIO I.

Vtrùm homo non ſolùm à Deo authore gratiæ, ſed etiam à natura habeat aliquem ultimum finem omnium actionum?

Breviarium.

N. 1. *Apparatus ad reſolutionem: Concluſio affirmativa.*
2. *Non habet homo à natura finem poſitivè unum.*
3. *Nec à ſeipſo, ſed plures integrantes.*
4. *Rationes in oppoſitum ſolvuntur.*

1. Titulus ipſe in prima parte ſupponit hominem habere aliquem ultimum finem præfixum ſibi à Deo liberè & contingenter, quæ eſt beatitudo ſupernaturalis, eſtque ipſius Dei ſummè boni fruitio, quod fide credimus, & ulterius probare non Ethici, ſed Theologi eſt, hoc ergo loco illud dubium relictum eſt expediendum, ſi Deus id non feciſſet, an aliquem alium finem habiturus eſſet homo? Itemque, an neceſſariò acciperet à ſe finem? ultimum intelligo ubique: pro quo etiam adverto dupliciter aliquid poſſe eſſe ultimũ finem, ſemel poſitivè per hoc, quòd omnia ad ipſum referantur; iterum negativè per hoc, quòd ipſum ad aliud non referatur, licèt non cætera referantur ad ipſum, quibus poſitis: Dico primò, ſi homo non eſſet aſſumptus ad ſtatum ſupernaturalem, haberet à natura finem ultimum negativè, non verò poſitivè unum. Hanc & ſequentium aliquas non vidi tam clarè deciſas hoc loco apud authores; & quia res eſt merè poſſibilis, ſobriè ſapiendum eſt ac ſuſpenſo pede.

Suadeo aſſertum, quia daretur ſupremum bonorum, quod homo conſequi poſſet ſibi relictus, illud autem eſſet ultimus finis, ergo. Maioris probatio eſt iſta, aſſignato enim aliquo bono, quæri poſſet, num poſſibile eſſet homini bonum eo maius? ſi non, illud erit ſummum, & ita ultimum ei appetibile; ſi ſic, adferatur, & de eo inſtituatur quæſtio, & deinde de tertio ſimiliter, &c. atque ita devenietur ad aliquid omni aſſignato maius, & illud erit ultimum, atque ita finis; aut non, & ita ipſum aſſignatum erit ultimum, & ita finis: ſit exemplum in ſapientia, aut enim homo non poteſt naturaliter adquirere bonum ea nobilius, & ita ipſa erit ſummum & ultimum, aut poteſt, & illud erit finis.

Dices non fore finem, quia non ſiſtitur ibi, ſed dabitur aliquid ſapientiâ melius, & iterum aliquid hoc meliori melius, & ita in infinitum, ſyncategorematicè. At enim hoc non dicam, nam quidquid ſit de poſſibili, certum eſt quòd de facto natura non habet infinitas rerum ſpecies, & multò minus infinitas excedentes ſe, loquimur autem de facto, id eſt, ſi homo produceretur in hoc mundo, qui nunc eſt abſque gratia, &c.

2. Quod verò non haberet finem poſitivè ultimum, cauſa eſt, quia non omnes actiones eius eſſent ordinabiles ad illum ſupremum: Ecce, ſit ſummum illud ſapientia, ſive contemplatio, ut voluit Ariſtoteles, actio generativa non eſt quid ordinabile ad hunc finem, ſed quid diſparatum; nam hæc ordinata eſt ad bonum ſpeciei, illa eſſet bonum individui. Inſtabis, hic nil ſingulare dici, ſed minus quàm expectabatur: homo enim tunc haberet non unum ſed plures fines negativè ultimos. Reſpondeo potius eſſe hoc aliquid ſingulare, nam communiter cenſetur hominem habiturum plures fines non ultimos, ego autem pono non ſolùm unum quomodocunque, ſed unum optimum & cæteros excedentem. Urgebis tamen adhuc, ſi excedit cæteros poſitivè, cur non eſt poſitivè ultimus? Reſpondeo, quia non recipit, (ut ſic dicam,) appellationem à cæteris; ſive, quia cætera non ſunt ſubordinata ei, ut in ejus gratiam ordinentur & amentur.

3. Objicies tamen adhuc, ſi ita eſt, ergo natura parum provida fuit, quæ non contraxit intentiones ſuas ad ullum terminum, ſed permiſit fluere ſicut ſcopas diſſolutas hinc inde: certum eſt autem naturam eſſe agens prudentiſſimum, ergo non debuit permittere homini plures fines, ſed unum; quem diſcurſum ſic proſequor, à paritate aliqua rationis qua improbatur pluralitas Deorum; In eo enim caſu non ſolùm non eſſent omnes illi, ſed nec unus eorum eſſet omnipotens, eò quòd unus poſſet opponere ſe alteri, & impedire actiones ejus; ita dico, ſi homini relicti eſſent multi fines, contingere poſſet ut nullum aſſequeretur, uno alterum impediente, imò id neceſſe eſſet ſi forent diſparati, non verò unus alteri ſubordinatus. Reſpondeo hic eſſe uſum diſtinctionis de fine operis, & de fine operantis, ſive de fine hominis, & de fine naturæ in producendo hominem; fines operis eſſent tum ſubordinati, non verò fines operantis; Alius eſt enim finis quem homo quærit, alius quem natura in eo faciendo quæſivit. Homo enim bonum ſuum generando quærit, natura bonum univerſi, & ad hoc indidit homini virtutem & exercitium generationis, ſcilicet ad conſervandam ſpeciem in univerſo. Iam verò actiones hominis, ut individuum eſt, omnes bene ſubordinantur illi ſupremo fini ſapientiæ, ſcilicet edere, quieſcere, &c. quia hæc intendunt conſervare individuum, à quo procedit exercitium ſapientiæ aut contemplationis.

5. Dico ſecundò: Homo in hac vita ſibi relictus, non haberet à ſe ullum unum ſpecialem finem, ſed plures integrantes, hoc eſt, ipſe non præſtitueret ſibi ullum unum, ſed plures partiales.

Digitized by Google

Ratio, quia nullum unum objectum eſt in hac vita quo ſolo ſatiatur homo, ſed plura appetit, & habito uno non quieſceret, ſed pergeret ad aliud v. g. habitâ voluptate, optat honorem, & præter hunc vult etiam divitias, & cùm ſatiatus eſt objecto unius ſenſus, appetit oblectamenta alterius, ex quo, (ut id obiter advertam,) apparet præſtantia beatitudinis ſupernaturalis, ſic enim differt ab illa hæc, quam homo ſibi præſtitueret in hac vita, ſicut differt veſtis integra, & eodem filo conſequenter texta, à paupere & ſegmentata, nam felicitas noſtra tunc eſſet ex ſexcentis petiis coagmentata, ſicut tunica mendici, in qua ſuturæ & ſegmenta implent hiatus, & integrant veſtem, illa autem alia eſt quid ſimplex & integrum, velut uno filo ductum, ſed contra

4. Objici primò poteſt, quod ſupra ipſi diximus, ſcilicet in beatitudine ſupernaturali futuram etiam ſenſuum delectationem, adeoque illa non minus eſt repetiata, quàm hæc noſtra. Reſpondeo, latum diſcrimen eſſe, quia finis in altera vita, & viſio ejus ſatiat plene habentem, etſi nil aliorum adderetur, neque illa alia ſunt partes beatitudinis ibi, ſed appendices: Hic autem non ita, nam contemplatio hujus vitæ non ſatiat habentem, ſed permittit ei appetere alia multa, & neceſſariò adhibere.

Objici ſecundò contra hæc poteſt, quæro enim, cur dictum ſit naturam dediſſe homini finem ultimum unum, ipſum autem hominem nullum unum, ſed plures partiales? Reſpondeo non deeſſe rationem, licèt etiam idem de homine ipſo & natura dici potuerit. Dixi tamen naturam feciſſe homini finem ultimum unum, quia conſtituit actionem cæteras excedentem, quam voluit eſſe poſtremam, & ad ipſam per alias perveniri. Sicut enim priora naturâ ſunt gradus univerſaliores, & in ſpecie atoma prius eſt ipſum genus, poſtremum differentia, ita actio reſpondens differentiæ eſt ultima, itemque nobiliſſima: hæc in homine eſt rationalitas, & actus ejus eſt contemplatio, adeoque à natura hæc facta eſt ultimum, atque ita finis aliorum, ultra quem non poteſt homo aliquid altius ſperare, ſed in illa ultimò ſiſteret: quid autem eſt finis niſi hoc. Ipſe autem homo non ſiſtit in contemplatione, ſed alia præter ipſam, imo ſupra ipſam appetit multò magis ferventer. Nihilominus inſtauro dictam rationem dupliciter, primò, quòd natura non poſuerit finem hominis in contemplatione, finis enim enim hic eſt actio humana, & bonum humanum, ſed contemplatio non eſt totius hominis, ſed animæ ſolius; deinde ſi à natura facta ſit finis, unde ſcimus quòd homo non etiam præſtituet ſibi eum quùm poſſit? hoc enim dicere, (ut etiam oppoſitum,) eſt divinare.

Ad primum horum non cogor reſpondere hic, non enim hic eſt locus reſolvendi in ſpecie ultimum finem hominis, neque contemplationem attuli, niſi tanquam exemplum adhuc incertum, ſed quia fortaſſis illam aſſerturus ſum pro ultimo fine naturæ: Reſpondeo ad objectũ, contemplationem non eſſe ſolius animæ actionem, ſed hominis, ſicut aliæ intellectiones pro hoc ſtatu in quo cooperantur animæ organa etiam ad intellectionem. Ad ſecundum dico, hic non divinari, aut ſi fortè, ſed non ſine fundamento, etſi enim poſſit fortaſſis homo ſequi ductum naturæ ad bonum, tamen deſtitutus gratia non ſequetur certiſſimè; ſumus autem in caſu quo homo ſit in puris naturalibus nullo modo elevatus per gratiam, adeoque: imò certum reputo, quòd licèt fortaſſis phyſicè poſſet ſequi naturam & dictamina bona ejus ubique, tamen moraliter non poſſit; id autem ſufficit mihi, & tamen minus eſt quàm quod Theologi communiter de hoc dicunt.

ACTIO II.

Vtrùm homo potuit à natura relinqui in ſtatu quem jam ducimus vivendo? & an poſſit ſatiari bono aliquo infra Deum viſum & fruitum?

Breviarium.

N. 1. *Explicatio quæſiti, ſenſus Philoſophorum Ethnicorum.*

2. *Natura humana exigit ad alia ordinari quàm ſint objecta hujus vitæ.*

3. *Homo non exigit finem ultimum infinitè perfectum.*

4. *Objicitur experientia; Reſpondetur.*

1. SUpra movi & reſolvi quæſtionem: Utrùm mundus poſſit pergere ſine fine cum ſuis generationibus & corruptionibus, prout de facto exercentur? nunc idem quæro, ſed alio ſenſu, tum enim ratio dubitandi fuit ex ipſorum corporum perpetuo repaſſu, quo denique redigerentur ad minimum, ſi non omnino ad nihilum, atque ita tranſmutationes non poſſent ſine fine pergere, ſed deberent aliquando terminari; nunc eſt alia, pro ſubjecta materia, moralis; num ratione ſui ultimi finis debeat homo aliter tractari quàm videmus contingere nobiſcum, & cum majoribus qui nos præceſſerunt naſcendo, vivendo, moriendo: an verò attendendo ad ipſius naturæ vim & providentiam poſſit ac debeat aliud expectare, tametſi nil gratiæ, id eſt ſtatus ſupernaturalis fuiſſet ei conceſſum aut promiſſum?

In quo conſtans fuit Ethnicorum non tam opinio, qua quaſi ſuppoſitum aut principium, omnia circa hominem in hac vita geri, à morte nil expectari poſſe niſi ſepulchrum, quod ita verum erat & commune omnibus ubique, ut Athenis Areopagus ipſe: *Cùm audiſſent à Paulo reſurre-*

Digitized by Google

Act. A-poſt. c. 17. *reſurrectionem mortuorum irridebant*, & alii de eo: *Novorum Dæmoniorum annunciator videtur eſſe, quia Ieſum, & reſurrectionem annunciabat eis*: Et ipſe Dominus apud Iudæos debuit labore & argumentis ex ſacra Scriptura uti, quo eos ab hoc errore, aut potius deſperatione abduceret; atque ut apparet ex his ipſis, tota machina vertitur circa unum axem, qui eſt mortalitas animarum, in hac enim iſta deſperatio fundatur, ut videas
C. Plin. apud Plin. lib. 7. natur. hiſtor. cap. 55.

2. Dico primò, licèt Deus ad nihil extra ſe teneatur, tamen natura humana ſemel condita exigit aliud de ſe diſponi quàm ſolet aut poteſt in hac vita contingere, ut non videatur poſſe id à Deo de ordinaria potentia omitti. Hanc veritatem fateor aliquoties hactenus innui; ſed leviter & ſtrictim, nunc argumentis factis confirmabo.

Vide Quodlib. Amberis. Primum, quod fortaſſe alibi cœpi, eſt ex ſpiritualitate atque immortalitate animæ, quam alibi probatam hic ſupponendo, formo ſic rationem: Anima exigit æternam vitam, non exigit ſed fugit æternam ſeparationem, quia eſt ei violenta, exigit ergo unionem: Ecce reſurrectionem mortuorum. Pergo, hæc ſecunda unio animæ ad corpus aut eſt ſeparabilis aut inſeparabilis, ſeu diſſolubilis; ſi primum, redit argumentum, ut vides; ſi ſecundum, habet vitam æternam, & præterea quod infra deducam, ut ſit

Secundum argumentum: finis hominis debetur ei finaliter & permanenter, ſicut lapidi centrum, non verò per intervalla, ſicut ſi intelligeremus lapidem deprimi & elevari alternatim, debetur ergo ei ſtatus in quo poſſit continuo contemplari & haberi exercitium partis nobiliſſimæ ſui: Certum autem etiam & nimis evidens eſt, quod pro hac vita non poſſit habere continuam contemplationem, ergo debetur ei alius ſtatus ratione ipſius naturæ.

Tertium, quia hoc non ſolùm debetur perfectioni naturali & phyſicæ, ſed etiam morali, quæ ad probitatem hominis ſpectat, imo hanc tanto magis convenit eum exigere, quanto ipſa eſt melius bonũ phyſica, cùm ex tribus generibus bonorum ſupponamus ſupremum eſſe honeſtũ, atqui perfectionem moralem non haberet, ſi ſibi relinqueretur, intellige ſine auxilio gratiæ, quæ neceſſaria eſt ſaltem moraliter ad ipſam naturæ legem ſervandam, ut ſine ipſa infallibiliter homo eam ſit prævaricaturus, adeoque virtutes morales: Non poterit ergo id ipſum ſine auxilio ſuperiori ad naturam, hoc eſt ſupernaturali, ergo. Contra hanc rationem

Objici poteſt, quòd in eo caſu teneretur homo obſervare legẽ naturæ, ergo deberet poſſe, nemo enim ad impoſſibile tenetur, tum ſic, aut poteſt eam ſine gratia, & ita ratio fallit, aut non poteſt, & tum vel deſtruet ſuppoſitum ſuum, quod eſt agi de natura ſine gratia, vel incidet in abſurditatem de obligatione ad impoſſibile, quia talis tenetur obſervare legem etiam ſine gratia; atqui id non poteſt ſecundùm ſe, ergo. Reſpondeo punctum hoc ſpectare alio; ſed, ne videamur fugere difficultatem, dico eſſe hic obligationem, & eſſe impoſſibilitatem; ſed nego obligationem eſſe ad impoſſibile, quam doctrinam dupliciter applico huic propoſito; nam obligatio eſt ad phyſicam obſervantiam; impoſſibilitas autem eſt ad moralem, ſive ipſa potius eſt moralis; Iterum ſic: impoſſibilitas eſt ad compoſitum, obligatio ad diviſum; ſic Chriſtus Dominus diſcipulis ait: *Neceſſe eſt venire ſcandala*: Ecce neceſſitatem in univerſali: *Veruntamen væ eſſe illi homini illi per quem ſcandalum venit*; ecce libertatem in particulari aut ſingulari, poteſt ergo libertas & poſſibilitas cadere ſupra ſingulas actiones hominis in ipſa natura conſtituti, & ſimilis neceſſitas ac impoſſibilitas aliqua ſupra conjunctum aut complexum ex omnibus actionibus & obſervantiis univerſæ legis.

Habes ex his, quum omnia ſint Deo poſſibilia, tamen ſpectatâ rerum exigentiâ, (cui ipſe ex ſuavitate ſuæ providentiæ, ubique infallibiliter ſe accommodat,) duos modos ei relictos condendi naturam humanam, unam cum gratia originali, ut de facto fecit, alterum cum adjuvante, quam poſt lapſum dat; Iterum quoad naturalia oportuiſſe aut condi hominem immortalem, ut fuit de facto, & fortaſſe paulò amplius, aut cum reſurrectione ad vitam immortalem, ſicut erit poſt judicium, atque ita duos eſſe ſtatus, qui ſimiliter adhiberi homini non poterant unus ut conderetur in pura natura; hoc eſt cum fomite ſine gratia, alter ut conderetur cum corpore mortali ſine ſpe unius reſurrectionis ad æternam vitam ſeu exiſtentiam, dico; unius, quia repute ſimiliter abſurdam conditionem hominis, qua fieret ità mortalis, ut ſæpè moreretur & ſemper reſurgeret.

3. Dico iam ſecundò ad alteram partem tituli, ex natura rei non eſſe opus homini fine infinito, ſed bene poſſe eum eſſe contentum bono aliquo finito pro fine; Rationes in promptu ſunt; prima, quia capacitas hominis eſt finita; ergo impleri poteſt bono finito, oppoſitum enim videtur quaſi quis quæreret duos palmos ad replendum locum capacem tantummodo unius, vel totum Oceanum ad replendum unã foſſam. Secunda, quia experimur veritatem huius, ſæpè enim ſatiamur ut non appetamus amplius, & licèt hoc contingat in aliquo uno genere tantùm, v. g. in cibo, aut alia voluptate, tamen inde trahi poteſt conſequentia ad alia, utique enim omnes ſunt invicem ſimiles.

Tertia, quia de facto quando habet bonum infinitum pro fine, non fruitur homo infinito illo niſi finitè, quid autem refert habere finitum bonum, aut infinitum, ex quo decerpere non poſſis niſi finitum? plane perinde eſt, ſicut eodem redit, quòd quis habeat decem uncias alimenti ſibi conceſſas, aut maiorem molem, puta ducentas, ex quibus ipſi abſcindere non liceat niſi decem.

Quarta, quia in ipſa fruitione infiniti boni redit difficultas, ſunt enim duo inæqualiter beati, Franciſcus & Dominicus, quæram hic ſecundus an appetat maiorem beatitudinem prioris? ſi ſic, inquietus eſt quamdiu illam non habet, atque ità non beatus; ſi non, & tamen eſt æquè capax eius, ſequitur aliquem poſſe eſſe contentum non ſolùm finito bono, ſed aliquo infra illud, cuius eſt capax.

Dices, contra primam rationem aſſumi falſum ab illa; nam intellectus hominis poteſt ferri in infinita, & ſimiliter voluntas. Reſpondeo aſſumptum eſſe ſolidum; quia ipſe homo cùm ſit finitus, quidquid illius eſt, eſt neceſſariò finitum, neque inſtantia ſufficit, nam intellectus non poteſt ſimul ferri in infinita, neque voluntas ſimul, ſed ſeorſim, quod eſt ſemper ferri in finitum.

Digitized by Google

Magis obſtaret inſtantia receptionis, homo enim poteſt recipere formam infinitè intenſam, puta gratiam, aut ſapientiam, adeoque capacitas ejus eſt infinita: ſed neque hæc prævalet, agimus enim de receptione & capacitate intentionali, ac non tantùm materiali, de capacitate fruitionis boni, ubi intervenit actio hominis, & delectatio, quod ideo reſpondeo, quia ſolùm hoc facit ad propoſitum, aliàs enim nego ei poſſibilem formam infinitam, nego (probabiliter) capacitatem ejus, &c.

4. Objicies ſecundò experientiam, videmus enim homines magis divites eſſe magis avidos, atque ita non ſatiari poſſeſſionib⁹, ut etiamſi unus univerſum haberet, adhuc plura cuperet, ergo ſignum eſt hominem nullo finito ſatiandum. Reſpondeo non rectè id inferri, eſt autem origo hujus iſta, quia nimirum divitiæ ſunt extra hominem, & ſimiliter dico de honoribus, (in quibus concedo hydropem illum nunquam ſatiandum, quamdiu aliquid ſupereſt,) iſta ergo tam poſſunt augeri apud hominem, quàm in ſe ipſis, ſicut ergo continuum augeri poteſt ſine termino, ita iſta. Illa ergo ſic ſe habent in homine quemadmodum reſpectu ſitibundi aqua à qua os abluit, ipſam autem non ſorbet nec dimittit in ventriculum, ſicut ergo aqua illa nunquam ſatiabit eum, ita nec externa illa. Dices etiam Deus eſt extra hominem, nego, ſed illabitur ei, & ſaltem homo fruitur illo quãdo eſt applicatus, ita ut ſit realis mutatio & actio in homine, quod non contingit reſpectu divitiarum, ſed ſunt ejus per meram denominationem.

Deinde adhuc ad inſtantiam illam, dico in homine non eſſe verum appetitum, reſpectu divitiarum ſic congregandarum, ſed eſſe concupiſcentiam planè; ſicut in ſpadonibus quoad complexum & generationem non eſt libido, ſed rabies. Quia ergo hæc appetentia ſimilis eſt morbus, non ſatiari, ſed ſanari debet.

Dices contra hoc ultimò: Si ita eſt, quòd ſufficiat nobis bonum finitum pro fine, cur Doctores & P. P. tam confidenter dicunt, nos non poſſe ſatiari aliquo infra Deum, hic enim eſt infinitus. Reſpondeo verum dici ab illis, & tamen concluſionem quoque eſſe veram. Ratio utriuſque, quia non provenit à natura quòd non poſſimus ſatiari, ſed ab elevatione ejus per gratiam ad infinitum bonum: poſita hac, quæ eſt quaſi quædam dilatatio appetitus humani, non eſt mirum quòd ſit inquietus homo, donec aſſequatur Deum, qui eſt finis præſtitutus ei: unde etiam carentia illius boni in homine poſt hanc vitam eſt maxima pœna, quia ardenter deſiderat eum; ſed ut dixi aliunde eſt, nec à natura ipſa exigitur quod ſolùm dixi pro concluſione: ſit

nunc

ACTIO III.

Reſolvit quædam dubia ſparſim de ultimo fine.

Breviarium.

N. 1. *Finis hominis non neceſſariò eſt quid unum & ſimplex.*
2. *Suppoſito quòd finis hominis ſit bonum finitum, poſſunt dari plures diſparati.*
3. *In finibus neceſſariò aliquis eſt ultimus.*
4. *Probabilius non potuiſſe hominem eſſe ſine fine ultimo, qui ſit ipſe Deus.*
5. *Poſſunt dari plures fines ultimi, non ſubordinati.*
6. *Objectio ſolvitur.*

1. De fine in ratione cauſæ ſatis ſuperq; egimus opportuno loco in Phyſica; hic ſupereſt de eo agere in ratione ultimi ſeu ſupremi, quomodo D. Thom. hic quæſt. 1. quo loco quærit, an neceſſariò ſit unus aliquis finis ultimus? ad quod puto me reſpondiſſe Actione prima hujus; pergo nihilominus hic, &

Dico primo, loquendo de homine, cum non habere neceſſariò unum finem ultimum, probo breviter, quia ipſe homo non eſt unum quid ſimplex, ſed compoſitus ex diſparatis, ſcilicet corpore & anima, adeoque finis ejus ultimus, totius intelligo non poteſt eſſe quid ſimplex. Confirmo, quia illud unum ſimplex aut eſſet corpus, aut eſſet ſpiritus: primum eſt improportionatum formæ hominis, ſecundum materiæ, nam corpus non poteſt habere pro fine fruendo ſpiritum, nec ſpiritus corpus.

Dices rationem hanc facere contra fidem, nam de fide eſt hominem habere Deum pro fine ultimo, & tamen Deus ſummè & maximè ſimplex, impugnat iterum fidem, quia Deus eſt ſpiritus, & ita improportionatus carni. Reſpondeo, in hac ſecunda parte non ſolùm eſſe rationem, ſed veritatem, cui non poteſt fides eſſe contraria. Solvenda & accommodanda ſunt omnia per hoc, quòd homo quando pervenit ad ultimum finem, de facto defæcatur ab imperfectionibus alterius partis, ſcilicet corporis, quòd quaſi induit aliam naturam ab ea quam habet in hac vita; unde Apoſtolus: *Surgit corpus ſpirituale*, hoc eſt, in reſurrectione corpus quaſi in ſpiritum tranſibit, quod non fiet per phyſicam mutationem ſubſtantialem, ſed per dotes ſuperadditas, ſubtilitatem, agilitatem, &c. quibus corpus quaſi in novam conditionem recudetur; Cæterùm relinquendo corpus ut jam naſcitur, ſtat veritas aſſerti, quòd nil unum ſufficeret toti homini. *1. Cor. 15.*

2. Secundum quod dico, eſt, ſuppoſito ex ſupra poſitis, quòd finis hominis poſſit eſſe finitus, tum non eſſe implicantiam quòd dentur duo aut plures fines diſparati, quorum quiſque ſit finis ultimus homini. Moveor, quia quodlibet finitum poteſt æquari, & multiplicari, jam traducam rem ad experimentum, ſit lis de ultimo fine hominis, ut animal eſt ſecundùm aliquem ſenſum, v. g. viſum, & ſupponamus hunc

percipere

Digitized by Google

percipere ſummam voluptatem ex viſione albi, quis dubitet quin poſſit objici ei alius color, v. g. viridis in quo tantundem oblectetur? idemque eſt de aliis ſenſibus reſpectu ſui objecti, quod totum eo verius eſt, quòd poſſint fortaſſis à Deo fieri alia objecta perfectiora homini, quàm de facto ſunt v. g. alii ſapores, & aliæ qualitates tangibiles, quæ in ſe ipſis eſſent nobiliores, & magis delectarent ſenſum.

Dixi, ſi finis hominis poſſit eſſe finitus, nam ſi debeat eſſe bonum infinitum, non poterunt eſſe duo, quorum quilque ſatiet ſeorſim, eò quòd repugnet replicatio infiniti, neque poſſunt duo talia dari: ſed contra primum

Objicies, ſi ſint duo diſparata, homo erit inquietus, donec alterum aſſequatur; inquietum autem planum eſt quòd non ſit beatus. Reſpondeo non erit, quia non poteſt conſequi, ſupponimus enim, quòd occupetur & delectetur circa primum quantum poteſt. Dices ſaltem placeret illud probare, etſi non aſſequi aut frui, ſed etiam jam hoc ſolutum eſt, nam nec probare poterit, ſi ſenſus jam ſit in ſummo contra illud; ſed quia hoc non eſt neceſſe, dico adhuc non deſideraturum aliud, quia jam ſatiatur, & ſicut homo refertus cibis, tametſi vilibus, non appetit comedere meliores, ſed nec poteſt, & quoad appetitum innatum materia prima non appetit formas perfectiores, quamdiu eſt ſub ſufficienti, tametſi imperfectiori.

Dico jam tertiò, in finibus non poſſe procedi in infinitum, ſed neceſſariò eſſe ſtatum in aliquo, ſi revera exerceri debet cauſalitas finalis, aliàs autem id non repugnare, aut non æquè clarè. Hic volo ſemel eſſe Thomiſta, etenim in 1.2. quæſt. 1. art. 4. corpore. D. Thom. accuratè punctum hoc tetigit dicendo: *Quòd per ſe loquendo impoſſibile eſt in finibus procedere in infinitum ex quacunque parte, in omnibus enim quæ per ſe habent ordinem ad invicem, oportet quòd remoto primo removeantur ea quæ ſunt ad primum; unde Philoſophus probat Phyſic. &c. quòd non eſt poſſibile in cauſis moventibus procedere in infinitum, quia non eſſet principium movens, quo ſubtracto, alia movere non poſſunt, cùm non moveant niſi per hoc quòd moventur à primo movente. In finibus autem invenitur duplex ordo, ſcilicet ordo intentionis, & ordo exequutionis, & in utroque ordine oportet eſſe aliquod primum, id enim quod eſt primum in ordine intentionis, eſt quaſi principium movens appetitum, unde ſubtracto principio à nullo moveretur; id autem quod eſt principium in exequutione, eſt id, unde incipit operatio; unde iſto principio ſubtracto, nullus inciperet operari. Principium autem intentionis eſt ultimus finis, principium exequutionis eſt reſpectu eorum quæ ſunt ad finem; ſic ergo ex neutra parte poſſibile eſt in infinitum procedere, quia ſi non eſſet ultimus finis, nihil appeteretur, nec aliqua actio terminaretur; ſi autem non eſſet primum in his quæ ad finem, nullus inciperet operari,* &c. Quæ ratio reducta ad praxim ſic dicit, quòd ſcilicet ego non poſſim unquam velle, eò quòd deberem velle A propter B, & B propter C, &c. Cumque nunquam occurreret id, propter quod eſſet elicienda volitio, neque revera eliceretur volitio.

S. Thom.

Credo tamen ex hoc ſolo capite eſſe repugnantiam, non verò ex parte mediorum, nam licet daretur proceſſus infinitus in finibus, bene poſſet deprehendi primùm in illis, ſive primum illud vocandum eſſet medium, ſive vocandum ſit finis, quod patet ad hominem contra authorem rationis, nam in numeris eſt proceſſus infinitus, & tamen deprehenditur primus numerus, ſive ſit qualitas ſive unitas.

Ex quo patet altera pars, nimirum hanc infinitatem finium non involvere repugnantiam ipſorum, niſi reſpectu praxis, non autem reſpectu exiſtentiæ, & multò minus reſpectu eſſentiæ ipſorum, nam in quantitatibus, tam continuis quàm diſcretis datur hæc infinitas ſyncategorematica; poſſum enim velle habere duos nummos, quia illi faciunt mihi viam ad tres, & tres, quia iſti conducunt ad quatuor, tum ad quinque, & ſic ſine fine.

Reſpondit olim Salmanticenſis quidam, poſſe procedi ſic aſcendendo, non verò deſcendendo, quia deſcendendo ſemper occurret unitas, quæ erit extremum proceſſus, aſcendendo autem nunquam occurret ultimum aut extremum; ſed quantum id refert, infinitas finium utrobique invenitur. Deinde ſi velis deſcendendo, eam dabo tibi in quantitate continua, nam volens minimum naturale vult habere palmum materiæ, ut habeat ſemipalmum, & hunc, ut habeat medietatem ſemipalmi, & unam ex his, ut dividat in alias duas minores & minores deſcendendo, unde non fugit ille difficultatem deſcendendo.

Poſitum argumentum per hoc inſtruetur iſto modo: Deus eſt abſolutè infinitus, quo poſito quæro incipiendo à pulvere terræ, quæ eſt viliſſimum elementum, quæro ſi multiplicentur ſpecies ſe invicem excedentes uſque ad Deitatem, utrùm illæ ſpecies erunt finitæ numero, an verò infinitæ? ſi infinitæ, habetur intentum, jam enim datur infinitas finium, quùm quilibet ex illis ſit ordinabilis ad alium: Finitæ autem non poſſunt eſſe, alioquin perfectio Dei non eſſet infinita, nam nullum infinitum poteſt finitè tantùm excedere rem finitam; infinitum enim infinitè diſtat à quolibet finito.

Objici unum poteſt, quòd illæ ſpecies ſint infinitæ, non tamen ſunt fines, quia non boni, boni autem non ſunt, quia non amabiles, non enim poſſunt illi amari propter ſe, cùm ſint propter aliud, neque propter aliud, quum non detur illud aliud, quia poſito proceſſu infinito nunquam devenietur ad illud aliud, propter quod amandi ſunt. Reſpondeo totum probare quod à me dictum eſt, ſcilicet poſſe dari infinitatem finium materialiter ſumptorum, id eſt, rerum habentium perfectionem cæteroqui amabilem, tamen in exercitio eam amari non poſſe, quia non poteſt incipi intentio ſeu amor, eò quòd deſit ultimum, neque ſcandalizeris de hoc, quia in practicis finis eſt principium, & ab eo incipiendum eſt, ut notavit etiam Ariſtoteles.

Dico ultimò, non videtur probabile aut poſſibile, quod Deus relinqueret hominem ſine eo, quod conſtitueret ſe finem illi, & idem eſt de aliis omnibus creaturis. Hinc obſtant Recentes, ſed immerito, ut jam patebit, pro quo adverto Deum dupliciter poſſe intelligi finem ultimum hominis, ſemel ut homo in Deo ultimo ſatiaretur; ſecundo ut Deus conderet hominem propter ſeipſum, & ad ſe referret, nec poſſet dimittere quaſi liberum non intendendo ei, &c. & hic eſt ſenſus à me intentus, quem

Probo primo ex improbabilibus gloſſis, quas adverſarii adhibent probationibus ejus: quùm enim urgentur locis ſacræ Scripturæ, Apo-

 cal. 1, 8.

al. 1.8. *Ego Alpha & O, principium & finis*, dicunt ita eſſe, idque ibi doceri, ſed de facto ſolùm, non vero de neceſſitate, unde aliter eſſe potuit; ſed quis non videat hoc parum cautè dictum eſſe in propoſito, ſic enim Deus dicitur A, ſicut dicitur O, ſive ſic finis, quomodo principium; at vero ita eſt principium rerum, ut aliud eſſe non potuerit, neque res ipſæ potuerint eſſe ſine ullo omnino principio, ergo ita eſt finis, ut aliud eſſe non potuerit, neque ipſe Deus dimittere potuerit res abſque ullo fine & omnium minime ſine ſe; Alius adfertur ex Proverb. 16. *Vniverſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*, hic dicunt ſignificari, quod Deus ſit cauſa efficiens, ſed quis hoc approbare poteſt, aut unquam audivit *Tò propter* eſſe notam cauſæ efficientis, ac non magis proprium characterem cauſæ finalis?

Rationibus ſic, breviter, (quia alius eſt locus proprius hujus in primo ſententiarum,) Deus non eſt contingenter, ſed neceſſario finis, ergo non poteſt deſinere eſſe finis; intelligo antecedens, ut neceſſario ſit finis rerum non abſolutè, ſed poſitis rebus in eſſe, quo ſenſu probabo antecedens ut ſupra, quia non contingenter eſt efficiens creaturarum, ſuppoſito quod effectæ aut efficiendæ ſint; des autem diſparitatem inter rationes utriuſque primitatis in Deo, (nam eſſe ultimum finem eſt primitas quædam ut ſupra notavi.) Urgeo argumentum ſic: Duo genera cauſarum, quæ à Philoſophis negantur Deo, ita ei abſunt, ut non poſſint adeſſe, ſcilicet materialis & formalis, ergo duo quæ adſunt, ita adſunt, ut non poſſint abeſſe; redit enim illis iterum onus aſſignandæ diſparitatis. Pergo ſic: Deus non poteſt dimittere aut ablegare à ſe dominium creaturarum ut non ſint ipſius; ergo nec finaliſationem ne ſint, & ne ipſe eas velit eſſe propter ſe ipſum. Conſequentia mihi prodeſt primò, quia expectat diſparitatem ab Adverſariis, ſicut aliæ ſupra. Secundo poſitivè ſic, quia iſta duo videntur ſimilia & ferè idem, nam ſi Deus poteſt efficere, ne creaturæ cedant in bonum ſuum, id eſt ipſius Dei, quod eſt ipſum eſſe finem earum, quidni poſſit eas totaliter conſignare alteri, ut ipſe totaliter utatur eis in bonum ſuum, quod eſt eſſe dominum earum?

Tertiò ſic, in Deo enim creatio & conſervatio non diſtinguuntur re, ſed connotatione quadam, itaque eadem actione conſervat, qua creat, & ſine dubio eadem intentione, non enim mutatur: atqui non potuit creaturas producere propter bonum ipſarum, quod tunc nullum fuit, ergo nec conſervare. Sed non ſatisfacit mihi plane iſta ratio, quia poteſt diſtingui cauſa impellens à finali, atque ita divina bonitas potuit fuiſſe impellens, ut creaturæ crearentur ad bonum earum. Sed fortaſſis valebit argumentum ſic formatum: Finis divinæ actionis in creando & conſervando eſt idem, atque creatura non eſt finis ſui in creando, ergo: melius

Ultimò ſic: Si Deus poteſt deſinere eſſe finis reſpectu alicujus, poteſt eſſe reſpectu ejus medium, hoc autem eſt intolerabile, atque etiam impoſſibile, ergo & illud, ſtatim enim ſequitur, quia nil formaliter excludit per repugnantiam finem, niſi medium; ſicut nil expellit paternitatem à ſubjecto per immediatam oppoſitionem niſi filiatio, ergo ſi poteſt à ſubjecto hoc, quod eſt Deus, removeri ratio finis reſpectu alicujus, quidni poſſit intrudi ei ratio medii? ſicut ego de facto non poſſum eſſe pater Laurentii Baronis, ſi tamen auferretur à me filiatio ejus, certè non eſſet impoſſibile, quòd mihi eſſet mihi paternitas reſpectu ejus, cur enim Galfrido qui eum genuit & non mihi, quando omnes intelligimur eſſe pares, id eſt ſinguli homines, nullus pater aut filius, ita hic ut vides. Rationes dubitandi de hoc proprio loco jam cit. ex tract. de voluntate Dei petendæ ſunt, unam hic

Objicio, eſtque quòd Deus ſit quibuſdam creaturis amicus, quod eſt fide certum, id inculcante Scriptura plerumque, hoc autem videtur manifeſtè evincere, quòd aliquas amat non propter ſe ipſum, ſed propter ipſas, id enim exigit amor amicitiæ, ut ſcilicet amet & velit quis bene eſſe amico propter ipſum purè & liberaliter, & non tantùm propter amantem, nam ſi propter hunc, id eſt propter ſeipſum, quis velit bene eſſe alteri, non eſt amicitiæ amor, ſed concupiſcentiæ; non nego hic eſſe nodum quem omnes patimur ſolvendum, nec hic tantùm, ſed alibi, nam ut actus aliquis ſit actus virtutis, & habeat honeſtatem ejus, neceſſe eſt ut fiat propter ipſam, ſeu propter honeſtatem ejus, & tamen virtutes debent & poſſunt referri non ſolùm in Deum, ſed etiam in aliam virtutem, puta in charitatem, quamvis hoc ſit ferè idem; Itaque in his caſibus datur vera ratio primæ virtutis, licèt ſuperveniat altera: ſic enim fit, quòd Deus amet amicitia creaturas, & poſtea ſuperveniat hæc referentia hujus amoris in ipſum. Dices, perinde eſt, nam ſi ſupervenit, facit ne ſit amicitia, licèt non faciat ne fuerit. Video ita eſſe, unde exiſtimo ultimò dicendum, hoc eſſe concedendum infinitati divinæ naturæ, quæ tanta eſt, ut intervenire poſſit omni virtuti non impediendo eam. Cujus etiam aliqua ratio à priori eſſe poteſt, quod referri creaturas à Deo ad ſe non impedit amorem amicitiæ, eo quod Deus id non faciat ob intereſſe, ut ajunt, ſive ob lucrum aut commodum ſuum; ſed quia omnia debent eſſe ipſius demum, unde declarari res poteſt exemplo poſſeſſionis; ſi enim Deus donaret alicui rem quampiam, ſicut iuravit & dedit Abrahamo Palæſtinam, ita debuit res omnis eſſe ipſius Dei, ut ipſe adhuc fuerit dominus non ſolùm terræ & Abrahami, ſed ipſius etiam dominii, quod hic in illâ terram accepit; quod totum non obſtitit donationi, nam nihilominus Deus revera donavit ipſi & ſemini eius terram, ita hic.

Unum dubium adhuc ſupereſt, an quis poſſit habere duos ultimos fines? quod niſi fallor non eſt temerè reſolvendum, ſed præmiſſa diſtinctione de ultimo propriè & ſimplici, qui eſt is in quem alii referuntur; item de alia acceptione ultimi finis pro felicitate vel pro obiecto ſatiante omnem hominis appetitum, quo præmiſſo,

5. Dico non poſſe dari duos fines, quorum quiſque eſſet ultimus primo modo, poſſe dari ſecundo modo, non tamen poſſe eos intendi aut adquiri ab homine; Ratio primi, quia in oppoſito involvitur manifeſta contradictio, quæ eſt aliquid eſſe ultimum, idemque non eſſe ultimum. Sint enim duo illi fines A & B, ſequitur A eſſe finem ultimum ex hypotheſi, & non eſſe finem ultimum, quia non omnia referuntur ad ipſum, non enim refertur B ad ipſum, alioquin

quin B non eſſet ultimus, quùm daretur aliquid eo ulterius, qui totus proceſſus inſtitui poteſt de ipſo B, immediatè probando, quòd eſſet & non eſſet ultimus eodem modo, eſſet enim ex hypotheſi, non eſſet quia daretur aliquid eo ulterius, ſcilicet A.

Pro hoc etiam procedunt rationes ex parte ipſius operantis, nam ſi dentur duo ultimi fines, dabuntur duæ cauſæ totales ejuſdem generis & ordinis, puta duæ finales ejuſdem effectus, imo omnium operationum uniuſcujuſque hominis, homines enim ſunt propter finem ultimum, idque adæquatè. Item, non poteſt idem motus terminari ad plures terminos ſejunctos ac diſparatos, ut cuique evidens eſt, implicat enim ſagittam ex arcu emiſſam attingere duos ſcopos, unum in Oriente, alium in Septentrione, non ergo poteſt motus aut mobile ferri in duos fines non ſubordinatos, &c.

Dices, argumentum illud de duabus cauſis adæquatis non valere, moderni enim adferunt plures inſtantias, in quibus oppoſitum contingit. Reſpondeo, reſponſum eſſe ad omnes has inſtantias, quæ nullæ ſunt, ut in loco oſtendi. Iterum dico, hic non ſolùm eſſe repugnantiam ex eo quòd eſſent duæ cauſæ adæquatæ, ſed ex eo, quòd quælibet eſſet & non eſſet adæquata, quæ eſt diverſa ratio à præcedenti, nam illa duo ſunt duo poſitiva, iſta poſitivum & privativum, quæ faciunt contradictionem.

6. Objicies ſecundò: Illi qui ponebant finem ultimum in voluptate, aliquando præferebant aliquid voluptati, omittebant enim eam urgente neceſſitate amici, aut rei familiaris jactura; hoc autem eſt habere duos ultimos fines; voluptas ex hypotheſi eſt finis, & tamen aliquid ei præfertur, quod eſt efficere ne ille ſit ultimus, ergo. Reſpondeo hic cautè gradiendum eſſe, nam niſi fallor, plerique habent ſiniſtras apprehenſiones de hoc puncto. Concedo ego caſum, & nego ſequelam ſeu falſitatem concluſionis; Cauſa quia Epicureus aut alius quiſpiam voluptuarius non ponebant ultimum finem in qualibet uſura voluptatis, v. g. in uno actu guſtus aut tactus, ſed in omnibus quæ toto tempore vitæ exercentur aut deſiderantur ab homine; At verò implicat ponere ultimum finem in voluptate, & deſerere omnes propter alium finem, non implicat autem deſerere partem, quia non ponit fœlicitatem in parte, ſed in toto.

Inſtabis: ſi ultimus finis illius eſt voluptas, guſtus vel tactus pro tempore, implicabit eum præponere quidquam *illi* voluptati, non ſolùm toti, ſed parti, quia nimirum ſi auferatur aliqua voluptatis illius, non remanet totum, hoc enim non eſt niſi collectio partium, ut ſupponimus. Reſpondeo quidquid velis, adhuc manifeſtum eſſe, quòd qui auſert partem, non auſert totum; alioquin in parvo calice aquæ periculum eſſet ne Oceanus auferretur: Diſtinguendum eſt ergo de toto categorematicè, & ſyncategorematicè ſumpto, quæ nota ſunt ex ſummulis, adeoque.

In fine ſuadeo ultimam partem aſſerti, quòd ſcilicet poſſint eſſe duo, quorum quiſque ſatiet, non tamen poſſe eum intendi aut adquiri; Et quidem primum horum ſupra jam aſſertum & probatum eſt Act. 2. num. 3. unde ſuppoſito eo, tranſeo ad alia, & oſtendo in primis non poſſe hæc adquiri, quia nimirum non poteſt ullus idem effectus habere duas cauſas adæquatas, idem bis fieri; at verò ſi contingeret hominem frui duobus ultimis finibus, iſta contingerent, quia aut una ſatietas eſſet à duabus cauſis, aut homo idem haberet duas ſatietates, quarum quælibet ſufficeret & adæquaret eum. Itaque hæc non minus repugnant in moribus quàm in phyſicis duo corpora eſſe in eodem loco, aut unum bis in eodem. Dices, hæc ipſa licèt ſint difficilia, non repugnare, hoc eſt non implicare contradictionem, ergo neque duo ultimi fines, ſi ſit paritas: Hæc eſt ſola ferè objectio quæ impugnet reſolutionem, ad quam tamen dico hic non eſſe paritatem, ſed pluſquam paritatem, in difficultate ſunt paria, in impoſſibilitate ſunt diſſimilia. Ex his ultimis capitibus eſt difficultas ſola, ſcilicet ex duobus corporibus, & uno bis in eodem loco; at verò ex aliis capitibus ſupra aſſignatis eſt abſoluta impoſſibilitas, ſcilicet ex duabus cauſis adæquatis unius effectus, itemque ex eo quòd res bis fieret.

Occaſione tamen argumenti aſſero, non repugnare duas ſatietates, quomodocunque in eodem, ſed tantùm duas ſatietates in actu exercito, poteſt ergo poni à Deo in homine ſatiato talis qualitas, qualis eſt prima ſatietas, non enim in hoc eſt repugnantia, cùm iſta ſunt duo poſitiva, ſed ſecunda non eſſet ſatietas, niſi materialiter; quemadmodum aqua æquè frigida ſecundò ſumpta cauſat tantundem frigoris in habente, tamen non extinguit ſitim, ſed ſola prima, & ſecundum corpus eidem loco intruſum, non facit latera loci diſtare, ſed invenit diſtantia.

* * *

De ultimo fine

ARiſt. 1. *Ethic. cap.* 8. & 1. *Mag. Moral. c.* 4. & *lib.* 7. *Politic.* Aver. 12. *Metaph. cap.* 17. Auguſtin. *lib.* 14. *de Civit. Dei.* Magiſt. Lombard. *lib.* 4. *ſent. diſt.* 49. Bonav. 1. *p. art.* 1. *quæſt.* 4. S. Thom. *opuſc.* 3. *c.* 108. & 1. 2. *q.* 2. & *opuſc.* 20. Boët. *lib.* 3. *de conſ.* Gregor. 2. *d.* 7. Ioan. de Ripa, apud Capr. 3. *d.* 14. Rich. 4. *d.* 49. Thom. de Argent. *q.* 1. *art.* 4. Ægid. 2. *d.* 5. *q.* 1. Ock. 1. *d.* 1. *q.* 2. Gabr. *ibid.* Palud. 4. *d.* 49. Marſil. 3. *q.* 10. Richard. *art.* 1. *q.* 4. Henric. *Quodl.* 13. *q.* 12. Cordub. *l.* 1. *q.* 42. Conrad. 1. 2. *q.* 3. Cajet. 1. *p. q.* 2. & 3. *p. q.* 9. Franc. Victoria, Bellarm. *de fælic.* & *contr. de B B.* Soncin. 9. *Met.* Vega *lib.* 6. *in Trid.* Alphonſus Tolet. 1. *d.* 1. *q.* 2. Holcot. *Quodlib.* 8. *art.* 2. Hieron. Angeſt. *in Moral. c.* 14. Hiquæus *in Comment. Doct. in* 4. *d.* 49. *per totam. Vide Ponc. & Scotiſtas Recent. ibi. Conſule etiam* Benedict. XII. *in definitione de beatitudine animarum. Item* Sex Synod. & Clem. V. in Concil. Viennen. Gabr. Vaſq. 1. 2. *diſp.* 8. & *ſequent. atque alios Thomiſt. cum S. Thom. ibid. & ultra omnes.* Ægid. Luſit. *à Præſent. toto opere de Beat. III. Tom.*

APOLOGIA

APOLOGIA SECVNDA

De Beatitudine.

ACTIO I.

Quid accipiendum ſit nomine beatitudinis objectivæ?

ACTIO II.

Utrùm beatitudo in hac vita haberi poſſit?

ACTIO III.

Quæ ſint admittenda, & quæ arcenda ad conſtituendam hanc beatitudinem?

ACTIO IV.

In quo opere beatitudo ipſa conſiſtat?

ACTIO V.

De beatitudine formali.
Ubi etiam de diſcrimine creatæ & increatæ.

Scot. 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 2. *num.* 22.

TErtia concluſio, nulla natura intellectualis ultimatè & completè perficitur, niſi habendo ſupremum appetibile, & hoc perfectè ſecundùm modum poſſibilem ſibi habendi illud. Hoc probatur ex ſecunda, quia natura intellectualis nata eſt ultimatè perfici, & in eo ſolo, quod eſt propter ſe volendum, ergo non poteſt perfici ultimatè, niſi illo habito, ſicut eſt poſſibile ab ea haberi, &c.

Idem *ib. quæſt.* 5. *num.* 2.

AD quæſtionem ſunt duæ concluſiones: Prima, quòd in ſolo actu qui eſt fruitio, conſiſtat beatitudo ſimpliciter naturæ intellectualis: Secunda, in qua fruitione? quia non in omni. Prima oſtenditur diviſivè ſic: in genere non eſt niſi duplex actus voluntatis, velle & nolle, velle autem eſt duplex, &c.

ACTIO I.

Quid accipiendum ſit nomine beatitudinis objectivæ?

Breviarium.

N. 1. *Boëtius non intellexit per beatitudinem, quod alii Philoſophi.*
2. *Nec ipſius acceptio, nec illa Auguſtini probari poteſt.*
3. *Quid antiquis ſignificaverit illa, & quid revera ſit?*
4. *Objectiones ſolvuntur. An patiens in miſeria beatus ſit?*
5. *An ad beatitudinem voluntates conditionatæ beati impleri debeant?*

1. LOquor de beatitudine objectiva hic, acturus poſtea de formali; imo, ut clarius procedamus, placet ipſum terminum explicare, vereor enim ne confuſus ſit, licèt ſit uſitatiſſimus: paſſim felicitatem optamus, iactamus, etſi non modo non penetremus eam, ſed nec conveniamus omnes in ipſa. Communis ſenſus omnium videtur eſſe ille expreſſus ab Auguſt. 11. Trinit. cap. 7. quòd ſit *habere omnia quæ quis vult*. Boëtius dixit eam eſſe *ſtatum omnium bonorum aggregatione perfectum*. Ariſtoteles autem primo Moral. Nicomach. itemque 1. Moralium. eadem, iſta duo ſcilicet felicitatem & beatitudinem ſynonyma facit, & rem ipſam nunc uno nunc alio vocabulo effert, quæ duo placuit notare, quoniam ineſt ſingulis quod proſit.

Cenſeo ergo primò contra vulgus, illam acceptionem Boëtii non fuiſſe eam, quam veteres Philoſophi habuerunt. Moveor, ſi illi accepiſſent beatitudinē hoc modo, non poſſent habere diſcrepantes ſententias de beatitudine, habuerunt autem diſcrepantiſſimas, ut videas apud ipſos, alii in virtute eam ponebant, alii in voluptate, alii munera fortunæ requirebant, alii

Digitized by Google

alii reſpuebant. Quidam tormentis ipſis beatitudinem conſtare; ſeu cohabitare poſſe credebant, alii conſtanter negabant, & meritò. Meam conſequentiam ſic probo, quia authores cujuſcumque partis ex his bene videbant quod ſine aliis non haberent omnia bona: adeoque nullius horum beatitudo erat ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus.

2. Cenſeo ſecundò nec nobis probari poſſe eam acceptionem; aut deſcriptionem beatitudinis. Ratio quia credimus viros ſanctos & Angelos eſſe beatos: non eſſent autem ſi id totum requireretur ad beatitudinem, quia nimirum illud totum non poteſt pluribus competere; etenim aliquod bonum eſt dominium irrationalium, imperium in omnia rationalia; hæc autem non poſſunt pluribus competere, ut vides, niſi in pluribus replicaretur eadem natura, quod non contingit hominibus aut Angelis. Deinde bona unius hominis non conveniunt alteri, etiam loquendo de ipſa beatitudine. Dices, nec Deo competunt beatitudines creaturarum, & tamen beatitudo ipſius ſaltē eſt ſtatus aggregatione perfectus. Reſpondeo aſſumi falſum, omnes enim in ipſo unitæ ſunt, quia univerſaliter imò eminenter eas continet, quod non convenit ipſis inter ſe.

Cenſeo tertiò nec illam Auguſtini eſſe ſine exceptione: Ecce enim ipſam, ſit ſtoicus in equuleo: hic eſt contentus, neque aliud vult: quæro an ſit beatus? negat ipſe Auguſtinus alibi, & tamen habet quæcumque vult, adeo non ſufficit nude dicere quod beatitudo ſit habere quæ quis vult. Illud Ariſtotelis non tam eſt acceptio beatitudinis quam appellatio, & ne ſic quidem placet; cauſa, quia fœlicitas propriè ſumpta eſt quid fortuitum & caſuale. Unde felices dicuntur quibus bona ſors obtigit, puta placere principi, inventi theſauri eligi ad dignitates: non dicitur felix quis ex nativitate, quia taliter puta in tali familia natus; neque dicitur fœlix ex operatione virtuoſa, ſed dicitur bonus, aut ſtudioſus: atqui abſurdum eſt beatitudinem facere bonum fortuitum, eo enim ipſo non eſſet ſummè expetenda, imò neque adquiri per induſtrium poſſet; nam fortuita non veniunt juxta præparationem hominis, aut merita eius.

Cenſeo ergo quartò apud antiquos τὸ beatitudo ſignificaſſe ſummum bonum; Cauſa autem cenſuræ eſt quia hoc modo intelligi poſſunt eorum diſſenſiones; benè enim diſputare poterant quod ex pluribus bonis eſſet ſummum; non verò quod ex pluribus eſſet totum aut omne bonum.

Denique ab omnibus dicendum: Beatitudinem eſſe quod ſatiat omnem habentis appetitum; hæc brevitas eſt obſcura: unde laxius paulò explicanda eſt, ſed in primis ſuadeo ipſam rei veritatem: Primo, quia Beatitudo eſt idem quod ultimus finis ſecundum omnes, unde hìc conjunctim tractari conſueverat: at verò ultimus finis eſt quod plane ſatiat, alioquin eo habito deſiderari poſſit ulterius. Iterum ſic, quia Beatitudo eſt ſummum appetibile, & totum tale, ergò tum quis eſt beatus quando habet totum conceptum ſeu deſideratum. Tertiò quia deſinendum ſemper eſt in quiete, omnis enim motus ordinatur ad quietem, ergo finis omnium motuum eſt ſumma quies, beatitudo eſt finis omnium motuum: ad ipſam enim omnis ordinatur: ergò eſt ſumma quies, quod eſt ſatietas omnium potentiarum. Quæ deſunt definitioni opportunius in objectionibus ſolventur: & ex hoc quæ eſt doctrina Ariſtotelis cap. 7. lib. 1. Moral. ſect. felicitatem eſſe opus hominis ſecundum virtutem perfectam in vita perfecta: unde in definitione à me data intelligere habes appetitum hominis cum judicio præcedenti, quæ ſit prima explicatio pro aliis adferendis.

4. Objici inprimis poteſt ratio à me ipſo adducta paulò ſuperius contra definitionem Aug. quod ſcilicet is qui ſe accommodat fortunæ quamvis acerbæ, quomodo profitebantur ſe facere Stoici, is inquam habet omnem appetitum ſatiatum, etiam in tormentis, & tamen nemo niſi falſo dixiſſet eum eſſe Beatum, cum ſit ſummè miſer: ergò jam non ſufficit ſatietas appetitus ad beatitudinem. Confirmo! quia tunc ſequitur nullam fortunam poſſe impedire fœlicitatem hominis, imò nec Deum, ſemper enim poteſt homo velle quæ ei accidunt. Urgeo quia ſequitur quod non poſſit homo reddi beatus nec à Deo quidem: etenim liberum eſt homini ſemper appetere aliud, quo caſu non impletur appetitus eius; adeoque nec ipſe eſt beatus. Reſpondeo, nego omnem appetitum Stoici tum eſſe ſatiatum: non enim ſatiatur appetitus ſenſitivus eius, ſed irritatur vehementer. Deinde nec appetitus rationalis totaliter ſatiatur, ſed tantum quoad abſolutam volitionem, non autem quoad omnem omninò, ſed potius reſtat appetitus conditionalis qui adhuc eſurit & inquietus eſt: planè quomodo nauta in mari qui ob periculum projicit merces, abſolutam voluntatem ſuam implet, non tamen omnem omninò, reſtat enim ei voluntas conditionata non abiiciendi merces: unde ob utrumque eſt miſer; ob primum appetitum habet dolorem: ob ſecundum autem triſtitiam, horum utrumque & ſingula pugnant fœlicitati; atque hinc habes ſolutas confirmationes argumenti: Primam quidem quia non poteſt velle omni appetitu ea quæ ei accidunt, non enim ſenſitivo & multo minus appetitu innato, adeoque non poteſt efficere homo ut omnis appetitus eius ſit ſatiatus adverſante fortunâ: ad alteram præterea dico etiam ibi aſſumi falſum; non enim poteſt nolli beatitudo, quum ſit ipſa ratio ob quam cætera appetuntur. Unde ſic proſequi poſſumus fugientem; qui non vult beatitudinem non vult ob aliquod volitum, (omnis enim nolitio reſolvitur ultimatè in aliquam volitionem (ſicut negatio omnis in affirmationem) illud autem quod vult eſt aliquid Beatitudinis: ergò ſemper vult aliquid ipſius, ergò jam non poteſt ipſa nolle: qui enim neceſſitatur ad amandam partem; quomodo poteſt totam nolle?

Objici ſecundò poſſunt pueri, dormientes, & inſani: hi enim omnes habent plerumque appetitus omnes ſatiatos; & nemo dixerit hos eſſe beatos, niſi unus ex ipſis; puta puer, dormiens, aut inſanus: ergò jam non ſufficiet ſatietas appetituum ad beatitudinem. Reſpondeo tamen nil huius nocere nobis; agimus de hominis felicitate: iſti autem enumerati non habent eſſe hominis; ſed tantum animalis ſaltem in actu ſecundo; nam actio quæ facit hominem, in illis eſt impedita; Itaque idem plane de his cenſendum eſt ac de beſtiis, quas ſi negaveris eſſe beatas, non potes id

Publ. Ovid. *Sed ſcilicet ultima ſemper.*
Expectanda dies homini, dicique Beatus
Ante obitum nemo, ſupremaque funera debet

Item quod ipſe Ariſtoteles primi Ethic. 10. qui primus ſententiam Solonis examinavit, non retulit eam, quaſi Solon putarit fœlicitatem non competere niſi mortuo, ſed non eſſe ferendam ſententiam de ullius fortunâ ante mortem: textus eius hic eſt. *Vtrum igitur neque alius quiſpiam hominum fœlix iudicandus eſt quoad vivit; ſed ex Solone oportet finem ſpectare.* Et infra expreſſius prohibens hanc invidiam à Solone; *quod ſi non dicimus mortuum fœlicem, neque Solon hoc vult, ſed tantummodo tunc aliquis tuto diceret beatum hominem cum iam extra mala & infortunia.* Et licet hoc ipſum impugnet, tamen non impugnat Solonem, ſed modum ipſum dicendi, ſeu materiam quam factis argumentis impugnat, nullum autem argumentum format quo ſuadeat Solonem non intellexiſſe ſuam ſententiam in hunc modum: ſtet ergo ſaltem probabile ſenſum Solonis fuiſſe quod nemo cenſendus ſit beatus ante mortem, quæ etiam fuit Chriſti Salvatoris ſententia Luc. 10. N. Lyran. *Neminem per viam ſalutaveritis,* id eſt ſalvum eſſe dixeritis in hac vita: ut acutè exponit noſter Lyranus in loco. His præmiſſis

Moneo duplicem eſſe fœlicitatem, unam quaſi monaſticam & privatam, aliam politicam quæ includit reſpectum ad alia membra ejuſdem Reipublicæ: illa dicit commoditatem & quietem ſolius operantis, hæc autem altera involvit aliorum conditionem, puta quod parentes eius, quod amici, quod uxor & filii non ſint in miſeriis: unde ille triſtetur.

Iterum moneo hic decidendam eſſe quæſtionem de dependentiâ intellectus humani à phantaſmatibus & miniſterio ſenſuum; Utrum ſcilicet ſit ei naturalis ut per naturam auferri aut diſpenſari non poſſit? an verò aliter ſe habeat & per accidens tantum inſit ei. Jam ad titulum Actionis

2. Dico primò: fœlicitas politica in hac vitâ non poteſt homini contingere. Ratio mihi non eſt illa quæ antiquis, quod ſcilicet homo ſit conditionis mutabilis & ſubjectæ caſibus fortunæ: Tarqu. Gallut. propter quam teſtatur Gallutius hic Græcos & Latinos in hac veritate conſpiraſſe, non hac utor: quia nego homini non modo conſtantiam fœlicitatis ſed ipſam: illud autem fuit negare non fœlicitatem, ſed diuturnitatem eius. Dices, in fœlicitate involvi diuturnitatem ejus. Reſpondeo dictionem hanc eſſe ſibi contradictoriam, ſi enim diuturnitas ſit fœlicitatis, jam aliud eſt fœlicitas, aliud diuturnitas: hæc enim eſt quæ, illa cuius; illa poſſidet, hæc poſſidetur: ſed de hoc infra expectandum.

Moveor ergò: quia licet quiſpiam ſanus & ſobrius ad ſenectutem deveniat, tamen eſt inauditum, adeoque impoſſibile ſuo modo quod omnes qui eam contingunt ſimiliter ſine obice hanc vitam & viam decurrant, ut non aut aliquis præ oculis eius immaturè moriatur, alius infamia aſpergatur, alii bona fortunæ alii etiam illa naturæ eripiantur, ut ſanitas per morbum, proles per ſterilitatem &c. Cuius exemplum & inſtantia poteſt eſſe partim Sylla quem Romani cognomento fœlicem dixerunt: & adhuc illuſtrius Seijanus Tiberii Cæſaris familiaris & velut in Imperio Socius, in Conſulatu collega, cui pro[?] de P.R. ſtatuam erexit, ſed deinde ita furent[?] inſultavit, ut unco in Tyberim tracti certati[?] cadaver conculcaret

Dico ſecundò: fœlicitas privata non pote[?] in hac vita omnibus contingere: ſed nec plur[?] bus, poteſt quibuſdam. Primam partem faciliu[?] ſuadeo quam defendam: arguo ſic. In hac vit[?] non poſſunt eſſe liberi à vilitate conditionis ſed neceſſe eſt quoſdam ſervitutem ſervire, & quidem indignam aliquando: clarum eſt auten[?] non poſſe Beatitudinem cum ſervitute conjungi quum iſta ſit magna miſeria.

Iterum, quia non poſſunt omnes eximi al[?] incurſibus violentis ipſius non fortunæ tantun[?] ſed naturæ; nam tam varia aſtra, & aſtrorun[?] motus ac periodi exoticæ, & nobis ignotæ neceſſariò cauſant dolendos effectus in his inferioribus; ut caritatem annonæ, morbos, mortalitates, ſterilitatem &c. à quibus non poſſunt omnes liberari, alioquin fruſtra eſſent hæc flagell[?] & auram verberarent.

Tertiò, quia hæc vita duci non poteſt in perpetuo exercitio virtutis, quin homo ſæpiſſimè vitiis inficiatur; hæc autem, quum ſint potior pars miſeriæ, utique impedient fœlicitatem; quod etiam faciet ignorantia: nam plerique etiam naſcuntur ſtupidi, fiunt inſani, unde impedietur contemplatio in quâ creditur conſiſtere Beatitudo. Dices hoc argumentum pro primâ parte invalidum, nam illa exceptio vitiorum ſeu peccatorum eſt libera homini, adeoque poteſt vitari. Reſpondeo hic idem eſſe de homine ac de humanitate, ſcimus autem hominem ſive quodlibet individuum eius non poſſe vitare omnia peccata conjunctim; ita dico omnes homines conjunctim non poſſe ducere innocentem vitam, ſed ſicut eſt neceſſitas ad collectionem peccatorum quamvis ſit libertas ad ſingularitatem: ita eſſe neceſſitatem quandam in collectione humanitatis, licet ſit libertas in quolibet ſingulari eius. Quæ omnia magis placebunt quum de poſſibilitate beatitudinis cujuſlibet individui dixerimus. Interim

3. Objicio: non potuit natura deſerere hominem quin ipſe homo poſſit aſſequi ſuum ultimum finem, ſed ultimus finis hominis eſt beatitudo; ergò dicendum eſt, quod quiſque eam adipiſci poſſit; cum etiam feræ, imò inanimata aſſequantur ſuum finem. Reſpondeo hoc argumentum probare quod ſupra ipſe dixi, ſcilicet hominem non potuiſſe connaturaliter relinqui in hac vitâ quam modo ducit, ſed neceſſario aut aliter condendum fuiſſe eum, aut ad aliam vitam reſuſcitandum: cujus dicti probabilitas vel inde habetur, quia ex his duobus utrumque eſt factum: nam & homo conditus eſt in alio ſtatu: & quoniam dilapſus eſt ab illo, repoſita eſt ei reſurrectio ad aliam vitam in quâ non erit ſubjectus illis miſeriis, quas jam patitur; ſicut nec fuit ſubjectus in primo ſtatu quo conditus eſt; ſcilicet in juſtitia originali.

Habes ex hac reſponſione hominem in ſtatu primæ conditionis fuiſſe aut potuiſſe ſaltem eſſe beatum in omnibus individuis. Secundò habes in ſtatu reſurrectionis ſimiliter hominem poſſe eſſe beatum quantum eſt ex naturâ illius ſtatus, id eſt niſi adſit poſitum impedimentum ab extrinſeco, quale erit ſine dubio reſpectu

Digitized by Google

damnatorum. Habes tertiò parvulos in peccato originali defunctos, etiam potentiam & viam ad fœlicitatem habere. Habes ultimo probatam ultimam partem Concluſionis; ſcilicet in hac etiam vitâ fœlicitatem poſſe alicui contingere; quæ omnia fuſius expendentur Action. ſequenti Interim

4. Objicio beatitudinem eſſe ſtatum conſtantem & certum: at verò nulla bona huius vitæ ſunt conſtantia & certa: ergò neque ulla reddunt Beatum. Huic argumento reſpondit Ariſt. ſubſtantiam beatitudinis eſſe conſtantem & certam: ſcilicet virtutem; Alia autem quæ ſubſunt fortunæ eſſe minoris notæ bona; adeoque beatitudinem abſolutè eſſe conſtantem: ſed enim oportebat Ariſtotelem etiam ſibi conſtare; negat ipſe Stoicis ſufficere virtutem ad fœlicitatē quid ergò hic convenit cum ipſis? ſed quia ſemper referre poteſt ſuam doctrinam de ſubſtantia & accidentibus beatitudinis, cogi poteſt ad majus abſurdum ſic: materia & corpus ſunt de ſubſtantia hominis: ergò commoditas corporalis erit de ſubſtantia beatitudinis humanæ; quia beatitudo hominis eſt beatitudo animalis, & non tantum animæ. Ad rem in ſe, Reſpondeo ita ita eſſe de facto reſpectu eorum qui verè ſunt beati beatitudine ſupernaturali, quia illi numquam deficiunt, alias tamen conceptus beatitudinis hoc non exigit: nam qui habet conſtituentia beatitudinem unicæ horæ, illâ horâ eſt beatus; quod ſuadeo dupliciter, primò ex creditis; nam ſi hodie S. Petrus dimitteretur in terras, numquam poſtea reſumendus in Cœlum, poſſet poſtea dici; quod non ſit beatus, non poſſet dici quod non fuerit: imò ſi vel unico die videret clarè Deum, illo die eſſet beatus. Secundò à contrario ſic: quia qui in tormentis eſt per horam, certè illâ horâ eſt miſer: neque requiritur perſeverantia ad illam denominationem; animæ purgatorii certæ ſunt de ſuâ felicitate, ſed interim ſunt miſeræ. Tertiò quia denominatiò probi vel reprobi non exigit perſeverantiam, ergò. Dices quamdiu homines ſunt incerti de perſeverantiâ fœlicitatis, ſunt inquieti: hoc autem pugnat beatitudini, ergò. Reſpondeo etiamſi eſſent non ſolum incerti de perſeverantiâ beatitudinis, ſed certi de amiſſione ejus, fore illos beatos ſi velint quamdiu fruuntur tanto bono.

Objici ſecundò debent adverſitates, ſine quibus hæc vita duci non poteſt: aut enim dolemus ex morbo, aut triſtamur ex jacturâ noſtrâ, vel amicorum &c. hæc autem clarum eſt contraria eſſe beatitudini. Reſpondeo eſſe quidem contraria ei, at non ſuperiora ſemper, ſed ſorberi à majori bono. Quemadmodum ergò peccata venialia non extinguunt ſanctitatem, ita nec parvæ adverſitates beatitudinem.

Ultimò obeſt quod homo in hac vita non poteſt ſemper contemplari, ergò nec frui beatitudine. Hoc argumentum formari poteſt etiam de uſu virtutum qui non poteſt eſſe perpetuus; ſed cum premet quum oſtenſum fuerit conſiſtere beatitudinem in contemplatione; de quo ſit.

ACTIO III.

Quæ ſint admittenda; & quæ arcenda ad conſtituendam hanc beatitudinem?

Breviarium.

N. 1. *Philoſophia antiquorum quomodo excuſanda?*
2. *Beatitudo naturalis nec in voluptate eſt, nec ſine ipſa.*
3. *Objectio: Reſponſio: an voluptas impediat contemplationem?*
4. *Nec illa nec beatitudo naturâ integra conſiſtit in contemplatione Dei; niſi &c.*
5. *Honor, imperium, fama non ſunt ne partes quidem beatitudinis.*

1. Significavi ſupra mirari me antiquorum in hac re philoſophiam, dum quidam in voluptate, alii in honoribus, alii in aliis rebus beatitudinem collocaverunt; nam claro clarius eſt nullum horum ſeorſim reddere beatum: pone Imperatorem orbis laudatiſſimum, certè ſine cibo & veſte non poterit ſubſiſtere; adeo non ſufficit ſolus honor: Voluptatē etiam corporis cum ingenti triſtitiâ animi, cum ignorantiâ aut ſtoliditate clarum eſt miſeram forè & relinquere habentem. Itaque non poſſum aliter eos interpretari quam ut dicam, ibi eos per beatitudinem intellexiſſe ſummum bonum non verò omne; id eſt meliorem partem, non autem totam ipſam felicitatem. Hic placet experiri & reſolvere totum, tum totaliter ſumptum, tum etiam integraliter pro partibus; quæ ipſum componunt: teneo ergò ſequentia puncta.

2. Primum eſt: beatitudinem naturalem nec in voluptate corporis conſiſtere, nec ſine ipſa. Primam partem latè alii (a) olim probaverunt contra Ariſtipp. & alios *Epicuri de grege porcos*; b ut non expediat eadem repetere. Placet tamen videre an rectè omnia, ſive an juſtis titulis voluptas ſit proſcripta.

Quidam arguunt quia voluptas eſt in alterius gratiam fœlicitas non, ſed ſui: cœtera autem ipſius, ergò, Ratio Majoris, quia voluptas communiter tribuitur duobus ſenſibus guſtui & tactui; at verò ille guſtus eſt ad conſervationem individui, ille tactus ad conſervationem ſpeciei. Hanc tamen rationem non credo tam validam eſſe quam creditur, quod penetranti eam patebit: videndum eſt enim à quo ordinetur quidpiam ad aliud, & reſpectu illius non male judicatur quod tale relatum non poſſit eſſe ultimum aut ſummum bonum: cum detur ulterius. Natura autem eſt quæ refert voluptatem ad finem; homo

(a) Seren. Boet; & Conſil. D Th 1.2. q 2. & 1. Ion. Gen. Herod. (b) Cerint. & etiam Chiliaſta Nepos & ſuos Nepotian.

homo enim in ipſa voluptate ſubinde conſtituit finem; quod ita verum eſt, ut ſubinde nolit ſequi finem naturæ, v. g. adulter non vult gigni ſibi filios ne deprehendatur, &c. ergo jam non habetur adhuc quin voluptas ſit homini ultimus finis.

Similiter ſibilabis alteram rationem, quod corpus ordinetur ad animam, adeoque bonum corporis ad bonum animæ: dico enim corpus non ordinari ad animam, niſi quomodo anima ordinatur ad corpus, re autem verâ utrumque ordinatur ad hominem. Vides bonum conatum potius quam exitum horum: Addunt, voluptatem eſſe communem nobis cum beſtiis, fælicitatem non eſſe, quod veriſſimum eſt, ſed probat tantum alteram partem concluſionis; quod ſcilicet beatitudo non ſit voluptas integrè & ex aſſe, non vero quod non ſit partim ita ut voluptas ſit aliquid fælicitatis, etſi non ſit totum.

Stet ergo corporis commoditatem concurrere ad beatitudinem, neque alia ſpiritualia ſufficere; quia nimirum agitur de homine beatificando, non vero de beatificandâ animâ tantum; ſicut ergo homo non poteſt eſſe ſine corpore tamquam conſtituente, ità nec fælicitas hominis ſine corporea commoditate aut delectatione tanquam conſtituente. Confirmatur reſolutio: quia de facto in beatitudine ſupranaturali, in qua actus animæ magis beant quam in naturâ purâ aut lapsâ, in ipsâ inquam adhibentur, ſi non objecta, ſaltem objectationes ſenſuum, ita enim docent PP. noſtri, & videtur promiſiſſe dominus nam Lucæ 22. 30. explicans fælicitatem ſupernæ vitæ ait: *diſpono vobis regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam, &c.* Matth. 19. iiſdem idem. *Qui reliquerit patrem aut matrem uxorem aut filios propter nomen meum centuplum accipiet*: Nec eſt tam certum quod communius dicitur, hæc intelligenda eſſe virtualiter propter eminentiam ipſius beatitudinis ſupernaturalis, in qua hæc includuntur; nam ibidem additur *& vitam æternam poſſidebit*; ubi diſtinguit hæc ab ipsâ gloriâ quæ dicitur vita æterna, adeoque aliquid præter illam dicunt. Confirmo intentum dupliciter: nam beatitudo etiam naturalis exigit ſaltem ne ſenſus offendantur, ergo ut delectentur. Antecedens certum, nemo enim dicet hominem fame & ſiti tortum, aut peſte laborantem interim eſſe beatum. Conſequentia etiam non minus, nam beatitudo quod requirit, in ſummo requirit, non enim eſt aliquid melius illa. Secundo quia beatitudo eſt ſatietas appetituum habentis; clarum eſt autem appetitum ſenſitivum hominis ſibi relictum appetere oblectationes ſenſuum. Rationes dubitandi de hoc ſuprapoſitæ ſunt & ſolutæ.

3. Unam hic objicio, & eſt quod voluptas corporis impedit contemplationem in quâ eſt major pars fælicitatis ſita, ergo voluptas non eſt pars ſed impedimentum beatitudinis. Reſpondeo negando aſſumptum, quod ne quis miretur, explico; aut enim ſermo eſt de beatitudine hujus ſtatus, aut de beatitudine naturæ integræ, vel reparatæ in ſtatum conſtantem per reſurrectionem: neutrius voluptas tollit beatitudinem ejus; non voluptas ſtatus naturæ integræ, quia in illo voluptas eſſet ſedata ſine perturbatione judicii quæ dicitur modo contingere in generatione, non voluptas hujus ſtatus de facto lapſæ & corruptæ: quia licet hæc quidem impediat contemplationem, at non proindè truncat beatitudinem, cauſa eſt, quod beatitudo hujus viæ non exigit, ſed nec patitur continuam contemplationem.

4. Dico ſecundo: Beatitudo naturalis hujus ſtatus non conſiſtit in contemplatione Dei, nec etiam beatitudo naturæ integræ; ſed potius in contemplatione Intelligentiarum & animarum; niſi forte tum infunderetur homini ſpecies diſtinctè etſi abſtractivè repræſentativa Dei.

Ratio prima hujus eſt experientia; quæ non nimium fælicitatis, ſed potius tædii invenit in contemplatione Dei, & revera ſi res eſſet ſicut authores oppoſiti dicunt, tunc in omni adverſitate ſufficeret contemplari Deum, hoc enim omnem triſtitiam abſtergeret: ſi enim id faciunt alia objecta creata, puta convivium lautum, ſpectata comœdia: quanto magis hoc quod eſt potiſſima pars felicitatis, imo tota ipſa; & tamen homines non ſolent eò recurrere.

Secunda à priori, quia contemplatio Dei pro hoc ſtatu eſt contemplatio plurium creaturarum; atque hæc nequidem ſecundum adverſarios beatificat, ergo: probatio majoris, quia Deũ pro hoc ſtatu non concipimus niſi adunando conceptus multos creaturarum, puta viventis, boni, &c. adeoque conceptus noſter de Deo revera eſt de creatura *licet* de pluribus potius quam de una; nolunt autem adverſarii contemplationem creaturarum beatificare, ergo.

Urgeo hoc argumentum: quia ſecundum puriorem Theologiam Deum pro nunc ſcimus potius ab negando quam affirmando; hoc eſt negando potius ei conceptus quos in creaturis invenimus quam attribuendo ei ullos, atqui clarum eſt nullam potentiam eſſe beatam tendendo in privationem ſuorum objectorum, v.g. oculum non beati tendendo in tenebras; & tamen certum eſt conceptum noſtrum de Deo pro nunc, ſi non totaliter ſaltem partialiter eſſe talem.

Explico jam, & probo alteram partem ſequentem concluſionis; etenim ſi teneatur in naturâ integrâ fuiſſe dependentia intellectus à ſenſibus, tum idem dicendum eſt de illâ quod dixi jam de natura lapſa qualis eſt hodie. Si vero contrarium dicatur, quod eſſe veroſimile oſtendi ſuo loco quum de peccato originali agerem, tum beatificaretur homo naturaliter per ſubſtantiarum ſpiritualium cognitionem, hæ enim ſunt æquales in eſſe objecti illis intellectui in eſſe potentiæ ſibi relictæ, eſſentque perfectiſſimum in quod poſſent tendere: itaque ſuprema contemplatio hominis tunc eſſet ſui & Angelorum ſive Intelligentiarum. Dices poſſet contemplari Deum: Reſpondeo verum eſt, ſed abſtractivè non intuitive, at vero nulla abſtractiva ſatiat quia abſtractivam non poteſt ſequi fruitio. Præterea illa abſtractiva Dei eſſet revera plurium creaturarum cognitio ut ſupra jam deduxi.

D. Subtilis 2. diſt 3. q. 2. habet inventionem huic loco opportunam, docet enim ibi probabile eſſe quod Angelis pro ſtatu viæ quum nondum eſſent beati per claram Dei viſionem infuſa ſit ſpecies diſtincta quidem ſed abſtractiva Dei quæ tamen pertineret ad ordinem naturalem, jam ſi forte talis ſpes infundetur homini in ſtatu puræ naturæ aut alias, tum dicendum foret quod beatitudo ejus eſſet ipſius Dei contemplatio; jam enim conceptus Dei apud hominem non eſſet

emendicatus aut reperiatus ex conceptibus creaturarum, cum non eſſet ex negationibus compoſitus, &c.

Dices neque tum dici poteſt quod beatificaretur homo per Deum objectivè; nam Deus non terminaret ejus cognitionem, ſed ſpecies illa quæ proinde dici deberet objectum; atque id eſt falſum quia tum objectum beatificum eſſet accidens. Reſpondeo deum in ſpecie terminate, illa enim in cognitione non ſupponit pro ſe ſed pro objecto. Deinde quidquid ſit de hac theoriâ, planum eſt quod homo tunc delectaretur; nam etiam in ſpeculo ubi ſpecies apparet percipit homo delectationem videndo imagines bellas.

Sed revera eſt hic aliquid diſcriminis, nam in ſpeculari viſione res ipſa adeſt licet in alio ſitu, atque ita tam ſpecies impreſſa ſpeculo, quam expreſſa oculo poſſunt & ſolent ultimo ad ipſum terminari, hic nil horum, quia cognitio eſt abſtractiva.

5. Dico tertiò: Honor, imperium, fama non ſunt aliquod beatitudinis, ne dum ipſa abſolutè. Ratio prima quia beatitudo ex ſe & ex hominis naturâ poteſt non ſolum aliquos ſed omnes & ſingulos afficere: Imperium non poteſt, quia illi quibus imperatur non imperant imperanti. Ratio altera, quia Deus ſine dubio ſeipſo eſt beatus, neque ad ejus beatitudinem requiruntur creaturæ quominus ſine ipſis ſit infinitè fælix, at vero ſine creaturis non habet imperium, non honorem aut famam; à quo enim? in quem? quum nemo ſit niſi ipſe? Dices fortè eſſe plures perſonas. Bonum: ſed num una imperabit alteri? Adhuc tamen dici poteſt quod ſaltem una laudaret alteram; at enim hoc etiam ineptum eſt, quia id eſſet in re laudare ſeipſam, quodlibet enim laude dignum in uno id ipſum in altero eſt ſive potentia ſive actus.

Stat ergo adhuc mihi ratio illa & videtur potior quam Ariſt. quod honor ſit in honorante, adeoque non poſſit in illo conſiſtere beatitudo quæ eſt intrinſeca homini: Hic enim aut nihil dicitur, aut luditur in verbo, qui enim diceret honorem eſſe beatitudinem hominis, vellet beatitudinem eſſe id quod pertingit ad honoratum, non autem honorem actuum qui exercetur ab agente, quia tantum hic eſt unica forma quæ eſt in agente neque alia realis eſt in paſſo: ſicut contingit calefacienti & calefacto, proinde argumentum poteſt in gratiam authoris æſtimari, niſi quid adhuc obſtet. *Lib. 1. Ethic. c. 5*

Eſt autem aliquid adhuc, quia nimirum quod quidpiam ſit extrinſecum homini, probat beatitudinem ejus formalem non conſiſtere in illo; non vero probat id de beatitudine objectivâ, nam hæc potius debet eſſe extrinſecum, ſaltem poteſt eſſe tale: hic autem monui agi principaliter de objectiva. Placet tamen alia illa, quod honor mortuo modo poſſidetur, beatitudo autem non poteſt ſic haberi ſed vitaliter, & intelligenter. Addamus Ariſtotelis rationi confirmationem ex ipſo alibi, quia honor poteſt impendi iis qui non ſunt, at vero non poteſt beatus eſſe; qui non eſt: *nec fortuna tenere quod natura dimiſit* ut eleganter Annæus: probatur antecedens; nam etiam mortui honorãtur & inhonorantur, afficiuntur laude & contumeliâ tam vocali quam reali; ut quum exhumantur & comburuntur, & adorantur, &c. *Senec. ep. 19. Conſolat. ad Marc.*

ACTIO IV.

In quo opere beatitudo ipſa conſiſtat?

Breviarium.

N. 1. *Beatitudo non conſiſtit in contemplatione ullius ſed in fruitione.*
2. *Objectiones ſolutæ. Permanentia an pars beatitudinis?*
3. *Felicitas non eſt in divitiis, &c. ſed in virtute.*
4. *Utrum in habitu, an in actu virtutis?*

Dixi beatitudinem naturæ ſecundum ſe eſſe ſitam vel in Deo diſtinctè cognito licet abſtractivè, vel in intelligentiis intuitivè viſis. Cum vero neutrum habe[ri] poſſit in naturâ lapſâ, ſuprema pars beati[tu]dinis ejus erunt ſcientiæ naturales: addo [h]ic, &

Dico beatitudinem revera non conſiſtere [i]n contemplatione ullius horum, ſed in fruitio[n]e. Ita corrigenda eſt communis Ethica hic ex [S]ubtili 4. diſt. 49. quæſt. 4. Rationes ex ipſo [ſ]unt familiares: prima domeſtica ſit, quod bea[ti]tudo quæ eſt ſummum bonum ponenda ſit in [ſu]mmâ potentiâ; ſed ſumma ſeu perfectiſſima [p]otentia eſt voluntas cujus eſt frui, ergo; Mi[no]rem ſuppono ex proprio loco. Secundò quia beatitudo eſt ſatietas appetituum, ergo potius debet reſpondere appetitui ſeu appetitivæ potentiæ quam cognoſcitivæ; voluntas appetit, intellectus non: Dices hominem appetere ſcientiam. Reſpondeo verum eſt, ſed appetit eam voluntate non vero intellectu: &, ſi protervias, concedo hominem appetere ſcientiam intellectu, ſed appetitu innato, non elicito de quo hic.

Tertiò, quia beatitudo objectiva ſeu objectum beatificum, tale eſt non modo quia pulchrum, ſed vel maximè quia bonum, quod omnes concedunt cum ſit ultimus finis, at vero ſcimus hoc eſſe diſcrimen pulchri & boni quod pulchrum viſu placet, bonum habitu & poſſeſſione, adeoque non ſufficit viſio aut contemplatio ſummi ut ſit beatificans, ſed opus eſt aliquo præterea; illud aliquid non poteſt aliud eſſe quam fruitio,

Digitized by Google

fruitio, ergo, aliæ rationes videantur apud D. & ſuos contra D. Thom. & ſequaces prima & ſecunda part. q. 3. art. 4.

Objici mihi poteſt quod dixi Act. 3. ad nu. 4. Beatitudinem hominis ſtatui poſſe in cognitione abſtractiva Dei; id enim non poteſt teneri, cum conſiſtentia beatitudinis in fruitione; nam viſionem abſtractivam non ſequitur fruitio quia fruitio eſt poſſeſſio, poſſeſſio autem non eſt abſentis, ſed deſiderium: ergo. Non diſplicet mihi diſcurſus, propter quem dicendum puto beatitudinem hominis in pura natura non fore illo modo perfectam: niſi forte Deus ſit tam immenſum bonum, ut illius etiam imperfecta præſentia ſufficiat ad ſatiandum hominem in purâ naturâ relictum.

Principale punctum quo diſcrepo hic à quibuſdam eſt, in hac vita adquiri poſſe fælicitatem, intelligo proportionatam non vero abſolutam & ſupernaturalem; ſed quæ à naturâ præſtari poteſt. Volunt autem ipſi fælicitatem hujus vitæ non eſſe niſi ſpem ſequentis. Habent fortaſſis ſua fundamenta, ergo pro illis

Objicio, fælicitas & beatitudo dicit permanentiam, in hac vita non eſt permanentia, ſed mutabilitas, ſaltem aſſiduum periculum ejus. Deinde contemplatio in qua potiſſimum conſiſtere jcreditur, non poteſt eſſe continua, quia eſt cum defatigatione. Ex quo ſumitur alterum aut tertium argumentum, quia fælicitas eſt ſine labore, actus hujus vitæ non; ita dicerent illi ut probarent diuturnitatem eſſe aliquid beatitudinis; ego autem hoc nego, &

Dico non eſſe neque ipſam, neque permanentiam aut conſtantiam: quod ſic ſuadeo: In phyſicis quantitas permanens non eſt de eſſentia; imo nec de ſubſtantia rei quantæ ergo nec in ſucceſſione quantâ; cur enim una erit altera non erit? Antecedens eſt clariſſimum, nam res quanta proximè eſt ſubſtantia, quantitas enim immediatè ipſam afficit ſive materiam primam, ſive totum compoſitum, qualitates autem afficiunt deinde quantitatem: &, quidquid ſit de hoc, valet argumentum, quia tam ſubjectum quam qualitas eſt res alia à quantitate. Duratio, permanentia, conſtantia & quocumque demum nomine utaris, eſt quantitas, eſt enim extenſio rei per ſpacium temporis aut durationis, ſicut permanens eſt extenſio ejus per ſpatium loci.

Deinde fælicitas eſt ſummum bonum, unde ſic arguo: illa mora & permanentia non convenit ei neque ut bonum, neque ut ſummum; non ut bonum, quia alias omne bonum exigeret permanentiam, quod eſt falſum, nam vir bonus, eſt talis quamdiu non declinat ad malum, & licet citò poſtea declinet, hoc facit ut jam non ſit bonus, non autem ne fuerit: ſed neque id convenit ei ut ſummum, quod puto patere, nam ſummitas dicit tantum eſſe ſupra alia ſive exceſſum, quod longe aliud eſt à permanentia, & ſicut in dimenſionibus altitudo aut profunditas diſtinguitur ſpecie à latitudine, ita duratio quæ eſt extenſio & quaſi quædam latitudo aliud omnino eſt ab altitudine aut ſummitate. Denique niſi fallor eadem eſt menſura miſeriæ & fælicitatis, ſed in hac vita videmus miſeros, ergo.

Rationem illam in oppoſitum attuli ut retorqueam, quod ſic præſto: ſi enim verum eſt quod illi aſſumunt, fælicitatem ſcilicet dicere permanentiam, tum non modo beatitudo in hac vita deeſſe nobis debet, ſed etiam in futurâ, & abſolutè eſt impoſſibilis, quod nolunt illi, & merito: ſed probo eos ſequi. Accipio enim hominem in altera vita & ſignando aliquod inſtans; quæro an in illo ſit talis beatus? ſi non, tranſeamus ad aliud, quamquam fruſtra; utique enim eſt eadem ratio de omnibus; quod vero in illo non ſit beatus oſtendo adverſario meo quamvis invito; nam in illo inſtanti non habet permanentiam; in illo enim non habet niſi illud, ſcilicet unum inſtans quod non poteſt dici permanens, cum nihil minus durare poſſit quam per unum inſtans: Unde formari poteſt ratio ſic: Permanentia dicit exiſtentiam per aliqua, ſive inſtantia ſive partes durationis; at numquam ſunt ſimul aut plura inſtantia aut plures partes, ergo.

Dices primo certum eſſe, quod aliquæ res ſunt permanentes; adeoque quod aliquid eſt permanentia, deinde explicari etiam poterit permanentia, quod ſit, præſens duratio ſumpta cum aliis quæ præceſſerunt. Reſpondeo, de primo viderint logici; certum eſt dari rem permanentem, cujus entitas non fluit; id autem no ſufficit propoſito: nam in quolibet uno inſtanti habetur hæc permanentia; & res durans uno ſolo, puta Angelus ſic permanens eſſet. Ad ſecundum non poſſum melius dicere quam acceptando ipſum; nam ſi ita eſſet, numquam aliquis eſſet beatus; quia nec umquam permanet, eo quod numquam ſint ſimul præterita & præſens duratio.

Objici ſecundò poteſt contra, quod iterum ſuperius dixi, beatitudinem naturalem conſiſtere in contemplatione Intelligentiarum, &c. huic enim obſtat quod hic ſubdidi, ſcilicet beatitudinem conſiſtere in fruitione; nam ſaltem licitum eſt frui iis rebus in quarum contemplatione conſiſtit beatitudo; imo non poſſumus non frui ſecundum multos, ſaltem id licet; atqui non licet frui creaturis, ſed oportet uti, ergo. Reſpondeo ita eſſe de facto quod non licet frui creaturis quamdiu deſtinata eſt nobis fruitio Creatoris tamquam vera beatitudo; at vero tunc cum non liceret nobis tam altum aſpirare, utique liceret infrà conquieſcere, & frui aliquo bono non ſummo, alias fruſtra relicta eſt nobis vis fruendi. Supereſt una difficultas quæ facit contra totam hanc machinam de fælicitate naturali, ſequitur enim ex nobis angelum & animam damnatam, etiam pænis cruciatam poſſe eſſe beatam beatitudine naturali. Conſequens ſeipſo eſt incredibile quod ſcilicet cohabitent cruciatus & deliciæ non quæcumque ſed ſummæ, quæ à natura exhiberi poſſunt: Sequela tamen patet: quia Angelus in tormentis poteſt, contemplari ſine dubio ſuam aut alterius eſſentiam; &, ſi contemplari, quidni frui: Quæ ratio ſic confirmari poteſt; quia licet beatitudo aliqua poſſit eſſe ſupernaturalis; nulla miſeria poteſt, ſed omnis talis eſt in ſubſtantia naturalis; at vero ſumma naturalis fælicitas videtur ſufficiens ad excludendam quan-

quantumcumque magnam miſeriam, vel ſaltem ſimul percipi utraque poteſt; quod eſt intentum & abſurdum ergo.

Reſpondeo primo de facto non ſufficere naturalem fælicitatem ad reddendum hominem lætum aut quietum; quia nimirum de facto deſtinatus eſt homo ad majorem fælicitatem, & ita ampliata eſt capacitas ejus per gratiam.

Reſpondeo ſecundò, non poſſe damnatum contemplari alia objecta, tam liberè, & intensè; quia nimirum intellectus ejus detinetur in cogitatione pænarum, ut non poſſit alio divertere, quod nos ipſi experimur in morbis; item pro hoc facit quod ſupra hic notatum eſt de voluptate, quæ abſorbet judicium hominis nec permittit attendere interim aliis rebus. Tertio dico etſi homo poſſet utrumque, tamen non habiturum voluptatem & dolorem, ſed unum ex duobus, eo quod naturaliter non poſſint poni ſimul; quia autem ex altera parte fortius eſt agens inferens dolorem & triſtitiam, ſcilicet Deus, ideo ſolus dolor ibi invenietur.

Duo capita adhuc ſuperſunt refutanda; ſcilicet Divitiæ & virtus, ut oſtendatur in neutro eſſe beatitudo. Contra primum illud ſunt rationes aliquæ ſupra allatæ, quia mortuo modo poſſidentur, non vero vitaliter, quæ ſunt media tantum & bonum utile.

Pro ipſis hoc facere poteſt, quod infinitè appetuntur; nam numquam ſatiant quantumcumque magnæ, ergo ſignum eſt in illis eſſe quamdam infinitatem bonitatis, quod eſt ſummum bonum & beatitudo ſaltem objectiva.

Reſpondeo tamen rationem eſſe in oppoſitum: ſi enim nunquam ſatiant certè non poſſunt eſſe beatitudo, hæc enim ſatiat & ad hoc quæritur. Ille autem infinitus appetitus habendi, non eſt verus amor aut appetitus ſed morbus; ſicut hydrops aut rabies quæ non ſunt vera fames aut ſitis & proindè non debemus metiri ſatietatem, aut fælicitatem per illas.

Major his & dignior philoſopho eſt illa de virtute, acerrimè olim & nunc ventilata inter Peripateticos & Stoicos ut notum eſt vel ex uno Seneca, qui ſanè egregiè & maſculè pro virtute pugnavit, quod quia ego fuſius in Proluſionibus Philoſophicis expendi, hic tranſeo & diffinio rem breviter ſubjuncto notabili ne in voce erremus.

4. Dico ergo ſupremam fælicitatem de facto & poſſibili ſitam eſſe in virtute: Probatio poſita eſt in ſuperioribus, quia nimirum ſupremum quod eſt in fælicitate eſt fruitio ſeu amor objecti; hic eſt actus virtutis, ergo. Addo jam concluſioni poſitæ, fælicitatem ipſam abſolutè non debere poni in virtutibus moralibus, ut ſtoici volebant, ſive id intelligas de actu, ſive de habitu virtutum: in probatione hujus in qua diſſident hinc inde ſcholæ, ego fortaſſis diſſidentes conciliabo hac ſequenti notâ.

Igitur adverto beatitudinem propriè ſignificare ſatietatem appetituum, ut homo ſit contentus, &c. in perpetuo gaudio ac uſurâ lætitiæ iſte enim revera eſt conceptus quem natura nobis indidit de beatitudine aut fælicitate, ut patet inde, quoniam vulgus & ſimplices ſic intelligunt beatitudinem, quumque hic ſit terminus, primò ſtandum eſt eorum judicio de ipſo, quod ergo præterea addiderunt philoſophi ex variis diſcurſibus ſuis, videntur peregrina ſeu extranea ipſi rei.

Horum autem deſcriptio de Beatitudine fuit quod eſſet, aggregatio bonorum, vel adeptio ſummi boni, quia nimirum judicarunt optimum ſtatum eſſe illum beati, & ipſam beatitudinem dixerunt ſummum bonum, adeoque metiebantur illam per multitudinem & varietatem bonorum quæ quis habet; neque ego nego poſſe formari duos illos conceptus, & dari etiam revera eorum objecta, eſſeque ſuo modo diſtincta.

Sed nec videor negotium expedire per nomina, oſtendo rem ipſam ſic ſe habere ſive beatitudinem non eſſe ſitam in majori aggregatione bonorum; arguo autem ſic, poteſt contingere ut aliquis habeat plura ſive majora bona, quam alius, nec tamen ſit magis beatus eo; imò ut alter ſit revera beatus etiam de beatitudine ſupernaturali, prior non ſit, quamvis etiam bona illius ſint ſupernaturalia; ergo judicandum eſt beatitudinem non conſiſtere in aggregatione bonorum, ſed in alio quod erit ſatietas appetitus; valet conſequentia, niſi fallor, probo autem antecedens, unio hypoſtatica eſt majus bonum quam ullum aliud creatum, aut creabile, cum reddat dignum adoratione latriæ, & in ſumma reddat habentem ipſam Deum: Tum enim fieri poteſt ut habens unionem hypoſtaticam ad perſonam Divinam vel etiam ad ipſam immediatè naturam non ſit beatus; ſed revera miſer patiendo adverſitates ac tormenta, ſicut de facto paſſus eſt ſolus ille qui eam habuit.

Unum video ad hoc dici poſſe, eſtque quod unio hypoſtatica pertinet ad actum primum, fælicitas autem non, ſed ad actum ſecundum, unde non licet facere tranſitum ab illo ad iſtum. Audio & infero ad hominem, ſi fælicitas pertinet ad actum ſecundum, ergo fælicitas non eſt aggregatio majorum ſive (ut mavis) meliorum bonorum. Ratio conſequentiæ; quia actus primus & pertinentia ad ipſum ſunt præſtantiora actu ſecundo & ſequentibus, quum ille conſtituat rem in ipſo ſuo eſſe. Deinde, nequid deſit, accipiamus ſpectantia ad actum ſecundum & videbimus illa non reddere magis beatum niſi quando adeſt appetitus, quem ſatient: ſit enim cibus & potus, nec ſint ſolum, ſed ſumantur, certè non reddent magis beatum niſi appetantur, quia non delectant, atque ita beatitudo certè & propriè ſtat in ſatietate appetitus.

Propter quod fortaſſis conciliari poſſunt authores; nam qui in virtutibus aut aliis ſimilibus poſuerunt beatitudinem, id fecerunt ex principio quod ſibi ſtatuerunt; ſcilicet beatitudinem eſſe ſummum bonum, & utique vel hoc vel aliud ſimile nomen ei competere poteſt, atque ita in hac receptione, quæ non mala eſt, beatitudo in virtutibus, &c. conſiſtet; At vero alia eſt, & quidem magis propria impoſitio hujus ſecundum quam id non verificatur, adeoque.

(*.*)

Dubium

Digitized by Google

Dubium Appendix.

Libet hic expedire in gratiam proborum qui virtuti ſtudent, ſi quando concedatur fælicitas eſſe in virtute, ſivè admittendo alteram illam acceptionem fælicitatis, utrum, inquam, fælicitas hujuſmodi cenſenda ſit conſiſtere in habitu virtutis an in actu? ſive, ut aliis verbis exprimatur; utrum majus bonum ſit habitus an actus virtutis, & quidem in puncto præſenti de eo in quo conſiſtat fælicitas ex illis duobus, videtur etiam inter utramque ſcholam Ariſtotelis & Zenonis controverſia. Ariſtot. actum virtutis prætulit, timidè primo. *Fere enim bona quadam vita & bona actio felicitatis* dicitur; deinde autem palam; ut ipſe lib. 10. cap. 8. teſtatur: *dicimus eam non eſſe habitum*: At contra Seneca habitum præfert, ut videas in ipſo Epiſt. 77.

Vide eum lib 7. Politic cap. 13 ubi ſe citat ex Ethic.

Reſpondendum exiſtimo quod loquendo de bono virtutis, majus ſeu melius quid ſit habitus. Moveor quia quod eſt virtutis in actu eſt participatio quædam habitus, ergo ille non poteſt eſſe quid melius, ſed debet omnino eſſe quid minus in hoc genere, cum unus actus non adæquet habitum; Confirmo rationem primò explicatione ſic: quia cauſa æquivoca eſt perfectior effectu: Habitus eſt cauſa æquivoca illius probitatis quæ eſt in actu, quæ ratio valet etſi teneatur habitus eſſe cauſa univoca illius probitatis quæ eſt in actu, quia ſaltem ex hoc capite ſunt pares, & aliunde habitus eſt cauſa, nec æquatur ab uno actu ut dixi. Confirmo ſecundò ſic, quia exceſſus perfectionis qui eſt in actu non eſt virtuoſus, ergo in ratione virtutis ſeu boni moralis non eſt præferendus. Antecedens oſtendo quia exceſſus actus ſupra habitum eſt ex ratione actus vitalis; ſed eſſe vitalem in actu, licet ſit perfectio, non tamen eſt perfectio ad virtutem moralem ſpectans, ſed quid phyſicum & omnino diverſum.

Arguo etiam aliter; quia in habitu eſt alia perfectio; ſcilicet permanentia & diuturnitas quæ non eſt in actu. Arguo tertiò aſſignando aliud principale commodum habitus qui eſt quod ſit decor & ornamentum totius; nam homo probus, v. g. temperans, & juſtus, eſt ſpecioſus intrà, & pulcher in oculis Dei, & cujuſcumque potentis introſpicere hominem in anima. Hæc habui breviter pro habitu quamquam ſint extra locum ejus qui videtur eſſe infra Apol. 1. Actio. 2. Tertiæ partis.

Objici tamen poſſunt inprimis contra has probationes aſſerti, quod actus ſecundus ſit liber, quæ perfectio non competit habitui ſeu actui primo, & tamen eſt perfectio quæ facit ad rationem virtutis. Reſpondeo, ut alia omittam, hoc quidem competere actui ſupra habitum; ſed nec eſſe aliquid virtutis propriè, quum ſit commune aliis, & reperiatur in actu etiam vitioſo.

Redeo ad probationem aſſerti paululum digrediendo ad Theologica; quia in ſupernaturalibus melior eſt habitus gratiæ & charitatis, quam actus eorum, ergo jam non poſſunt Adverſarii tueri univerſaliter quod melior ſit actus habitu. Antecedens fatentur ipſi, & merito quia præſtantiſſimus effectus competit gratiæ non vero actui: habitus juſtificat, actus vero non: habitus eſt participatio quædam divinitatis & regeneratio totius hominis; undè & inhærere ſubſtantiæ animæ ponitur, actus autem eſt in unâ aliquâ potentiâ; at vero præſtantia formæ colligenda eſt ex præſtantia effectus formalis; ſi ergo hic melior eſt in habitu quam in actu, ſequitur, &c.

Mihi etiam redit doctrina ſupra tradita; quod ſi beatitudo intelligatur alio illo modo; ſcilicet pro aggregatione bonorum; tum magis beatificet actus, quia eſt majus bonum, ſeu plures perfectiones continet ſimpliciter loquendo; nempè tam phyſicas quam morales; quod totum ex jam dictis patet: unde erit jam

---

ACTIO V.

De Beatitudine formali ubi etiam de diſcrimine creatæ & increatæ?

Breviarium.

N. 1. *Beatitudo formalis non conſiſtat in actu.*
2. *Ad ipſam non ſufficit delectatio ſine actu.*
3. *Objectiones contra Concil. num. 1.*
4. *Beatitudo formalis probabiliter coincidit cum objectiva.*
5. *Objectio contraria diſſolvitur; an Deus formaliter delectet?*
6. *Solus Deus plenè Beatus.*

1. Dico primo non rectè dici quod beatitudò formalis conſiſtat in actu. Hæc habet plures imo ferè omnes Adverſarios, oppoſitum enim in ſcholis jam diu veteravit, ut videas paſſim apud authores. Videntur tamen eam olim tradidiſſe 6. antiquiores Theologi.

Conrad. Ægyd. Vaſquez.

6. S. Bonav. Henr. Gand. lo.

Suadeo eam, & ſuppono ſemper ſuprapoſitam & ſolam ſolidam acceptionem beatitudinis, quod ſcilicet ſit ſatietas appetitus, cæteroqui enim jam oſtenſum eſt non ſufficere præſentiam bonorum, niſi reſpondeant appetitui; quo poſito arguo, ſolus actus non ſatiat appetitum, ergo ſolus ille non beatificat. Non eſt dubium de antecedenti, quia actus non appetitur propter ſe potiſſimum, ſed propter gaudium vel delectationem ſequentem, & quidquid ſit de hoc, certum eſt ultra actum appeti delectationem, ut ſolus ille & ſiccus non ſatiaret. Confirmo & explico, alias enim ſequeretur eum; qui nul-

.um gaudium aut voluptatem habet poſſe eſſe beatum quod eſt contra ſenſum omniũ omninò.

2. Addo concluſioni, & dico, neque delectationem ſequentem ſine ipſo actu ſufficere, quia ipſe actus delectat ſeipſo formaliter, ergo ipſe eſt etiam objectum appetitus, atque ita ſola delectatio ſequens non ſufficit. Urgeo poſitâ quâcumque delectatione inhærente potentiæ, adhuc illa ſine dubio deſideraret videre Deum; ergo ipſa viſio Dei eſt quædam expletio, deſiderii ſeu appetitus. Antecedens eſt adeo certum, ut carentia viſionis eſſet maximum tormentum & principalis pœna, quæ dicitur damni.

Dices, hanc partem pugnare præcedenti; ſi enim ipſe actus delectat, jam non oportet quærere delectationem ultra actum; ſed ipſe ſufficit. Reſpondeo quemlibet actum adferre aliquam perfectionem & ita quietem & complacentiam aliquam potentiæ cujus eſt, præterea autem ſequi ſive in toto homine, ſive in voluntate aut appetitu ſenſitivo ejus reſpective delectationem de perceptione & poſſeſſione objecti amabilis, cujus ſignum eſt quod aliquando elicimus actum cum majori aliquando cum minori, & ſubinde cum nullo omnino gaudio ſeu voluptate, adeoque aliud eſt gaudium aut voluptas ab ipſa entitate actus, atque hæc via, (ut id obiter advertam) favet ſententiæ, quæ ponit etiam viſionem concurrere ad beatitudinem tamquam quid integrans eam; nam ipſa viſio in parte delectat, & ita eſt pars ſatietatis in qua conſiſtit beatitudo. Proſequar jam aſſumptum in utraque parte ſic, ultimum bonorum eſt illud quod appetitur propter ſe, ita ut non poſſit reddi ratio appetentiæ, hoc autem convenit delectationi, erit ergo ultimum bonum & beatitudo; tum ſic: non objectiva ut ſuppono, ergo formalis. Minor probatur ex. 10. Ethic. ubi philoſophus expreſſe ait, *ridiculum eſſe quærere ab aliquo cur velit delectari.*

Tertiò utor hoc medio naturali: Beatitudo eſt quies, eſt enim finis omnium motuum; atqui quieſcere non eſt agere, alias quieſcere eſſet moveri, ergo jam beatitudo eſt paſſio & receptio, alias eſſet actio, atque ita potius receptio delectationis erit beatitudo quam productio actus. Confirmatur, quia agere eſt labor; ergo abeſt à beatitudine. Confirmo etiam iterum adeundo ad idem illud, nam noſtro modo loquendi beatitudo gravis eſt eſſe in centro, atqui ibi eſſe non eſt agere ullam, ſed ſolum negativè ſe habere, aut ad ſummum pati; ergo ſimiliter.

Ad hoc tamen dici poteſt grave in centro quieſcere poſitivè, quâdam quaſi retinentiâ loci, ac non tantum abſtrahendo, aut percipiendo, cujus ſignum eſt quod elevanti ſe reſiſtit. Ad hoc, fateor me dubium eſſe an grave habeat poſitivam actionem in centro; ſed ſive ſic, ſive non, replica jam facta nil nocet neganti; nam grave non reſiſtit in centro; quia dum in centro eſt non elevatur, ergo quod agat contra elevantem non probat quod agat in centro, quia elevatio numquam contingit ei quamdiu in centro eſt. Probabilitas autem opinionis negantis actionem ejus in centro fundatur in ſuperfluitate ejuſmodi actionis poſitivæ, quum ſufficiat negativè ſe habere, ſeu non ferri, nec ſub, nec ſupra, donec ab agente extrinſeco tangatur; ſed hæc alio ſpectant.

Ex his habes dicendum quod beatitudo quantum eſt ex ſe poſſit in paſſione conſiſtere. Rationes jam adductæ ſunt, ſi addidero iſtam, quod ſcilicet ipſe actus qui delectat ſit quidem aliquid beatitudinis, non tamen ut actus eſt, ſed ut delectans, at vero ut delectans non agit ſed recipitur, adeoque. Sunt etiam pro eodem authoritates tam ſacræ Scripturæ quam PP. nam ſacra Scriptura explicat beatitudinem per paſſionem ſeu receptionem. *Inebriabuntur ab ubertate domus* Pſ. 35.9.
tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quo loco vides id quod ad creaturas ſpectat exprimi verbo paſſivo, quod ad Deum verbo activo, ut ſcilicet intelligatur paſſio huic reſpondens in creatura eſſe voluptas ſeu delectatio, quomodo etiam ſalvator ſæpè expreſſit ſupernaturalem beatitudinem. *Intra in gaudium Domini tui*, id eſt, in vitam
beatam, & *triſtitia veſtra convertetur in gaudium.* Matth. 25.
Citatur & merito Anſel. lib. de Caſ. Diab. cap. 4. 23.
ubi docet, *Beatitudinem ex commodis conſtare.* S. Bo- Ioan. 16.
naventura *ſatians ut informans eſt ipſa influentia Dei* 10.
in animam, &c. 4. d. 49.
Objicies: perfectius eſt agere quam pati, bea- q. & art.
titudo autem conſiſtit in potioribus ſine dubio, ergo in actione non in paſſione. Reſpondeo, jam ſupra hæc & ſimilia ſolvi & præveni, verbo, nego beatitudinem conſiſtere in perfectione, ſed in commoditate, ut nunc loquimur.

Inſtabis, ſed etiam in agendo eſt commoditas, nam agentia deſiderant agere: Reſpondeo verum eſt, ſed enim hæc commoditas eſt neceſſitas, deſiderant enim agere, quia agendo delectantur. Cæterum ſi ſeparari poſſet delectatio ab actione, & daretur ipſis primum, certè ſecundum non magnopere ambirent; quia nimirum illa ſic ſumpta eſt quid ſiccum inſtar oſſis, nec aliud quã labor, quoad hoc, quo diſcurſu utar infra num. 6. de Deo.

Objecit alius: Gaudium illud eſt de beatitudine obtentâ, ergo jam gaudium & delectatio ſupponit beatitudinem, non facit. Rectè ille ſecundum ſua principia, ſecundum mea non, nego enim ei aſſumptum, non enim obtenta eſt adhuc beatitudo ſed obtinenda; Gaudium autem eſt de Deo viſo vel de Intelligentia aut alio reſpectivè, unde ſecundò diſtinguo antecedens. gaudium illud eſt de obtenta beatitudine objectivâ concedo, formali nego.

Sed inſtat ille, & objicit adhuc ſecundo: nullus interrogatus de beatitudine ſua formali dicit: ſpero gaudium de eo quod viſurus ſim Deum, ſed dicit, ſpero me viſurum Deum, ergo nullus intellexit nomine gaudii beatitudinem: ſicut etiam avarus quæſitus quid reputet ſuam beatitudinem quam ſperat ſe conſequuturum? non dicet ſpero me conſequuturum gaudium de poſſeſſione divitiarum, ſed dicet ſe ſperare divitias & earum poſſeſſionem. Reſpondeo tamen hunc ipſum per ſecundam inſtantiam ſolvere primam, nam avarus reſpondebit ſe toto labore quærere divitias, & tamen divitias non quærit propter ſe ipſas, ſed propter aliud quod non exprimit, ita hic, reſpondetur ſemper per viſionem Dei, aut ſimile, quum tamen viſio Dei non ſit ultimum quod quæritur aut amatur.

4. Teneo ergo non malè dici, quod beatitudo formalis non ſit viſio aut fruitio in rigore, ſed delectatio aut gaudium inde ſequens, vel etiam objectum ipſum. Omnia probata ſunt uſque ad ultimũ hoc quod non aſſero, ſed tamẽ ſuadeo ſic

Quia in proſequutione objectorum ſenſibilium ipſa res ſenſata delectat, v. g. video colorem viridem, ſanè quantum ad omnem

nem experientiam meam ipſe viror eſt qui me delectat; ſed quia in promptu ſpeculativis eſt reſponſio quod delectet effectivè non vero formaliter: Contra hoc inſto ſic ex ſenſibus guſtus & tactus, cum enim guſto mel, ſane ſapor eſt qui mihi ſapit, dulcedo mellis eſt quæ placet mihi ſeipsâ; alioquin perinde eſt quod in melle eſſet dulcedo ac quod abeſſet, dummodo ſequeretur illa delectatio. Deindè ibimus in infinitum; nam ſi dulcedo non delectat ſeipsâ, ſed per aliud, dico nec aliud delectare ſeipſo ſed per tertium, & ſic ſine fine. Secundò arguo ſic: ſi poneretur ſenſatio aut perceptio in potentiâ per poſſibile vel impoſſibile ſubducto vel abſente ipſo objecto, non delectaret, ergo ſignum eſt quod objectum delectat ſeipſo. Video huc redire ſolutionem de delectatione effectivâ & formali; ſed occurri poteſt huic inventioni in propoſito; quod efficientia objecti eſt reſpectu ſenſationis efficiendæ, de cætero in terminando ſenſationem merè paſſivè ſe habet; quod ut credatur, adfero objecta quæ non ſunt activa niſi cognitionis ſuæ ad ſummum, v. g. quantitas & Relatio, hæc non poſſent efficienter delectare, ergo.

Tertiò Theologicè ex natura ſpei, quæ virtus duo habet, & quod ſit amor commodi & quædam concupiſcentia, & quod ſit Theologica, hoc eſt circa objectum Divinum non quomodocumque ſed Divinum in ſubſtantia, verbo, circa ipſum Deum; ex quo confici poteſt argumentum ſic: Objectum ſpei eſt aliquid commodum ſperanti; eſt Deus ipſe immediate, ergo jam Deus ipſe immediate eſt commodus aut utilis ſperanti, non pergo quia non tam fixè in aſſertione hæreo, proſequatur novitatem qui in ea cognoſcit veritatem.

5. Objicio ego contra ſic: Deus non poteſt eſſe actus informans; ergo non poteſt ſeipſo delectare; ſuppono Antecedens, & conſequentia currit eo ipſo, ergo. Reſpondeo hanc & ſequentem bene confirmare oppoſitam; ſed ſtando in incepto dico Deū poſſe reddere aliquid tale ſine eo quod informet; ſic reddit humanitatem Chriſti Domini ſubſiſtentem, nec tamen informat eam.

Secundò univerſaliter objicio: nihil extrinſecum poteſt reddere formaliter tale; objectum eſt extrinſecum potentiæ, v. g. color oculo: æſtimo hoc ſed Reſpondeo in his caſibus objectum eſſe phyſicè extrinſecum, ſed intentionaliter unitum, etenim actio ſeu tendentia illa eſt quædam unio potentiæ cum objecto, & ita cenſendum eſt juxta hanc viam quod actus non ſit propriè beatitudo, ſed conditio ad illam; quia nimirum eſt quid requiſitum, quo poſito ſive objectum, ſive delectatio superveniens beatificat potentiam, hoc eſt reddit illam contentam, ac ſaturam.

Eſt tamen alia & ſolida acceptio beatitudinis pro poſſeſſione ſummi boni, vel aggregatione multorum quæ perficere poſſunt habentem, & juxta hanc non poteſt eſſe quod delectatio, habitus, aut ulla paſſio ſeu receptio reddat verè beatum, quia non ſunt de optimo genere bonorum ſed de inferiori, &c. ut ſupra. jam pro complemento tractatus adfero diſparitates quæ ſunt inter increatam, & creatam beatitudinem, propter quas

6. Dicendum cenſeo: quod ſolus Deus verè & plenè beatus ſit. Probationes erunt differentiæ illius à noſtrà; in primis enim ſoli ipſi nil ſupereſt appetendum, nobis aliquid; nam qui minus habet in majori videt aliquid quod ſibi deeſt & prodeſſet; eſt tamen beatus, non quia omnia habet, ſed quia plura non cupit, at vero Deus non eſt ſatiatus per coarctationem appetitus, ſed per abundantiam fælicitatis.

Secundò: quia illa conditio permanentiæ, in ſolo Deo propriè invenitur, in creaturâ eſſe non poteſt; nam permanentia propriè dicit conſtantiam in eſſendo, neque quidquam per ſolum inſtans poteſt dici permanens; at vero creatura numquam ſimul habet niſi unum inſtans ſuæ durationis, nec poteſt plura habere, Deus autem non ſolum plura, ſed omnia ſimul habet, vivit enim ſimul totam æternitatem, neque quidquam vitæ ipſius præterivit, aut futurum eſt.

Deinde, ne in alia diffundar; fælicitas Dei eſt inſtar paſſionis, quia licet ſit actus, eſt tamen improductus; & ita ſummam quietem, nullum laborem habet; quia nec ipſum actum elicit quo beatus eſt, ſed ſine ullo vel imaginario labore fruitur.

Denique in Deo certiſſimè coincidit beatitudo formalis cum objectiva, nam ſeipſo objecto delectatur; neque opus eſt aliquâ aliâ formâ ſuccedente quâ delectetur, atque ita ejus beatitudo ſummam ſimplicitatem habet ſicut & ipſe: ut omittam independentiam, rationem primæ cauſæ, efficientis, exemplaris, ultimi finis, à quo etiam ſit mihi finis hujus tractatus, & incipiat,

De his conſulendi quos citavi Apolog. præcedenti.

TERTIA PARS
Ethicæ Ariſtotelis de virtutibus & paſſionibus.

APOLOGIA PRIMA
De virtute in genere.

ACTIO I.

Quid ſit virtus?

ACTIO II.

Utrum virtus ſit verè qualitas ac habitus? & influat phyſicè in actionem?

ACTIO III.

Utrum virtus in medio conſiſtat?

ACTIO IV.

De ſubjecto virtutum.

ACTIO V.

Reſolvit quædam ſparſim de hac materia.

Scotus 1. *diſt.* 17. *q.* 2. *num.* 4.

SIcut autem dictum eſt de bonitate morali actus; ita proportionabiliter dicendum eſt de habitu, quod virtus moralis non addit ſuper ſubſtantiam habitus ut eſt forma de genere qualitatis niſi conformitatem habitualem ad rationem rectam. Idem enim habitus in natura qui generatur ex actibus abſtinentiæ elicitis cum ratione erronea, in eliciente manens poſt cum ratione recta eſt & poſt virtus abſtinentiæ: & prius non fuit habitus virtutis, quamdiu non fuit recta ratio abſtinendi; nec tamen aliquid mutatum eſt circa illum habitum in ſe, ſed tamen nunc conjungimur prudentiæ; prius non.

Idem 3. *diſt.* 33. *quæſt. un. num.* 13.

POteſt voluntas quum ſit indeterminata & determinabilis ſicut intellectus generare in ſe ipſa ex rectis electionibus habitum inclinantem ad rectè eligendum; & hic habitus propriiſſimè erit virtus, quia propriiſſimè habitus electivus inclinans ad rectè eligendum, ſicut ex rectis electionibus generatur: poteſt tamen concedi quod ſi voluntas volens poteſt imperare appetitui ſenſitivo, vel moderando paſſionem ejus vel imperando proſequutionem vel fugam ſi ſint actus appetitus ſenſitivi; poteſt derelinquere ex imperiis rectis aliquem habitum in appetitu ſenſitivo inclinantem ut delectabiliter moveatur, &c.

ACTIO I.

Quid ſit Virtus.

Breviarium.

N. 1. *Definitiones virtutis apud Ariſtotelem reprobatæ.*
2. *Aſsignatur legitima definitio eius.*
3. *Objectio ſolvitur. Virtus an principium patiendi? & quomodo?*
4. *Alia: An virtus attingat phyſicè opus?*

1. HOc ex illis eſt quod quiſque putat ſe ſcire, & proinde ſupponere ſolet nedum facilè determinare. Dabo Ariſtotelis definitiones, ut videamus quam non facilè fuerit hinc ſine errore abire. *Ariſt.* Igitur ipſe 2. Ethic. 6. definit virtutem quod ſit: *Habitus electivus in mediocritate conſiſtens prout ſapiens determinavit*. At enim hæc non poteſt neipſi quidem placere, nam electio ad voluntatem pertinet non ad intellectum: at verò dantur virtutes aliquæ, quæ ad intellectum pertinent ac non tantum ad voluntatem. Deinde, conſiſtere in mediocritate prout ſapiens determinaverit, non eſt commune omni virtuti ne morali quidem, quia mediocritas juſtitiæ non eſt ad arbitrium ſapientis ſed ex natura rei, eſt enim medium rei non verò rationis.

2. Ethic. cap. 6. Iterum ergò idem idipſum tentavit inquiens; *eſt habitus qui bonum facit habentem & opus eius bonum*. Sed hæc labitur in defectum primæ; nam virtutes intellectuales non faciunt bonum ſed verum. Tertio ergò ait 7. phyſ. cap. 2. quod virtus ſit *diſpoſitio perfecti ad optimum*. At enim *in Prædic. Cap. de Qualit.* hæc contrariatur duabus præcedentibus; dicit enim quod virtus ſit diſpoſitio; quum aliæ præcedentes dixerint illam eſſe habitum, ſcimus enim ex doctrina ipſius Philoſophi habitum & diſpoſitionem diſtingui. Non deſcendam ad definitionem Theologorum, ut Auguſtini &c. quia iſtæ tangunt ſupernaturales. Hæc Ariſtotelis iterum peccat; quia ex eâ ſequitur virtutem in ſummo non eſſe virtutem; quum tamen tum vel maximè rationem virtutis habeat. Sequela mea patet; quia virtus quando eſt optima ſeu in ſummo non eſt diſpoſitio ad optimum; neque enim quidquã diſponit ad ſe, ut patet, ergò.

2. Dicerem ergò breviter; *virtutem* eſſe *proprium principium rectè agendi*. Explicabo definitionem ut probem: hoc quod eſt *proprium* diſtinguit eam à potentia puta à voluntate, quæ eſt etiam principium rectæ actionis, at non proprium, ſed commune ipſi cum vitio: nam potentia eſt principium etiam obliquè & pravè agendi: τὸ *rectè agendi* propterea benè ſedet, quia complectitur perfectionem tam intellectualem quam moralem, utraque enim eſt recta, & actus, uterque rectus: nam in voluntate ſine dubio datur rectitudo, & in intellectu etiam datur, non tamen datur in eo bonitas, ſed in ſola voluntate. Denique poſui τὸ principium ut vitarem ly *habitus* propter dicenda Actione ſequenti. In hac ipsâ tamen duo mihi diſplicent, unum eſt quod non complectatur tam actum quam habitum, quum tamen utrumque ſit virtuoſum: alterum eſt quod exprimit tantum effectum virtutis in genere cauſæ efficientis: non verò in genere cauſæ formalis. Sed enim de primo non eſt laborandum magnopere, quia ipſum quæſitum hic eſt aliquid per modum actus primi. Deinde illud tertium abſtractum ab utroque non eſt unum aut univocum (quid enim?) adeoque nec definiendum aut diffinibile. Ad ſecundum dico ſatis exprimi effectum formalem quum exprimitur ille effectivus; quum enim dicitur. V. G. calor eſt quod congregat homogenea &c. ſatis innoteſcit quod calidum ſit congregativum homogeneorum.

3. Objici tertiò poteſt quod virtus non ſolum ſit principium agendi, ſed etiam patiendi: nam fortitudo eſt principium ferendi adverſa, quod non eſt agere ſed pati. Reſponderi poſſet ſenſum definitionis eſſe quod virtus ſit principium rectè ſe gerendi; id autem fit ſive rectè agendo ſive patiendo, & revera ita definiri virtus poſſet: ſed non eſt neceſſe eo recurrere: nam virtus eſt quidem principium patiendi ſed per actionem, ſcilicet per voluntatem acceptandi paſſionem illam ſive adverſitatem.

Dici tamen unum poteſt contra hoc, ſcilicet dari poſſe paſſionem ſive actionem & quidem liberam ſecundum nos: quidni ergò virtus poſſit eſſe immediatum principium patiendi? Reſpondeo poſſe quidem dari omiſſionem liberam: non poſſe tamen illam eſſe à virtute, quia nimirum virtus eſt poſitiva cauſa, adeoque talem effectum exigit: at vero pura omiſſio eſt purum nihil, non verò quid poſitivum. Prætereà aliunde repugnat quia nimirum virtus, ſicut quicumque habitus eſt quid ſubordinatum potentiæ; adeoque eſt agens quod motum movet, ergò implicat intelligi influxum virtutis in aliquid niſi intelligatur influxus potentiæ: at verò in omiſſione purâ non eſt influxus potentiæ, alioquin non eſſet pura illa ſed admixta actui, ergò. Inſtari nihilominus poteſt adhuc in hunc modum: pura omiſſio poteſt eſſe ex gratia: ergò poteſt eſſe ex habitu. Conſequentia valet, quia tota ratio cur non poſſit eſſe ex habitu occurrit & ſolvi debet in gratia, etenim gratia eſt quid poſitivum, & poſitivè cauſat &c. ergò

Reſpondeo diſcurſus mihi videtur admodum rationabilis, & proinde credo, quod nulla pura omiſſio ſit ex gratia. Dices eſſe meritoriam: ſed meritum non eſt ſine gratiâ. Ad hoc dici po eſt in primis ipſum repetere quodammodo negatum, ſive principium, ut vocant: nam mereri eſt agere; ſed nolo hac ire, puto enim quod non ſit ita, idque non ſolum in hoc caſu

ſed nec alibi, quia actio phyſica poteſt eſſe ſine merito, adeoque meritum non eſt phyſicum illud, ſed morale. Hic in omiſſione purâ eſt quid morale, adeoque: Credo ergo tunc eſſe meritum, quia nimirum eſt obſervantia mandati; nam præcepta negativa obſervantur purâ omiſſione: & ad rationem dico meritum non eſſe ſine gratia Dei influente quando non eſt ſine natura hominis influente, hic autem eſt ſine natura hominis influente: adeoque bene poterit eſſe ſine Dei gratia influente. Neque Eccleſia docet niſi ad actiones aut paſſiones meritorias opus eſſe gratia: non verò ad negationes aut nihila niſi fortè morali aliqua qualem cenſeri poteſt Deus præbere homini hic; ſicut ipſe homo præbet ſibi.

4. Objicio ultimò: Virtus non influit in rectam actionem, ergò non eſt vera illius deſcriptio. Ratio antecedentis eſt, quia quod influit in opus eo modo eſt habitus ut notum eſt, at vero virtus non eſt habitus, neque habitus eſt virtus; ut docet & probat luculentè D. N. Subtilis quem in hoc authores libenter ſequentur etiam alias adverſarii; Reſpondebo huic tota Actione ſequenti quæ ſit

ACTIO II.

Vtrum Virtus ſit verè qualitas & habitus? & an influat phyſicè in actionem, nec ne?

Breviarium.

N. 1. *Scotus novæ Veritatis inventor abſtraxit D. Thomæ diſcipulos.*
2. *Virtus moralis non eſt qualitas.*
3. *Probationes invalidæ huius*
4. *Probatio à priori &c.*
5. *Ratio virtutis eſt relatio, non autem abſolutum quid?*
6. *Objectiones contra num. 2. & 6 ſolutæ.*
7. *Virtus non influit phyſicè in operationem virtuoſam.*

1. Pars affirmativa fuit quaſi ſuppoſitum ſemper in ſcholis, ita docente Ariſtotele palam & ex profeſſo; ut videas in definitionibus ex eo poſitis ſupra, quas alii deinde confidenter amplexi ſunt. D. Thom. 12. quæſt. 55. & ſui art. 1. & 4. Conrad. Curid. &c. antiqui ferè omnes ſecurè: ſed excitavit eos à ſomno Subtilis: tum in 1. diſt. 17. q. 2. tum Quodlib. 18. palam docens quod virtus ſecundum ſe ſeu eſſentialiter non ſit habitus: ſed tantum pro materiali aut connotato, ſicut ſimum eſt naſus; ita ut habitus aut qualitas non ſit genus: ſed ſubjectum virtutis; ex quo aliud ſequitur ſecundum ipſum; quod ſcilicet virtus propriè non ſit activa neque influat phyſicè in actum qui dicitur ipſius eſſe, quam viam cæteroqui inuſitatam. D. tam ſubtiliter ſuaſit; ut etiam perſuaſerit eam præter ſuos, extraneis etiam adverſariis. Idipſum enim poſtea cœpit placere Cajet. 1. 2. quæſt. 14. art. 3. quamvis eam quæſtione præcedenti impugnaverit pro viribus. Item Gabriel Vaſquez ibidem diſput. 84. cap. 2. fatetur hanc Scoti ſententiam non infirmo fundamento nixam; & denique alius ejuſdem Societatis nuperior adhuc, omnibus penſatis dicit ſententiam Scoti eſſe probabiliorem, quam proinde ipſe amplectitur oppoſitâ deſertâ; itaque ſic

2. Dicendum eſt cum Doct. & probandum primò, ſupponendo quæſtionem & reſolutionem eſſe de virtute morali, non verò de intellectuali; quo poſito ſic arguitur ex Ariſt. Ita enim docet ille 7. phyſic. cap. 2. *Virtutes omnes eſſe ad aliquid*: ergò juxta Ariſtotelem virtus non eſt habitus aut qualitas ſed relatio. Non invenio locum apud Ariſtotelem ubi citatur; Admiſerunt tamen alii & conati ſunt evadere variis gloſſis, ut videas apud Falic. cit. ſed fruſtrà laborarunt quia non cogit locus nec ſequitur conſequentia. Cauſa quia τὸ *ad aliquid* eſt æquivocum, ſicut eſt indeclinabile: ſumitur enim aliquando connotativè ut idem ſit ac relativum, aliquando pro abſoluto; ut idem ſit ac relatio atque ita illa verba Philoſophi non plus convincunt, quam quod virtus ſit relativa, quod ſine dubio eſt verum. Magis facit ad rem hanc quod ait certiſſimè. 2. Ethic. cap. 6. *Virtutem eſſe habitum electivum in mediocritate conſiſtentem ut definiverit prudens*: certum eſt enim nullum habitum aut ullam omninò phyſicam qualitatem accommodare ſe definitioni prudentis, quem locum infrà expendam; quia ultra authoritatem Ariſtotelis continet naturalem rationem hujus. Interim

Probari ſolet ex D. ſic: quia ſi quis jejunaret in honorem idoli frequenter; adquireret habitum jejunandi: quo uti poſſet in honorem veri Dei. In his caſibus idem habitus qui primo fuit vitium fi: virtus: id autem eſſet impoſſibile ſi virtus eſſet eſſentialiter qualitas, ergò. Majorem hujus in qua eſt vis probabo cum recurrerit in validâ ratione, hæc enim neque talis eſt, neque eſt Doctoris clarè. Secundum hoc liquet ex textu ipſius: Primum autem probo ſic: quia nimirum argumentum facilè ſolvi poteſt: Dicam enim habitum illum non fieri vitium ex virtute: nec è contra, quia nimirum actus ipſius ſemper eſt eodem modo bonus, ſcilicet ex objecto; quæ bonitas objectiva non aufertur ei quidquid demum adjiciatur extrinſecè de intentione finis boni vel mali: ſic quidem evacuatur argumentum; non verò ut alii prætendunt; qui planè improbabilia reſpondent; ſed ea opportunius

tunius adferentur contra veram formam argumenti, quæ talis eſſe debet.

Poteſt idem habitus mutari de virtuoſo in vitioſum, aut non virtuoſum ſaltem, non poſſet autem ſi ratio habitus eſſet eſſentialis virtuti, ergo. Probo in primis Minorem; quam ſupra reliqui improbatam: quia non poteſt idem genus realiter ſuſcipere diverſarũ ſpecierum differentias; V. G. animal quod jam eſt homo non poteſt fieri deinde brutum: cujus cauſa à priori eſt, quia genus identificat ſibi realiter differentias: nil autem identificatum rei poteſt abjici neque abjectum aut ſeparatum identificari; adeoque ſi virtuoſitas & vitioſitas ſint differentia ſpecifica reſpectu habitus tamquam generis, implicat eas poſſe ſucceſſivè ineſſe eidem; quod autem poſſint, quæ fuit major ſupra poſita, ſic oſtendo. Sit aliquis cui mediocritas in victu ſint viginti unciæ cibi. Si conſtitutio hujus hominis alteretur poterit fieri quod mediocritas reſpectu eius ſint decem unciæ, quo caſu habitus temperantiæ priſtinus, jam fit habitus intemperantiæ, ille enim eſſet intemperans ſumendo viginti uncias jam ut ſupponimus.

4. Alii adferunt hanc inſtantiam aut caſum; ſit temperantia reſpectu alicuius aut fortitudo actus. A. vel B. ſi ſuperveniat præceptum prohibens ejuſmodi actum; tum non erit ulla virtus ille actus; ſed vitium, & tamen prior habitus inclinat ad eum, ergo. Hanc tamen formam non magni facio propter rationem ſupra allatam contra primam probationem, nam recurrit huc toto pondere, ut ibi videre eſt. Cæterum ſi evadat iſtam, non nocent ei reſponſiones aut evaſiones potius aliorum: ecce enim ipſas: dicunt aliqui non remanere jam facilitatem ad priores actus; ſed eſt contra ſtimulum calcitrare, experientia enim renititur, & validè quidem: nam quæcumque aſſueta difficulter relinquimus, facilè autem frequentamus, quod ſexcentis exemplis illuſtrari poſſet, ut facit hic fusè Ariaga; ſed non eſt operæ pretium; &, ſi vellet audire Adverſarius, pugnat Ariſtoteli dictum ipſorum: ait enim ille lib. 4. Ethic. cap. 1. eum facilius adquirere habitum liberalitatis qui ante prodigus fuit, quam qui non fuit prodigus, aut etiam fuit avarus: Ecce ſecundum ipſum aliquid prodigalitatis manet in liberali: cum tamen illa fuerit vitium, hæc virtus: itaque de hac veritate non eſt relictus ambigendi locus, & planè frivolum eſt quod ait
Monteſin. Monteſ. remorſum conſcientiæ ſupervenientem in vitio tollere facilitatem relictam à virtute: nam remorſus conſcientiæ non poteſt neque tollere neque adquirere aut dare facilitatem: quum remorſus & facilitas ſint in diverſis potentiis, & unum diſparatum ab altero.

Pergo & probo à priori ſubtilitate Doctoris: Virtus moralis eſt proſequutio objecti juxta regulas prudentiæ & mediocritatem à ratione aſſignatam: ſed nullus habitus ex ſe habet hoc præſtare, ergò. Nullus habitus eſt virtus per ſe ſive per entitatem aut eſſentiam ſuam, ſed per aliquid extrinſecum & ſuperveniens. Major eſt doctrina Adverſariorum ex Ariſtotele, neque negari debet. Minor probatur: quia hoc agere eſt intelligentis, & utentis judicio ac ratione; habitus non eſt intelligens ex ſe neque utitur ratione, ſed ratio utitur ipſo, ut clariſſimum eſt, ergò habitus non eſt virtus. Dices habitum ex ſe quidem hæc non præſtare, benè tamen conjunctum rationi; at non ſufficiet hoc dicere: tunc enim habitus non dirigit aut collimat ad ſcopum mediocritatis, ſed dirigitur, & collimatur, ut ſic dicam: at verò virtus debet agere rectè ac non tantum pati, aut moveri, alioquin dicam inſtrumenta eſſe virtutes, quia diriguntur à ratione: & ſagittam attendere ad ſcopum propterea, quod impellatur eo ab homine.

Inſtari tamen poteſt contra: ſi non ſufficit habitui quod cum potentia hæc præſtet: tum ne quidem phyſicè activus erit reſpectu actus, quod eſt falſum, patet tamen ſequi, quia habitus non poteſt ne quidem phyſicè agere niſi concurrente potentia. Sed præſto Reſpondeo latum diſcrimen eſſe inter utramque activitatem; quia phyſica activitas, quum ſit non vitalis ſed mortua, benè proportionata eſt habitui, quum etiam competat ſuo modo inſtrumentis ferræ & ſecuri; at verò attendere, obſervare, quæ non ſolam vitam, ſed intelligentiam dicunt, non poſſunt habitui competere qui non ſolum irrationalis ſed inanimatus eſt.

Valet ergò hæc ratio & aliter formari poteſt ex ſupradictis inſtantiis in hunc modum. Virtus non ſolum inclinat ad talem in ſpecie actum puta abſtinendum, ſuſtinendum, ſed etiam ex tali motivo, quia ut monet Ariſtot. hic
non *eſt idem juſta agere & juſtè*: at verò habitus 2. E
non inclinat ex motivo, quum non intelligat motivum, & ad hoc ut intelligeret motivum deberet reflectere ſupra ſe, etenim actio virtuoſa debet eſſe ex honeſtate ipſius virtutis, adeoque.

6. Dic ergò denique rationem virtutis eſſe extrinſecè ſuperadditam habitui, eſſeque relationem aut ordinem ad dictamen prudentiæ aſſignantis mediocritatem quam ſequi debet; cum hac habitum eſſe virtutem moralem: ſine hac non niſi phyſicam; quod in re etiam Thomiſtæ coacti ſunt dicere aliquando ut videas apud Curiel hic: nam quum premerentur argumentis pro opinione D. factis quod ablata prudentia remanere poſſet temperantia &c. Reſponderunt aliqui in eo caſu temperantiam remanſuram in ratione habitus, non in ratione virtutis, quo nil clariùs pro opinione D. dici potuit, qui enim dicit remanere aliquid in ratione habitus non autem remanere idem in ratione virtutis; jam dicit ſeparabilem eſſe rationem habitus à ratione virtutis, quod eſt directum intentum.

Objicitur: Habitus generatur ex actibus ſimilibus: ſed actus quibus generatur habitus temperantiæ ſunt actus abſtinendi ex motivo virtutis & honeſtate: ergò non poteſt ille habitus eſſe principium abſtinendi ex malo motivo. Hoc argumentum directè facit contra rationem à quibuſdam allatam, non verò contra ipſam concluſionem Scoti: Reſpondebo tamen ad ipſum utroque modo: & primo, ut facit contra probationem, diſtinguo Minorem: actus quibus generatur habitus ſunt ex motivo virtutis &c. per ſe nego, per accidens concedo: eſt dicere quod habitus generaretur ex illis actibus, etiamſi non fierent ex motivo virtutis &c. Unde etiam ſolvi poteſt quatenus facit contra ipſam concluſionem; Tum enim Minor ſic formanda eſſet: actus quibus

Digitized by Google

bus generatur habitus temperantiæ ſunt actus virtuoſi intrinſecè,& in ſubſtantia, Nego (adeoque nec generant habitum in ſubſtantia virtuoſa) extrinſecè, concedo.

Objiciamus ergò aliter ſecundò: Habitus pulſandi citharam non ſolum inclinat in motum phyſicum aut quomodolibet ſumptum ſed in motum artificioſum: ergo etiam habitus temperantiæ v.g. non ſolum inclinat ad motum in ratione entis,ſed in ratione boni in ſuo genere, ſcilicet in genere moris: ſicut ille alius facit id in genere artificialis,quæ ratio magis directè pro nobis ſic proponeretur. Actus pulſandi citharam ſunt boni non ſolum naturaliter, ſed etiam artificialiter: ergo generant habitum habentem bonitatem ſeu perfectionem non ſolum naturalem ſed artificialem. Reſponderi poſſet primò negando majorem: nam qui adquiſivit facilitatem in articulis quatiendis in una cantilenâ. poſſet uti illâ facilitate in pulſandis fidibus etiam ſine illa.

Secundò dico non eſſe paritatem;: ſed eſt quaſi argueretur ſic: Virtutes intellectuales ſunt eſſentialiter habitus,ergo & morales: quod non valet,quia objectum intellectualium eſt invariabile & ex ſe determinatum , ita enim conceptus muſici ex ſe eſt determinatus ad diapente, diapaſon, octavam, quintam &c. quæ proportiones numerorum non poſſunt inverti per prudentiam aut artem,aliter eſt hic: Poſſet etiam tertiò dici, ſed non eſt neceſſe.

Inſtari tamen poteſt tertiò: ſunt etiam aliquæ virtutes quarum objectum eſt immobile & de ſe bonum,ergo illæ poſſunt & debent eſſe eſſentialiter habitus. Non debent magni hoc facere Adverſarii, etſi valeat, quia D. non dicit nullam virtutem eſſe eſſentialiter habitum,ſed negat univerſalem illam D. Thomæ & ſuorum, quod virtus ex ſe ſit habitus,idque ipſum loquendo de virtute morali: non ſufficit ergo ipſis ad defendendos ſe ſuſtinere quod aliqua virtus ex ſe ſit habitus,ſed oportet ut probent omnem omnino ſimpliciter moralem eſſe talem , neque eſt opus illis recurrere ad virtutes ſupernaturales in ſubſtantia: v.g. charitatem &c. ego enim concedo charitatem etiam non ſupernaturalem eſſe eſſentialiter habitum, & habere ſemper actum ex ſe honeſtum.

Mihi tamen videtur relicta adhuc difficultas, etiam de ſupernaturalibus: nam ſi valet ratio noſtræ concluſionis probat nec ſupernaturales quidem de ſe eſſe virtutes: ecce quare,quia nimirum actus ſupernaturales non ſunt ex ſe virtuoſi (non loquimur de Theologicis) ſed egent ordinatione eorum ad finem charitatis, & præterea intentione quâ intendatur honeſtas ipſius objecti virtutis: ergo nec habitus; nam habitus non poteſt inclinare de ſe ad hunc ordinem aut intentionem: cum id ſit proprium potentiæ, etſi fieri poſſit per habitum, non tamen per omnem habitum, ſed per proprium huic negotio addictum. Certum eſt autem aliquas virtutes eſſe de ſe bonas ſaltem ſupernaturales, ergò Ad hoc tamen breviter dicendum eſt quod ſupra poſui aliquoties , ſcilicet actus virtutum id de ſe habere quod ſint ex objecto boni: idque ſemper retinere ſive adſint ſive deſint extrinſeca illa intentionis,finis,ordinationis &c.

Dic ergo ſecundò virtutem moralem qua talem non eſſe principium operandi: nec influere in actus phyſicè: id tamen accipe indefinitè : ita enim contradicitur Thomiſtis qui oppoſitum univerſaliter adſtruunt, & nobis ſufficit: nam ut dixi, D. non negat adæquatè,ſed indefinitè. Nam præter ſuperiores virtutes ipſa juſtitia videtur eſſe principium operandi, eſſe eſſentialiter habitus, &c. Ratio jam poſita eſt quia habitus eſt qui operatur & influit in actum, virtus autem non eſt habitus ſed relatio ad dictamen prudentiæ quæ non eſt omnino operativa , ut notum eſt, eſtque accipiendum per ſe & intrinſecè, ut ſupra.

Unde videas quam immeritò quidam objiciant nobis Ariſtotelem dicentem virtutem eſſe habitum: nec enim nos nec Scotus hoc negavit, ſed admitteret libens (negaret tantum cum addito illo.) nam revera virtus eſt habitus, ſicut ſimum eſt naſus, & Criſpum eſt capillus: Habitus enim eſt ſubjectum virtutis, ſicut naſus ſimitatis. Eſt tamen quod ab Ariſtotele timeamus; nam hic non ſolum ait *virtutem eſſe* habitum , ſed eſſe *genere habitum* hoc eſt habitum eſſe genus virtutis unde non tam facilè debuit Recens quidam Ariſtotelem ab aliis avocare; verè enim ab ipſis ſtat , niſi fortè patiatur diſtinctionem ut *indefinitè* non univerſaliter loquatur: vel explicationem quam adhibet ei Fœlix hic, quod loquatur de virtute pro materiali ; quemadmodum ſupra conſtituit oppoſitionem contrariam inter virtutem & vitium, quod tamen intelligi non poteſt niſi de vitiò materialiter accepto, nam formaliter ſumptum non poteſt opponi ulli contrariè cum non ſit poſitivum.

Hic tamen oboritur difficultas aliqua : ſi enim virtus non eſt operativa, neque habitus eſt virtus, ſequitur bonitatem in operibus noſtris aut non eſſe, aut eſſe improductam. Ratio, quia ab habitu produci non poteſt bonitas, cum ille in ſe non ſit bonus entitativè, nec à relatione in qua conſiſtit virtus, quia relatio non eſt activa. Sed ad hoc in primis dici poteſt ſufficere ſi reſultet, nam malitia moralis imputatur nobis, & tamen non producitur à nobis, quum ſit privatio & nihil. Deinde dicam in pleriſque actibus bonitatem objectivam ab ipſo habitu eſſe, *bonitatem* autem ex fine & cæteris ab actuali intentione.

Quæres utrum virtus poſſit concurrere ad actum malum? quæ quæſtio non eſt ſynonyma præcedenti , quidquid aliqui velint. Ego enim qui teneo habitum non eſſe virtutem hic non poſſum loqui de habitu ſolo ut facerent adverſarii, ſed debeo loqui & intelligi de habitu cum relationibus per quas fit virtus: Quo ſenſu, Reſpondeo poſſe virtutem concurrere ad actum ex circumſtantiis non autem ad actum ex objecto malum , ſimpliciter tamen dicendum eſſe quod poſſit eſſe principium mali : etſi per accidens. Dabo inſtantiam aſſerti: jejuno ad habendam famam ſanctitatis, non ab habendam ſanctitatem ipſam: vel ex avaritia &c. dico actum ex objecto eſſe bonum , eſſeque ex objecto à virtute temperantiæ: nam obſervat medium qua tale, inficitur tamen à fine pravo; quum autem ad malitiam actus ſufficiat aliquis defectus nec requirantur omnes, ſequitur &c.

Objicies, ſi virtus poteſt eſſe principium actus pravi; jam non poſſumus eſſe certi de honeſtate ullius actus , quod ſine dubio eſt abſurdum , ſed probatur ſequi; quia quando regula eſt fallibilis , nemo poteſt certus eſſe de recti-

tudine

Digitized by Google

tudine operis: ſi ergo procedere à virtute non ſufficit ad habendum actum certò bonum, nunquam erit certum quòd quis bene operetur. Reſpondeo non ſequi illatum: cauſa, quia de hoc ſemper certi ſumus, quòd pravitas non procedat à virtute, ſed quidquid illa facit, in actu rectum ſit. Unde in negotio propoſito, actus erit ex objecto bonus, quia ut talis attingitur à virtute: at verò quòd deinde ex circumſtantia ſit malus, non eſt mirandum, quia ut ſic non eſt à virtute. V. g. debeo Petro centum aureos, do eos illi quando ſcio eum abuſurum ipſis, idque ex malevolentia adverſus eum: hic actus ex objecto eſt bonus, quia eſt actus juſtitiæ: ergo ſubſtantia actus quam attingit virtus eſt certiſſimè bona, finis autem ille qui annectitur actui, inficit eum, quod non debet imputari virtuti, ſed vitio, ex tali enim procedit.

Dices, ſi ita ſit, poſſumus etiam virtutibus ſupernaturalibus abuti: hoc quidem non ſpectat ad præſens, ſi tamen reſpondendum eſſet, concederem conſequentiam de omnibus, excepta charitate. Hanc autem excipio non quia ſupernaturalis eſt, ſed quia talis: unde exiſtimo habitum charitatis divinæ naturalem non poſſe eſſe principium mali operis, quod hic ſufficit dixiſſe.

ACTIO III.

Vtrùm virtus in medio conſiſtat?

Breviarium.

N. 1. *Senſus antiquorum.*
2. *Non omnis virtus moralis eſt in medio, nec omne vitium extremum. Virtutes caſtitatis & paupertatis quales?*
3. *Virtutes antiquis agnitæ in medio conſiſtunt.*
4. *Virtus retrahit ab utroque extremo ambiente, aliquando ab uno tantùm.*
5. *Objectiones ſolutæ; Idem an principium oppoſitorum.*

1. NIl magis tritum apud omnes Philoſophos & Plebeios, quàm locum virtutis eſſe medium, intellige inter duo vitia obſidentia ipſam hinc inde; ita enim Ariſtoteles palam profeſſus eſt, quum in definitione ipſa virtutis ait eam eſſe *habitum in mediocritate conſiſtentem*, quod ex ipſo repetivit D. Thom. hic q. 46. art.,. Subtilis 3. diſt. 26. &c. uſque etiam Poëtas:

Horat. *Sunt certi denique fines*
Quos ultra, citráque nequit conſiſtere rectum.

ait Flaccus ſerm.... ſat. 1. & alii ipſos ſequuti uſque Recentem quendam, qui contra omnes pronunciavit virtutem non conſiſtere in medio ut antiqui credebant, ſive eam non habere duo hinc inde quibus impugnetur, & ipſa obſiſtat; ſed unum tantùm, de altero autem non curare quid fiat, & ſi vitandum ſit, adhibendam eſſe aliam virtutem, nec ſufficere priorem moralem, qua in re ego, ſi unquam neceſſarium, puto locum medium obſervari, ut ſi non ſit morali virtuti, ſaltem intellectuali ſit neceſſarius; veritas enim videtur hinc inde diviſa, partim apud modernum, partim apud antiquos; unde exiſtimo

Dicendum primò, non omnem virtutem, ne moralem quidem ſtare in medio vitiorum; nec vitium omne eſſe extremum; Ne tamen Recens in hoc putet ſe ſubegiſſe antiquos, aut novi aliquid attuliſſe, profero ſenſum Ariſtotelis, in quo partem ultimam concluſionis admittit. *Neque tamen* (ait 2. Ethic.) *omnis actio, omniſque effectus mediocritatem admittit, nonnulli enim ſunt effectus, qui ſtatim vel ipſo nomine cum pravitate implicantur*; quorum etiam exempla ſubdit ibidem, ſed nos probemus primam partem.

Primò ſic, quia caſtitas eſt virtus & quidem moralis, nec tamen ſita eſt in medio inter exceſſum & defectum, tanquam inter duo vitia, quia defectus in hoc genere non eſt vitioſus, non enim peccat aut male agit, qui paucos aut quſ nullos actus carnales habet, imo virginitas eſt virtus, quæ tamen eſt carentia omnis omnino actus libidinoſi. Vidit vim hujus Cajet. 12. quæſt. 64. art. 1. nec tamen voluit recedere ab inveterata illa philoſophia de mediocritate neceſſaria virtuti, unde negavit virginitatem eſſe virtutem; cùm verò videret id non fore tutum aſſertum, dixit eam eſſe virtutem ratione voti: At enim hic fugere potuit, evadere ſic non potuit, nam quod non eſt virtus ſecundùm ſe, non poteſt reddi tale per votum, imo ut eſſet materia voti, deberet in ſe habere honeſtatem: *Diſplicet Deo* non ſolùm *infidelis*, ſed etiam *ſtulta promiſſio*: neque ego quæcunque ridicula aut indifferentia poſſum ſubjicere voto, v. g. corridere ridenti, fricare barbã, ſputa & alias ineptias. Alii ergo alia via abeuntes, dixerunt caſtitatem nihilominus conſiſtere in medio, eò quòd in caſu, quo genus humanum periclitaretur de pereundo ob paucitatem, quiſque tenetur ad congreſſum carnalem.

Egregiè, ita malunt quodvis dicere, quàm unquam recedere ab hoc medio, ſed non proficiunt, nam quod eſt eſſentialiter medium, debet habere extrema non ſolùm in aliquo, ſed in omni caſu: unde magis accedo Cajetano, & credo dici poſſe, quòd virginitas non ſit virtus Philoſopho naturali, ſed Chriſtiano, & quòd ſpectando naturæ dictamina conjugium ſit ſaltem æquale ei, atque ita in Ethica pura non tenemur æſtimare hoc argumentum, ut nec aliud de paupertate.

Noto tamen illud de paupertate, proponi aliter debere quàm ſolet; ſolet enim urgeri contra concluſionem ex eo, quòd non poſſit eſſe nimis pauper. Ego autem puto vim potius eſſe in eo, quòd quis non poſſit eſſe nimis dives, facilè enim dici poſſet, quod in paupertate poſſit excedi negando ſibi neceſſaria, ut ſi quis eo paupertatis procederet, ut nollet habere amictum quo tegeret nuditatem, aut cibum quo veſceretur.

veſceretur. At vero ex altera parte ubi creditur eſſe occaſio vitii, poteſt omnino eſſe immunitas à vitio, nam poſſet quis poſſidere non tot, quin plura ſine peccato, alioquin Imperatores & leges non poſſunt ſalvari.

2. Adſero ergo alia duo: Unum eſt in ipſa virtute iuſtitiæ, quæ eſt una, imo prima ex omnibus moralibus, nec tamen habet vitium oppoſitum per exceſſum, nam ſi debeam 20. & dem 22. in duobus illis ſuperadditis, licèt non impleam iuſtitiam, quia eos non debui, tamen non violo eam ut peccem contra illam, imo nec contra ullam aliam virtutem, ſed potius exerceo actum alterius virtutis. De hac tamen inſtantia dicam ipſe poſtea infra num. ... Interim altera inſtantia eſt obedientia, in qua non poteſt excedi, ſi præcipiatur abſtinere ab homicidio, adulterio, &c. non poſſumus nimis obedire.

Unde dici poſſet, quod ſaltem in præceptis poſitivis ſeu affirmativis poſſim ſic excedere, v. g. poſſum nimis honorare parentes; ſed enim hoc non ſufficit ad univerſalitatem doctrinæ, nam ſine dubio in affirmativis exercetur obedientia, & præterea recurrunt contra hæc tam dicta quàm dicenda: Nihilominus

Dicendum abſolutè eſt cum antiquis, quod morales virtutes ipſis agnitæ conſiſtant in medio. Antiquitatem cum veritate, ſeu præcedentem concluſionem cum præſenti concilio, quia hic non dico virtutem conſiſtere in medio vitiorum, ſed in medio extremorum tantùm; ſive deinde quodlibet extremum ſit vitioſum, ſive non, ſed unum tantùm aut nullum. Reſolutio probabitur inſtantia, virtutes enim illæ ſunt: Iuſtitia, fortitudo, temperantia, & quia de prima nemo dubitat, arguam de aliis, & quidem ex his prima quæ occurrit, ſcilicet fortitudo eſt media inter extrema, non quęcunque, ſed vitioſa, nam ab una parte citra eſt timiditas, ultra ab alia eſt temeritas.

Dices, ſaltem temperantia non eſt media ne quidem inter extrema, illa enim præcipit tantum moderatum uſum ciborum ne excedatur, ſi autem quis velit pluſquã moderari mortificando ſe, non recedit adhuc à virtute, ſed implet eam potius & perficit, ergo hic ſaltem deficit regula: Hic eſt nodus qui hanc doctrinam reddit nonnihil perplexam, ſtandum tamen eſt in concluſione poſita, quæ probabitur ſolutione huius: Dico ergo in eo caſu mortificationis, licèt non peccetur, tamen recedi à temperantia, atque illam omnimodam abſtinentiam non exerceri per virtutem temperantiæ, ſed per aliam, quæcunque illa ſit, nam ab antiquis non accepit nomen, quando non uſurpabatur. Explicabo tamen rem inſtantia, quam admittent etiam Adverſarii, nam in caſu illo ſupra poſito de debente 20. & reddente 22. is recedens à medio rei, ſcilicet à 20. licèt non peccet, tamen non exercet amplius juſtitiam, neque poteſt vel per unum obulum aut apicem, hæc enim non poteſt eſſe niſi ubi eſt debitum, adeoque quando ſemel extinxit debitum, juſtitia non amplius ſequitur eum. Ita intellige hic, quamvis bene fiat quòd quis ultra moderatam ſumptionem deſcendat ad mortificandam carnem per jejunia, tamen abſtinentia illa ex quo receſſit à medio non amplius fit per temperantiam, ſed per aliud quod voles: Ecce ergo virtutes morales omnes medio affixas, quod fuit intentum.

Alia magis accurata quæſtio eſt, an virtus moralis retrahat ab extremis hinc inde, an tantùm ab uno cui magis directè opponitur? Ad quod reſpondit recens citatus, quòd ab uno tantùm, credit enim virtutes factas ad retractandum impetum naturæ, v. g. temperantiam ab ingluvie & ebrietate, fortitudinem à timiditate. Cæterùm alia extrema non eſſe curæ his virtutibus, eo quòd natura ipſa ſufficienter hominem avertat ab ipſis, v. g. à magnis periculis aut adverſitatibus ſubeundis, à carentia voluptatum; unde apud ipſum temperantia à venereis dicit, ne accelleris ad non tuam, quòd autem ad tuam accedas, ego non impero nec prohibeo, ſi nolueris accedere gratius mihi erit, quia ſic magis remotus eris ab exceſſu: non placet hæc Ethica, ſed

4. Dicendum, quòd quando extrema ambientia virtutum ſunt vitia, tum virtus moralis retrahat ab utroque & multo magis ab uno, quando unum tantùm eſt vitioſum. Teneo ergo fortitudinem retrahere à timiditate & temeritate, & probo, quia fortitudo retrahit à timore, & impellit ad ardua juxta dictamen prudentiæ; at verò prudentia certum eſt, quòd judicet & dictet ardua eò uſque aggredienda, dum non perveniatur ad temeritatem, v. g. fortitudo ſuadebit pugnandum contra unum, fortè etiam contra duos vel decem; at verò contra numeroſum exercitum obſidentem te hinc inde, ante & à tergo non ſuadebit; ſimiliter illa ſuadebit opponere ſe ſtricto enſi ſi alium habeas, at verò opponere ſe etſi eum habeas, tormento bellico, ſola inſania ſuadebit. Formo etiam hanc rationem: Difficultas quæ facit ne fortitudo retrahat à temeritate, eſt, quòd non poſſit idem eſſe principium impellendi & retrahendi ab eodem, ab arduo ſcilicet aut periculoſo; atqui fatendum eſt id contingere, ipſa enim fortitudo aliquando retrahit à parvis periculis, nam vir fortis contemnit ea, non verò aggreditur.

Tertiò ſic: Aut fortitudo v. g. retrahit à temeritate, aut non retrahit ipſa, ſed alia virtus; ſi primum, habeo intentum; ſi ſecundum, aſſignanda eſt illa virtus, quod quidem ab orbe condito hactenus non eſt factum; quæ enim illa? ubi habitat? quomodo nominatur? Respondet Recens eſſe amorem ſui, at enim ſi ſemel admittam hanc virtutem, non ſolùm S. S. P. P. contradicemus, ſed multas alias virtutes debebimus delere; ecce quomodo: ſi enim illa ſit virtus, etiam amor proximi erit, atque ita non erit ponenda virtus juſtitiæ diſtincta, ſed dicendi erunt actus ejus provenire ab amore proximi. Deinde oratio non erit virtus ſpecialis, ſed actus ejus provenient ab amore proprio, & ſic de aliis ferè omnibus, nam nullus actus eſt qui non poſſit referri in unum ex his duobus.

Quartò argumentor topicè, & probabiliter in hunc modum, ut ſuadeam meam viam præferendam eſſe illi Recentis: Ille enim dicit virtutem eſſe velut impetum quendam, quæ avocat ab uno tantum extremo, ego autem pono eam eſſe veluti innatam gravitatem, quæ ſuſtinet corpus ne ad ullam partem ex oppoſitis inclinet, ſed ſuſpendat ipsũ intra utrumque mediũ; at verò probabilis, & ſimilis vero eſt virtutem non eſſe impetum, nec quid ſimile, ſed ſimilius innatæ gravitati aut qualitati ſedatæ, ergo. Video retorqueri rationem poſſe contra me, nam nec ipſa gravitas eſt tale principium, quale ego imaginor tenendi

tenendi corpus ſuſpenſum: Etenim caſus in quo videtur id facere, eſt ille, quando contingit grave pervenire ad centrum, tunc enim ſiſtit illud ibi, nec permittit infra aut ſupra ferri; at verò hæc potius eſt falſa imaginatio, nam in eo caſu gravitas non impedit corpus à duplici motu oppoſito, ſed ab uno tantùm, nec ab eundo infra, ſed à ſupra tantùm, quia tunc non datur infra reſpectu ejus; nam ſi lapis eſſet in centro, & ferretur ulterius, non deſcenderet, ſed aſcenderet, eò quòd ferretur à medio, & contrarium eſt error, licèt ignoſcendus vulgo.

Audio & approbo in parte, non admitto tamen, quin in gravi ſit ſimilitudo aſſumpti à me, etenim gravitas eſt etiam principium ſiſtendi aliquid inter, ſub & ſupra, nam pars ſuperior fluminis non gravitat neque deſcendit, & multo minus aſcendit, quod totum fit ab ejus gravitate, ergo. Idem eſt de levitate aëris, quæ nec permittit eum aut ſurſum ferri ad locum ignis, aut infra ad ubi aquæ, ergo.

5. Obieci iam ſupra unam rationem dubitandi, quòd ſcilicet idem non poſſit eſſe principium motuum oppoſitorum, at vero coercere duo extrema ſunt motus oppoſiti, eſt enim acceſſus & receſſus, ergo. Si ibi ſoluta ſit, bonum quidem, ſin minus, addo, idem non poſſe primo & directè eſſe principium oppoſitorum, bene tamen per accidens, quod totum omnino contingeret, quia principium illud eſſet determinatum ad aliquod tertium, quod contingeret participatione aliqua utriuſque: ſic aer ſi feratur ad locum ignis deſcendet, ſi ad locum aquæ aſcendet, ita hic eſt.

Obiici ſecundo poteſt fundamentum Rec. quia natura ipſa avertit à quibuſdam exceſſibus ſufficienter, v.g à nimia abſtinentia, à nimio incurſu periculorum, ergo non erat adhibenda pro his virtus. Reſpondeo negando aſſumptum, plurimi enim naturaliter ſunt temerarii, prodigi, & quid ſi negem conſequentiam? quia etiam naturaliter inclinatur quiſque ad amandum ſe, & tamen datur charitas, quæ eſt etiam amor noſtri ipſorum.

Itaque optime provideretur à natura omnibus partibus hinc inde, ſi adhiberet non quidem duas virtutes contra extrema vitia, ſed unam quæ medium teneret, hæc enim ſufficienter arceret extrema, & ita teneo probabiliter factum, quod ideo addo, quia non exiſtimo rem hactenus demonſtratam.

ACTIO IV.

De ſubjecto virtutum.

Breviarium.

N. 1. *Apparatus ad reſolutionem.*
2. *In homine pro ſtatu naturæ integræ non forent virtutes morales infuſæ.*
3. *Quo caſu poni poſſent in eo ſtatu?*
4. 5. *An in eſſentia animæ ſint?*
6. 7. *Si in appetitu ſenſitivo ſint, in voluntate non erunt, & quomodo hoc?*
8. *Pars ſenſitiva habet ſuos habitus, qui tamen non ſunt verè virtutes.*
9. *Objicitur: ne ſint habitus in voluntate.*
10. *Objicitur, ne ſint in parte ſenſitiva.*
11. *An habitus reſidentes in membris externis ſint virtutes?*
12. *An in Angelis ſint morales?*

1. Titulus involvit quidem quæſtionem de ſupernaturalibus, v. g. an in Deo ſint virtutes morales, num in Angelis? an verò in ſolo homine? ſed ego expendam tantùm de potentiis ejuſdem, puta hominis, circa quem reſolutio data complectetur facilè Angelos; itaque hujus loci ſolutus nodus eſt, utrùm virtutes iſtæ ſint in voluntate hominis, an verò in appetitu ſenſitivo, & ita hactenus controverſum eſt in ſcholis.

Adverto tamen, quòd ſi teneatur eſſentia animæ, diſtingui realiter à potentiis, & iſtæ à ſe invicem, poterit dubium eſſe num virtutes ſint ponendæ in ipſa animæ eſſentia potius, quàm in potentiis? & id ipſum ſuo modo eſſe in ſententia ponentium hæc diſtingui formaliter, nam etiam hic quoque dari poterit ſaltem ordo aliquis inter informationem potentiæ & eſſentiæ per unum aut plures habitus virtutum.

Suppono autem dari de facto habitus virtutum moralium in homine, id enim experientia clamat, videmus enim quempiam jam facilem ad actus earum, qui ante non erat, adeoque habet aliquid præter naturam, hanc enim ante & ſemper habuit, & ſimiliter evidens eſt dari habitus vitii eodem lumine, quia nimirum videmus homines promptiores ad malè agendum ex uſu: jam ad reſolutionem procedendo.

2. Cenſeo primò in homine pro ſtatu naturæ integræ non fore virtutes morales infuſas. Hæc eſt conformis ultimatæ reſolutioni D. N. 3. diſt. 33. quæſt. un. num. 16. ubi vult rationabiliter in Angelis non eſſe virtutes morales, eò quòd in illis non ſit difficultas circa proſequutionem boni, atqui in homine tunc non foret, quia fomes in illo eſſet ligatus, quod perinde foret, ac eum abſolutè tolli. Simul tamen exiſtimo teneri poſſe, fuiſſe homini in eo ſtatu inditas ejuſmodi virtutes, non quòd revocem aſſertum jam poſitum, ſed quia credo probabiliter teneri, quòd juſtitia originalis, ſeu frenum fomitis conſiſtebat in hujuſmodi & ſimilibus habitibus, ſi non ex toto, ſaltem ex parte.

3. Secundò cenſeo ſi non conſiſtebat frenum fomitis ſeu juſtitia originalis in his habitibus, quod in homine pro tunc poterant eſſe adquiſitæ. Ratio, quia eliciendo actus redderetur magis aptus & promptus ad agendum. Sed

Contra primum horum opponi poteſt, quòd habitus non tantùm præſtant facilitatem, ſed etiam determinationem, & ita aliquis recens cenſet poni habitum ad hunc finem. Ego autem odi hunc finem, & cenſeo nec ponendum,

nec admittendum: Ratio, quia determinatio ad unum ſi non tollit, minuit certè libertatem, quæ in indeterminatione conſiſtit; at verò licèt tolerabilis ſit iminutio libertatis ex aliquo utiliter aut neceſſariò poſito, tamen minuere libertatem præcisè ad minuendam libertatem non videtur tutum aut rationabile, cùm potius debeamus omnes omnino habitus perdere & negare quàm libertatem.

Dices, neceſſarium eſt ponere habitus, imo inevitabile, nam ad actus neceſſariò ſequuntur; hic ergo cadit illa ratio de diminutione libertatis, adeoque non eſt curanda. Reſpondeo, rationem illam non recurrere huc ut creditur, cujus cauſa notanda eſt iſta, quia nimirum habitus qui producuntur ab actibus, & quidquid aliud ad ipſos ſequitur, eſt liberum agenti, quum ſine dubio ſui actus ſint ei liberi: At verò habitus ab extra infuſus ſi determinat aut inclinat voluntatem ad unam partem, abſolutè cenſeri debet imminuere libertatem, quia ſcilicet neceſſitas qualiſcunq; ex priori habitu orta eſt conſequens, ex altero autem antecedens; ſcimus autem hanc officere libertati, illam non item.

4. Cenſeo tertiò: Si diſtinguuntur realiter potentiæ animæ ab ipſa, ponendi ſunt probabiliter habitus non ſolùm in potentiis, ſed in ipſa. Ratio, quia ipſa eſſentia animæ concurrit effectivè ad ſuos actus & non tantum potentiæ: cur ergo principium effectivum, quod eſt potentia, debet aut expedit facilitari per habitus ſuperadditos, non verò principium, quod eſt ipſa entitas animæ; Majorem ſuppono ex ſuo loco, eſt enim certa, idque ſive dicatur diſtingui ipſa realiter à potentiis ſuis, ſive non.

Dici tamen poteſt, conceſſo antecedenti, non ſequi conſequentiam, eò quòd unus habitus ſufficiat utrique. Reſpondeo, ſi habitus ille ſit primò in potentia, non ſufficere, quia non eſt connaturale ſubſtantiæ animæ recipere à potentia, ſed potius præſtare ei; ſi autem ſit in ſubſtantia animæ, jam dat intentum. Deinde una qualitas, quæ ſit per modum actus primi, non eſt ſubjectum ſufficiens alterius, quùm ambæ ſint accidentia quæ egent ſuſtentante.

Dices quantitatem ſubſtare qualitati, cùm tamen ambo ſint accidentia, quidni ergo hic ſimile contingat? Reſpondeo diſcrimen eſſe, quòd quantitas ſit quædam materia, nam ratione materiæ ineſt ſubſtantiæ, & concomitatur ipſam materiam inſeparabiliter, ut pleriſque creditum ſit eam non diſtingui re ab ipſa materia: at verò in anima ſeparata aut etiam unita & Angelo non datur materia nec aliquid ad modum ejus, ſed vel ſubſtantia vel qualitas, adeoque potentiæ illæ cùm ſint accidentia, debent eſſe qualitates, hæ autem non ſunt aptæ ſuſtentare alias magis quàm ſuſtentari, adeoque.

Dices, ſaltem ſi ſint in ſubſtantia animæ non ſunt ponendi præterea in potentiis, atque ita fallit reſolutio data. Reſpondeo negando hoc ultimum, dixi enim non ſufficere habitum in ſolis potentiis, an autem in ſola ipſa ſufficiant, non plene reſolvi. Pro parte negativa facit hoc, quòd habitus reſidens in ſubſtantia animæ ſit ſine dubio proportionatus ipſi, & ita univerſalis, nec accommodatus uni potentiæ præ alia; v. g. volitivæ præ intellectiva, aut è contra, adeoque non ſufficiat ad proprios actus horum facilitandos.

5. Teneo nihilominus à parte affirmativa, quòd habitus reſidens in eſſentia poſſit ad actus potentiarum. Ratio erit ſolutio argumenti jam facti in oppoſitum; etenim non obſtante eo ipſa eſſentia animæ concurrit ad actus potentiarum, ut vidimus, quidni ergo habitus reſidens in eſſentia animæ & proportionatus ei concurrat? adeoque. Non tamen per hoc volo, quin in ipſis potentiis ſint ſui habitus, ſed potius exigo illos: Moveor, quia in hoc negotio primum agens eſt potentia, & tum demum accedit eſſentia concurrens & adjuvans eam, nam eſſentia animæ non eſt principium ullius determinatæ operationis, quum ergo à parte rei omnis operatio debeat eſſe determinatæ ſpeciei, nec poſſit dari operatio ut ſic, ſequitur eſſentiam non poſſe incipere operationem, ſed debere quoad hoc ſequi potentiam; in illo ergo priori quomodo facilitabatur potentia? ſanè non per aliquid exiſtens in eſſentia, adeoque: jam de determinandis potentiis ad hos habitus

6. Cenſeo quartò, quòd ſi in appetitu ſenſitivo ponantur habitus virtutum moralium, tum non neceſſariò ponendi illi ſint in voluntate: hæc eſt ſecura ad mentem Subtilis 3. diſt. 33. q. un. ubi ultimatè reſolvit in Angelis non eſſe ponendos habitus morales.

Et ratio patet, quia nimirum hi habitus ſunt propter difficultates minuendas aut tollendas; at verò tota difficultas moralium, putà temperantiæ, à cibis, à venereis, &c. eſt in parte ſenſitiva, nam voluntas his ſenſibilibus non capitur, atque ita nulla difficultate avelli ſe patitur ab ipſis.

Objicies, quantumvis equus quiſpiam ſit edoctus omnes gyros campeſtres, & patiatur ſe facillimè circumduci, nihilominus opus eſt habitus & peritia equitandi in ſeſſore, ergo licèt pars ſenſitiva, quæ eſt quaſi jumentum, habeat facilitatem obediendi, tamen opus eſt nihilominus in ipſa voluntate, quæ eſt quaſi ſeſſor, alio habitu ad retinendum & refrenandum ipſum. Fateor non eſt improbabilis paritas, ſtandum tamen in reſolutione poſita, & aſſignandum diſcrimen, quod infra faciam, nunc autem nego conſequentiam, quia nimirum argumentum probat debere dari in intellectu prudentiam, non verò in voluntate temperantiam, eò quod illa peritia in equite reſpondeat prudentiæ in homine morali.

Inſtari tamen poteſt, quod ultra peritiam equitis, quæ eſt in intellectu ejus ad equitandum, exactè requiratur præterea facilitas membrorum, manuum, brachiorum & crurum ad obliquandum frenum, ad impingenda calcaria, &c. ergo ſi ſit paritas, oportet in homine morali invenire non ſolùm prudentiam, quæ eſt habitus intellectus, ſed alium qui pertinet ad voluntatem, adeoque erit moralis, quod eſt intentum. Hic dixi eſſe locum diſparitati, quæ in hoc conſiſtit, quod membra externa hominis habent difficultatem reſpectu motus velocis & varii, ſive ex muſculis qui in unam partem, puta in directum tendunt, ſive ex abundantia humorum, aut aliunde, atque ita ſuperanda eſt per aliud, ſive poſitivum ſive negativum, de quo nunc non curo. At vero voluntas hominis ſecundùm ſe præcisè non habet difficultatem, ſed potius oppoſitum reſpectu honeſtatis, adeoque non eſt quærendus ei ullus habitus ad inclinandam eam

erga

Digitized by Google

erga ipſam, quùm hoc ſit bonum illius quà talis, non verò delectabile aut utile.

7. Cenſeo nihilominus quintò, quòd in hominis voluntate ſint de facto habitus virtutum moralium, temperantiæ, fortitudinis, &c. idque quantumvis concedamus de facto dari in parte ejus ſenſitiva ejuſmodi habitus. Hæc quoad primam partem, eſt reſolutio ſolemnis D. N. contra D. Thom. 1. 2. quæſt. 56. quo loco ipſe cum ſuis negat hujuſmodi habitus morales voluntati hominis, & contendit eos eſſe in parte ſenſitiva illius, quanquam non totum hoc placet Thomiſtis illis, ut videas apud ipſos, & ex ipſis apud noſtros, Fœlic. hic cap. 2. diff. 1.

Probatio hujus eſſet experientia facilitatis adquiſitæ per actus, quid enim aliud eſt habitus, niſi reſponderi poſſet facilitatem eſſe in appetitu, non verò in voluntate? quòd enim aliquis facilè jam abſtineat à delectabilibus qui ante difficulter abſtinebat, dici poteſt provenire ab habitu adquiſito in parte ſenſitiva; ſed refelli poteſt evaſio, quia homo non ſolùm habet facilitatem in actibus imperatis, ſed etiam in elicitis, nec ſolùm pars ſenſitiva patitur ſe facilè contineri, ſed ipſa Voluntas promptior jam eſt ad imperandam abſtinentiam ab his objectis quàm ante fuit, atque hinc inſtrui poteſt nunc

Ratio, cui etiam fundamentum præbuit Philoſophus, nam non ſolùm actus imperati delectabiliter eliciendi ſunt, ſed etiam imperantes, & non modo opus eſt ſervum habere virtutem parendi, ſed etiam (& magis) opus eſt Principem habere virtutem imperandi, ita enim docet ille lib. 1. Politic. quod non rectè negavit Lorca, quùm ſit quæſtio facti & facilè reſolubilis ex textu operis, in quo habetur capite 13. At enim non fido huic rationi; (quidquid faciat Fœlix,) ſi quid enim valet, probat neceſſarios eſſe habitus in voluntate ſuppoſitis iis qui ſunt in appetitu ſenſitivo, quod jam ſupra negavi, & negandum eſſe oſtendi, in Principe ergo opus eſt prudentia, non alio de neceſſitate, atque ſimiliter intellectui eſt opus habitus aliquis, non voluntati.

8. Ultimò cenſendum cum D. N. de facto dari in parte ſenſitiva ſuos habitus, qui tamen non ſint virtutes in rigore. Primum jam ſæpè probatum eſt in ſimili de voluntate. Secundum eſt certum, alioquin in beſtiis eſſent virtutes. Hæc eſt ergo doctrina Subtilis de ſubjecto habituum moralium ſeu virtutum, dari eas in utroque appetitu hominis, ſed in ſenſitivo non habere rationem virtutis, ſunt tamen quædam rationes dubitandi partim Thomiſtis viſæ, partim mihi ipſi, quas ſic

9. Objicio, ne dentur virtutes in voluntate. Voluntas ad bonum honeſtum eſt de ſe inclinata, non eſt autem inclinata ad delectabilia, niſi ex conjunctione ad appetitum, ergo non eget habitu quo aut incitetur ad priora, aut retrahatur à poſtremis. Hoc tamen præventum eſt, jam enim dixi non eſſe neceſſarios, neque de facto inſundi quando appetitus ſenſitivus eſt coërcitus, licèt deinde adquirantur vel ſequantur ipſi ad actus. Sed hinc ſurgit mihi difficultas, quæ videtur ſuadere ambo hæc non poſſe invicem conciliari, aut enim refrenato fomite ſuperflui ſunt habitus, & ita nec per actus gigni debent, quia natura nil facit fruſtra; (actus autem ſunt cauſa naturalis,) aut non ſunt ſuperflui, & ita poterant ab initio infundi ſive à Deo, ſive ab alio, &c. quod negavimus. Reſpondeo hoc diſcurſu bene colligi, quòd habitus ejuſmodi abſolutè potuerint conferri homini in quovis ſtatu quamvis quieto, ſicut ex diſcurſu ſupra poſito colligitur, quòd de facto non fuerint ei dati, ſunt enim ex illis quæ faciunt ad melius eſſe, non ad ſimpliciter, & quæ exigunt provenire ex aliquo præcedenti opere in ſubjecto, non autem merè gratis. Similis eſt in gravi, puta in lapide, huic enim ſufficit ſua gravitas ad deſcendendum ſine dubio, nec expedit ei addi aliud, & tamen ipſum hoc in deſcenſu colligit impetum, per quem velocius fertur deorſum, ita hic. Alias rationes contra habitum in voluntate movit D. Thom. ſed ſolvit imo reſolvit Scotus, utrque locis à me citatis.

10. Objiciam contra habitum exiſtentem in parte ſenſitiva, temperantiæ, v. g. hunc dicit aliquis ibi eſſe non poſſe, quia tendit ultra objectum formale & adæquatum appetitus ſenſitivi qui eſt bonum delectabile; intemperantia autem non eſt ulla delectatio, ſed potius offenſio & dolor; Idem alius inquit de fortitudine, quià hujus objectum eſt bonum arduum aut difficile, in hoc autem clarum eſt, quod potentia non inveniat objectum ſuum quod eſt delectatio ſenſibilis, ergo. Hoc ſophiſmate paſſi ſunt ſe vinci Recentes, cæteroqui non ignobiles, quod revera mirum eſt, cùm poſſent proximè ipſum videre ipſius ſolutionem, non enim dicitur appetitus ſenſitivus, quaſi ſolum appetat, ſicut neque voluntas ſolum vult, quum habeat etiam nolitiones; unde nec objectum huius appetitus ſenſitivi eſt ſolum delectabile, niſi quantum ad proſequutionem; ſicut neque objectum voluntatis eſt ſolum bonum, quin etiam in malum feratur, licet recuſando, itaque neganda ſunt his omnia aſſumpta, & conſequenter conſequentiæ, quæ evidens eſt fallere & falli; nam quum duo canes pugnant, quæro à qua potentia oriatur aggreſſio periculi? ſi ab appetitu, iam victi ſunt Adverſarii: ſi ab alia, præterquam quòd in alia non ſit præter imaginationem, illa utique erit materialis, atque ita in parte ſenſitiva hominis, unde denique poterit in parte ſenſitiva dari fortitudo; nego ergo conſtanter objectum appetitus ſenſitivi eſſe bonum delectabile, niſi tantum quoad proſequutionem, non verò abſolutè & quoad fugam. Itaque temperantia partis ſenſitivæ fertur in delectabili fugiendo, fortitudo in adverſa invadendo.

Objectio altera mihi occurrit contrà ſuppoſitum D. N. & cæterorum, quòd hæ ſaltem in voluntate ſint virtutes. De ratione virtutis eſt, quod feratur in honeſtum quà tale, & ob ipſam honeſtatem reduplicativè & formaliter, nec ſufficit ſi feratur ipſa re & materialiter in illud. Iam certum eſt habitus non ſic ferri de ſe, nec habere virtutem ſic reflectendi ſuper ſuos actus, adeoque. Dices nec voluntatem habere virtutem ejuſmodi, ſed ſolummodo intellectum. Reſpondeo eſſe falſum, nam voluntas habet poſſe agere ob finem, & eligere, &c. habitus autem non habet, quia eſt res mortua & nullatenus vitalis, adeoque tendit quodam pondere in objectum, non verò ullo delectu. Inſtari tamen poteſt, quod ut intendatur

Digitized by Google

datur, finis debet intelligi, voluntas autem non intelligit. Propter hoc ſanè exiſtimo verius & propriùs dici, quòd ſuppoſitum voluntate intendat, quàm quòd ipſa voluntas intendat finem, non auſim tamen reprehendere alium dicendi modum, qui eſt communis, quod voluntas eligat.

Eo tamen ſtante eſt una ratio pro habitu, nam voluntas non ſolùm fertur in finem ſubſtantiâ actus, ſed etiam intenſione eius, utique enim poteſt velle aliquem finem actu intenſo, ſed intenſio eſt ab habitu, ergo iam habitus fertur in finem. Verum eſt actualiter, falſum habitualiter, quia voluntas tum eſt quæ dirigit habitum in finem, non verò ipſe habitus; unde ſtat adhuc, quod habitus ut talis non ſit virtus, & ſecundum ſe, quia ſic non habet vim tendendi in motivum honeſtum qua tale.

In puncto tam perplexo teneo apud me primò habitum qui eſt in parte ſenſitiva hominis quoad eſſentiam ſuam, eſſe æquè virtutem ac eum, qui eſt in voluntate, abſolutè tamen & de facto non eſſe, tum quia non eſt ſpiritualis ſed corpulentus, tum aliunde; ex qua veritate oritur hæc alia, quòd ſi per poſſibile vel difficile poneretur in voluntate illa temperantia, quæ eſt in ſenſu, deberet dici virtus non minus quàm illa ipſius voluntatis.

De hac autem ipſa cenſeo admitti poſſe communem loquutionem, quòd ſcilicet ſit virtus: ſed tum dicendum eſſe, quòd ad virtutem non ſit opus ut ipſa in ſe reflectat ſupra honeſtatem eius quod agit, ſed ſufficere quòd tendat in obiectum honeſtum, ipſius eſt enim reddere actum honeſtum ex obiecto, non aliud. Itaque illa alia, intentio finis, reflexio, & ſimiles circumſtantiæ requiruntur ad virtuoſè agendum, ſive ad actum, non verò ad habitum.

11. Obiici contra omnia poteſt, quod ſi ita ſit, tum habitus qui ſunt etiam in membris externis, imo in inſtrumentis, ſi qui ſint, erunt virtutes, quod non eſt tolerandum: Sed nego huic conſequentiam, imo etiam ſuppoſitum: non enim dixi ego habitus reſidentes in appetitu ſenſitivo eſſe virtutes, ſed fore ſi ponerentur in voluntate, & eſſe quoad eſſentiam ſuam præciſè. De facto autem non ſunt, quia non ſunt in potentia quæ tendat in honeſtatem obiecti.

Dices: Neque voluntas percipit honeſtatem ut nos ſupra. Verum eſt, ſed intendit eam & proſequitur, quorum omnium ratio & radix eſt iſta, quia licèt voluntas non attingat percipiendo honeſtatem, ſubeſt tamen intellectui qui percipit eam. At vero appetitus ſenſitivus neque ipſe percipit, neque ſenſus communis, qui eſt potentia cognoſcitiva ei reſpondens.

Inſtabis: Saltem in homine erunt virtutes, quia in eo coniunctæ ſunt intellectui qui percipit eas. Reſpondeo non ſequi, quia licèt ibi ſit intellectus, tamen ille non eſt regula appetitus ſenſitivi, ſed ſenſus communis.

12. Supereſt mihi unum dubium hic, de eo quòd negavimus Angelis virtutes morales, eò quòd careant materia earum, puta delectationibus guſtus & tactus: nam morales inſtitutæ ſunt ad refrenandas paſſiones: at verò in Angelis clarum eſt dari ſuas paſſiones gaudii, triſtitiæ, &c. Nec valet ſi dicas paſſiones non eſſe in poteſtate ſubjecti cujus ſunt, ſed reſultare naturaliter, nam ſunt in poteſtate hominis mediantibus actibus & objectis, quod ſufficit, alioquin neque ab homine poſſent virtuoſè refrenari. Exiſtimo ſanè in Angelis eſſe locum his habitibus, licèt fortè non ejuſdem ſpeciei cum noſtris, puta cum temperantia & fortitudine humana quæ verſantur circa ſenſibilia. Et confirmo reſolutionem Scotiſticè: etenim Scot. 2. diſt.... quæſt. ... exiſtimat peccatum angeli fuiſſe luxuriam. Si ergo potuit angelus peccare luxuria, potuit perſeverare & mereri per temperantiam, atque ita in eo potuit eſſe temperantia. Idem eſt de humilitate in ſententia ponente, quòd peccaverit per ſuperbiam.

* * *

ACTIO

Digitized by Google

ACTIO VLTIMA.

Reſolvit quædam dubia ſparſim de hac materia.

Breviarium.

N. 1. *Nec virtutes nec vitia ſunt connexa.*
2. *Virtus poteſt non eſſe habitus, aut quid adquiribile actu.*
3. *Objectio ſolvitur. An naturalia ſint laude digna?*
4. *Virtutes propter ſe amabiles, quo ſenſu?*
5. *An eſſentialiter honeſta?*

1. EX illis non erit virtutum connexio, puta, an omnes unamquamque comitentur? Clarum eſt autem quòd non, ne in Deo quidem; atque ita in hoc non hærebo, licèt antiqui laſſaverint ſe in eo diſputando. Stet ergo virtutes non eſſe connexas, quod ita verum eſt, ut ne poſſint quidem; nam paupertas eſt virtus, qualis etiam eſt liberalitas, nec tamen prima cohabitat ſecundæ, & multò minus magnificentiæ. Et, ſi fortè hoc evadatur, at non caſtitas virginalis & conjugalis, quarum quæque eſt virtus, & tamen exigunt omnino ſeparari conjugio conſummato. Idem dico de peccatis, quòd ſcilicet nec ſint, nec eſſe poſſint connexa in exercitio, & multo minus in habitibus.

Bene tamen videtur dignum examine, an virtus ſit neceſſario habitus? Movi hoc dubium ſupra, ſed in alio ſenſu, quem ibi videre potes. Hic intelligo, an virtus neceſſario ſit quid adquiribile per actus, ut non poſſit eſſe aliquid ipſis prius? &c. Ad quod exiſtimo reſpondendum negativè: nam adquirens & ſimilia ſunt extrinſeca rei, unde non debent in definitionem ejus venire: adeoque exiſtimo verecundiam innatam quibuſdam eſſe virtutem: Idem dico de pietate, & ſi quæ alia ſint, ad quæ homines ex diverſis conſtitutionibus ſuis ſunt inclinati.

Dices: Virtus & natura opponuntur, iſta ſunt naturalia, ergo jam non virtutes. Reſpondeo primo hoc non ſufficere ad convellendum aſſertum, poſſunt enim iſta non eſſe ipſa ſubſtantia hominis, ſed qualitates & inclinationes quædam ex tali complexione ortæ. Iſtas autem quid vetat eſſe virtutes? aut cur ratio virtutis arctabitur ad rationem habitus, & non ſufficiet abſoluta ratio qualitatis? Nihil ſanè niſi inveterata conſuetudo ſubſcribendi Ariſtoteli, & affirmandi eſſe habitus, quam tamen ſic interim convello: Primi actus quamvis intenſi, & multi actus ſi remiſſi, non generant habitum, ſed tamen generant virtutem, ergo jam virtus non neceſſario eſt habitus, jam enim poteſt eſſe diſpoſitio, quæ apud Ariſtotelem opponitur habitui. *In prædic. cap. de Qual.*

Iam redeo ad rationem contra factam, & nego aſſumptum: Natura & gratia opponuntur; at naturam & virtutem non opponi probo, quia poſſumus concipere eſſentiam aliquam, cui virtutes ſint naturales, & de facto talis eſt eſſentia divina cui identificantur intimè virtutes, nam Deus charitas eſt, & Deus veritas eſt, ac non ſolùm verax ſic, ut veritas ſit forma ſuperaddita ei, ſed eſt ipſa natura divina, aut aliquid ipſius, adeoque. Lubet in hac re extendi in gratiam virtutum, quùm videam id paucis factum.

Objicio ergo ſecundo: Virtus reddit laude dignum, iſta non, nam naturalibus nec laudamur, nec vituperamur, ergo. Audio & quæro, ſi cui fortè infundantur virtutes, num talis ſit laude dignus? Si non, aut virtutes non erunt virtutes, aut non erunt univerſaliter laude dignæ; revera enim iſte merè paſſive ſe habet reſpectu iſtarum virtutum, planè ac ſi ei eſſent connaturales: quid enim refert quod homo trahat ſecum ex utero aliquid innatum, an infuſum? Non ergo laude ſed honore dignæ ſunt ejuſmodi perfectiones unigenitæ aut infuſæ.

Eſt tamen hic obex magnus, eſt enim ipſe Deus, qui utique laudandus eſt ob ſuas virtutes, & tamen ſunt ei connaturales, imo connatura, ergo. Reſpondeo Deum non eſſe ſubjiciendum canonibus philoſophicis, ipſe enim infinita ſua excellentia ſupergreſſus eſt omnes, ut non poſſimus eum metiri communi metro, nec ponere ei regulas aut leges, ſed duntaxat admirari ejus fœlicitatem, nam etiam in aliis multis extra hunc caſum debemus id facere, ut conſtat ex propriis materiis. Reſpondeo etiam ſecundo quod hic dixi, verificari etiam in Deo ſuo modo. Sciendum enim eſt, quod virtutes in Deo non ſint habitus, nec res quietæ aut mortuæ ut in nobis, ſed ſunt actus & exercitia ſui. Charitas eſt actualis amor, ſimiliter veritas ſeu ſapientia eſt actualis cognitio, &c. Non ergo mirum eſt ſi Deus ſit laudabilis ob virtutes ſuas, quum in eo non ſint otioſæ unquam ſed in actu, & quidem heroico, imo ſunt ipſi actus. Ut concludam, pluris facio actus quàm habitus, quia in iſtis homo habet partem, in aliis nequaquam, ſed ſunt quaſi pulchræ veſtes, niſi fortè habitus ſint adquiſiti actibus, tunc enim homo in illis habet partem quaſi in opere ſuo. Unde credo habitus proinde facere ad laudem & ornamentum, quatenus ſunt veluti actus continuati, & veſtigia quædam eorum, quùm ipſi continuari non poſſint.

Contra hoc tamen facit ratio non quidem Ethica, ſed Theologica, quod ſic homo non redditur ſufficienter ornatus per formas juſtificantes, quùm iſtæ ſint habitus, & præterea non ſint continuationes actuum, quum actus præcedentes ipſa non ſufficiant iuſtificare, neque æquevaleant habitibus, adeoque. Reſpondeo omnia probare, quod ſolus Deus ſit plene iuſtus & plene ornatus, quum in omni alia iuſtitia inveniantur vacuitates & defectus; nam iuſtificatio creata aut infunditur gratis, aut redditur diſpoſitionibus hominis diſponentis ſe per attritionem. Primo modo habet eſſe alienum bonum ut ſupra: ſecundo modo etiam, (licèt ex

ex parte,) quia actus hominis non merentur habitum.

4. Quæro tertiò utrum virtutes ſint propter ſe amabiles, an verò ob aliud? Ad quod videri poſſet ſtatim reſpondendum eſſe priori modo, nam nihil dignius tali amore quàm bonum honeſtum; virtutes autem ſunt ipſæ honeſtates. Et, ſi amentur propter aliud, jam dabitur aliquid melius illis, quod non videtur inveniri poſſe: Nihilominus puto reſpondendum affirmativè, aut certè diſtinguendum & dicendum quòd ſint amabiles propter aliud *cui*, non verò propter aliud *quod*, utique enim ſunt amabiles propter ipſum amantem, eo quod ſint perfectiones ejus.

Dices hoc eſſe amari eas amore concupiſcentiæ, iſte autem convenit delectabili & utili, quæ ſunt bona ob aliud, non verò honeſto quod eſt ultimum bonorum. Et vero ſi amor concupiſcentiæ reſpondet bono utili ac delectabili, aut nihil amabitur amore amicitiæ, aut amabitur bonum honeſtum. Reſpondeo tamen, quocunque te torqueas, virtutes amari, quia ſunt bonum amantis, adeoque propter ipſum. Et vero virtutes ſeparatas Platonico modo quis? quomodo amaret? ſanè non amore concupiſcentiæ, quum ſic nulli prodeſſent, nec amicitiæ, quia non ſunt capacia, quum non ſunt animata.

5. Quæro etiam quinto, utrùm honeſtas ſit virtutibus eſſentialis, ita ut manere poſſint ablatâ ipſâ? quod intelligo non ſolùm in eſſe virtutis, ſed in ſubſtantia. Clarum eſt enim nihil eſſe virtutem, niſi quod eſt honeſtum: Sed dubito, an actus ille qui jam eſt virtuoſus elici poſſit ſine eo quòd ſit talis: Dicam ad hoc per gradus.

Primò ergo reſpondeo affirmativè, licèt non adæquatè & ſimpliciter id ſit accipiendum, ſed in caſu aliquo: Probatio hujus erit inſtantia, nam abſtinere à Berta quæ non eſt uxor mea, ſed alterius, vel nullius, eſt actus virtutis; ſi ſit aliena, eſt actus iuſtitiæ; ſi non, continentiæ: At vero fieri poteſt ut Deus concedat mihi uſum Bertæ, etiamſi eſſet alterius, quum ipſe ſit dominus non ſolùm dominorum, ſed etiam dominiorum, & ita illo concedente iam non eſſet amplius iuſtitia abſtinere. Idem eſt de aliis rebus, v. g. pecuniis & agris proximi.

Sed enim fatendum eſt hoc non eſſe abſolutam reſolutionem negotii, tum enim mutatur materia, ut res quæ fuit aliena iam non ſit, atque ita eſt tantùm realiter & materialiter illa, non vero moraliter eadem, quod eſſet opus: unde aliquid addendum eſt reſponſioni, ut iam monui.

Itaque reſpondeo ſecundo directè ad propoſitum, non poſſe fieri ſaltem univerſaliter quo minus actus virtutum ſemper ſint boni ex obiecto. Ratio, quia hoc eſſet dirimere connexionem quæ eſt inter terminos. Debemus enim ſcire in practicis etiam eſſe aliquas propoſitiones per ſe veras, & quarum prædicatum immediatè ineſt ſubiecto; hæ ergo quia non poſſunt falli, proinde actus virtutum non poſſunt deſinere eſſe boni. Sit exemplum: Iuvandus eſt egens: plectendus eſt reus: iſta nunquam poſſunt deſinere eſſe vera, adeoque nec obiecta eſſe honeſta.

Unum contra hæc eſt quod iſta aliquando poſſunt prohiberi, quo caſu qui ea faceret, peccaret; Certum eſt autem neminem peccare actu honeſtò, adeoque. Reſpondeo etiam tunc actum fore honeſtum ut ego dixi, ſcilicet ex obiecto, licèt ex circumſtantia foret malus, adeoque abſolutè inhoneſtus, quum ad malum ſufficiat quicunque defectus.

Idem proportionaliter eſt cenſendum de vitiis, ſed hic ſcrupulum facit illud de præcepto, ſi enim præciperetur actus vitii à Deo, utique honeſtè fieret, & tamen retineret ſemper malitiam obiectivam ſecundùm nos, quæ ſola ſufficit ad reddendum actum abſolutè malum, ergo. Hic non eſt via evaſioni, niſi negando poſſe præcipi actum vitioſum: Contra quod tamen facit inſtantia Oſee Prophetæ, cui præcepta eſt Oſee 1.
fornicatio, & ipſe obedivit: Fateor hic ſcrupus eſt qui multos attrivit, mihi autem nocere non poteſt, quum habeam eum præterire: pertinet ad Bibliorum, non autem ad Ariſtotelis aut Scoti interpretes, in quo ſit finis Apologiæ hujus, ut gradum faciamus Deo dante ad virtutes in particulari.

APOLOGIÆ.

De Virtutibus Cardinalibus in ſpecie.

APOLOGIA PRIMA

De Prudentiâ.

ACTIO I.

Quid ſit Prudentia.

ACTIO II.

Utrum Prudentia dependeat à Voluntate, & habitibus ejus? & vice versâ habitus morales à Prudentiâ?

ACTIO III.

Utrum ſit una virtus Prudentiæ reſpectu omnium moralium, an plures?

ACTIO IV.

Utrum Prudentia dictet tantum de fine moralium virtutum, an etiam de mediis?

Scotus 3. *diſt.* 36. *q. un. num.* 18.

LIcet iſtud videatur probabiliter dictum de diſtinctione ſcientiæ practicæ, & prudentiæ, tamen prudentia non ſolum eſt circa media ordinata ad conſequendum finem ultimum, ſed etiam dictando de ipſo fine ſaltem particulari, puta de caſtitate; quod probatur primò, quia virtus moralis ſemper ſequitur ordine naturæ prudentiam aliquam: Ex electione autem finis particularis, puta caſtitatis generatur virtus moralis: igitur iſtam electionem præcedit aliqua prudentia; igitur non eſt ita propriè reſtringenda ut tantum ſit habitus circa media ordinata dictata ad conſequendum finem particularem electum.

Idem *Lib.* 6. *Metaph. q.* 1. *n.* 7.

IDem etiam argumentum probat multas eſſe prudentias, quia contingit habere rationem rectam circa materiam temperantiæ non habendo circa materiam fortitudinis, & è converſo, deducendo hoc ex principiis primis, & non illud &c.

item τὸ virtus. Reſpondeo: fateor hæc non eſſe poſita, ſed nego id eſſe defectum: nam primum illud ſcilicet habitus fortaſſis non eſt verum de prudentiâ quæ poteſt conſtitui in ſpeciebus impreſſis rerum agendarum, ſed quia hæ ipſæ prætendi poſſunt eſſe habitus, dic eſſe poſitum hic τὸ habitum ſicut poſitum eſt τὸ virtus, nam ratio ubique recta neceſſario eſt virtus: quodlibet enim aliud poteſt aliquando obliquari ſeu falli. Per quod etiam dico ſatisfactum eſſe illis qui volunt addendum τὸ intellectuale, nam recta ratio non ſolum eſt virtus, ſed manifeſtè eſt intellectualis. Itaque hæc ſupplet aliorum definitiones omnes: illæ non item hanc: nam prima & recepta illa aliorum quam ſupra poſui, convenit apertè aliis à definito: nam Temperantia v. g. eſt habitus cum verâ ratione activus circa ea quæ homini bona ſunt, & ſimiliter fortitudo &c. & tamen nec temperantia, nec fortitudo eſt prudentia

Objicitur de ſingularibus non eſſe certitudinem, unde nec demonſtrationes ullæ fieri poſſunt de ipſis, ergo nec prudentia erit certa aut recta ratio ubique, eſt enim de ſingularibus. Sed hoc neminem debet movere, nam de ſingularibus eſt certitudo & ſcientia, licet non primo: ego enim ſum certus Petrum eſſe riſibilem. At enim hinc roborari poteſt ratio allata contra me: nam prudentia eſt de ſingularibus primò, erit ergò fallibilis. Ad hoc credo equidem dicendum prudentiam non eſſe de ſingularibus ut ſingularia ſunt, ſed potius ut naturæ ſunt; non enim dictat dandam eſſe eleinoſynam v. g. propter hæcceitatem aut ſingularitatem ejus. Sed propter bonitatem moralem eius quæ competit ei ex objecto &c. acrius

4. Objici ſecundò poteſt, prudentiam non eſſe infallibilem adeoque nec virtutem. Antecedens videtur certum, quia dictamen prudentiæ aliquando non modo fallibile eſt, ſed falſum: v. g. quum Joſue admiſit Gabaonitas ad communionem & pacem: quum Jacob acceſſit Liam: uterque enim horum judicavit hæc fuiſſe ſe ipſis ex objecto honeſta, quum tamen revera ex objecto fuerint mala, & non facienda ſimpliciter: quod ideo dicó, quia illi judicaverunt fuiſſe ſimpliciter bona, ac non tantum ſibi in illis circumſtantiis.

Urgeo hanc rationem veterum de novo: Ethici omnes communiter docent opinionem & fidem humanam non eſſe virtutes, quia ſunt ex ſe fallibiles: oſtendo autem prudentiam non minus eſſe fallibilem, quia certitudo prudentiæ innititur his ſubinde: v. g. plures teſtificantur mihi hunc eſſe virum probum & dignum miſericordia: Ego id credo & propterea judico dandam ei eleemoſynam: hoc dictamen eſt prudentiæ, ipſum enim ſequitur operatio moralis virtuoſa, quæ neceſſario ſupponit prudentiam; & tamen tota certitudo ejus innititur fidei humanæ. Explicatur ratió: ſi dicam non poſſe fabricam eſſe magis ſtabilem quam ſit fundamentum, quomodo ergò prudentia poteſt eſſe infallibilis & fides fallibilis? Ad evadendam hanc invaſionem exiſtimo in his & ſimilibus caſibus danda eſſe duo dictamina, & nequaquam unum aliquod eſſe fallibile ac infallibile. Unum dictamen eſt: hunc eſſe pauperem; aliud: dandam eſſe huic eleemoſynam: primum illud eſt fallibile, & fortaſſis falſum; alterum autem non; quia reſolvitur in hanc expedit dare huic eleemoſynam quod veriſſimum eſt: mihi enim eſt meritorum. Magis placet hoc quam dicere quod illa unica ſit ſpeculativè falſa: & practicè vera; quod fortaſſis non facilè explicabitur ne idem ſit & non ſit verum, de quo vide plura ſuprà hic dicta Apol. 7. Act. 1. &c. jam ſit

***

ACTIO II.

Vtrum Prudentia dependeat à voluntate, & habitibus ejus? an vice verſa habitus morales à Prudentia?

Breviarium.

N. 1. *Prudentia ad intellectum ſpectat.*
2. *Adverſarii conantur evadere circulum, ſed fruſtra.*
3. *Aliæ probationes ejuſdem.*
4. *Objectiones Adverſ. Vitioſus an prudens?*
5. *Adducuntur ex proprio aliæ.*
6. *Prudentia dependet aliquo modo à virtutibus moralibus.*
7. *Virtutes morales non dependent ab illa in eſſe ſed bene in agere.*
8. *Objectio ſolvitur: An ſufficiat homini habere ducem prudentem ſine propria prudentia?*

1. IMpoſſibile, & mirum videtur primo aſpectu quod prudentia pertineat ad voluntatem, & id tamen non ſolum tenetur à Thomiſtis, ſed in Ariſtotele habet fundamentum, atque etiam aliquale in Scoto. Cenſeo ſtandum eſſe communi judicio, &

Dicendum quod Prudentia ad ſolum intellectum pertineat, ut nec partialiter in voluntate ſit, nec dependeat abſolutè in ſuo eſſe ab ullis habitibus quæ ſunt in voluntate. Hæc eſt ultimata reſolutio Subtilis noſtri 3. diſt. 36. q. & ſuorum, neque repugnat Ariſtoteles niſi ſuo more, id eſt inconſtanter; quia hoc & oppoſitum tradit diverſis locis, ut infra

Ut probemus præſentem veritatem, adverto duos eſſe modos quibus intelligi poſſit prudentiam pertinere ad voluntatem, qui ſunt

Digitized by Google

duo illi jam indicati in concluſione; unus quod prudentia dicat duos habitus: unum in intellectu, & alterum in voluntate; planè quemadmodum Theologi dicunt fidem in intellectu eſſe, ſed requirere correſpondentem habitum quem vocant piæ affectionis in voluntate. Alius eſt, ut prudentia ſit quidem totaliter in intellectu quoad ſubſtantiam, dependeat tamen in eſſe virtutis ab aliis virtutibus voluntatis. Contra utrumque arguo, &

Probo intentum, quia habitus ille piæ affectionis, & quicunque alii morales præſupponunt virtutem prudentiæ, ergò non poteſt prudentia præſupponere illos: neque dependere ab illis. Conſequentia eſt certiſſima, ſic enim idem dependeret à ſe, & præſupponeret ſeipſum, quod repugnat, ut evidens eſt. Antecedens etiam non minus patet, quia illæ omnes eatenus ſunt virtutes quatenus ſunt conformes prudentiæ. Hoc argumentum planè validum arctat Adverſarios, qui proinde ei varias ſolutiones invenerunt.

Omnium quas viderim optima eſt illa Moriſani noſtratis diſputat. 6. Ethic. dub. 1. qui ait hic non committi circulum in definiendâ prudentiâ per ordinem ad appetitum (intellige rectum) & viciſſim appetitum per ordinem ad prudentiam; quia (inquit) alia eſt conformitas in utroque ad invicem; appetitus enim rectus conformatur rectæ rationi tanquam ſuæ regulæ; recta vero ratio ſeu prudentia conformatur habitui recto tanquam objecto à quo ſuam veritatem practicam capit.

Sed nihil dicit per hæc ille; nam appetitus rectus, ſive virtutes morales vel ſunt objectum prudentiæ ſecundum ſubſtantiam ſuam, vel ſecundum circumſtantias: primum non poterit dicere, quia illo modo non dependent à prudentia illæ, ſed ex natura ſua ſunt tales: v.g. reddere cuique ſuum: non opprimere innocentem, ex ſe habent eſſe bonos aut malos, ut ajunt ex objecto; prudentia autem verſatur circa ſingularia & circumſtantias horum, ut hic & nunc eſſe hoc aut illud retinendum vel reddendum, quod erat ſecundum membrum ſupra poſitum. At vero hæc non poſſunt præſupponi ad prudentiam, quia ab ipſâ prudentiâ habent eſſe, & ideo ſunt bona, ac factu digna quia dictantur talia eſſe à prudentiâ: unde non poteſt prudentia definiri per ordinem ad illa ſic ſumpta, atque ita evanuit illa definitio Moriſani, & ſi velit in formâ reſponderi, dico illa eſſe objectum ipſius, ſed practicum, non aliter: at vero habitus practicus non præſupponit objectum ſuum, ſed facit: ſic domitactoria, ſutoria, &c. non dependent ab objecto ſuo, ſed objectum ab illis, eo quod ſit illis poſterius, adeoque nunquam definiri poterit per ipſa.

3. Pergo, & probo ſecundò intentum. Ratio virtutis in prudentiâ eſt ratio infallibilitatis; hæc enim eſt quæ præſtat omnibus eſſe virtutes, ſed diverſo modo, prout illæ diverſæ ſunt: quæ enim tendunt in bonum ideo virtutes ſunt, quia infallibiliter attingunt bonum, quod non facit prudentia. Sed attingit verum: & ratio virtutis in illa præſtat hoc, quod eſt infallibiliter attingere verum: ſed certum eſt quod à virtutibus moralibus non habet prudentia attingere infallibiliter verum, ergò.

Tertiò principaliter: quia ſi prudentia requireret virtutem moralem, ita ut ſine morali non eſſet virtus, ſequeretur per actum virtutis moralis generari virtutem prudentiæ: nam elicito eo datur in tali homine prudentia: non elicito non datur. Non eſt autem verum quod per actum virtutis moralis generetur ulla intellectiva quia actus generat in ſubjecto in quo eſt, non vero in ſubjecto in quo non eſt, nec enim eſt activus tranſeunter. Præterea quicunque actus habet effectum ſibi adæquatum in augmento ſui habitus, ergò virtus temperantiæ v. g. adæquatur tanquam per effectum per augmentum ipſius temperantiæ, ergò denique non extenditur ad producendam prudentiam. Ad hæc non poteſt aliud dici quam per actus virtutis moralis produci prudentiam formaliter tantum, id eſt in ratione virtutis, non autem entitativè, & in ratione habitus. Sed inprimis hoc nemini magis nocet quam Thomiſtæ: ſic enim cogitur confiteri habitum non eſſe aliquid virtutis, puta genus aut partem ejus, ſed tantum ſubjectum illius, quæ eſt veriſſima doctrina Scoti, ſed ab illis negata. Deinde ſequitur rationem virtutis non eſſe quid reale, ſed metaphoricum & rationis, quia nimirum certum eſt ab actibus voluntatis nihil reale produci in intellectû, & è contra.

Hoc idem medium poſſemus aliter urgere ſic: ſequeretur enim eum qui eſt magis exercitatus in virtutibus moralibus eſſe magis prudentem, cujus contrarium videmus: quum contingat homines ſimpliciſſimos & rudes eſſe ſanctos, idque eminenter; atque ita non ſufficiunt virtutes morales, ſed nec Theologicæ ad reddendum prudentem: & ſæpè peccatores ſunt prudentiores juſtis: quod etiam pronunciavit Chriſtus D. Luc. 16. 8. *Filii hujus ſæculi prudentiores ſunt filiis lucis:* quod tamen implicaret ſecundum ſententiam Thomiſticam, quia nimirum impietas ſeu exercitium vitiorum deſtrueret habitum prudentiæ pari paſſu per ſingulos actus. Et revera ille met locus, ſine ulla conſequentiâ inde deducta ſatis ſuadet hanc ſententiam, quia palam aſſerit prudentiam poſſe eſſe in homine vitioſo

Arguunt adverſarii: ſi quis haberet omnem ſcientiam & cognitionem de actibus communibus, qui, & quâ ratione fieri debeant, nihil tamen boni operetur, à nemine prudente cenſebitur prudens, ergò jam opus voluntatis neceſſarium eſt ad prudentiam. Neque vis hujus argumenti ſtat ſolum in actione bonâ moraliter, ſed extenditur ad omnes: nam qui ſic paciſcitur, ſic emit aut vendit ut plurima perdat, parum aut nihil adquirat quantumcunque ſtuduerit & didicerit regulas negotiandi, non cenſetur prudens, ſed ſummè ſtultus, ergò jam non ſufficit notitia, aut quidquid ſe tenet ex parte intellectus ad prudentiam. Reſpondeo tamen hoc ideo eſſe, quia homines judicant de externis, & quum videant proceſſum alicujus in re extra eſſe contra dictamina prudentiæ, cenſent ipſum intro imprudentem. Et revera non falluntur abſolutè, quia revera ille talis habet actus internos imprudentiæ, ſcilicet eligendum eſſe hic & nunc hoc modo. Puta contra bonum ipſius operantis: quia verò ipſe hoc facit non ex defectu ſcientiæ, ſed ex paſſione: aut fragilitate, hoc totum non facit eum carere prudentia, ſed tantum exercitio ejus. Ad quod intelligendum valde opportunus eſt locus

Digitized by Google

locus Ariſtotelis.:. Ethicor... quod ſcilicet qui voluntarie peccat in artefacto magis laudandus eſt, quam qui involuntarie: qui autem in moralibus peccat voluntarie, minus laudandus: ideo utique quia error ejuſmodi in artefacto relinquit & ſupponit in operante ſcientiam agendi, adeoque errata externa non impediunt ſcientiam hominis. Confirmo doctrinam, nam argumentum poteſt formari contra ſapientiam ut ille non ſit ſapiens qui indigne operatur, omnes enim tenent talem pro inſipiente: & tamen nemo philoſophorum poſuit ſapientiam conſiſtere in voluntate ne partialiter quidem.

Argui ſecundò ſolet, quòd malitia excæcat intellectum, ergo jam ad aliquam perfectionem intellectus opus eſt alia perfectione in voluntate. Antecedens eſt Scriptura S. & certa veritas: propter quam Ariſtoteles definivit prudentiam eſſe (*Sap.2.21. Daniel.13 56.*) conformem appetitui recto. Hæc ſunt duo motiva quæ adfert pro hac parte Doctor, loco citato, & ad praxin reduci poſſunt per inſtantiam à me adductam ſupra, (*Vide dub. 2. prolog. & Apolog. ult. Act.1.*) etenim experimur hominem quando eſt in aliqua paſſione iræ, aut amoris, non recte judicare de rebus, ſed videri ei parum quod eſt multum in pœnâ, ſi agitur cum inimico; & è contra de amico & de præmio. Hoc præbet aliquod fundamentum probabilitati alterius ſententiæ, aut potius incipit & præparat ad eam de quâ infra expreſſius. Interim ad motivum hoc loco reſpondeo, non ſequi prudentiam dependere ab aliquo habitu, aut alio quocunque exiſtente in voluntate, quia ad vim hujus ſufficit non eſſe aliquid, puta paſſionem, aut perturbationem in voluntate, neque requiritur aliquid eſſe in ea, niſi vacantiam à tumultibus paſſionum, ſicut mare pacatum non dicit niſi ſeipſum, & abſentiam ventorum.

5. Adferam tamen ipſe alia duo quæ mihi occurrunt in hac materia: Unum eſt iſtud quod obiter tetigi jam ſupra; quia in omni electione debet adeſſe judicium intellectus de eo quod ſic ſit agendum: etenim indiſpenſabile eſt quod omne volitum ſit præcognitum, adeoque hæc volitio practica ſic agendi neceſſariò habet connexam aut præſuppoſitam cognitionem practicam de eo quod ſic ſit agendum: v. g. quod ſit furandum quando quis determinatè vult furari: atqui hoc judicium eſt falſum, & conſequenter ſi ſæpe habeatur, tunc habitus ejus erit erroris & imprudentiæ, quæ ſine dubio deſtruunt prudentiam, ergo jam non poteſt prudentia conſiſtere cum quacunque diſpoſitione voluntatis, ſed requirit determinatè talem, ſcilicet bonam quod erat intentum.

Alterum, & ultimum ex me ſit iſtud: quod voluntas non poteſt eligere minus bonum præ majori, ſive præferre illud huic ſcienter, ita ut nunquam ſit ſic diſpoſita, ut malit minorem fælicitatem quam majorem: quod quidem videtur ex ſe clarum, & præterea fundatur in principio certiſſimo, de eo quod objectum voluntatis adæquatum quoad proſequutionem ſit bonum: nam illud minus bonum, ut differt à majori non eſt bonum, adeoque jam ut voluntas poſſit præferre unum bonum alteri debet judicare illud eſſe majus bonum: at vero hæc, & hujuſmodi ſunt falſa quando electio eſt peccaminoſa, ergo jam datur inſipientia & imprudentia in intellectu quotieſcunque non datur honeſtas in voluntate, adeoque, &c. quæ erant probanda.

Propter hæc equidem exiſtimo concluſionem Adverſ. poſſe habere aliquem ſenſum verum; ſive non poſſe omnem perfectionem intellectus conſiſtere ſine correſpondente perfectione voluntatis, & ita virtutem aliquam intellectualem dependere à morali ſive unâ, ſive pluribus. Debui autem hoc dicere ad defendendum Scotum, nam ipſe palam ſic cenſet, etſi non aſſertivè & determinate, ſed probabiliter tantum: tamen Scotiſtæ, qui nolunt hæc audire, advertere debuerunt Scotum non aliter aſſerere eorum concluſionem, ſed ſimiliter utramque, per illud: *poteſt dici*, ait enim Doct. illa diſt. 36. tertii q. num. 15. *Quantum ad primum de prudentia, poteſt dici quod ſtricte loquendo prudentia non eſt ſine virtute morali qua, &c. & infra: ſecundum ergo iſtam viam dicimus quod quicunque habitus generaretur in Intellectu licet practicus & rectus, ſi non comitetur recta electio voluntatis circa eadem non eſt prudentia.* Itaque componendo oppoſitas rationes & oppoſita loca Doctoris, credo dicendum, quod non omnes actus prudentiæ poſſint haberi ſine aliquo appetitu recto correſpondente: & per hoc verificatur ſecundus locus Scoti, & ſecunda concluſio à me poſita. At vero aliqui, & quidem plures actus ejuſdem ſunt qui haberi poſſunt ſine concomitantiâ virtutis moralis, quod probant rationes primæ concluſionis quæ principalior eſt in hac materiâ, & à me magis intenta, nam propter iſtos, habitus ipſe prudentiæ abſolutè loquendo eſt independens ab actibus atque etiam habitibus virtutum moralium quæ eſt principalis reſolutio tituli quoad primam partem.

Eſt enim alia pars: an virtutes morales è contra habeant neceſſariam connexionem cum prudentiâ, ita ut ſine illâ non ſint, aut ſaltem non ſint virtutes? quod cum Doctor propoſuiſſet decidendum, præter expectationem cujuſque remittit lectorem ad commentatorem. Unde non eſt lis Thomiſtis cum Scoto de hoc, ſed cum Divo Thoma: hic enim docet requiri ad eſſe aliarum prudentiam; illi id nolunt audire niſi cum moderaminibus à ſe excogitatis. Cenſeo ſequendum potius D. Thomam, &

De connexionem virtutum moralium cum Prudentiâ.

Dicendum quod poſſint quidem abſolutè, & quoad entitatem virtutes morales eſſe ſine prudentiâ, non tamen agere, aut eſſe proximè activæ ſine eâ non ſolum exiſtente in aliquo ſuppoſito adjuvante, ſed in ipſo operante: ſic Scotus Doctor, quem non piget ſequi ubi Subtilis non præceſſit.

Suadeo breviter intentum quoad primum: utique enim ſi deſtruerentur habitus intellectuales, non ob id deſtruerentur morales quum ſint realiter diſtincti, & habeant ordinem prioris ac poſterioris: quæ autem hunc habent, utique ſeparari poſſunt. Quod amplius ſuadeo ad hominem contra Thomiſtas, qui tenent intellectum ipſum ac voluntatem eſſe realiter diſtinctos, ac proinde ſeparabiles; quanto magis habitus his inexiſtentes.

Deinde ſic arguo: quum quis incidit in inſaniam, certè perdit prudentiam, at non perdit

virtutes morales; nam ſi is redeat ad ſanitatem mentis non debent ei rurſus infundi virtutes morales. Dices, neque prudentiam perdi aliter quam morales, (adeoque neque debere eam rurſus infundi,) ſed tantummodo uſum ejus. Reſpondeo ipſam prudentiam in actu primo, & non tantum exercitium, aut actum ſecundum ejus lædi, quia nimirum læditur phantaſia quæ eſt comprincipium quoddam intellectionis pro hoc ſtatu. Quod confirmo ad hominem ex hac ipſâ materiâ contra Thomiſtas Adverſ. dicunt illi prudentiam pertinere ad voluntatem non minus quam ad intellectum, eo quod actus prudentiæ intellectualis debeat habere concomitantem actum virtutis moralis in voluntate: hic enim redit caſus; nam actus intellectus neceſſario & indiſpenſabiliter exigit concomitantem actum imaginationis, ſive phantaſiæ, adeoque hic pertinet ad complendum actum primum, & principium intellectuale prudentiæ.

Secundam partem aſſerti ideo poſui ſic explicatam, quia ſunt aliqui, qui requirunt quidem prudentiam ad actus aliarum virtutum, non tamen neceſſario in ſuppoſito ipſo operante, ſed vel in ipſo, vel in alio dirigente, contra quos

Probo ſic aſſertum: quia ſi ita eſſet, tum poſſet quiſpiam non habens omnino intellectum operari, intelligo humano modo & liberè: quæ enim neceſſitas eſt cognitionis ut ſic ad volitionem ſimiliter acceptam, eadem eſt cognitionis talis, puta practicæ, & prudentiæ ad volitionem ſive electionem practicam; eadem aut ſimilis proportionata eſt cognitionis ut ſic ad electionem aut volitionem ut ſic, atque ita poterit quis operari ſine ullâ omnino cognitione & intellectu, dummodo alius eum habeat, quod eſt ſummè falſum quia indiſpenſabile eſt quod cognitio ſit in ipſo volente.

Adeſt etiam alia ratio propria hujus, quia in quibuſdam virtutibus non poteſt judicium provenire ab alio: v. g. aliquis ſubmittit ſe regimini alterius per omnia: huic ſi præſcribat ejus Rector decem uncias, vel etiam libras pro menſura paſtus, non proinde talis exercebit temperantiam, nam ſi complexio ſeu conſtitutio ejus requirat omnino plus, illa quantitas non erit mediocritas, ſed infra ipſam: & ſi requirat minus, erit ſupra, adeo ut quantumcunque obediat Rectori in ſumendâ hujuſmodi quantitate, non proinde habebit actum temperantiæ, licet eliciat forte heroicum alterius virtutis. Ita denique judicium de medio morali quod eſt prudentia, non poteſt ab externo provenire, adeoque.

8. Objici ſolet caſus Religioſi ſimplicis qui permittit ſe ſic, cæco modo regendum prælato, hic enim ſine dubio elicit actus virtutum, meretur gratiam & gloriam, ergo. Sed enim huic reſponſum eſt in utrâque probatione concluſionis, dico enim hunc non poſſe elicere actus omnium virtutum, ut jam demonſtratum eſt in ſecunda probatione. Deinde dico, ſi forte eliciat unius aut plurium virtutum actus, eum hoc non facere per prudentiam quæ ſit in altero, ſed per eam qualemcunque quam ipſe habet: etenim ultra judicium prælati, quo ſine dubio ille non poteſt uti, ipſe habet dictamen quo dicit apud ſe: Ego ſum tutus ſequendo ſententiam hujus hominis, qui eſt meus prælatus, & vir doctus; hoc autem dictamen in ſubdito eſt prudentia, adeoque ille utitur ſua prudentia, non vera illa prælati: plane ſicut milites licite bellum gerunt pro ſuo Principe, licet ipſi neſciant jus belli; quia nimirum ſupponunt Principem qui habet concilium Theologorum, determinaſſe ſibi & probaſſe iuſtitiam eſſe à parte ſua.

ACTIO III.

Vtrum ſit una virtus Prudentiæ reſpectu omnium Moralium, an plures?

Breviarium.

N. 1. *Quot virtutes morales, tot diſtincta Prudentiæ.*
2. *Ipſa prudentia intra ſe habet plures ſpecies.*
3. *Objectiones ex authoritate & ratione: Medicina an una ſpecie facultas?*
4. *Alia ad hoc ſolvuntur. Prudentia inſtar ſenſus communis: quomodo ergo non una?*

1. Hic etiam eſt campus, in quo aperte diſſident à noſtris Thomiſtæ anteriores, quod ideo dico, quia moderni prævalente veritate incipiunt ad partes Scoti declinare. Volunt ergo Thomiſtæ ſequuti ſanctum Th. unicam eſſe prudentiam pro omnibus virtutibus moralibus, quæ nimirum ſola ſufficiat ad dictandum de eligendo & fugiendo in omnibus materiis quarumcunque. Ita illi cum ſuo 1. 2. q. 60. Negat id noſter 3. d. 36. num. & vult tot eſſe
ada prudentias quot virtutes morales, quod etiam Subtiles omnes (a) profitentur &, ut dixi, (b) authores alias Thomiſtæ.

Cenſeo ergo non eſſe unam tantum in ſpecie prudentiam, ſed plures, ad numerum plurium virtutum moralium, licet non ad numerum omnium: Idque dicendum etiam D. Thomæ, ſive ſequentibus principia eius: authores huius poſiti ſunt. Ratio eſt iſta quam adfert Subtilis citatus: artes ſunt plures ſpecie circa plura factibilia, ergo erunt plures prudentiæ circa plura agibilia; aſſignetur enim diſparitas, paritas ſiquidem in aperto eſt.

(b) Suar. Hurt. Arriag.

Aſſignant Thomiſtæ & dicunt ideo hoc eſſe, quia artes inter ſe non ſunt connexæ in una aliqua ſicut virtutes omnes in una prudentia. Ita ex ipſis refert noſter Franc. Felix, quod difficulter ei credi poteſt, id enim reſpondere eſt petere principium;

cipium; nam de hoc quæritur, utrum ſint connexæ in unâ prudentiâ. Fortaſſis dicturi erant virtutes morales eſſe inter ſe connexas, artes non eſſe, adeoque. Sed hic iterum, licet aliter, labuntur, nam aſſumunt falſum, non enim virtutes morales ſemper ſe concomitantur, ſicut nec artes, & licet prudentia probabiliter ſit connexa cum rectitudine morali, non tamen omni, ſed aliqua tantum.

Probo aliter idipſum à concomitanti, & à priori ſic: ſcientiæ ſunt ſpecie diſtinctæ, ergo & prudentiæ. Conſequentiam probo (antecedens enim eſt extra controverſiam apud omnes) formando rationem cauſalem omnium ſic. Ubi dantur objecta ſpecie diverſa & eſſentialiter, ibi habitus cognoſcitivi ſunt ſpecie diverſi; atqui in prudentiis ſicut in ſcientiis ſunt objecta ſpecie diverſa, ergo & habitus cognitionum qui verſantur circa hæc erunt ſpecie & eſſentialiter diſtincti. Oſtendo hanc minorem, in qua eſt vis argumenti; nam medium, à quo eſt mediocritas temperantiæ, eſt ſpecie, & fortaſſe etiam toto genere diſtinctum à medio juſtitiæ, & medium hujus à medio fortitudinis, nam medium juſtitiæ eſt medium rei, ut ponatur æqualitas realis quaſi mathematica dati & accepti; at vero medium temperantiæ non ita, ſed eſt medium rationis: illud in omnibus perſonis eſt ejuſdem tenoris, nam Rex tam bene tenetur ſolvere debitum totum quam privatus, & ſanctus tantum quantum peccator: At vero medium temperantiæ non eſt ejuſdem rationis in omnibus, non enim eadem quantitas cibi eſt mediocris juveni & ſeni, ſed potius alia, ita ut quæ juveni ſit mediocris, ſeni ſit exceſſiva, idemque de infirmo & ſano, non enim eadem quantitas cibi eſt mediocris utrique, & inter ipſos ſanos, diverſa conſtitutio caloris, &c. variat medium temperantiæ, idemque ſuo modo applicari poteſt fortitudini.

Hoc idem argumentum aliter confici poteſt ſiſtendo in ipſa prudentia; etenim illa habet alia, & alia munia: una eſt politica quæ deſervit ad gubernandam Remp. alia œconomica quæ præſtat gubernare familiam, & ſine dubio ambæ ſunt ſeparabiles, quia de facto invenitur una ſine alia, ſive cum errore in materia alterius: ad quod facit locus ille Apoſtoli. *Qui domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* quo loco fit conſequentia ab œconomia ad politicam, adeoque hæc debet eſſe alia ab illa, alioqui interrogatio Apoſtoli eſſet frivola, quum tamen ſit à minori ad majus. Explico & confirmo hoc argumentum adhuc dupliciter; nam in ſpeculativis alia ſunt principia univerſalia, & alia ab his diverſa de ſingularibus, ita ut illa his applicata fallant & fallantur, adeoque etiam principia & regulæ prudentiæ circa communitatem erunt omnino diverſa ab illis quibus particulares perſonæ regendæ ſunt. Cauſa conſequentiæ eſt quod multitudo ſit quoddam univerſale, nam omnis homo, v. g. non eſt niſi complexio omnium hominum. Urgeo quia in Arithmeticis ſpecie diſtinguitur unitas à numero, & principia veriſſima de numero applicata unitati mentiuntur, ac vice verſa: quidni ergo principia Ethica, quæ currunt de numero ſeu multitudine, ſpecie diverſiſſima ſint ab iis quæ procedunt de quolibet uno, &c.

1. Tim. 3.

Adhuc ſecundo ſic; quia diverſæ ſpecie ſunt habitudines ſuperioris & ſubditi, ergo diverſæ rationes & regulæ illis competent, atque ita poterunt haberi dictamina circa unum quin habeantur circa alia.

Sed an fidendum huic rationi? quia ipſi Adv. concedunt diſtinctionem inter ſpecies prudentiæ, politicam, œconomicam, &c. & ſolum negant monaſticam, ſive quæ unius hominis actiones dirigit debere ſpecie diſtingui. Ita Vaſq. cit. & ex noſtris Fœlix: ſed niſi fallor, non ſatis apte, & rectius Buridanus, atque eum ſequutus Recent. Tarquin. Gallut. negant ullos omnino habitus ſpecie diſtinctos in prudentia. Et, revera ſi ſint, magis debent diſtingui intra ipſam monaſticam quam inter alias illas quæ dicuntur ſpecies: Ecce quare; nam politica & œconomica, &c. differunt materialiter penes multitudinem aut paucitatem rerum vel perſonarum quæ gubernandæ ſunt: at vero monaſtica magis formaliter, reſpicit ipſas actiones & exercitia virtutum ac vitiorum. Quo loco libet notare aſtum Ariſtotelis, qui quùm huc pertigiſſet, utrique parti fundamentum præbuit: nam lib. 8 cap. 6. & hic, *eſt autem politica & prudentia* (inquit.) *idem quidem habitus, eſſentia tamen haud eadem ipſis.*

Dixi etiam hanc partem tenendam eſſe Thomiſtis, ſi veſint ducem ſequi: Etenim S. Thom. non obſcurè, nec ſemel eam tradit, ut patebit adferendo quæ habet 2. 2. q. 47. art. 5. ait enim ibi in corpore: *Dicendum quod quum actus & habitus recipiant ſpeciem ex objectis, ut ſupra ex dictis patet, neceſſe eſt quod habitus cui correſpondet ſpeciale objectum ab aliis diſtinctum ſpecialis ſit habitus, & ſi eſt bonus, eſt ſpecialis virtus.* Jam autem oſtendi ſpeciale objectum in hiſce diverſis prudentiis: adeoque. Idem repetit ibidem, S. D. ſed

3. Objicere poſſunt etiam ipſi D. Thomam 1. 2. q. 60. art. 1. atque etiam Ariſtotelem 6. Ethic. 13. ubi, *prudentia* (inquit) *una eſt.* Reſpondeo, Sanctum ſui defendant: ſecundum autem noſtri ſic ſolvunt, ut velit Ariſtoteles prudentiam eſſe genere unam, non ſpecie. Ita Fæl. & id ipſum ſignificavit Scotus. Neſcio tamen an cohæreat cum textu; etenim Ariſtoteles eo loco nititur probare virtutes morales omnes eſſe invicem connexas, ita ut qui unam habeat, omnes habeat, idque probat, quia prudentia una eſt, & cum prudentia omnes ſunt connexæ, quæ ratio parum faveret ei, ſi prudentia eſſet tantum genere una, adeoque exiſtimo ſuſtineri poſſe reſponſionem Doctoris, & dici quod Ariſt. non voluit virtutes omnes quomodocunque eſſe connexas, ſed in ſtatu perfecto, idque bene inferri ex prudentia perfecta quæ ſic una eſt, & trahit ſecum alias: verba illius ſunt. *Hoc*, (ſcilicet ſeparatio perfectionum) *in naturalibus licet, in iis à quibus abſolute bonus vocatur quiſpiam, non licet.*

Objiciunt ſecundò ex D. Thoma: Prudentia reſpicit objectum ſub ratione veri, ſed eadem eſt ratio veri in omnibus virtutibus moralibus; ergo & prudentia. Egregiè ſane, quaſi vero ſufficiat ratio veri ad confundendos habitus, ac non potius hinc ſequatur omnia eſſe unum, & non modò prudentias, ſed nec ſcientias eſſe plures, aut ſpecie diverſas; utique enim eadem eſt ratio veri in omnibus, atque adeo Thomiſticè una erit de omnibus rebus ſcientia, nec dabuntur diverſæ claſſes earum, & practicæ coincident cum ſpeculativis, non minus quam duæ practicæ

inter

Digitized by Google

inter ſe. Iterum verto argumentum in authores, ſi enim unitas veri ſeu veritatis facit omnes prudentias eſſe unam, etiam unitas boni faciet omnes morales virtutes coire in unam: atque ita non dabitur temperantia diſtincta à juſtitiâ, &c. ſed utraque erit una virtus. Tertiò denique ipſe S. Thom. negat majorem illam, ut eum intelligit Cajetan. in expoſit. art. 5. q. 47. Unde hoc & aliis fragilibus quæ nonnulli congerunt, omiſſis

Objicio paritatem illam Durandi; quod una ſit medicina corporalis, non vero plures, licet plures ſint ægritudines, ergo ſimiliter una erit ſcientia ſanitatis ſpiritualis. Reſpondeo omiſſis aliorum viis, negando conſequentiam. Cauſa quia medicina corporalis habet unum objectum formale, & quidem ſpecificum, ſcilicet temperiem humorum, ſive æqualitatem aut proportionem eorum, ut voles. Prudentia autem non, quia non debet attendere ad æqualitatem, aut proportionem virtutis quæ una eſt, ſed ad ipſas quæ plures ſunt, & diverſæ eſſentialiter, adeoque. Sed hinc mihi inſurgere videtur.

Objectio non contemnenda: etenim ſicut dictum eſt, & vere, objectum medicinæ corporalis eſt temperamentum humorum, & ita unum quid, unius rationis formalis, ita etiam in ſpirituali unum eſt objectum, ſcilicet medium, etenim prudentia ad regulandas actiones morales ut prudenter fiant attendit medium, & hoc eſt objectum formale ejus. Si ergo medicina corporalis ſpecificatur ſufficienter à proportione vel temperamento plurium quæ attendit, quid ni medicina ſpiritualis à medio quod conſiderat tanquam rationem formalem ſui. Hoc argumentum cogitabam aliter proponere, ſcilicet à paritate Logicæ; hæc enim una ſcientia eſt, licet ſe exerceat in pluribus, imo in omnibus materiis, Phyſicâ, Metaphyſicâ, &c. quia nimirum ubique attendit idem, ſcilicet formam argumenti quæ in diverſis materiis non diverſificatur, ergo ſimiliter prudentia in omnibus virtutibus una erit, hæc enim attendit unum & idem in omnibus, ſcilicet mediocritatem. Non nego hoc habere aliquid difficile, puto tamen poſſe aſſignari diſparitatem, quod proportio ſit unum quid ſpecificum, quia conſiſtit in æqualitate graduum quatuor primarum qualitatum, & quia intenſio aut remiſſio graduum eſt ejuſdem rationis per quaſcunque qualitates, quantumcunque diverſas transferatur, ideo ſcientia attendens intenſionem & æqualitatem ejuſmodi poterit eſſe una. At vero mediocritas non ſtat in aliquo certo, neque in gradu determinato ſicut proportio, & exigit ſciri naturam ipſius virtutis quæ moderanda eſt: unde, quia hæ ſunt plures, proinde prudentiæ plures eſſe debent, & non ſufficit una ſicut in medicina corporali.

Eſt etiam alia non mala ratio dubitandi, quod prudentia habeat judicare de objectis omnium virtutum, & de actibus eorum, adeoque debeat una eſſe; nam ſi ſint ſingulæ prudentiæ pro ſingulis virtutibus, nulla una poterit de altera judicare, & multo minus de omnibus, ergo jam debet ipſa unica & ſola eſſe. Urgeo quia hæc eſt ratio cur Philoſophi communiter ponunt ſextum ſenſum communem ſcilicet Imaginativum, ut judicet de actibus & objectis ſingulorum. Sed enim hæc ipſa ratio, verti poteſt in oppoſitum, nam non impedit quin ſingulis virtutibus reſpondeant ſingulæ prudentiæ, ut nos aſſerimus, & Thomiſtæ negant, imo id convincit & intendit, eo quod dentur ſenſus proprii ſingulorum ſenſibilium, ſcilicet, viſus, auditus, &c. coloris, ſaporis, &c. atque adeo ſi ſit paritas, dabitur etiam prudentia juſtitiæ, & alia temperantiæ, &c. Quod autem detur aliqua prudentia communis quæ deinde feratur in omnes particulares, nihil nobis nocet.

Inſtari tamen poteſt quod poſſit nocere, nam ſenſus communis non fertur in objecta ſenſuum particularium, ſed in actus, proprie loquendo: & certe ſi ferretur, ſuperfluerent ſenſus proprii: ſicut intellectus quia fertur intelligendo in objecta omnium potentiarum, ideo non ponuntur ſinguli intellectus pro ſingulis objectis, ſed unus pro omnibus; ergo ſimiliter, ſi detur una prudentia conſiderans omnia, non erunt ponendæ ſpeciales prudentiæ pro ſingulis virtutibus, ſed una pro omnibus, nam habitus intellectuales menſurandi ſunt ad modum intellectus, non ad modum ſenſus. Itaque reputo minus abſurdum negare hanc prudentiam communem: neque ratio pro eâ allata urget, nam actus ejuſmodi non debet procedere à prudentia proprie, ſed ab alio ſuperiori lumine, puta ſyndereſi aut ſimili; de quo in ſeqq. nunc ſit

(***)

ACTIO IV.

Vtrum Prudentia dictet tantum de fine moralium virtutum, an etiam de mediis?

Breviarium.

N. 1. *Prudentia verſatur etiam circa fines virtutum.*

2. *Non tamen preſtituit fines illis.*

3. *Eſt habitus diſtinctus ab Ethica.*

4. *Aſſimilatur fidei infuſa.*

Thomas

Digitized by Google

1. THomas Cajetanus qui defendendum ſuſcepit Aquinatem ut ſemper à Scoto timuit, ita hoc loco pugnavit pro Sancto tanquam Scotus huic repugnaſſet. Quod non eſt ita, nam S. Thomas ait prudentiam non præſtituere finem, ſed prudentiam dictare de fine virtutis moralis, quæ concluſiones in terminis non pugnant; revera tamen pugnant authores, quia unus intendit aſſerere quod alius negat.

Dico ergo, & probo prudentiam verſari circa fines virtutum moralium & non tantum circa media, quia ſi prudentia ſit præciſe circa media, jam prudentia non erit una, nam ad virtutem moralem ſine dubio ſunt plura media: id autem eſt contra ſuppoſitum ab omnibus hic, & acerrime eſt contra Thomiſtas, qui non ſolum circa unam virtutem moralem volunt eſſe unam prudentiam, ſed circa omnes: nam non ſolum ad omnes virtutes ſunt plura media ſed etiam ad unamquamque. Conſequentia autem apertè valet, nam ſi media ſint objectum formale prudentiæ, non poterit eſſe unum niſi illa ſint tale.

Diceret forte aliquis, media eſſe objectum prudentiæ, ſed ſub communi ratione medii quæ una eſt, non autem ſub propriis rationibus, quæ ſunt plures ſed male; ſine dubio enim virtus prudentiæ diſtinguitur objecto à vitio calliditatis, à doloſitate, & aliis, quæ etiam verſantur circa communem rationem medii ſecundum hunc: non diſtinguitur autem niſi per particularem rationem medii, adeoque prudentia conſiderat determinatam rationem medii, ac non tantum communem. Urgeo, ſuppoſitis quæ jam ſupra dixi de pluribus prudentiis, nam prudentia & regulæ ejus circa abſtinentiam ſunt eædem ſpecie cum regulis fortitudinis aut non? quod ſecundum ſine dubio dicendum eſt; at vero id non poſſet dici ſi prudentia non attingeret proprias rationes medii ad hanc virtutem.

Scotus ibidem format aliam rationem pro concluſione quæ eſt iſta; virtus moralis ſemper ſequitur ordine naturæ prudentiam aliquam: ex electione autem finis particularis, puta caſtitatis generatur virtus moralis, igitur iſtam electionem præcedit aliqua prudentia; ergo non eſt ita proprie reſtringenda ut tantum ſit habitus circa media ordinata, dictata ad conſequendum finem particularem electum. Ita ille, quod etiam alii aſſumpſerunt poſt ipſum: ſed enim non eſt tam ſolida niſi quid addatur ei; nam Adverſ. negant majorem, ſive ad omnem actum virtutis moralis debere præcedere prudentiam, ſed vel hanc, vel illam aliam quam vocant ſynderesin, vel etiam ipſam rationem naturalem, quæ ſufficit ad dictandum quod bonum virtutis ſit proſequendum: nec facile refelli poteſt inventio hæc abſolute, ſeu in toto. Tamen quod non ſufficit ſimpliciter, patet, quia ſynderesis non dictat omnem finem virtutis, ſed tantum virtutis neceſſariæ, & ex terminis notæ. Eſt enim ſynderesis habitus primorum principiorum: certum eſt autem quod prima principia non dictant de quocumque bono, ſed tantum de primo & evidenti. At vero clarum eſt eſſe aliqua bona quæ non ſunt evidentertalia, neque eorum bonitas eſt principium lumine naturæ notum, ergo. Hæc manifeſta fient per dicenda concluſione ſequenti, & viciſſim ſequentia per iſtam.

2. Dicendum enim eſt prudentiam non præſtituere finem, nec dictare de fine omnium virtutum: hujus probationem do per inſtantiam; nam vivendum eſſe pacifice; Rempub. defendendam, qui ſunt fines juſtitiæ; cuique ſuum permittendum, &c. dictantur ab ipſo intellectu, ſeu lumine ipſo naturæ, & præveniunt omnem prudentiam, adeoque non habentur ab ipſa. Deinde aliud genus virtutum & finium eſt quod non habetur à prudentiâ, ſuntque virtutes ex inſtitutione, ſeu ad placitum & tantum ad melius eſſe, qualia jam ſunt paupertas ſtricta, caſtitas virginalis, & ſimilia ad quæ ratio naturalis non pertingit: hæc ergo & ſimilia non dictantur à prudentiâ, quæ non ſolum verſatur circa media neceſſaria ad earum conſequutionem, ſed etiam circa ipſam intentionem, & volitionem earum, & hæc eſt mens ac doctrina Subtilis citati.

Hic altercantur Ethici circa tria illa ſynesim, eubuliam, & Gnomen: num ſint habitus ſpecie diſtincti? ſed negligenda magis quam decidenda videtur frivola lis orta ex merâ fæcunditate linguæ Græcæ in quâ Ariſtoteles ſcripſit, & idem diverſis nominibus aut reſpectibus effertur. Eſt enim eubulia virtus inventiva mediorum ad finem conſequendum. Synesis autem vis dictativa de mediis ab eubuliâ inventis. Gnome judicativa per rationes naturales ubi leges deficiunt. Eius exemplum ponit D. Th. hic q. 52. quod recte judicetur: depoſitum non eſſe reddendum impugnatori patriæ, ſcilicet propter ſpecialem rationem, quæ præjudicat communi regulæ synesis ſeu primi principii quod dictat, ſuum cuique reddendum. Hæc inquam non controvertenda, ſed contemnenda ſunt, quum manifeſtum ſit hanc pluralitatem in uno principio contineri poſſe, nec enim diverſitas actuum debet ſtatim inducere diverſitatem habituum aut principiorum, ſic apud ipſos, ſcire ſylogiſmos & conficere ab eodem habitu proveniunt, eo quod Logica utens & docens ſint unus idemque habitus: apud nos, phantaſiatio, imaginatio, collatio, &c. ab eadem potentiâ proveniunt, non enim ponimus niſi unum ſenſum communem.

Dici tamen poteſt, aliud eſſe de potentia, aliud de habitu, nam una potentia ſufficit rebus ad quas multi habitus requiruntur. Fateor probationem non eſſe immediatam propter rationem jam allatam: convincit tamen per paritatem, nam ratio quæ reſtringit hic negotium ad unam potentiam, cogit etiam alibi reſtringere ad unum habitum, ut vides. Deinde non deſunt exempla ipſorum habituum, ut patuit jam in Logicâ; pro quibus clarius capiendis refero me ad ſtatim infra dicenda: nunc adverto Cajetanum, quum re ipſa non poſſet Scotum carpere, voluiſſe capere eum in ſermone, quaſi implicaverit in terminis quum dixit; ex electione finis particularis generari virtutem moralem: quia (inquit) finis non eligitur, ſed electio eſt mediorum, non enim neſcivit hoc Scotus, ſed neglexit, quum non fuerit intentum eius proprium: extra hoc autem ſoleant, & poſſint confundi iſta, nam & Ariſtoteles 2. Moral. eodem. cap. ultimo: *Equidem finis gratia agere oportet, verum ut finis rectus præfigatur, electionis munus eſt.* Et ipſe Cajetan. rationem huius non male aſſignat, quia nimirum contingit plura media ſubordinari ad unum finem principalem, & quod fuit ad finem in pri-

Digitized by Google

in primo diſcurſu, fit finis in ſecundo diſcurſu, ſi ergo finis aliquando eſt medium, quidni aliquando eligatur?

Major difficultas eſt quomodo Prudentia diſtinguatur ab Ethica, nam Ethica verſatur circa agibilia, & ſine dubio eſt recta ratio; ab illa haberi poteſt quid faciendum, & quid omittendum, ut videatur dicendum hæc ambo idem eſſe, aut, ſi plura ſint, unum ſufficere, alterum ſuperfluere, atque ita non dari in eodem.

3. Dicendum reſolutive Ethicam & Prudentiam eſſe plures habitus. Hanc facilius eſt probare, quam defendere. Ratio prima, quia Ethica eſt ſcientia, prudentia non. Secunda, quam innuit Subtilis probabilem loco ſupra citato, quia prudentia requirit appetitum rectum, vel piam aliquam affectionem; Ethica non requirit. Tertia quæ eſt quodammodo cauſa primæ, quia Ethica procedit de univerſalibus, prudentia de ſingularibus.

Diſplicet hæc ratio cuidam Recenti, qui adverſus eam arguit, quia (inquit) poſitâ doctrinâ univerſalium nulla eſt difficultas, reſolvendi de particularibus, vel ſingularibus. Si enim conſtat mihi omne mendacium eſſe perniciosum, ſane ſat ſcio hoc in individuo eſſe tale, adeoque non eſt ponendus habitus prudentiæ poſt Ethicam, ſed prudentia erit vel ipſa Ethica, vel Ethica & Logica ſimul, quia hujus eſt inferre ſequelas.

Ante ſolutionem hujus addo quartam rationem quæ omnino deſtruit poſitionem Recentis, eſtque quod Ethica ſit diſcurſiva, prudentia non item. Hac poſitâ ruit oppoſitio illa Recentis: non enim prudentia eſt illatio particularis ex univerſali, neque illatio eſt prudentia, ſed Logica, vel quid ſimile; eſt enim plerumque poſitio mere ſpeculativa, ut patet exemplo poſito de mendacio quod ſit perniƈioſum.

Probo autem ex profeſſo intentum, quia nimirum non poteſt prudentia ſive dictamina ejus inferri ex præmiſſis communibus: ſtatuamus exemplum: Hoc quod eſt depoſitum eſſe reddendum: eſt principium Ethicum, unde tamen non licet inferre, gladium inſano eſſe reddendum. Dices, cauſa eſt, quia Ethica non dictat abſolute depoſitum eſſe reddendum; ſed addit, ubi non eſt periculum mali. Accipio additamentum; tum enim ſubſumendum eſt: atqui hic & nunc non eſt periculum mali. De hoc dictamine, quæro, cujus actus ſit? prudentiæ utique, nam ſapientiæ, aut ſcientiæ Ethicæ non eſt cum ſit de ſingulari. Atqui hoc dictamen clarum eſt quod non poſſit haberi per diſcurſum, quam ſit præmiſſa, & principium neceſſarium ad diſcurſum quem tu intendis, ergo denique prudentia non eſt diſcurſiva, revera enim omnia dictamina prudentiæ ſunt ſimilia, procedunt enim de agibilibus in particularibus circumſtantiis, & proinde ipſa requiritur, & eſt vera virtus, quia valde difficile eſt reſolvere ejuſmodi caſus, quis enim novit, utrum ille, v. g. ſit plene inſanus, an ſemiinſanus, &c. ut debeam dare aut negare ei gladium depoſitum?

Itaque ſicut fides non eſt diſcurſiva propriè, ſed immediatè tendit in ipſum revelatum ob revelationem, ita neque prudentia eſt diſcurſiva, ſed tendit immediate in ipſum verum ob veritatem, quæ licet ſpeculativè loquendo fortaſſis abſit, tamen practicè nunquam deeſt, & eo ipſo prudentia eſt infallibilis & virtus, &c.

* * *

De Prudentia:

XEnor. lib. *περι φρονήσεως* Ariſtot. *lib* 6. *Ethic. c.* 15. *&c.* M. Cic. *lib.* 1. *Officior.* D. Ambroſ. *item lib.* 1. D. Auguſt. 1. *de lib. arbitrio c.* 13. *& l.* 83. *qq. qu.* 31. D. Hieron. *in epiſt. ad Epheſ.* S. Thom. 1. 2. *qu.* 60. *&* 22. *q.* 48. *& cum eo* Cajet. Vaſq. *diſp.* 55. Mont. *d.* 38. Rada 3. *p. Controv.* 15. Joannes de Torres *de philoſ. princip. l.* 8. Suar. *diſp.* 44. *Metaph.* Puente Hurt. *diſp.* 16. *de Anim.* M. Pilos *d.* 112. Gualt. Burl. *in Ariſt. citat.* Euſtrat. *ibid.* Joan. Lorich. *in Theſ. Theol.* Oront. *lib.* 12. *c.* 13 Buridan 6. *Ethic. q.* 20 Tarquin. Gallut. *q.* 1. *in cap.* 5. *lib.* 6. *Ethic. & q.* 1. *in cap.* 13. Conymbr. *diſp.* 8. *Ethic.* Joan. Selas *in* 1. 2. *Tract.* 11. *diſp.* 3. Almayn. 3. *Moral.* Foxius *in Compend. de morib. & in compendio Ethic. l.* 3. *&c.* Leon. Leſſius. *de Iuſt. & Iur.* Jovinian Pontan. *Tom.* 1. Valent. *Tom.* 3. *d.* 4.

APOLO-

Digitized by Google

APOLOGIA SECUNDA

De Iuſtitiâ.

ACTIO I.

Quid Juſtitia ? &, an eſſentialiter ad alterum ?

ACTIO II.

De Juſtitia Legali.

ACTIO III.

De diviſione Juſtitiæ in Commutativam, & diſtributivam ?

ACTIO IV.

De Vindicante Juſtitiâ.

Scotus 4. *diſt.* 46. *q.* 1. *num.* 2.

ISta ſecundâ ſubdividitur, quia vel eſt quaſi univerſalis ad alterum, puta ad legiſlatorem, & ad legem in quantum eſt regula quædam determinata à legiſlatore; & hæc dicitur à quibuſdam juſtitia legalis. Vel eſt particularis, puta in aliquo particulari determinato pertinente ad legem, rectitudo ad alterum; & hæc ſecundâ ſubdividitur, quia vel poteſt eſſe ſimpliciter ad alterum, vel ad ſe quaſi ad alterum.

Idem *diſt.* 14. *quaſt.* 2. *num.* 3.

DIcò quod vindicare non eſt principaliter propter correctionem puniri, licet quandoque illa correctio ſequatur, ſed eſt per ſe ut ordinetur culpa per pænam, & obſervetur lex punitivâ in qua tranſgreſſum eſt. Et quum dicitur hoc eſſe crudelitatis, patet quod non: quia ulterior finis eſt bonum commune: ſed crudele eſſet ſi ſtaret in fine alio quam communi, &c.

ACTIO I.

Quid Iuſtitia? & an eſſentialiter ad alterum?

Breviarium.

N. 1. *Definitiones Ariſtot. & Vlpiani taxatæ.*
2. *Recta definitio ejus. Vbi an ſit vere virtus?*
3. *Iuſtitia non ſemper eſt rigide ad alterum.*
4. *Argumentum in oppoſitum, ſolvitur.*

1. Libro 5. Ethic. ſtatim à principio Ariſtoteles non tam judicem aut doctorem, quam encomiaſten Juſtitiæ agit; *virtute perfectam* vocans; cujus loci margini adſcriptum eſt: *virtutem praſtantiſſimam.* Addit ille, quod; *neque Heſperus, neque Lucifer ſit adeo admirabilis, &c.* quæ quidem ignoſcenda eſſent Rhetori, ſed in philoſopho notanda; quod ſolum ideo pro nunc dico, quia hic non eſt campus ſingula expendendi: Interim cenſeo hæc aliquid hyperboles habere, neque juſtitiam excedere omnes virtutes, ſed à quibuſdam excedi, imo for-

fortaſſe ab omnibus moralibus proprie. Sed hæc differo infra, nunc libet decidere potius quid ſit Juſtitia? à quo fere omnes incipiunt.

In quo puncto quia vix poteſt quidpiam jam dictis addi, videbo ſi poſſet detrahi: ad quod, producam ipſas aliorum definitiones. Igitur Ariſtot. loco citato docet juſtitiam eſſe habitum quo reddimur ad res juſtas idonei agendas, & quo facimus & volumus iſtas: quæ definitio ſi ad amuſſim Logicæ expendatur, damnanda eſt omnino tanquam plane irregularis: quale enim eſt definire mihi juſtitiam per juſtum? quaſi vero aliquis ſciat juſtum qui neſcit juſtitiam. Deinde præterquam quod rota eſt in primâ parte, altera illa non ſolum ſuperflua eſt ſed falſa: non enim per juſtitiam *facimus juſta*, ſed tantum *volumus facere*; juſtitia enim in ſola voluntate eſt, non in illa ſimul & aliis potentiis: Alii fortaſſis alia vitia in eâ notarunt, propter quod communiter amplectuntur definitionem ab Ulpiano traditam l. *Juſtitia ff. de Iuſt. & Iur.* quod ſic: Conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi: quam definitionem D. Thom. 22. q. 58. late proſequitur & defendit, ſcilicet ab iis quæ ipſe ei objecit. Mihi contra eam videntur facere hæc puncta primò, quod conſtantia illa non videatur quid definitivum juſtitiæ, neque ullius virtutis, quia eſt duratio earum, adeoque extrinſeca ipſis, eo quod ſit quædam quantitas. Sicut ergo quantitas permanens non variat rationem ejus quod afficit, (nam ejuſdem rationis eſt lapillus parvus, aut pulvis terræ, & mons,) ita non debet variare quantitas ſucceſſiva quæ eſt duratio & conſtantia. Iterum ad idem: demus enim recte poſitam ibi conſtantiam ſecundum ſe, at non recte poſita eſt de facto cum perpetuitate; quod enim eſt perpetuum, clarum eſt id eſſe conſtans.

Tertiò quia redit huc vitium in Ariſtotelis definitione reprehenſum, ſcilicet circulatio quædam, eo quod hic definiatur juſtitia per jus, quod eſt velut idem aliter dictum. Præterea, propria ratio juſtitiæ ut ab aliis diſtinguitur hic omittitur, ſcilicet eſſe ad alterum; quin imò, oppoſitum quodammodo ponitur, quam dicitur ius ſuum cuique tribuens, ſi enim cuique tribuit, iam etiam habenti iuſtitiam. & ita idem ſibi ipſi tribuit. Ut denique addam circa illud τo ius, quod iuſtitia non tribuit ius ulli, ſed ſupponit, & propter ius quod eſt titulus in rem, tribuit id in quod ille titulus habetur.

2. Dicerem ergo certius ad evadenda omnia hæc vitia, & pericula eorum: quod Juſtitia ſit virtus quæ ſuum alteri tribuit. Vides hic omiſſa illa quæ alias definitiones vitiabant: omiſſum ius, omiſſam conſtantiam, &c. poſitum ly virtus, & τo, alterum pro nunc, uſque dum hoc ipſum maturius expendetur: nunc contra primum.

Obiicies, quod ſcilicet Juſtitia non ſit virtus: ſi enim foret tum quilibet actus eius eſſet virtuoſus & liberalis, id autem non eſt ita, quin potius certiſſimus actus eius eſt ſordidus & illiberalis; nam certiſſima ſpecies iuſtitiæ eſt commutativa: at vero commutativa eſt ſordida, quid enim vilius cauponibus & ſutoribus? urgetur, quia actus virtutis eſt laude dignus, illi autem non proinde laudantur, ſed contemnuntur, nec cenſetur honorificum opus, ſed abiectum, unde & interdicitur huiuſmodi opus clericis & monachis, utpote quorum conditio nobilis eſt. Vidit hanc difficultatem Michaël Salon, & reſpondit omnem actum iuſtitiæ eſſe laudabilem, eſſe tamen aliquos qui non ita bene audiant, vel quia ſunt imæ perfectionis in illo genere, ut caſtitas coniugalis reſpectu virginalis, &c. vel quia exercentes huiuſmodi munus communiter malè ſe gerunt. Ita (inquit ille,) negotiatio & nundinatio, bonæ & laudabiles, imo neceſſariæ ſunt in Repub, at vero ipſi nundinatores nimiâ avaritiâ male ſe gerentes, reddiderunt officium infame: ſed non prævaluit, nam neque caſtitas coniugalis deſinit inter virtuoſa cenſeri, neque nundinatio eſt infamis, ſed tantum ignobilis: talis autem eſt, non quia illi male ſe gerunt, ſed ex ſe, unde etiam apud probos, & qui neminem defraudant, adhuc cenſetur occupatio illiberalis. Reſpondēdum ergo eſt, quod revera eſt actus iuſtitiæ, id certo eſſe honeſtum & honorificum, at vero venditio, & emptio non ſunt proprie actus iuſtitiæ, in quo hallucinatus eſt Salon: etenim actus iuſtitiæ tribuit alteri quod ipſius eſt propter titulum quem habet in rem tribuendam; at vero in venditione hoc non fit, ſed ipſe titulus tribuitur, (ad quem ille alius antecedenter nullum titulum iuris habuit, alias ibimus in æternum) non vero res propter titulum. Duo ergo ſunt hic attendenda, unum commutatio, (vel etiam ſi ſit donatio,) alterum redditio rei donatæ vel venditæ. Commutatio ipſa non eſt proprie iuſtitia: at vero poſtquam translatum eſt ius rei in alium dominum, tum reſtitutio rei illi domino eſt vere liberalis, honeſta & virtuoſa actio. Jam de eo quod eſt an venditio & mercatura ſit ex ſe illiberalis ut ſupponebat argumentum? cenſeo tenendum cum Cicerone ex parte, lib. 1 offic. dicente: *Mercatura ſi tenuis, ſordida putanda eſt, ſin vero magna, & multa undique aſportans, non eſt, &c.* Quum ergo ſub haſtâ aliqua ſuppellex vænit: cum caupo vinum per amphoras, aut calices vendit cuivis ex populo promiſcuè, & ſimiles tecula, ut faſcias, acus, aciculas, id genus mercimoniæ vile reputari debet, & vero nobili indignū, at vero quùm hinc inde transferuntur res magni valoris & molis, ut ſi quis claſſem aliquam ſaccaro onuſtam tranſmittat in alias oras, & aliam æris, argenti, aut auri recipiat; quum bibliothecæ in provincias precio tranſvehuntur, & alia id genus, hæc inquam ſunt quovis ingenuo digna, alioquin degenerarent principes, & mechanici eſſent, quum mutuo ſibi urbes aut provincias vendunt. Jam ad alteram partem ſupra relictam:

3. Dicerem Juſtitiam ſimiliter quidem & abſolute dicendam eſſe potius ad alterum; totaliter tamen non eſſe talem. Ultimum hoc videtur contra communem & diu receptam ethicam: ſed non caret fundamento: Subtilis 4. diſt. 46. q. unic. palam ait: *Hæc ſecunda* (juſtitia particularis) *ſubdividitur; vel quia poteſt eſſe ſimpliciter rectitudo ad alterum: vel ad ſe quaſi alterum*: ut ſupra in themate: ecce juſtitiam aliquando ad ſe ipſam realiter.

Ratio

Ratio prima mihi ſit iſta; quia qui utitur re ſua facit actum juſtum, ſed talis nihil facit ad alterum: ſit inſtantia de eo qui ſuas pecunias in propriis neceſſitatibus expendit; qui ab uxore exigit debitum, & ſimilia. Quæ omnia confirmantur quia jus eſt objectum juſtitiæ; atqui ille in tali caſu habet jus, & utitur eo jure, ergò juſte agit, ſive, habet actum circa objectum, & in materiâ juſtitiæ

Secunda inſtantia ſit in patre qui caſtigat filium, & (niſi hoc ſufficiat) in domino caſtigante ſervum; hic enim ſine dubio eſt actus juſtitiæ, ſcilicet punitivæ, & tamen non eſt hic alteritus ſecundum communem, nam filius non eſt ſimpliciter alius à patre, ſed quaſi pars ejus, ſicut arboris ramus, loquor enim de filio nondum emancipato, quomodo authores communiter loquuntur quum ajunt eum non eſſe alium.

Hanc ipſam iſtantiam aliter urgeo. nam ſervus quando furatur à domino facit ei veram injuriam, & filius patri, & multo magis ſi occidat eum; & tamen ut jam dixi, filius minorennis non cenſetur ſimpliciter alius à patre, nec ſervus à domino, ergò.

Denique clericus qui ſeipſum feriret, aut mutilaret ex rabie & ira, is inquam incurreret excommunicationem & irregularitatem propter injuriam factam ſibi, quia læſit ſeipſum, non enim alium læſit, ut ſupponimus, adeoque poteſt quis lædere ſe, & ita ad lædendum jus non eſt opus aleitate

Dices illum incurrere pœnam, quia injurius fuit ſacro ordini; etenim immunitas illa à percuſſione non eſt privilegium perſonæ, ſed gradus; atque ita ex hoc caſu non habetur quidquam à ſe ipſo lædi. Audio; & quæro utrum gradus cui ille injurius fuit ſit gradus ut ſic abſtractus; an vero gradus quem ipſe agens poſſidebat? primum eſt ſtultum dictu, iſte enim nec agere poteſt nec pati aliud quam cogitationes noſtras: ſecundum autem pro me facit, utique enim ille gradus non eſt à ſuppoſito diſtinctus, ſed unitus potius ipſi agenti.

4. Objicies vulgatum illud: quod juſtitia ſit ad alterum: unde ab Ariſtotele citato dicitur *Bonum alterius*, utique ad diſtinctionem aliarum virtutum moralium quæ ſunt bonum habentis. Et confirmatur alio principio, quia nemo poteſt facere ſibi injuriam, cuius ulterior ratio eſt, quia volenti non fit *iniuria*; quod autem homo facit, utique volens facit.

Reſpondeo hic examinari vulgatum illud & veritatem eius, quam ego quoque conceſſi in concluſione, ſed moderatam, ut eſſe debet. Itaque dico juſtitiam eſſe ad alterum, quia principalis actus eius talis eſt, ſcilicet commutatio: hæc inquam neceſſario & eſſentialiter eſt ad alterum, quia nemo à ſe emere poteſt, nemo ſibi vendere, ſed nec ſibi donare &c. Sunt etiam alii actus in materia juſtitiæ, qui non poſſunt fieri eidem à ſe; nemo enim ſibi injuriam facere poteſt, nemo à ſe furari &c. At verò quod omnes omnino actus in materia juſtitiæ ſint ad alterum, omnino negandum eſt, & ita eſſe oſtendunt evidenter probationes poſitæ pro concluſione: quod de his ſufficiat; & ſit

* * *

ACTIO II.

De Iuſtitia Legali.

Breviatium.

N. 1. *Iuſtitia legalis impropria eſt.*

2. *Neque tamen eſt virtus ſpecialis.*

3. *Objectiones poſitæ, & ſolutæ.*

4. *Videtur quid præſtantius juſtitia. An principaliter in Principe.*

1. DUo hic decidi volunt communiter; unum eſt mens Ariſtotelis; alterum res ipſa, tanquam curandum eſſet de illâ quum de re conſtat, aut æſtimanda foret ullius doctrina ſi rei veritati contraveniret. Quid ſi dicam Ariſtotelem non tradidiſſe hanc juſtitiam? Volve, revolve ipſum ubi pro hac adfertur, non offendes niſi ambages verborum, ipſum autem nomen juſtitiæ legalis non item.

In re autem certum eſt dari juſtitiam legalem (ſi tamen ita appellanda ſit) id eſt habitum ordinantem privatum quemque ad publicum bonum; de quâ quæri poteſt an huc pertineat: ſive an ſit vera ſpecies juſtitiæ, necne? Subtilis punctum hoc non reſolvit, licet Vulpes ſuo more inducat eum huc, tanquam nihil omiſiſſet. Unde liberum erit nobis ſententiam ferre nullius authoritati devinctam.

Dico ergò probabilius videri, quod juſtitia quæ dicitur legalis non ſit propriè talis, ſeu rigoroſa juſtitia, ſed alterius ſpeciei virtus: explicabo materiam ut probem; Quælibet Reſp. eſt corpus morale integratum ex pluribus membris, quæ membra comparari poſſunt vel ad ſe mutuò, vel ſingula ad totum. Primo modo ſumpta exercent juſtitiam particularem, puta commutativam hinc inde: ſecundo modo hanc legalem, & generalem per quam determinantur ad quærendum bonum publicum omni conatu. Unde ſi Reſp. invaditur ab hoſte, debent militare. Si conſumpta eſt ſumptibus debent ex proprio juvare &c. Quæritur ergo de principio huiuſmodi actuum utrum ſit virtus? utrum ſpecialis ab aliis diſtincta? & denique nominatim an ſit ſpecies Juſtitiæ?

Dixi hanc eſſe virtutem quod quiſque concedet, quia eſt honeſtum, habetque difficultatem. Formari etiam poteſt ratio pro eodem ſic: Quod eſt conforme principio, aut dictamini naturali, eſt agendum rationabiliter & honeſtè;

Digitized by Google

Natura enim non dictat aut mala, aut indifferentia eſſe facienda primo, & per prima principia: Hoc dictatur: nam quum imminet periculum capiti à quo vita totius corporis pendet, ſtatim naturæ inſtinctu manus ſe objicit ictui, & permittit ſe feriri loco capitis, ergò jam natura dictat partem debere eſſe ſollicitam de toto, & quidem magis quam de ſe ipsâ, adeoque actio ſine dubio erit honeſta, quia conformis primo principio practico.

2. Dico jam non videri eam eſſe ſpecialem virtutem, ſed aliquam ex antea inventis, ut neſcias quare Ariſtoteles ſeorſim numeraverit, (ſi tamen numeravit) eam: Ratio mihi, quia ſi hæc virtus ſpecialis ſit rectè poſita, debuit etiam poni virtus quâ Reſp. reſpicit bonum privatorum civium: Patet enim comparationem fieri poſſe civis ad civem, & civis ad Remp. præterea etiam Reip. ad civem. Si ergò comparatio civis ad civem, & civis ad publicum faciunt ſingulæ ſingulas virtutes, quidni etiam comparatio civis ad Remp. faciet adhuc aliam; Atqui hæc non ponitur neque ab Ariſtotele, neque ab aliis communiter. Unde poſſumus vertere argumentum ſic ſubſumendo: Comparatio Reip. ad civem ſive totius ad partem non facit ſpecialem virtutem, ergò nec comparatio partis ad totum.

Secundò, quia quælibet actio ex his quæ juſtitiæ generali adſcribuntur propriè eſt in aliqua ſpecie; non poteſt autem eſſe in duabus ex ſe, ergò. Quod verò non ſit illa ſpecies juſtitiæ propriè, (quæ fuit prima concluſio) ſic ſuadeo, primò ſpeculativè, quia non eſt ad alterum propriè, nam civis non eſt alius à Republ. eo quod Reſpubl includat hunc, & alios; neque ipſa eſt aliud quam ſinguli illi ſimul poſiti: Quia ergò totum, maximè aggregatum, non eſt aliud quam ſuæ partes, proinde ſicut nihil poteſt eſſe aliud à ſe, ita nec à partibus, quia ipſum eſt ſuæ partes, non ſolum omnes, ſed ſingulæ, etſi partialiter.

Dici tamen poteſt quod ſi negetur diſtinctio ſufficiens inter partes & totum, etiam negari debet juſtitia inter ipſas partes, quia nimirum omnes faciunt unum ſuppoſitum totius. Si ergo requiritur diſtinctio ſuppoſitorum ad juſtitiam, non dabitur ne quidem inter cives mutuò, quod eſt falſum, quia ſumma, & ferè ſola juſtitia inter hos verſatur. Reſpondeo tamen negando ſequelam propter diſparitatem totius moralis à phyſico; partes quidem totius phyſici ſunt omnes unum ſuppoſitum, at partes moralis totius ſingulæ ſunt ſuppoſitum, ſeu unum corpus. Poſſunt quidem accipi ut unum ſuppoſitum ſeu unum corpus Reip. ſed ſic non exercerent juſtitiam propter defectum aleitatis. At vero ſunt, & accipi poſſunt ut diverſæ: Imò ipſa Reſp. poſſet accipi ſic ut exerceret juſtitiam cum privato ſi ſcilicet uteretur ſuis bonis propriis, puta quæ ſunt fiſci, aut Principis qua talis

Probo ſecundò intentum: Nam ſi intercederet verè juſtitia inter civem & Remp. quæ eſſet legalis hæc, & univerſalis, tum civis quando deeſſet ſuo muneri erga Remp. teneretur ad reſtitutionem; id autem nemo prætendit, & eſt revera falſum ergò: ſequela tamen patet, quia hic eſt character peccati contra veram juſtitiam, ut delinquens teneatur ad reſtitutionem.

Huic rationi reſpondit Salon tranſgreſſionem juſtitiæ legalis non inducere onus reſtitutionis, quia quod habent cives, quamdiu apud illos manet, non eſt Reip. appropriatum: At vero quouſque ei approprietur, vel tranſeat in rem ipſius non ſequitur obligatio reſtitutionis. Unde qui omiſit expendere de ſuo imminente hoſte, vel qui noluit artem ſuam applicare publico uſui, non tenetur ceſſante periculo artem reſtituere, nem impenſas facere. Ita ille; & ego fateor non teneri; ſed dico illum non poſſe hoc ſuſtinere, non enim opus eſt ad obligationem reſtitutionis ut res deſtructa ſit in poſſeſſione alterius, ſed ſufficit quod ſit in dominio eius: etenim quis exiſtenti in extrema neceſſitate, ſuppoſito quod neceſſitatus adquirat dominium, ac non tantum uſum rei, tenetur ad compenſandum negatum ei ſi ſupervivat. Si ergo Reſp. adquirat jus in bona civis, ut volunt Adverſarii, (aliter enim non faceret juſtitiam quæ fundatur ſemper ſuper jus) tenetur civis omittens ſubventionem eius reddere ei quod ipſius erat & ipſe negavit ei. Si ergò cenſet ille quod non tenetur, habet dicere quod non pertingat ad ipſum vera obligatio juſtitiæ; adeoque legalis, & univerſalis quæ ipſum attingit non eſt verè talis

Sed hinc oritur aliqua difficultas: nam ſi verum ſit quod jam dictum eſt, eum qui in extremâ neceſſitate negat ſubſidium indigenti teneri poſteà ad reſtitutionem, tum civis ſubtrahens ſe ab auxilio Reip. impendendo per exhibitionem ſumptuum, tenebitur ad reſtitutionem; hoc autem, ut vidimus eſt ſignum juſtitiæ rigoroſæ, ergò

Reſpondeo tamen, etſi demus illud ſuppoſitum eſſe certum (quum tamen ſit controverſum,) adhuc Adverſarium non viciſſe, nam civis unius Reip. in tali neceſſitate tenetur ſuccurrere alteri, & tamen ille non tenetur alteri Reip. per juſtitiam legalem, quia non eſt membrum eius, adeoque illa obligatio non oritur ex juſtitia legali

Dici poteſt: civem ſuæ Reip. magis teneri ſuccurrere, & magis obligari quam extraneum; hæc autem major obligatio oritur ex juſtitia legali, ergo jam obligatio eius erit juſtitiæ propriè ſumptæ. Nego conſequentiam, quia exceſſus obligationis hic non inducit obligationem reſtitutionis, ſed tantummodo maiorem gravitatem peccati. Denique qui in unâ domo ſunt, & faciunt familiam, non habent hanc juſtitiam œconomicam legalem: ergò nec qui in eâdem Rep. ſunt, habent generalem

3. Objici tamen poteſt oppoſitum fundamenti ſupra à nobis conſtituti, num. 2. revera enim datur ſpecies juſtitiæ in Republicâ erga cives, ergò & in civibus erga Remp. Antecedens oſtenditur exhibendo ipſam; eſt enim juſtitia diſtributivâ; quia hæc obligat miniſtros Reip. qui pro ipsâ ſupponunt, ad diſtribuenda bona communia inter cives. Hæc obiectio videtur aliquid eſſe & labefactare probationem ſuprà à nobis poſitam: ſed non multum facit: nego enim aſſumptum; nego juſtitiam diſtributivam qua talem eſſe veram ſpeciem juſtitiæ. Fateor, qui inæqualiter diſtribuit, peccat, & tenetur aliquando ad reſtitutionē, ſed eatenus quatenus facit contra commutativam juſtitiam in illa diſtributivâ incluſam; de quo toto infra.

Obiici iterum poteſt, maiorem eſſe obligationem ſubveniendi patriæ quam civi, etiam quum teneris huic debitum reddere; ſi ergò obligatio

gatio ad civem eſt ſtricta juſtitia , multò magis erit obligatio ad Remp. Reſpondeo argumentum bene probare quod major ſit obligatio ; at non maioris juſtitiæ, ſed bene maioris virtutis. Illa ergò obligatio deſinit eſſe juſtitiæ rigidæ, non quia parva eſt, ſed quia eſt alterius ſpeciei, maioris quidem oneris abſolutè, ſed minoris obligationis aliquid ſolvendi ex propriis propter neglectum officium.

Cenſeo ergò juſtitiam legalem aut univerſalem, ut ab Ariſtotele poſita eſt ſaltem aliquo loco, meritò ſic appellari; at vero ut reipsâ intelligenda eſt pro debito hominis in patriam, & civis in Remp. non eſſe dignam eo nomine, ſed alio melius.

4. Cenſeo enim ſecundò hanc eſſe virtutem præſtantiorem quam ſit juſtitia. Moveor quia pietas, & religio præſtantiora ſunt , eo quod hæ habeant aliquid ſacri: Juſtitia autem eſt res forenſis & prophana. At vero hæc obligatio erga patriam maior eſt pietate erga parentes; teneor enim præferre patriam patri. Neque mireris hoc, quia & ipſe pater tenetur præferre eam ſibi; magis autem tenetur ſibi providere quam filius patri.

Itaque poſſumus hanc conſtituere ſpeciem præſtantiſſimam pietatis, & in hoc ſubſcribere Marco Tullio qui id pleriſque locis tradit: Etenim patres & patriæ cognata ſunt, ut patet; & utrumque eſt hominis principium externum &c. Quæ pro nunc ſufficiant de Juſtitiâ Legali à ſolo Ariſtotele ſcholis inductâ. Aliqui tamen amplius hic hærentes definiunt Juſtitiam hanc Legalem potiſſimè reperiri in principe ſeu gubernatore, in aliis minus.

Lib. de Som. Sap. & lib. 2. de invent.

His autem cenſeo contradicendum eſſe; neque admittendum hoc ſed oppoſitum potius quæ cenſura videtur contra communem aliorum. Moveor, eo quod illi non habeant fundamentum quo moveantur; ut patebit ex ſolutione ipſius infra ſtatim quum objicietur. Nunc interim probo ſecundum illud ex me, quod ſcilicet paulò minus ſit in principe, quia nimirum juſtitia legalis obligat ad procuranda commoda Reip. & ad præferenda ea privatis. At verò non ſemper Princeps ad hoc magis tenetur; ſed aliquando minus. Dico enim Regem minori culpâ poſſe præferre ſe ipſum Reip. quam hominem privatum, eo quod Rex ipſe propius accedat ad æquâdam Rempubl. ut pars nobilior eius quam privatus. Minor autem injuria & indecentia fit quando ſummo bono præfertur magnum , aut maius bonum, quam quando parvum.

Objiciunt: Principi incumbit ex officio curare Rempubl. cæteris non item, ſed communi vinculo, quo etiam Princeps tenetur, & præterea illo alio, ergo. Reſpondeo concedendo aſſumpta omnia, & negando conſequentiam , eo quod illud ſpeciale onus principis non oritur ex juſtitiâ legali, ſed ex commutativâ, quia nimirum accipit ſtipendium à Republ. Tenetur ergò ampliori juſtitiâ Princeps, non tenetur amplius legali, adeoque hæc non reſidet in principe præ aliis.

ACTIO III.

De Diviſione Iuſtitiæ in Commutativam, & Diſtributivam.

Breviarium.

N. 1. *Origo trium ſpecierum juſtitiæ : proportiones commutativæ & diſtributivæ.*

2. *Diviſionem in duo hæc malam eſſe : nec Diſtributivam eſſe verè juſtitiam.*

3. *Objectiones pro Diſtributivâ poſitæ, & ſolutæ.*

4. *Additæ duæ rationes ; una pro concluſione, altera contra ipſam.*

1. Dicam inprimis quid iſtæ ſint, ut tum ferri poſſit Judicium de bonitate diviſionis; ad quod ſupponitur in communitate aliqua tres eſſe habitudines; unam partium ad totum; alteram totius ad partem: ac denique tertiam partium ad ſe invicem, ſive partium ad partes. Jam ergo in Republ. (quùm expediat omnia eſſe ordinata) erunt tres virtutes quæ ſcilicet ordinant & componunt hominem tribus illis modis. Primo modo componit eum Juſtitia legalis, ſive univerſalis de qua hactenus. Tertiò Juſtitia commutativa quæ ponit æqualitatem dati & accepti. Secundò autem diſtributiva, quæ ſcilicet attendit ad dividendum bona publica ex æquo inter cives, ſervatâ proportione meritorum.

Ad quod ultimum advertendum eſt, verum & proprium diſcrimen Juſtitiæ commutativæ, & diſtributivæ eſſe quod commutativa attendat proportionem rerum ſive dandi ad acceptũ, reſtituendi ad ablatum , pretii ad mercem; &c. Diſtributiva autem propriè attendit non proportionem rerum, ſed proportionem proportionum: ut ſi v.g. pecunia fiſci diſtribuenda ſit in cives penes laborem ſingulorum, vel ſecundum dignitatem eorum; tunc diſtribuendo dices partem aſſignandam Paulo debere in tantum excedere partem aſſignandam Petro quantum labor Pauli in bello, aut dignitas in pace præcedit ſeu excedit laborem vel dignitatem Pauli reſpectivè. Ita ſi attenditur hic reſpectus qui eſt laboris ad præmium ſeu ſtipendium, juſtitia eſt commutativa. Diſtributiva autem id tantum exercet quod ſervat proportionem ſtipendiorum inter duos planè commenſuratam proportioni meritorum quę habent illi duo vel dignitatum, aut ſimilium qualitatum. Itaque illa eſt proportio rerum, hæc proportio proportionum; unde illa dicitur attendere Arithmeticam proportionem, hæc Geometricam: Ad rem.

Dicendum cenſeo quod diviſio juſtitiæ in hæc membra non ſit omninò exacta; idque quia Diſtri-

Digitized by Google

Diſtributiva ſecundum ſe non eſt vera & propria uſtitia. Hanc ſtatuo propter rei veritatem, & quia Doct. Noſt. non determinavit rem de mente ſua: nam 4. d. 46. ubi leviter attigit eam, refert tantum communem ſententiam Ariſtotelis, non autem decidit eam ſuo ſenſu in ullam partem ut videnti patebit. Reſolutio autem poſita eſt Buridani 5. Ethic. q. 7. & ex Scotiſtis Theod. Smiſing. Tract. 3. de Deo diſp. 4. q. 5. n. 72.

Probo: quia Juſtitia diſtributiva eſt quidam modus commutandi, ergò non debet cenſeri diſtincta ſpecies. Antecedēs probatur, quia eſt methodus dandi ſtipendium pro labore, vel beneficium pro dignitate, hoc determinato modo, ſcilicet attendendo proportionem proportionis, non immediatè proportionem rerum. Conſequentia patet, quia modus diverſus non diverſificat res in ſpecie; & ubicunque invenitur ratio commutationis, nō poteſt ibi eſſe ſpecies contrapoſita commutationi, vel juſtitiæ commutativæ ſed ad ſummum ſpecies aliqua ſubalternata ſub illâ. Confirmo, quia quantitas denſa, & rara non ſunt ſpecies diverſæ in ratione quantitatis, licet in modo accidentali differant.

Probo etiam aliter efficaciter, quia alias invenitur illa proportio Geometrica ſeu quaſi geometrica ſimul cum commutativâ & proportione Arithmeticâ intra eandem ſimplicem virtutem: ergò Juſtitia non debet dividi in duas, ex eo quod attendat huiuſmodi proportiones. Antecedens patet, quia amicitia & gratitudo attendunt hanc proportionem; quantum enim alius eſt mihi propinquior præ tertio, tanto debeo ipſi eſſe amicior præ altero; & tanto gratior quanto plus mihi benefecit præ illo. Et ut oſtendam rem in ipſa juſtitia commutativa, qui debet pluribus creditoribus quibus non poteſt omnibus ſimul ſolvere, debet cæteris paribus præferre antiquiores, ita ut quo magis unus præcedit alium tempore, eo magis præferatur in exhibitione ſolutionis, quæ eſt ipſa methodus juſtitiæ diſtributivæ, ergò.

Probo tertiò principaliter, quia ibi non eſt ſtricta juſtitiæ ſpecies, ubi non eſt ſtrictum jus, ſed inter partes juſtitiæ diſtributivæ non eſt ſtrictum jus, ergò. Maior eſt principium in hac materia; probatur autem Minor, quia hæc eſt inter civem, & eum cuius eſt deferre officia publica: atqui hic ſi dat officium magis dignum minus digno non facit iniuriam, aut illi aut Reip. quod inde probatur, quia ſic teneretur ad reſtitutionem, quod tamen negant communiter authores. Omitto an civis habeat ſtrictum jus in officia publica, quia puto in hoc neutram partem eſſe nimis certam, adeoque.

Probatio tertia, quia ſi inter has juſtitias eſſet diſtinctio ſpecifica, id eſſet quia commutativa non reſpicit dignitatem perſonæ, quam reſpicit diſtributiva: atqui id eſt falſum: nam Commutativa etiam hanc reſpicit, quia ad Juſtitiam commutativam pertinet ut maior compenſatio fiat ſi nobiliori ſeu digniori facta ſit iniuria, quā ſi minus digno, v.g. percuſſit quis plebeium; idemque percuſſit magiſtratum ſimili ictu; certè hic non ſimilem ſubiectionem, aut redditionem honoris debet rependere magiſtratui, & tamen reſtitutio ablati manifeſtè pertinet ad commutativam & ita docet ipſe D. Thom. 3. p. q. 1.

Obiicio: Juſtitia diſtributiva verſatur circa jus commune partibus communitatis; Commutativa circa jus privatum unius civis erga alium. Item diſtributiva attendit dignitatem perſonæ, non quantitatē rei, Commutativa è contra quantitatem rei non dignitatem perſonæ. Denique diſtributiva dividit ſecundum proportionem geometricam; Commutativa ſecundum proportionem Arithmeticam, ergò non poſſunt utraque eſſe idem, niſi velis omnia hæc confundere contra lumen rationis. Reſpondeo ad primum, concedo conſequentiam, quod non ſint omninò idem, non tamen formaliter diverſa; nam in primo illo manifeſtè eſt tantum materialis differentia, ſcilicet ſubiecti in quo eſt jus, quod ſit communitas vel perſona privata; ut omittam quod *in partibus* illis non videtur eſſe ſtrictum jus ad bona communia: adeoque non poſſint fundare ſtrictā juſtitiam. Ad ſecundum reſpondeo juſtitiam non attendere dignitatem perſonæ ut dignitas eſt, ſed ut fundamentum juris, quia autem jus eſt idem ſpecie ubique ſive proveniat ex quantitate, ſive ex qualitate, propterea idem ſpecie habitus reſpicit utrumque. Ad tertium reſpondeo eſſe tantum diverſos modos faciendi idem, & propterea non differre ſpecie. Præterea attendere proportionē Geometricam non eſſe proprium juſtitiæ ulli, ſed quid commune multis virtutibus, ut ſupra oſtendi; atque adeo propter hoc nōn eſſe ponendam ſingularem ſpeciem Juſtitiæ, ſed potius aliquod genus ſubalternum virtutis. In fine confirmo hanc partem paritate, quia temperantia, & fortitudo ſunt atomæ ſpecies, non verò diſtinctæ in plures, ergo ſimiliter Juſtitia erit, nec habebit ſub ſe duas ſpecies in quas dividatur.

Obiicit ſecundò Salon. Redditio ſui cuique, qui eſt actus Juſtitiæ, debet diſtingui penes rationem formalē: at vero in utrâque Juſtitiâ hæc ratio formalis eſt diſtincta, ergò & ipſa redditio, & conſequenter Juſtitia cuius eſt. Minor probatur, quia hoc quod dicimus *ſuum* ſive *debitum*, varium eſt; utique enim aliud eſt quod quis actu poſſidet, aliud verò quod ſolo jure, & adhuc expectatur ob merita vel ſimilia, ſed utraque hæc Juſtitia fundatur ſuper utroque hoc jure, ergò ſunt eſſentialiter diverſæ.

At enim hæc non movent me: nam ut demus ea eſſe veriſſima, probant ipſam commutativam diſtingui à ſe æquè ac à diſtributivâ. Etenim in ipsâ commutativâ intervenire poteſt poſſeſſio & non poſſeſſio, ut quiſque videt. Deinde non concedam ob diverſum titulum aut habitionem rei diſtingui iuſtitias, quia poſſidetur aut non poſſidetur: non enim fundatur Juſtitia ſupra poſſeſſionem, ſed ſupra ius, unde videndum eſt num Petrus habeat ius ſupra rem quam expectat, (putà hæreditatem legatam ei à patre abſente) vel non: Si ſic, quod negatur ei fit contra Juſtitiam commutativam; Si non; contra nullam Juſtitiam fit: & ita ſi fiat contra diſtributivam, iam diſtributiva non eſt Juſtitia.

Obiicit ultimò idem: Acceptio perſonarum quæ opponitur iuſtitiæ diſtributivæ eſt peccatū ſpecie diſtinctū à furto, rapinâ, uſurâ, quæ opponuntur iuſtitiæ commutativæ, ergò & ipſa diſtributiva à Commutativâ. Denique violatio commutativæ obligat ad reſtitutionem: violatio diſtributivæ non. Reſpondeo etiam, furtum, & rapina, & uſura diſtinguuntur à ſeipſis? Ultimum illud facit pro me: nam violatio iuſtitiæ ſemper infert reſtitutionem: Si ergò violatio diſtributivæ non infert, quid hinc ſequitur niſi diſtributivam non eſſe vere Juſtitiam?

Hic

Digitized by Google

Hic in fine ponam duas rationes quæ me movent hinc inde: Una eſt à parte mea, ſeu concluſionis poſitæ, quâ dixi diſtributivam non eſſe veram ſpeciem juſtitiæ, quod ſic videor mihi evincere: Diſtributio non poteſt fieri, niſi ubi adſunt plures; at verò præſentia plurium eſt impertinens ad juſtitiã, ergo & ratio diſtributionis, unde ſic argui poteſt: Pluralitas ſuppoſitorum eſſentialiter ſe habet ad diſtributionem; at non eſſentialiter, ſed per accidens ſe habet ad juſtitiam, ergo diſtributiva ſecundùm ſe non eſt juſtitia. Minorem utriuſque, in qua eſt vis, ſic ſuadeo, nam ſi res illa contingeret me immediatè, ut ſi ſolus haberem conditionem requiſitam in teſtamento ad omnia beneficia, vel ad totam ſummam, certè ſic pertineret beneficium & ſumma ad me, tunc quomodo pertineret, ſi perveniret ad me ex proportione ſervata: quid enim refert ad meum jus in ſex, quòd concurrant aut non concurrant mecum alii qui merentur quatuor? Tum ſic: Ius meum, (adeoque juſtitia,) ſtaret ſine pluribus; diſtributiva non ſtaret, ergo hæc non facit jus aut juſtitiam. Placet hæc ratio, quia utitur ipſa Geometria contra proportionem geometricam.

Eſt tamen ut dixi ab altera parte non contemnenda ratio iſta: nam ſi miniſter Reip. non diſtribuat officia & utilitates ejus ſecundùm merita & intentionem legantis, defraudat cives, & offendit eos in bonis, adeoque peccat contra ipſos: Non poteſt autem aſſignari contra quam virtutem peccet, niſi in juſtitiam, ergo in hanc peccat, non autem in commutativam, quia hic nulla res reſpondet ex parte civium officio, aut beneficio, ſed tantùm identitas, adeoque reſpectu eorum non eſt hic commutatio, erit ergo diſtributio. Reſpondeo, miniſter dividens inæqualiter & præter meritorum exigentiam, vel comparatur ad Remp. vel comparatur ad cives qui accepturi erant beneficia vel officia: Primo modo ſatis credibile eſt, quòd dans minus digno ſit verè iniuſtus, & proinde peccet contra commutativam, quia quùm Reſp. pendat ſtipendium illi ob huiuſmodi actus, debuit eos exercuiſſe, & ita ipſe videtur obligatus ad reſtituendam Reip. idoneitatem miniſtri quam omiſit, ſive ad ipſam compenſandam alio modo. At verò ſi comparetur ad civem, probabile eſt miniſtrum non facere veram iniuriam idoneo quem omittit, quia nimirum beneficium nunquam fuit ipſius, adeoque non abſtulit ei quod ipſius erat. Itaque adhuc non habemus probatam ullam iuſtitiam niſi commutativam.

Deinde do volenti quòd miniſter ille peccet contra iuſtitiam, etiam reſpectu civis; adhuc non habetur alia iuſtitia, quàm commutativa, quia nimirum tota obligatio eius eſt ex commutativa, & diſtributiva impertinens eſt ad negocium: fac enim magis idoneum, qui omiſſus eſt, fuiſſe ſolum & non coniunctum, aut comparatum minus idoneo, qui ei præpoſitus eſt; certè ſi miniſter iuſtitiæ illi negaret beneficium, perinde peccaret ſicut modo; & tum tamen nulla eſſet in eo diſtributiva, ergo de facto quando eſt, non peccatur contra ipſam.

ACTIO IV.

De vindicante juſtitia.

Breviarium.

N. 1. *Vindicativa in judice reſpectu Reip. pertinet ad communitatem.*
2. *Vindicta in privato non eſt juſtitia.*
3. *Objectiones in oppoſitum poſita & ſoluta.*
4. *Exigentia vindictæ comparata ad reum non eſt juſtitia.*

1. Ariſtoteles hic lib. & cap. 5. refert (ſi tamen ex fide,) mirabilem planè Ethicam Pythagoræorum, qui iuſtum dicebant idem ac talionem, quod ſane vix credi poteſt de ipſis in materia commutationis aut diſtributionis, quùm plane non pertineat ad ipſas, ſed ſolùm ad materiam punitionis aut vindictæ: quamvis deinde ipſe Ariſtoteles laboret, ut commutationes ad talionem reducat. De modo autem quo punienda ſunt crimina, & an ubique talio ſufficiat aut admitti poſſit? nunc nihil, tantum de iuſtitia vindicativa, quæcunque illa ſit.

Dico primò eam in Principe aut iudice conſideratam reſpectu Reip. pertinere ad commutativam, & (ſi quid iuvat,) etiam ad legalem. Ratio, quia ex officio iudici & principi incumbit vindicare errata, & ad hoc quaſi ſtipendio conductus eſt à Rep. quæ in hoc caſu eſt inſtar privati cum alio ſimili contrahentis; planè quemadmodum fiſcus ſolvere debet operariis, qui muros aut arces civitatis reſtaurant. Unde ſi quid minus facit, tenetur aut omiſſum in opus reducere, aut ſtipendium pro rata parte reddere. Confirmo, quia qui carceres Reip. infringit, tenetur damnum reddere: at verò carceres ſunt tantùm medium ad hunc finem. Sed non poteſt concipi quòd qui tenetur ad medium & finem, minus teneatur ad finem quàm ad medium, quin multò magis ad iſtum, quùm ubique materiarum: *Propter quod unumquodque tale, ipſum magis* 1.
tale. 2.

Dices: Supra dictum eſt quòd iuſtitia legalis non magis ſit in principe quàm in privato, at verò hoc quod eſt exigere pœnam, magis eſſe debet in principe, imo non poteſt eſſe in privato, ergo non erit iuſtitia legalis. Reſpondeo, dixi iam, quòd hoc titulo princeps debet velle vindictam, non verò exercere: hoc autem quod eſt velle, poteſt eſſe in privato non minus, quàm in principe, ergo voluntas huius eſt iuſtitia legalis exercitium autem non, aut non in quocunque.

2. Dico vindicta aut petitio eius in privato non eſt iuſtitia: Ratio prope eſt, quia non eſt virtus, ad quod ſuadendum diſtinguo ea quæ exigere poteſtis qui paſſus eſt iniuriam, aut

enim exigit reddi ablata bona ſive fortunæ, ſive famæ & honoris: aut exigit compenſari ablata in alio genere; ſunt enim aliqua quæ non poſſunt reddi in propria ſpecie, ut ſanitas, quùm quis verberavit aut vulneravit alterum. Vel ſi læſus eſt quis in fama, & vult recipere talionem aliquam in pecunia: hæc non intelligo eſſe propter vindictas, ſed potius, & verius tunc quùm exigitur Pythagorica talio quæ eſt repaſſio, oculus pro oculo, dens pro dente; & hujus exigentiam in privato dico non eſſe juſtitiam, & probo, quia prohibetur in divinis literis: *Ne dicas in corde tuo, ulciſcar me de inimicis meis*: At verò certum eſt actum virtutis non prohiberi à Deo, vel ab ullo ſano aut ſancto Conſule.

Diceret fortè hoc diſſuaderi tanquam minus bonum, ſicut nuptiæ aut poſſeſſiones. Reſpondeo non ſufficere minus bonum ad hoc, ut quidquam divinitus prohibeatur, alioquin non ſciremus quid eſſet malum, aut non eſſet, ſed quid minus bonum. Deinde in Scriptura S. plus ſemel expreſsè docetur hujuſmodi vindicta pura, ubi aliud bonum non accedit læſo, eſſe peccatum, Hierem. 25 v. 12. & 13. *Hæc dicit Dominus Deus, pro eo quod fecit Idumæa ultionem ut ſe vindicaret de filiis Iuda, peccavitque delinquens, & vindictam expetivit de eis, idcirco, &c.* ubi ſubduntur terribiles pœnæ; quippe, *qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam, & peccata illius ſervans ſervabit.* Certum eſt autem, quòd hæc non poſſunt fieri ob actum virtutis, maximè verò eminentis & cardinalis, qualis eſt juſtitia. Aſſigno hujus rationem, quia ſcilicet illa eſt voluntas mala ex objecto, ſcilicet velle malum alteri qua tale; non enim unquam licet velle malum qua malum, ſed ſub aliqua ratione boni. Si ergo percuſſus vult repercuti percuſſorem, præciſè ut ei dolor inferatur, non eſt excuſabilis; ſi autem velit eum mulctari in bonis, ut aliqua pars ad ipſum pertineat, licitè. Intelligo autem quòd non liceat optare repercuſſionem in ſe præciſe ſiſtentem, nam ſi quis eſt percuſſus publicè, poterit optare repercuſſionem, eò quòd hæc ſit quædam redditio honoris. Confirmo & explico, quia odium inimicitiæ eſt certiſſimè vitiū, quùm ex diametro opponatur charitati, quæ eſt amor amicitiæ, & ſuprema virtus: atqui illud eſt odium inimicitiæ, ſcilicet velle vindictam puram, eſt enim velle malum fratri, quà ei malum eſt, quod planè illicitum eſt, & ita ex terminis malum, ut nec dæmonibus damnatis debeamus ſic imprecari mala, ſed tantùm ad juſtitiam divinam, aut aliud attributum oſtendendum.

Objicio nihilominus: A natura inditus eſt hominibus appetitus vindictæ: non eſt autem à natura inditum homini vitium, aut ullus appetitus inexcuſabilis, alioquin homo excuſari poſſet in peccatis, ergo. Major patet, quia ſine dubio ira eſt à natura, ira autem definitur, appetitus vindictæ.

Dici ad hoc poſſet: A natura eſſe iram atque appetitum vindictæ, ſed non illum pernicioſum, ſed abſtractum ab hoc & illo modo: ſic homines inclinantur ex concupiſcentia ad fornicationes & adulteria, & tamen quamvis concupiſcentia ſit à natura, appetitus adulterii non eſt à natura; natura enim non appetit, niſi conjunctionem cum tali, quæ ex ſe non eſt mala; poteſt enim appetens legitimè conjungi illi, puta ſi foret uxor illius. Itaque concupiſcentia non inclinat niſi ad phyſicum actus; malitia autem non eſt in phyſico actus, ſed in morali, eò quòd ſit aliena illa fœmina, & non tua, ita hic. Sed non eſt ita per omnia, nam ira & voluntas vindicandi fertur in hæc ſub ratione mali alieni, aliàs enim non ſatiatur; unde non poteſt phyſicum rei quod appetit, ſed intentionale, & dolor proximi: Si enim quis iniiceret aliquem in carcerem, & deinde intelligeret carcerem non eſſe ei moleſtum, utpote qui non optet magis laxam habitationem, certè non putaret ſe vindicatum, nec deponeret propterea iram, ſed reſumeret potius, quia non eſſet ei ſatiſfactum. Itaque reſpondendum eſt, iram in ſubſtantia à natura eſſe, exceſſum autem ex vitio, unde opus eſt virtute ad eam refrenandam: Ad veritatem huius ſolutionis oportet aliquam iram exerceri innocenter, & ita eſt, ut conſtat ex Pſalm. 5. *Iraſcimini & nolite peccare*: Deus etiam dicitur iraſci: Sunt ergo quædam vindictæ licitæ, ut mulcta pecuniaria, quia cedit in bonum læſi; item ſupplicium publicum infamatoris, quia hoc redundat in honorem & quandam reparationem famæ eius qui ab eo inhonoratus eſt.

Obiici ſecundò poteſt lex illa talionis lata à Deo per Moſen Exod. 21. *Reddet enim animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, aduſtionem pro aduſtione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore*: Num enim potuit Pythagoras acriorem repercuſſionem ordinare? Quo loco notandum eſt, inſtitui repaſſionem in iis rebus, quæ protſus non proſunt paſſo, intelligo ei qui iniuriam paſſus eſt; quid enim unius refert quòd alteri dens excutiatur? num propterea dens illi excuſſus redibit? nequaquam, adeoque iam licet optare vindictam, etiam quùm non cedit in utilitatē paſſi, ſed tantùm in damnum invadentis. Reſpondeo, non negavi hactenus vindictam & talionem eſſe iuſta ſimpliciter; id enim foret falſum & blaſphemum, quod ſequitur ex allegata lege Dei: Dixi ergo tantum, non eſſe privatis licitam non ſolùm in re, ſed nec in voto aut deſiderio propter rationem adductam. Neque contrarium convincitur ab obiectione, etenim locus Exodi adductus, eſt lex publica à miniſtris iuſtitiæ obſervanda, non vero actus privati qui ibi laudetur.

Dices, quod ex ſe eſt malum, non poteſt ab ullo bene fieri, nec principe nec privato. Reſpondeo verum eſt, & proinde neque lex potuit præſcribere talionem tanquam invadenti tantùm noxiam, ſed adſunt ei aliæ rationes, ut terror aliorum ne talia audeant, & ipſorum agentium correctio. Inſtari tamen poteſt: Si hæc ita ſint, & iſtæ ſint rationes, propter quas lex poteſt velle & præſcribere talionem, tum dæmones non ſunt caſtigandi, ipſorum enim deſperata eſt correctio, & deinde poſt diem iudicii nullius pœna debet durare, eo quòd nullus per illam terrebitur aut corrigetur. Huic reſpondendum puto, quòd pœna dæmonum habeat congruentem finem, qui eſt executio & manifeſtatio iuſtitiæ divinæ, quæ etiam meritò in æternum durabit, ſicut meritò durat gloria beatorum, in qua eius miſericordia relucet.

At enim contra hæc & ſimilia omnia inſtari poteſt ex iam dictis, ut probetur iuſtitia hæc non eſſe iuſta; ac proinde non eſſe iuſtitia, quia

quia nimirum hinc nihil ſperari poteſt niſi malum, ſeu pœna patientium: atqui hoc eſt contra terminos moraliter bonos, non enim bonum eſt aut licitum agere eò præciſè, ut malè ſit alteri; unde ſequitur ipſa juſtitia non eſſe jüſta, aut nullatenus licita, quia contravenit primo principio. Propter hæc dicendum exiſtimo, hoc quod eſt, puniendum eſſe peccantem, eſſe etiam primum principium, & veritatem practicam independentem ab aliis, quæ proinde non ſit regulanda per ipſas: nam revera ſi reducatur ad aliud illud quod jam ei oppoſui, non facilè evadet pravitatem.

Dico jam tertiò: Exigentiam vindictæ in plectendo non eſſe actum propriè dictum juſtitiæ. Videtur contra S. Thomam & ſuos. Moveor hac ratione, quia nimirum juſtitia fundatur ſupra jus, & quidquid homo accipit, niſi habeat jus in illud, non accipit ex juſtitia: at verò non habet homo ius in pœnam, aut damnum ſuum, id enim eſt quædam terminorum contrapoſitio: dicere ſcilicet, ius in pœnam, ius enim eſt titulus in bonum habentis; at verò pœna & paſſio clarum eſt quod non ſint bona habentis, quùm expreſsè intendantur, quà ſunt ei mala & nociva, ergo. Itaque iudex quando punit nocentem, reſpectu illius non exercet ſtrictam iuſtitiam, ſed bene reſpectu Reip.

Dices, tenetur reus pati, adeoque habet debitum reſpectu huius actus. Reſpondeo, hoc facit ut pertineat ad iuſtitiam actus ille tanquam membrum vel pars poteſtativa eius, quæ degeneravit à toto rigore iuſtitiæ. Cuius ulterior cauſa eſt, quia hoc quod eſt dari debitum patiendi in reo, eſt dicere, quòd agens habet ius inferendi, non amplius.

Dices: Si iudex habet ius inferendi, ergo iuſtè agit, quia utitur ſuo iure. Reſpondeo, verum eſt, adeoque ſiſtendo in perſona punientis non poteſt negari iuſtitia: ſed quia iuſtitia ibi non poteſt ſiſtere, quum ſit eſſentialiter ad alterum, & in altero non inveniatur ius, ſequitur actum non eſſe completum, ut faciat rigidè & plene iuſtitiam, licèt revera ad ipſam pertineat.

Addo etiam primæ concluſioni, & dico: Vindicativam in D. Deo, nullatenus eſſe actum commutativæ. Ratio quia D. Deus non tenetur reo, nec Reip. ad iuſtitiam adminiſtrandam, adeoque.

Dico denique vindicationem in quocunque eſſe, aut ſaltem poſſe eſſe actum diſtributivæ. Ratio, quia vindicta exercetur cum proportione geometrica, ut ſcilicet tantus ſit exceſſus pœnæ ſecundi ad pœnam primi, quantus eſt exceſſus culpæ ſecundi ad culpam primi: hæc autem eſt conditio diſtributivæ. Dixi tamen eam poſſe eſſe, non vero ſemper actu eſſe; quia nimirum ſi unus ſit puniendus vindicta, diſtributiva non poteſt exerceri, quùm hæc eſſentialiter requirat plures, non ſolùm perſonas, (hæ enim in omni pœna inveniuntur, ſcilicet iudex, aut tortor, aut reus,) ſed patientes, quorum pœnæ invicem componantur, ſuppoſitâ aliâ priori comparatione culparum.

Obiicies: Ubi non eſt genus, neque ſpecies eſſe poteſt: at verò in Deo non eſt ad extra iuſtitia, ſecundùm Doctorem in 4. cit. num. 12. ergo nec diſtributiva. Reſpondeo ſupponi hic communem errorem multorum, quod diſtributiva ſit ſola iuſtitia: Dixi autem ſupra ego, & hic repeto, diſtributivam non eſſe alligatam iuſtitiæ, nec magis ad eam pertinere quam ad alias virtutes, & (ſi id dixiſſem) ad vitia. Ergo diſtributivæ leges inveniuntur & exercentur in liberalitate, in gratitudine, in amicitia, &c.

Dices ſecundo contra dicta: Si vindicatio ſit actus iuſtitiæ, non poterit unquam ignoſci reo a iudice, ſed tantùm à parte læſa, quod eſt falſum. Reſpondeo id eſſe verum in mero iudice & delegato, ſupremus autem & princeps poteſt commutare iuſtitiam in miſericordiam ſua authoritate, ſi ſit ex natura ſuper omnes ut Deus: delegata ſi ſit ex electione aut conſenſu, ut creatus quiſque.

Plura ſuggerent

ARiſt. *lib.* 5. *Ethic. c.* 1. *& l.* 3. *Polit. c.* 5. S. Anſel. *de verit. c.* 12. D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 58. 59. *&c.* Alenſ. 1 *p. q.* 39. Ulpian. *in leg. juſtitia ff. de juſt. & jur.* Iuſtinian. *in inſtit.* Macrob. *in ſom. Scipion.* Andronic Peripat. *Bann.* 22. *Tom.* 2. Molina *Tom.* 1. *de iuſt. & iur.* Leſſius *in ſimili opere l.* 2. *c.* 1. *&c.* Soto *in ſimili.* Salon. *Tom.* 2. Valent. *Tom.* 3. *diſp.* 5. Conimbr. *diſp.* 9. *Ethic. per totam.* Theo. Smiſing. *de Deo un. tract.* 3. *d.* 4. Tarquin. Gallut. *in Ariſtot. citat. q.* 2. *&c.* Ioan Kitzel. *diſp. iurid.* 1. *de iuſtit.* Pet. Faber *comment. de iuſt. & iur. Theat. vit. hum. vol.* 18. *Vide etiam* Franc. Suar. *in relect. de iuſt. Dei.* Burid. 5. *Ethic. q.* 7. &c.

APOLOGIA QVARTA

De Temperantia & Fortitudine.

ACTIO I.

Quid ſit Temperantia? & quod ejus exercitium?

ACTIO II.

Utrùm Temperantia determinata ſit ad ſenſum tactus vel ſolum, vel ferè ſolum, nec ne?

ACTIO III.

De eſſentia fortitudinis.

ACTIO IV.

Num fuga poſſit eſſe fortitudinis actus?

ACTIO V.

Comparatio harum virtutum ad ſe, & utriuſque ad juſtitiam.

Scot. *Collat. 6. num. 5.*

Actus à quibus generatur habitus temperantiæ in appetitu ſenſitivo ſunt cauſati à voluntate ex imperio voluntatis in appetitu ſenſitivo, & non ſunt à potentia ſenſitiva, nec ab objecto: cujus probatio eſt, quòd agens naturale naturaliter agens non habeat contrarias actiones, ut quòd ignis moveatur ſurſum & deorſum, &c. Sed objectum ſenſibile delectabile de ſe natum eſt cauſare delectationem, & ſenſus appetitivus de ſe natus eſt immobiliter & immoderatè tendere in objectum delectabile, ergo.

Idem 3. *diſt.* 34. *quaſt. un. num.* 15.

Notandum quod tres virtutes morales adquiſitæ, ſcilicet Fortitudo, Temperantia, Iuſtitia ſunt genera intermedia, nam prima concupiſcibilia videntur eſſe duo, ſcilicet honor, & voluptas, vel delectatio ſtrictè ſumpta, &c. Igitur primæ ſpecies temperantiæ quæ moderantur circa concupiſcibilia erunt duæ, quia quæ moderatur circa honores, dicitur humilitas, quæ circa voluptates, retinet nomen generis, &c. ut infra Act. 2. num. 3.

ACTIO I.

Quid ſit Temperantia? & quod ejus exercitium?

Breviarium.

N. 1. *Deſcribitur Temperantia.*
2. *Temperantia non ſolùm à qualitatibus, ſed à ſubſtantiis revocat.*
3. *Temperantia habet actum poſitivum.*
4. *Non exercetur intra ſolam voluntatem.*

1. Vix ſupereſt, quod de hac virtute dicamus, niſi quodlibeticè & ſpeculativè in utramque partem: itaque definitiones ac diviſiones ejus ſubdam, & quidem apud alios repertas; cui enim ſunt propria hæc?

Eſt ergo temperantia mediocritas circa voluptates guſtus & tactus, & circa dolores. Ita Ariſtoteles, qui quidem ſua authoritate determinavit temperantiam ad objectum guſtus & tactus, quum ſine dubio poſſit fieri exceſſus in objectis aliorum ſenſuum, ut in odoratu, &c. & ſervari circa ipſa mediocritas, atque adeo ſit locus & opus virtutis. Unde ſi mihi foret authoritas, extenderem temperantiam ad omnium ſenſuum objecta, in quibus exceſſus contingere poteſt. Confirmo hoc Scotiſticè, etenim Scotus 2. diſt. docet peccatum Angelorum fuiſſe luxuriam quandam, fuit autem ſine dubio ſpirituale, atque adeo jam datur luxuria ſpiritualis. Si ergo detur luxuria ſpiritualis, quidni detur continentia aut temperantia ſpiritualis, ſive quæ verſetur circa ejuſmodi objecta: atque ita non rectè ratiocinantur qui arcent viſum, auditum, odoratum,

à materia temperantiæ, eo quod horum obiecta ſint intentionalia potius quàm materialia.

Fundamentum Ariſtotelis pro illa reſtrictione fuit, quod non dicantur intemperantes, qui indulgent paſſionibus aliorum ſenſuum, puta viſus, aut oris in confabulando, aut in pruritu novitatis: Cui reſpondendum eſt, rectè proinde ab eo deſcriptam eſſe temperantiam vulgò intellectam: Secundò, quòd excedentes in aliis materiis non fuerint ſic appellati, ſed fuerint ſic appellandi.

Confirmo intentum meum, quia authores moti ſunt ad aſſignandam temperantiam his ſenſibus, eo quod præ aliis præcipites ſint, & magis furenter rapiantur in objecta: at verò hoc dicere eſt ſequi accidentale, & dimittere eſſentiale; nam ille fervor in agendo eſt tantùm modus actionis, non autem ſpecificatio ejus.

Dices: Si permittatur larga acceptio temperantiæ, tum illa ſola erit virtus, quia refrenare impetum ſuperbiæ eſt quoddam temperare ſibi ab honoribus, & refrenare avaritiam eſt quoddam temperamentum paſſionum, & ſic de cæteris. Ne ergo ſic erremus, ut negemus humilitatem, paupertatem, &c. temperantia erit reſtringenda ut ſupra. Sed nego ultimum hoc, reſtringenda fuit fortaſſis ad ſenſus, (illa enim enumerata ſunt ſpiritualia vitia,) at non ad ſenſum unum præ alio. Sed nihilominus loquendum cum multis, ſentiendum cum paucis.

2. Quæri jam poteſt, utrum temperantia revocet habentem præciſè ab objectis ſenſuum, an verò à qualitatibus eorum, ſive primis, ſive ſecundis, v. g. ut explicem me, num temperantia in cibo coërceat directè delectationem, quæ eſt in eſu & potu, vel etiam ſaporibus ipſorũ, an verò ipſum eſum & potum; ſive perceptionem alimenti? Ariſtoteles, & ſequuti eum, ſi velint ſtare definitioni poſitæ, habent reſpondere quod revocet à delectationibus, non verò ab obiectis; dicit enim definitio, quod temperantia ſit mediocritas circa voluptates; at vero voluptas clarum eſt, quod non ſit obiectum, ſed qualitas aut affectio, imo nec eius, ſed perceptionis eius; voluptas enim conſurgit ex ſenſatione obiectorum: Reſpondendum puto, quod temperantia coërceat etiam ab obiectis, ſed propius à qualitate & perceptione eorum, etſi magis ab ipſis in ſe obiectis. Ita iſta duo ſe habent, ſicut excedens & exceſſum reſpectu virtutis: unum in intentione attendit, alterum in exequutione, prius in qualitates fertur, ſed principalius in obiecta.

Quod enim virtus coërceat ab ipſis obiectis, patet, quia qui ingurgitaret ſe cibo & potu, tametſi nullam ſentiret delectationem, (ut contingit in eo qui ſenſum guſtatus læſum habet,) cuiuſmodi vidi Romæ & Neapoli, ſine dubio eſſet intemperans, & tamen non ferretur nimium in qualitates obiecti ſive primas ſive ſecundas, puta in ſapores, aut in delectationes perceptionis eorum, ergo.

Ratio reliquæ partis eſt, quod virtus ſive principium retrahens debet ſequi paſſus concupiſcentiæ invitantis ad obiecta, hæc autem fertur in ſubſtantias propter accidẽtia, in cibos propter ſapores, in generationẽ & ſexuum cõmixtionem propter voluptatem, adeoque refrenans hanc debuit primo & prope ferri in ſapores ac voluptates, quæ ſunt irritamenta & eſcæ huic hamo appenſæ, ſecundario autem in ipſa obiecta, intellige in executione, nam in intentione primo fertur in iſta, ut ſupra; licèt revera in ſenſu tactus difficulter poſſint ambo diſtingui.

3. Dico etiam tertio: Temperantiam habere actum poſitivum, probabiliter tamen oppoſitum ſæpè dici, quod ſcilicet talẽ non habeat, ſed tantummodo negativum: Explico ſenſum aſſerti: dubitatur enim num temperantia impellat ad agendum, an vero ad abſtinendum duntaxat, ita ut omittendo omnes actus in eo genere poſſit habere & exercere virtutem temperantiæ.

Prima pars habet pro ſe definitionem temperantiæ ſupra poſitam, qua dicitur illa eſſe mediocritas, hæc enim non ſubſiſtit ſine aliquo poſitivo. Deinde, poteſt magis recedi ab aliquo extremo quàm ut ſiſtatur in medio, non poteſt magis recedi quàm ut nihil de illo genere retineatur aut exerceatur, ergo totalis abſceſſus non eſt mediocritas.

Ex altera parte non poteſt negari, quin virtuosè agat etiam, qui citra medium manet, & prorſus à tota materia vitii abſtinet; v. g. temperantia ſatis laude digna eſt modico vino, aut bene diluto uti; nemo tamen negabit, quin abſtinere abſolutè vino ſit actus non ſolùm bonus, ſed heroicus temperantiæ. Idem eſt de eſu carnium, in quo exerceri poteſt virtus, ſed multo maior in omnimoda abſtinentia ab ipſo, quod faciunt quædam religiones, ad hoc ſe adſtringentes religione voti, quæ non poteſt eſſe niſi de opere virtuoſo. Habet ergo tẽperantia utrumque actum, ſed magis proprius ei videtur negativus, hic enim eſt veluti forma poſitivi. Vide ſi placet quæ ſupra de hoc dixi Apolog. 1. Act. 3. unde etiam aliter definiri poteſt temperantia, quod ſit continentia ab exceſſibus in materia guſtus & tactus, vel potius abſolutè in omni.

4. Cenſeo etiam ulterius temperantiam non poſſe propriè exerceri intra ipſam voluntatem ſic ut velle continere ſe ab exceſſibus ſit propriè temperantia. Ratio, quia temperantia eſt circa actiones ſenſuum, at vero actus voluntatis non eſt actus ſenſus, ergo.

Dices: Ad quam ergo virtutem pertinebit velle continere ſe ab exceſſibus? Reſpondeo, quærendo ad quam virtutem pertineat, velle temperare, certè non ad temperantiam, quia hæc eſt obiectum huius actus, non ergo erit principium eius. Itaque hoc propriè pertinet ad illam virtutem, (quæcunque illa ſit,) cuius eſt alias virtutes occupare, ſeu in opus reducere.

* * *

ACTIO II.

Vtrùm Temperantia determinata ſit ad ſenſum tactus, vel ſolum, vel ferè ſolum, nec ne?

Breviarium.

N. 1. *Doctrina Ariſtotelis ex ipſo.*
2. *Temperantia non eſt reſtringenda ad ſenſum tactus.*
3. *Scotus rei veritatem in hoc negotio attigit, ponendo plures ſpecies temperantiæ: Cæteri lapſi ſunt penuriâ vocum.*
4. *Fatendum tamen, quòd principaliter ad tactum ſpectet.*

1. Virtutem ad hos duos ſenſus reſtrictam aſſeruit Ariſtoteles palàm hic lib. 3. cap. 10. nos negavimus ſufficienter, quùm virtutem ampliavimus ad omnem ſenſum, quia etiam aliis ſenſibus aſſignanda ſunt ſua temperamenta, & ſuæ virtutes; adeoque vel continebuntur per hanc virtutem in officio quod eſt intentum, vel aſſignanda erit alia, quod eſt ſuperfluum. Neque verò hoc contentus Ariſtoteles, virtutem ad ſolum tactum reſtrinxit: dabo verba ejus, quia continent rationem motivam illius: *Guſtatu parum vel nihil uti videntur, quippe quum guſtatus judicium ſaporum ſit, quod faciunt ii qui vel vina explorant, vel obſonia condiunt; at non admodum his oblectantur, vel non quatenus intemperantes, ſed fruitione ipſâ, quæ tota per tactum efficitur in cibis, in potibus.* Ita ille: Unde ut addamus aliquid præcedentibus, reſolvendum eſt, utrùm etiam dato quòd temperantia non ſit extendenda ad omnes omnino ſenſus, an ſaltem ſit reſtringenda ad tactum, ac non magis attribuenda ſimul etiam guſtui?

2. Dico reſolutivè, temperantiam non eſſe reſtringendam ad tactum; ſed extendendam ad ſenſum guſtus, etiam ut ab altero illo diſtinguitur. Non cito pro hac D. N. quia infra ipſius mentem latè. Interim

Moveor ad hanc contra Ariſtotelem primò ex ipſo: Ipſe enim lib. 4. de part. animal. ſenſum guſtus excellentem ponit in gutture. *Eſculentorum omnium voluptas in deſcendendo contingit, dum enim deglutimus pinguia, ſentimus, & ſalſa & dulcia, &c. Et omnium ferè eſculentorum, condimentorumque in devorando gula tactione ſuavitas contingit.* Non ergo ſufficit ratio, quam hoc loco adduxit, quòd *guſtatus judicium ſaporum ſit* in acumine linguæ, (eò quòd *explorantes vina vel obſonia* admoveant ea linguæ) à perceptione autem quæ eſt in acumine linguæ nemo dicitur intemperans: nego enim ſenſum guſtus eſſe in acumine linguæ, dico eum eſſe in gutture ſeu gula, ut loquuntur animaſtici & anatomici, in œſophago, vel æquè, vel magis principaliter. Ad hæc idem ſect. 20. problem. expreſsè docet, quòd *guſtus voluptate exuberantes incontinentes dicuntur*, cur ergo alibi retractat?

Moveor ſecundò ratione, demus enim voluptatem ciborum tactu percipi, ut ille vult: adhuc tamen alia ſpecie eſt voluptas quæ percipitur guſtu ab ea quæ tactu, & alia ſpecie ſenſatio eſt guſtus à tactu: Cur ergo aliquid utrumque concernens reducetur ad ſolum tactum? aut confunderur guſtus cum tactu in hac materia Lib. 2. de
moralì? Certè enim ſic poterit alius confundere part. ani-
eum realiter, & dicere, quòd uterque ſit idem malium
ſenſus, quod ferè docere voluit Ariſtoteles di- cap. 17.
cens: *Guſtus eſt quidam tactus.*

Tertiò ſic arguo ex præmiſſis: Etiamſi ſenſatio ſaporum fiat per linguam, vel omninò non ſint ſapores in cibo, adhuc erit locus intemperantiæ, nam qui nimium cibi comederent, etſi interim non delectarentur ſaporibus, quia nec perciperent eos ob ſenſum guſtus læſum; certè peccarent ingluvie, & eſſent verè intemperantes; ergo jam intemperantia non dependet ex eo, quòd ſenſatio cibi fiat hoc vel illo modo.

3. In hoc ergo negotio audiendus eſt D. Subtil qui exactè rem tradit, menſus eam non phraſi aut uſu vulgi, ſed ipſius rei natura: Ait ergo 3. diſt. 34 quæſt. 1. num. 15. Notandum eſt quòd tres virtutes morales adquiſitæ, ſcilicet Fortitudo, Temperantia & Iuſtitia, ſunt genera intermedia, nam prima concupiſcibilia videntur eſſe duo, ſcilicet honor & volupras, vel delectatio, &c. Igitur primæ ſpecies temperantiæ, quæ moderantur circa concupiſcibilia, erunt duæ, quia quæ moderatur circa honores, dicitur humilitas, quæ circa voluptates retinet nomen generis. & quot poſſunt eſſe voluptates diſtinctæ, circa quas voluntas moderatur, tot poſſunt eſſe ſpecies temperantiæ. Fundamentum Ariſtotelis jam allatum eſt, & refutatum in probationibus concluſionis, quòd ſcilicet ex ſaporibus præcisè nemo dicatur intemperans, ut patet in iis, qui probant vina & condimenta admovendo ea linguæ in cuſpide, niſi ea deglutiant, in quo exercetur tactus: Huic inquam jam ſupra ſatisfactum eſt, & jam de novo inquiro, num perceptio ſaporum in cuſpide linguæ fiat per tactum, nec ne? Si ſic, jam non habet ille rationē reducendi illam voluptatem, quæ percipitur ex tranſitu cibi per guttur ad intemperantiam tactus potius, quàm voluptatem, quæ percipitur ex applicatione ejus ad linguam. Alterum autem membrum aſſumi non poteſt, quùm conſtet impoſſibilem eſſe ſenſationem guſtus ſive ibi, ſive alibi ſine contactu; Itaque hic homines devenerunt in quendam errorem ex penuria vocum, ut videas ex litera D. N. ſupra.

Illud autem concedam Ariſtoteli, ponendo unam virtutem pro utroque ſenſu, quòd ea magis principaliter ſpectet ad tactum; primo, quia delectationes tactus ſunt magis vehemētes; ſecundo. quia *guſtus eſt tactus quidam*, tactus autem Idem ib.
non eſt guſtus, poteſt ſenſatio tactus fieri ſine guſtu, non poteſt autem ſenſatio guſtus ſine tactu.

ACTIO III.

ACTIO III.

De Eſſentia Fortitudinis.

Breviarium.

N. 1. Fortitudo quomodo non ſit vitioſa?

2. Definitur ipſa fortitudo.

3. Objicitur contra, & reſpondetur.

4. Deſcripta duo loca Ariſt. & Scoti huic negotio opportuna.

1\. NOn habet hæc multa quæ nos diu diſtineant, aut egeant profunda ſpeculatione, unde ſuccinctè expedietur. Ariſtoteles ergo hic lib. 3. c. 6. fortitudinem definit: Mediocritatem circa timores & audacias, de qua definitione reaſſumi poſſunt quæ diximus ſupra in ſimili de temperantia; & prætere a

Objici illi poteſt, quòd medium participat de natura extremorum, extrema autem hic ſunt vitia, ſcilicet timor & audacia, adeoque fortitudo includet utriuſque aliquid, & ita bis eſt vitioſa. Dici poteſt virtutem eſſe medium per abnegationem, non autem per participationem. Sed hoc fortaſſis difficulter ſuſtineri poterit; patet enim fortitudinem habere aliquid audaciæ, & ita de aliis ſimilibus hincinde cōparatis. Unde rectius puto reſpondendum, quòd virtus habeat aliquid extremi ſui, materialiter & phyſicè, non autem formaliter & moraliter. In exemplo dato fortitudo habet aliquid audaciæ, non tamen aliquid vitii, quia audacia non eſt vitiū, niſi in certo gradu, qui eſt ille exuperantiæ, & declarari poteſt exemplo qualitatum phyſicarum: nam ſanitas animalis conſiſtit in temperamento quatuor primarum qualitatum, atque ita ipſæ quatuor adſunt, calor, frigus, &c. & tamen quùm adſit corpori ſano calor, non adeſt ei febris, licèt febris nihil aliud ſit, quàm calor, quia nimirum calor non eſt febris, nec febris eſt calor niſi in gradu determinato, ſcilicet exceſſivo, ita hic; nam virtus eſt ſanitas quædam animi, & vitia ſunt morbi. Idem genus actionum ex objecto phyſico facit virtutem & vitium agmen ducere, ſed non in eodem tenore, nam virtus eſt intra terminos, vitium extra: ſicut ſanitas eſt qualitas in æquilibrio ſeu temperamento, morbus autem in exceſſu.

Iam ad ipſum: Quid eſt, fortitudinis videri poſſunt aliquæ definitiones ejus apud Ciceronem & S. Ambroſium, quas omitto videndas apud ipſos. Aliam magis propriam licet ex ipſo Ariſtotele re hic colligere, quod ſit: Obfirmatio animi contra mortem: etſi deinde ipſe hanc mortem determinet, nec velit eſſe qualemcunque, ſed talem.

At enim, quācunque intelligat: Dicendum eſt quòd fortitudo non ſit circa ſolam eam, alioqui, aut alia adverſa non poterunt perferri virtuoſè, aut dabitur alia virtus, imo plures in iraſcibili hominis, præter fortitudinem, quod nemo dicet: etenim omnes ponunt eas eſſe ſpecies, & partes, aut ſubiectivas, aut potentiales fortitudinis. Confirmo, quia in bello fortes ſunt, qui etſi vulnerentur profundè, non tamen occiduntur, ſed occidunt, & tamen hi non ſunt perpeſſi mortem, ergo

Dices fuiſſe paratos mori. Contra primò ſecundùm Ariſtotelem, fortitudo eſt optima in bello, eſſe paratum habetur extra bellum: Ratione etiam, quia fortitudo non exercetur ſine adverſis, eſt enim quædam ira, quam nemo habet, niſi actu impugnetur; ſed voluntas parata habetur ſine ira, ergo.

2\. Dicenda ergo eſt, fortitudo eſſe confirmatio animi contra adverſa. Hæc placere debet, quia propria, quia brevis, complectitur omnia objecta fortitudinis, & non ſolùm præcipuum, puta mortem; complectitur omnes actus fortitudinis, ſcilicet tam invadendi quam ſuſtinendi.

Ex quibus habes non fuiſſe attendendum in definitione fortitudinis quod quidam adiungunt, ut ſcilicet illa reſiſtentia fiat amore, aut intuitu ipſius fortitudinis, ſive honeſtatis talis virtutis quæ in eo opere elucet, ut volunt quidam hic ex ſancto, & Cicerone citatis. Unde dicentes fortitudinem eſſe *ſuſceptionem periculorum*, addunt, *eo nomine amatam.* Hoc inquam mihi videtur expungendum plane ex definitione hac, & ſimilia ex ſimilibus definitionibus aliarum virtutum: Moveor, quia ſic circumitur, dicitur idem bis, idem explicatur per ſe ipſum, atque ita non explicatur. Ecce omnia, nam ut ſciam quid ſit fortitudo per huiuſmodi definitionem, debeo ſcire antecedenter ipſam, ipſa enim redit in definitione, quæ in re talis eſt: Fortitudo eſt ſuſceptio periculorum ob fortitudinem, ſive ob bonitatem fortitudinis. Hic dicitur idem bis, ſcilicet fortitudo in principio & in fine: Idem redit in ſui explicatione, & ita nec explicatur; utique enim qui neſcit fortitudinem, neſcit bonitatem fortitudinis, atque ita adhuc exponenda eſt, quia ignota.

3\. Obiiciunt illi: Si pericula & mors ſubeantur alio fine non erit fortitudo: Si enim ſuſcipiantur amore patriæ, erit iuſtitia legalis; ſi propter religionem Chriſtianam, erit actus fidei; ſi amore cōmodi aut voluptatis, non erit omnino actus virtutis, ergo ut ſit actus fortitudinis, debet habere aliud motivum ab iſtis, non autem aliud ab ipſamet, adeoque debet fieri propter ipſam. Reſpondeo, antecedens totum eſſe concedendum quoad ſpecificationes illas iuſtitiæ, fidei, &c. conſequentiam tamen negandum, atque etiam antecedens quoad primam partem. Itaque pati adverſa, vel invadere aut repellere ipſa ſecundùm ſe bonum eſt, (intellige quum prudenter fit,) atque ita actus virtutis, tametſi ad aliud non referatur, quia in ſe continet honeſtatem: Cum ergo adduntur ei alii illi fines, ponitur in illis ſpeciebus vel rectius, additur ex illa ſpecificatio extrinſeca quæ non tollit priorem, ſed auget, quia illa eſt ex obiecto, hæc ex circumſtantia.

Unde

Unde iterum ex profeſſo oſtendo non debere permitti illam doctrinam, ut dicatur actus fortitudinis fieri propter bonitatem fortitudinis: quia non poteſt idem referri ad ſe ipſum, quùm referentia eſſentialiter ſit ad aliud. Itaque, quòd dicitur actus virtutis debere eſſe propter ſe, ſuſtineri poteſt, at non ut intelligitur à pleriſque, & jam impugnatum eſt, ſed erit propter ſe, eò quòd propter aliud non fiat: quemadmodum ens abſolutum dicitur eſſe ad ſe, non quòd ipſum ſit ſui terminus, ſed quia non eſt ad aliud, & ita in ſe ſiſtit. Iam quia non ſtatui multum extendi in tractatu hujus virtutis, quæ non multa habet ſpeculativè expendenda, ſubdam hic duo aliorum loca, unum Ariſtotelis, alterum Scoti, quæ egregiè rem illuſtrabunt.

Ariſt. 3. *Ethic. cap.* 6.

„Fortitudinem eſſe mediocritatem quæ circa „timores, fiducia que verſetur, jam ſupra di„ctum eſt. Timemus autem ea ſcilicet quæ „terribilia ſunt, ea verò ſunt, ut ſimpliciter dica„mus, mala; unde etiam timorem expectatio„nem mali eſſe definiunt: ac timemus quidem „mala omnia, ut infamiam, paupertatem, mor„bum, ſolitudinem, amicorum mortem: non „circa omnia tamen eſſe vir fortis videtur, quippe quùm nonnulla omnino timere debeamus, " quæ & timere honeſtum, & non timere turpe " eſt, ut infamiam; qui enim eam timet modeſtus " ac verecundus, qui non timet, impudens eſt, " &c. "

Scot. 3. *diſt*. 34. *quæſt*. 1. *num*. 11.

"Sicut concupiſcibilis indiget ordinari circa ea " quæ nata ſunt primo appeti, ita etiam iraſcibilis indiget moderari per habitum, ne immoderatè velit propellere offendens & ulciſci de " illo, ſed moderatè velit propellere propellenda, " & non propellere non propellenda: habitus " autem quo diſponitur ad propellendum propellenda non eſt nominatus, licèt poſſit dici " bellicoſitas, vel aliquid tale, habitus autem quo " diſponitur ad non repellendum non repellenda, ſed ad ſuſtinendum dicitur patientia, & quia " difficilius eſt non repellere offendens quàm repellere, ideo patientia eſt nobiliſſima fortitudo, juxta illud Poëtæ: *Nobile vincendi genus eſt patientia*, &c. "

* * *

ACTIO IV.

Vtrùm fuga poſſit eſſe fortitudinis actus?

Videatur inter Quodlibeta authoris Tom. 1. in quo eſt ordine ſeptimum, licèt majori varietate quàm quæ hunc locum decent. Cæterum non eſt viſum eam denuo dictare. Sit ergo

ACTIO V.

Comparatio harum virtutum ad invicem, & utriuſque ad juſtitiam.

Breviarium.

N. 1. *Temperantia fortitudini præferenda.*
2. *Objectiones contra ea ſoluta.*
3. *Iuſtitia intra propriam ſpeciem non eſt perfectior aliis moralibus.*
4. *Objectiones ex ratione & authoritate Scoti ſolvuntur.*

1. Iam ſupra ſignificavi hyperbolicam definitionem Ariſtotelis in præſtantia juſtitiæ extollenda, & præferenda aliis quibuſque, cujus rei examen huc diſtuli. Sed quod mihi plus negotii faceſſit, eſt authoritas D. N. expreſſa, qui rem modo Ariſtotelis definivit, ut videas apud ipſum 3. diſt. 34. quem locum lubet ex ipſo hic deſcribere, ne fugiam aut prætermittam difficultates. Ait ergo apertè ille: *Hæc* (amicitia) *eſt perfectiſſima virtus moralis, quia tota juſtitia eſt perfectior his quæ ſunt ad ſeipſum, & hæc eſt perfectiſſima juſtitia.* Quo nihil clarius expectari potuit pro doctrina illa Peripatetica, & juſtitia præferenda cæteris. Quid autem ſenſerit Subtilis de comparatione temperantiæ & fortitudinis ad invicem, non expreſſit nobis ibi aut alibi, quod adhuc deprehenderim: licet ergo nobis liberam ferre ſententiam, & ita

2. Dico probabiliter temperantiam poſſe fortitudini præferri. Hoc non abſolutè aſſero quia eſt contra communem, cui ubique cenſeo deferendum. Moveor autem ipſe, primo, quia priora ſunt perfectiora (cur enim natura deferret primatum imperfectis?) ſcio naturâ incipere ab imperfectis, ſed hoc eſt in eodem genere, quando prima ſunt diſpoſitiones ad ſequentia; at vero quando ſunt diſparata hinc inde, & ſervant ordinem, cenſendum eſt prius eſſe perfectius. Sic affirmatio prior eſt negatione, & perfectior ſine

ſine dubio, ideoque prior, &c. Tum ſic; ſed actus temperantiæ ex genere ſuo eſt prior actu fortitudinis, ergò debet cenſeri perfectior: probatio ſubſumpti; actus fortitudinis eſt repulſa mali, & quædam nolitio; prior eſt autem amplexus boni quam repulſa mali, & prior volitio quam nolitio: nam malum quodlibet ideo repellitur, quia prius placuit retinere aliquod bonum cui tale malum opponitur, & quod per ipſum auferetur nobis. Confirmo & oſtendo exemplo jam inſinuato, quia affirmatio eſt prior negatione; atqui volitio eſt quædam affirmatio, nolitio autem inſtar negationis: Item bonum eſt quid poſitivum, ſeu affirmatio; malum autem eſt nihil, & negatum.

Suadeo ſic ſecundò idipſum: quia melius eſt adquirere quam retinere, & ſi fortè ſint paria utilitate, ſunt imparia, utique enim difficilius eſt primò producere aliquid, quam jam habitum ſervare: atqui temperantia & juſtitia, & ſi quæ ſint aliæ ejuſmodi habent actum poſitivum, & productivum novarum perfectionum; Fortitudo autem tantum renititur auferenti, & ſubit pericula, atque etiam damna ne deſerat bonum virtutis; v. g. martyr ſubit mortem ne perdat fidem; alius ne amittat caſtitatem &c. vides ubique fortitudinem ſollicitam eſſe de non perdendo, non vero de adquirendo: atqui manifeſtum eſt plus eſſe adquirere quam non perdere; hoc enim nihil ponit, illud autem aliquid, ergò.

2. Objic: fortitudo habet nobilius objectum, ſcilicet vitam, & mortem; Temperantia autem alimentum, quod ordinatum eſt ad conſervationem vitæ. Reſpondeo primò fortitudinem non habere pro objecto vitam, niſi fortè conſervandam, & tum ſecundum arguentem illæ virtutes erunt pares. Reſpondeo ſecundò: Temperantiam verè ſumptam non tantum habere alimentum pro objecto, ſed proſpera ac placita, & è contra fortitudinem adverſa: Clarum eſt autem proſpera eſſe meliora adverſis: eſt enim ac ſi dicam, bonum eſſe melius malo: unde hæc objectio jam facta eſt probatio concluſionis.

Objicio adhuc, virtutem eſſe circa ardua, eademque eſſe difficilia quæ pulchra: ſed objectum fortitudinis eſt difficillimum, ſcilicet mors, ergò & ipſa pulcherrima. Minor puto concedetur ab omnibus, nam ipſa complectitur adverſa omnia, inter quæ eſt mors ultimum terribilium. Reſpondeo primò nunquam concedam virtutem eſſe metiendam difficultate per omnia, alioquin in Deo nulla eſſet virtus, nam ipſe nullam patitur difficultatem. Cenſeo tamen cæteris paribus melius eſſe, & magis laude dignum ſuperare majorem difficultatem quam minorem: unde ad propoſitum, nego Minorem univerſaliter; quandoque enim objectum temperantiæ eſt pleriſque difficilius. Scio ubi quiſpiam vim intulit matronæ honeſtæ & eleganti, qui quum proinde damnaretur ad mortem, necdum pœnituit eum facti, ſed ait non obſtante ſupplicio ſe electurum illam voluptatem, quam percepit, præ vitâ. Et recenſet pleroſque in Græcia emiſſe certa morte moram unius noctis cum meretrice. Itaque exiſtimo non minorem eſſe difficultatem in refrænandis concupiſcentiis guſtus & tactus ſubinde quam ſit in multis generibus mortis: quod etiam poteſt ſic probari; quoniam difficultas alicuius adverſi eſt ex eo, quod illud ſit nolitum: atqui nolitum non eſt ſummè difficile ergò. Probatio Minoris: omne nolitum habet aliquid prius volitum, propter quam volitionem & prioritatem ipſum nolitum tale, ſive nolitum eſt, ergò jam amata & concupita difficilius auferuntur quam inferuntur nolita.

3. Dico deinde ad alteram tituli partem, virtutem juſtitiæ in ſua propria ſpecie ſumptam non eſſe perfectiorem aliis moralibus, puta temperantiâ & fortitudine: quomodo autem, & an ullatenus eis præferri poſſit, infra indicabo: Concluſio videtur eſſe minus communis, imò nova omninò.

Moveor, quia juſtitia eſt ad alterum: virtutes aliæ, puta temperantia & fortitudo ad ſe; at verò melius eſt eſſe ordinatum quoad ſe, & inordinatum quoad alios quam è contra; quum quiſque debeat præferre ſe ipſum cuicunque. Urgeo, quia illud eſt melius, cuius oppoſitum eſt peius; ſed peius eſt oppoſitum aliarum virtutum, gravius eſt enim peccare in ſe quam peccare in alium quod ita verum eſt, ut etiam propinquiora peccanti faciant graviorem injuriam; peius eſt enim occidere patrem aut fratrem, vel uxorem, quam alium è populo; propter conjunctionem illorum ad ipſum operantem; atqui ſumma conjunctio eſt cujuſque ad ſemetipſum, imò nec eſt conjunctio, ſed identitas, ergò.

Tertiò, difficultas quæ auget rationem virtutis hic notabiliter intervenit: etenim fortitudo & liberalitas &c. in difficilioribus verſantur, in perpeſſione vulnerum, inediæ, & ipſius denique mortis quæ omnium ſunt difficillima: hæc, ſcilicet juſtitia, aliena tantum reddit, quod multo facilius eſt quam ſua erogare. Unde Ariſtoteles hic libro 4. rectè definivit facilius eſſe non-accipere quàm dare; atque ita facilius eſt non rapere aut non retinere aliena quod eſt juſtitiæ quam dare de ſuo quod eſt liberalitatis. Et quis dubitet difficilius eſſe divitibus abſtinere ab edulio, quam erogare aliquid ſive ciborum, ſive pecuniarum pauperi: propter quod curant quotidiè diſpenſari ſecum, & commutari jejunium in eleemoſynam: atque ita temperantia in ipſis difficilior eſt non ſolum juſtitia, ſed etiam liberalitate

Obiiciunt juſtitiam afficere voluntatem ſecundum affectionem juſtitiæ, alias illas ſecundum affectionem commodi, adeoque illa nobilior erit his. Ita illi, quod mireris: quærendum enim ex illis eſt, quænam ſit illa juſtitia ſecundum cuius affectionem ineſt hæc quam loquimur? Si ipſa juſtitia virtus Cardinalis, petunt principium in conſequenti. Si juſtitia univerſalis quæ idem ſit quod ſanctitas aut honeſtas, nonne & aliæ virtutes ſunt honeſtæ? Deinde quam ineptum illud, quod aliæ virtutes inſint ſecundum affectionem commodi? ſcilicet magna commoditas eſt abſtinentia à cibis, potibus ac Venereis: magna item, pati adverſa quæque, & incommoda. Itaque totum hoc fundatur in errore, & principale fundamentum eſt hoc, quod

Juſtitia prodeſt habenti ipſam, atque etiam aliis extra; cœteræ virtutes ſolis habentibus, ergò ipſa præferenda eſt. Antecedens patet: quia dat externo ſuppoſito jus ſuum, ſive rem in quam habet titulum & præterea ſibi actum virtutis. Reſpondeo hic comparari juſtitiam cum cæteris quatenus juſtitia eſt, & ad alterum præcisè, ſic enim differt ab aliis quæ ſunt ad ſe; at verò illo modo juſtitia non includit utrumque illum reſpectum. Secundò dico comparationem illam ad alte-

alterum non rectè ſedere, quia comparatur bonum utile bono honeſto; ad alterum enim non pervenit ex meâ juſtitiâ niſi lucrum & bonum utile; hoc autem non poteſt ſubire comparationem cum honeſto, ſed comparanda eſt honeſtas honeſtati, & ita inſtituta eſt hæc quæſtio.

Sed quid denique dicimus ad D. N. ſupra citatum contra nos, qui etiam videtur ſimul concluſionem noſtram & rationem convellere; ait enim totam iuſtitiam eſſe perfectiorem iis quæ ſunt ad ſe, quales ſine dubio ſunt temperantia & fortitudo. At enim hoc non eſt æque difficilè ac apparet: Concedo enim totam juſtitiam eſſe perfectiorem, ſed categorematicè ſumptam, id eſt pro aggregatione omnium virtutum, & actuum ejuſmodi qui continentur ſub juſtitia: quia nimirum ſub juſtitia continentur Religio, Pietas, Obſervantia, Amicitia, &c. quarum aliquæ concedendæ ſunt excedere temperantiam &c. At verò quoniam iſtæ non ſunt partes ſubjectivæ, ſed tantum poteſtativæ juſtitiæ, & ſola commutativa eſt veri nominis juſtitia, proinde nego ſimpliciter juſtitiam eſſe perfectiorem aliis, quum commutativa non ſit: & proſequendo diſtinctionem inceptam dico, totam juſtitiam ſyncategorematicè ſumptam non eſſe perfectiorem illis, id eſt, non quemlibet actum eius.

Hæc etiam dabunt:

Authores pro materia Apologiæ præcedentis citati.

APOLOGIA VLTIMA.

De Paſſionibus.

ACTIO I.

Definitio & Diviſio Paſſionis.

ACTIO II.

De diſtinctione Concupiſcibilis ab Iraſcibilis

ACTIO III.

De Sede, ſive Subjecto utriuſque appetitus; atque etiam de Natura Iraſcibilis.

ACTIO IV.

De Paſſionibus in ſpecie.

---

§. PRIMUS.
De Voluptate.

§. SECUNDUS.
De Gaudio, & Triſtitia.

§. TERTIUS.
De Timore.

§. QUARTUS.
De Admiratione.

§. QUINTUS.
De Verecundia.

§. SEXTUS.
De Miſeratione.

§. SEPTIMUS.
De Irâ.

Scotus 3. *diſt.* 15. *q. un.*

EX hac autem approximatione ſequitur quod illud quod inclinatur recipiat à perfectivo illo ad quod inclinatur aliquam perfectionem, quæ perfectio dicitur delectatio quæ quia non eſt in poteſtate paſſivi in præſentia agentis dicitur eſſe paſſio licet verè ſit qualitas &c. ſicut propter ſimilem rationem dicitur ipſa intellectio actio licet ſit verè qualitas &c.

Idem

Idem *diſt.* 34. *num.* 12.

DOlor etiam concupiſcibilis fit cum alia mutatione organi in parte ſenſitivâ quam dolor iraſcibilis, quia ille concupiſcibilis eſt cum reſtrictione ſicut delectatio oppoſita fit cum dilatatione : Dolor autem iraſcibilis fit cum calefactione quæ eſt accenſus ſanguis circa cor. Ex quo ſequitur quod iraſcibilis & concupiſcibilis in parte ſenſitiva habent diverſa organa, quia idem non poſſet ſimul moveri diverſis motibus talibus. In parte autem rationali poſſunt habere ſimilem diſtinctionem obiectorum &c. Non tamen eſt tanta diſtinctio horum in voluntate quanta eſt in appetitu ſenſitivo.

ACTIO I.

Definitio & diviſio Paſſionis.

Breviatium.

N. 1. *Æquivocationes quæ latent in τὸ paſſio.*
2. *Definivit Ariſtoteles paſſionem; definivit D. Thomas, ſed perperam.*
3. *Ultimata definitio eius.*
4. *Diviſio eius apud pleroſque mala.*
5. *Excuſatur : & aſſignatur alia.*

1. TὸTὸ *paſſio* notiſſimum eſt eſſe æquivocum , & importare plura etiam apud vulgus: Communiter accipitur pro perpeſſione iniuriarum, maximè corporalium, ut vulnerum & mortis : quo ſenſu intelligitur : Paſſio Chriſti Domini, & aliorum Sanctorum. Logicis ſonat correlativum Actionis, & apud Peripateticos eſt proprium prædicamentum. Licet Thomiſtæ ipſum confundant cum actione. Uſitata acceptio eius, & ſatis propinqua propriæ hoc loco eſt quâ ſignificat pravos motus naturæ corruptæ; unde Sancti ſuadent luctandum cum paſſionibus ut extinguantur; & , ut dixi, hic ſenſus ad propoſitum facit, dummodo non approprietur malo, quod dico ſequendo rationem : nam non eſt negandum quin apud authores communiter τὸ *paſſio* dicat aliquid mali. Unde M. C. τὸ πάθη, vel παθήματα quibus Græci hæc efferunt, ſemper vertit, *perturbationes*. Si mihi liceret ſententiam dicere, & novitatem aliquam ſcholis inferre

Dicerem, Commune & abſtractum ab omnibus inferioribus quæ hic in controverſiam cadunt vocari poſſe, Affectionem. Adſtipulatur Ariſtoteles hic lib. 2. c. 5. ubi tria in anima ponit, ut deinde ſtatuat ad quod ex illis pertineat virtus: Affectiones facultates, habitus : & addit: *Affectiones autem appello quidem Cupiditatem, Iram, Timorem, Audaciam, Invidiam*, &c. quo loco tam bona quam mala enumerat, &, ſecundum omnes intelligit illa quæ hic tractari ſolent, & vocantur communiter paſſiones.

Ratio etiam : quia anima hominis patitur non ſolum malos , ſed etiam bonos motus, & commotiones ſui, quod etiam verum eſt de parte ſenſitivâ. Explico : ex paſſionibus, una ſatis excellens eſt lætitia, aut voluptas; hæc autem non ſemper in malum vergit. In Beatis quis neſcit eſſe ſummam lætitiam, & gaudium; nec tamen illa malum eſt, neque perturbatio ulla habentis, adeoque jam aliqua paſſio eſt quæ non ſit perturbatio, nec tendat in malum.

Nec eſt quod dicas hic agi de motibus partis ſenſitivæ; nam etiam pars ſenſitiva ibi habet ſuam voluptatem, imò etiam in hac viâ & viri habent eam bonam; in quo ſenſu accipi ſolet illud Pſalmi 83. *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Ita delectatio ſpiritus redundat in corpus etiam in hac vita. Sed ne recedamus à communi phraſi, dicantur iſta paſſiones , tum quia homo patitur eas potius quam agit, ut infrà: tum quia vel ſemper, vel ut plurimum in malum tendunt : (unde in Scripturis modo *peccata*, modo *paſſiones peccatorum* appellantur;) & tum videamus quid illa ſint , ac quemadmodum definienda. D. N. quod ſciam hæc non expreſſit in terminis, ſed ſuppoſuit eorum acceptionem. Expendenda erit ergò communis expoſitio Scholaſticorum, & ante illam ea quam Ariſtoteles, & D. Thomas tradiderunt

2. Igitur Ariſtoteles loco citato hanc definitionem aſſignat paſſionibus, ſive, (ipſius phraſi) affectionibus, quod ſint omnino *Ea quæ conſequitur voluptas aut dolor* : nam quum numeraſſet ſupra poſita à me, atque alia aliqua; ſubdidit *Omnino ea* &c. quibus verbis extremis, (ait Gallutius) vere perturbationem definivit, quia nimirum ſuperioribus tantum enumeravit genera perturbationum. Sed neſcio an verè definiverit : quia ex perturbationibus eminentiſſima eſt ipſa voluptas ſeu delectatio, atque etiam dolor : quomodo ergò omnes perturbationes aut paſſiones ſequi poteſt dolor? poteſt voluptas? num aliquid ſequi poteſt ſeipſum? Deinde, ut accuratè notavit ſuo more Subtilis 3. diſp. q. un. voluptas eſt in parte ſenſitivâ propriè, atque etiam dolor. nam in parte ſuperiori reſpondent his alia duo de quibus infra : ergò iam in ſuperiori animæ parte non eſt voluptas, neque in ipſa voluntate rationali; eſt autem paſſio , adeoque paſſionem non ſemper ſequitur voluptas. Deinde actum cognitivæ & imaginationis ſequitur ſubinde voluptas & delectatio, unde & quædam imaginationes ſunt peccaminoſæ , & tamen huiuſmodi actus non cenſentur paſſiones ergò.

Communior itaque eſt illa D. Thom. hic quæſt. 22. art. 1. & alibi quod; Paſſio ſit motus ſenſitivi appetitus ex apprehenſione boni , vel mali cum aliqua mutatione non naturali corporis.

is. Quæ quidem admitti poteſt, tanquam quæ aliquid præſtet, non quæ totum abſolvat: quærendum enim reſtat ex his, cur paſſio approprietur appetitui ſenſitivo? nonne cadunt etiam in appetitum rationalem lætitia, triſtitia, miſeratio, & ſimilia? imò ultima hæc non quadrant appetitui ſenſitivo, ſed ſoli voluntati, bruta enim, non norunt miſereri, ſicut nec irridere miſeriam. Deinde additum illud de apprehenſione boni vel mali, videtur plane parergon; utique enim apprehenſio aliqua hic intercedit, quum appetitus ſenſitivus non poſſit moveri niſi præviâ apprehenſione, idque ſit indiſpenſabile, ut plane non fuerit neceſſe id interponere expreſsè; ut alia omittam. Unde.

3. Dicerem ipſe ſecundò: paſſionem eſſe motum non elicitum appetitus, quo veri judicii acies connaturaliter perturbatur. Dixi eſſe, non elicitum; ut excluderem actus, & ita definitio reſpondeat definito quod eſt paſſio. Omiſi illud de immutatione corporis, (licet enim bene interponi potuerit, loquendo de nobis) quia non eſt eſſentiale ei: utique enim anima ſeparata & angelus poſſunt tangi paſſionibus, nec tamen habent carnem quæ moveatur, aut ſanguinem qui bulliat. Ultima pars, quæ videtur eſſe extranea, eo quod ſit à poſteriori, quàm maximè explicat ipſum conceptum paſſionis quæ eſt talis commotio appetitus flectendo ipſum in unam partem ut ipſum judicium rationis ſecum inflectat ad ferendam ſententiam quam alias non ferret, ſive quia obnubilat rationem, ſive quia ipſum tanquam judicem blanditiis aut donis corrumpit, & agit tranſverſum, velut amicitiâ aliquâ aut lucro. Cenſui autem hoc apponendum in definitione paſſionis, quia explicat nobis, (licet ab effectu) vim & naturam paſſionis. Etenim paſſiones, & motus ſanguinis ac humorum animalis habent alios effectus phyſicos; ſæpè enim triſtitia, imò ipſi lætitia & amor inducunt morbos & mortem. Tamen ad propoſitum noſtrum facit hoc quod eſt turbare rationem, & inclinare voluntatem in aliquam partem tanquam licitam quam aliàs non approbaret. Utrumque hunc modum pervertendi rationem accuratè tetigit

Severin. Boet. eloquentiſſ. Martyr.
lib. 1. de Conſol. Metr. 7.
canens.

Nubibus atris
Condita nullum
Fundere poſſunt
Sidera lumen,

Si mare volvens
Turbidus Auſter
Miſceat æſtum,
Vitrea dudum,

Parque ſerenis
Unda diebus
Mox reſoluto
Turbida cœno, Viſibus obſtat.

Unde infert ad propoſitam applicationem.

Tu quoque ſi vis
Lumine claro
Cernere verum
Tramite recto
Carpere collem:
Gaudia pelle,

Pelle timorem,
Spemque fugato,
Nec dolor adſit:
Nubila mens eſt,
Vinctaque frenis,
Hæc ubi regnant.

4. Jam de numero paſſionum authores in diverſa abierunt ut non ſit operæ pretium ea referre: qui pauciſſimas numerarunt, poſuerunt quatuor; qui plurimas, undecim: ſuntque iſtæ ex nuncupatione Ariſtotelis citati: Cupiditas, Ira, Timor, Audacia, Invidia, Gaudium, Amicitia, Odium, Deſiderium, Æmulatio, Miſericordia: quem numerum approbat etiam D. Thom. & nos proinde poſſumus cenſere probabilem, ut faciunt communiter alii, contenti his ducibus ubique. Non omittam tamen adferre cauſas admirationis meæ de hoc numero paſſionum, & his ipſis paſſionibus numeratis. Ergo per me

Dicerem ſaltem nomina aut ſpecies paſſionum non eſſe rectè poſitas. Moveor, quia amor quem enumerat D. Thom. Odium quod enumerat Ariſtot. ſunt manifeſtè actus, adeoque non propriè paſſiones; quum actiones contraponantur paſſionibus non ſolum in prædicamentalibus, ſed & in moralibus: Hic enim accipiuntur aut actus, aut non actus, ſive res non elicitæ à potentia ſed receptæ, aut utrumque æquè: ſi ultimum hoc, fruſtra vocantur paſſiones magis quam actiones, quod tamen eſt contra mentem philoſophorum, qui vocem rei accommodaverunt, & deduxerunt à ſimili græca ut vidimus: Si ſecundum, currit ratio poſita, quia iſta ſunt elicita, & verè actus: Si denique primum, falſo ibi poſita ſunt, Timor, Gaudium, item Miſeratio, hæc enim non eliciuntur, ſed recipiuntur tantùm à potentiâ. Itaque fortaſſis erunt undecim; ſed certè non erunt illæ jam enumeratæ propriè loquendo. Et confirmo, quia paſſiones ſunt res durantes, non verò raptim currentes, ut patet apud Ariſtotelem citatum, ponit enim eas ex æquo cum facultatibus ſeu potentiis ac habitibus, quæ ſunt permanentia, & dubitat an virtus conſiſtat in paſſionibus: atqui non eſſet hoc dubium ſi paſſio eſſet quid actuale ac tranſiens, ergò non eſt tale, ſed quid permanens atq. ita illa enumerata quæ ſunt certò actus, puta Amor, Odium, &c. non erunt in rigore paſſiones.

Ut tamen conſulam honori antiquorum & fortaſſis aſſequar veram mentem ipſorum, dabo modum quo intelligi poſſint enumerata illa, aut pleraque illorum eſſe paſſiones; & eſt; quod ad horum ſingula, vel pleraque ſaltem excitatur motus humorum in animali, bullit ſanguis, aliquando exit in partes exteriores, alias retrahit ſe ad cor, & ſimilia quæ animal à ſtatu ſuo ordinario dimovent, & reddunt vehementer affectum erga aliqua objecta, erga alia averſum, ut proinde judicium eius iam non ſit ſincerum ut ſupra: Hæc ergò dici poſſunt paſſiones, & animal vere dicitur iſta pati, atque in hoc ſenſu veritatem habet doctrina illa antiquorum: in rigore autem non eſt approbanda.

Dices fortè; ſi illa quæ non ſunt actus & inclinant hominem in unam partem præ alia ſunt paſſiones, jam habitus amoris, invidiæ, &c. etiam ſupernaturales ſpei & charitatis erunt

Digitized by Google

erunt paſſiones. Reſpondeo non erunt: cauſa, quia paſſiones antevertunt actum voluntatis, habitus autem ſequuntur: Deinde habitus non turbant judicium intellectus de rebus, & minime omnium ſupernaturales, quum iſti potius adferant ſecum novum lumen quod eſt fides.

Quæres ergo quot? & quæ ſint paſſiones proprie dictæ hoc loco? Reſpondeo, hucuſque non deprehendi niſi iſtas quæ ſunt lætitia, triſtitia, voluptas, dolor, timor, verecundia, admiratio, miſeratio, quæ ſunt numero octo, niſi velis addere crudelitatem, & ſtupiditatem quæ ſunt oppoſitæ his ultimis duabus.

Moveor, quia hæ ſunt affectiones quæ in nobis, nec à nobis fiunt, & per nos nec excitari poſſunt, nec ſedari: non enim eſt in manu cujuſquam admirari, aut non admirari propoſito objecto novo ac ſingulari, cujus cauſas non comprehendimus: Item dolorem de amiſſione charorum non poſſumus etſi velimus deponere; ſed nec excitare eum poſſumus in nobis niſi reve ra habeamus ejuſmodi cauſas nolitas nobis quod probe ſciebat ille mimus qui cum in ſcen flere mortuum deberet, ut ageret ſuas partes urnam filii ſui attulit, quæ viſa lachrimas ei ex preſſit.

Dici contra hæc duo poſſunt: unum, quoc ſi numeravimus timorem, ſpes etiam fuerit nu meranda, ambo enim invicem reſpondent. Al terum quod etiam audacia videatur eſſe paſſio e æquo cum quolibet ex enumeratis. Et ego d primo non admodum contendam; verius tame eſt quod dixi in concluſione, non eſſe eam pa ſionem, quum ſit vera actio, gignatque habi tum, proprium, quem ſubinde accipit infu ſum. Secundum autem neque paſſio, neque ha bitus eſt, ſed naturalis potentia, & talis conſtitu tio interna hominis, quæ ex abundantia langui nis, & robore membrorum provenit.

ACTIO II.

De diſtinctione Concupiſcibilis ab Iraſcibili.

Breviarium.

N. 1. *Concupiſcibilis & Iraſcibilis in voluntate formaliter indiſtincta.*

2. *In parte autem ſenſitiva realiter diſtingui, probantur.*

3. *Objectiones contrariæ diſſolvuntur: ſenſus commu nis an quid ſimplex?*

4. *Alia objectio: Quarè ira impedit concupiſcen tiam?*

1. Nihil eſt magis tritum apud Ethicos antiquos, (à quibus ad vulgus manavit) quam appetitum ſenſitivum dividi in duo, concupiſcibilem, & iraſcibilem: cujus rei examen huc proprie ſpectat. D. N. fateor, ſubinde ſupponit communem ſententiam, id eſt, diſtinctionem eorum; ſed in tranſitu; unde rei veritas de mente ipſius petenda eſt ex aliis principiis ejus ſpeculativis in ſimili quæſtione: quibus inhærendo.

Dico primo ad titulum, concupiſcibilem, & iraſcibilem in voluntate, non videri formaliter diſtinctas: in parte autem ſenſitiva hominis poſſe etiam realiter diſtingui. Hæc quoad punctum principaliter controverſum eſt multorum apud Salas hic: tota autem eſt ad methodum Subtilis; primò quidem quia non admittit in homine quoad partem ſuperiorem niſi intellectum & voluntatem, tanquam diſtinctas potentias; non autem dividit intellectum in duas, quarum una ſit memoria, altera ipſa intelligentia, nec voluntatem ſimiliter in duas: At vero oppoſitum concluſionis id exigeret, adeoque. Secundum autem paulo expreſſius tradit 3. d. 3. 6 q. un. n. 12. ibi: *ex hoc ſequitur quod iraſcibilis & concupiſcibilis in parte ſenſitiva habent diverſa organa, quia idem non poſſet moveri diverſis motibus, &c.* ut ſupra in themate.

Probo jam primam partem: quia volitio & nolitio non exigunt diverſas formaliter potentias: ſed iraſcibilis & concupiſcibilis ſunt veluti volitio & nolitio, vel rectiùs, ſunt volitivum & nolitivum, ergo.

Dices, id non ita eſſe; quia ira eſt appetitus vindictæ; appetitus autem non eſt nolitio. Audio libenter, nempe ſi ira eſt appetitus, tum iraſcibilis & concupiſcibilis diſtinguentur adhuc minus, utpote tanquam appetitus, & appetitus. In re autem exiſtimo iram non propriè dic appetitum, ſed potius reſpuentiam, & repulſam quo poſito adhuc procedit argumentum.

Urgeo Scotiſticè totum, quia ſenſus communis, qui ſecundum alios diſtinguitur in quinque diverſos, ſecundum noſtros eſt tantum unus habens varias functiones & operationes. Item, (quia ſumus in parte ſuperiori hominis,) ipſe intellectus eſt principium non ſolum affirmationi & negationis, quæ ſunt velut appetentia & reſpuentia, ſed etiam trium aliorum, puta appre henſionis, judicii, &c.

Probo jam ad hominem intentum, quia ſ Thomiſtæ diſtinguũt iraſcibilem à concupiſcibi li, debebunt diſtinguere concupiſcibilem à ſe ipſa, & aſſignare plures concupiſcibiles, atque etiam plures iraſcibiles, adeoque maturè eligenda eſt ipſis horum omnium unitas. Probo ſequelam, quia actus concupiſcibiles ſi conferantur ac invicem invenientur tam diſtincti, quam ſin actus ipſius cum actibus iraſcibilis collati. Pate antecedens accipiendo actus aut paſſiones hin inde prout numerantur ab illis: ſic enim ad con cupiſcibilem pertinent amor, odium, delecta tio, voluptas, deſiderium, execratio. Ad iraſci bilem ſpes, timor, audacia, Ira: At verò clarun eſt accipiendo utrumque ordinem hinc inde nulla duo magis opponi ſibi quam amorem & odium quæ ſunt in primo, & pertinent ad con cupiſcibilem ſolam. Item quæ magis pugnan

quam lætitia & gaudium, quæ tamen ſunt in eadem concupiſcibili: Idem argumentum formari poteſt de motibus iraſcibilis ſolius, ut patet applicanti.

Adhuc iterum ad hominem, quia Thomiſtæ intelligunt iraſcibilem eſſe quæ verſatur circa bonum arduum; concupiſcibilem autem circa bonum facile, aut non arduum: at vero clarum eſt quod arduitas & defectus arduitatis non exigunt diverſas potentias; nam non poſſumus ſic philoſophari ut dicamus rationem formalem ſpecificativam hujus potentiæ eſſe arduitatem, quia arduitas ſeu difficultas non eſt bona, ſed malum quoddam, quum dicat pœnam: at vero nulla potentia neque ullum agens habet pro ratione formali ſuæ actionis malum.

Iterum in idem: Agens quod appetit & procurat bonum arduum etiam ſtante arduitate, quæro utrum deſinet appetere illud ablatâ arduitate, an non? ſi non, jam una potentia fertur in bonum arduum, & in non arduum, ſive ſpoliatum arduitate; adeoque propter arduum & non arduum, non erant multiplicandæ potentiæ, quod erat intentum. Quod autem deſiſtat, dici omnino non poteſt, nam ſic neque admitteret ipſum, aut frueretur eo jam adquiſito; quia in accipiendo quod datur, aut fruendo quod acceptum eſt poſt omnes difficultates, utique nulla eſt difficultas, ergo.

Probo denique abſolute ratione ipſius Subtil. citati; nam, cujus eſt velle unum oppoſitorum, ipſius eſt nolle alterum: concupiſcibilis eſt velle bonum ſibi commodum: ergo ejuſdem eſt nolle tam oppoſitum quam ablationem hujus: ſed ira fertur in hoc, ergo jam ira erit motus ipſius concupiſcibilis: quam rationem placet ſic proſequi ex diametro Thomiſtarum, qui ex uno univerſalem inferunt, ex igne ſcilicet in quo levitas diſtinguitur à calore, de quo infra: ſufficit idem ad bonum habentis conſtituendum & defendendum, ergo ad hæc non ſunt multiplicanda plura ſine neceſſitate: id autem eſt facere diverſum concupiſcibile ab iraſcibili: ergo jam non ſunt diverſificanda aut multiplicanda. Aſſumptum oſtendo, nam ut bene ipſe D. Th. advertit, differentia cujuslibet, v. g. rationale hominis, duo præſtat, & conſtituere & diſtinguere, quod eſt quoddam defendere à brutis, utrumque enim rationale facit, & aliæ aliorum; neque tamen rationale, nec ulla aliorum diſtinguitur formaliter à ſe ipſa.

In phyſicis calor & frigus congrua ſunt naturis elementorum ſuorum, & exiguntur ab ipſis ad commodum & complementum ſuum; & tamen ſingula ex his defendunt ſuum elementum à contrario, frigus aquam à calore & igne: calor ignem à frigore aquæ, & ſic de cæteris; ergo jam iraſcibilis quæ armatur contra adverſarium non eſt diſtinguenda à concupiſcibili quæ appetit cujuſque commoditatem.

2. Probatio ſecundæ partis, quia ira & concupiſcentia habent affectiones incompoſſibiles, adeoque non poſſunt eſſe ab eodem: antecedens probatur; nam ira facit ebullire ſanguinem, concupiſcentia non; dolor concupiſcentiæ reſtringit, dolor iraſcibilis dilatat; at vero impoſſibile eſt idem ſimul dilatari & reſtringi, ac contrahi.

Dicet forte aliquis; etiam amor & odium ſunt incompoſſibilia, tamen principium eorum eſt unum: ergo ſimiliter. Sed non eſt ſimile; nam amor & odium ſunt incompoſſibilia tantummodo circa idem; at vero dilatatio & conſtrictio ſunt incompoſſibilia etiamſi actus à quibus oriuntur, verſentur circa diverſiſſima; non enim poteſt idem membrum moveri oppoſitis motibus etiamſi reſpiciat quantumcunque diverſa. Ratio etiam aliqua eſt; quod quæ ſunt unita in ſuperioribus, ſunt diſperſa in inferioribus; non ergo debemus concedere tantam ſimplicitatem appetitui ſenſitivo, quantam voluntati.

Objici poteſt Scotiſtis: quod quamvis diverſa ſint munera ſenſus communis, tamen ipſi ponunt omnes eſſe unum realiter, quidni ergo ponant hunc appetitum talem eſſe, ſcilicet realiter unum, licet habeat diverſa munera, & ſit ſenſitiva potentia ſeu materialis? Confirmo hoc argumentum contra me, applicando ei rationem, quæ hic facta eſt à me pro diſtinctione concupiſcibilis ab iraſcibili; nam diverſa & oppoſita omnino diſpoſitio requiritur ad actum memorativæ, ab illâ quæ requiritur ad actum phantaſticæ ſeu imaginativæ: huic enim conducit mollities ſubjecti, illi durities; clarum eſt autem mollitiem ac duritiem opponi incompatibiliter, non minus quam dilataiationem & reſtrictionem; & tamen non obſtante hac oppoſitione, ſecundum nos utraque potentia identificatur, ergo ſimiliter hæc poſſunt & debent conſequenter identificari. Hoc argumentum apud me non parum valet, quia puto in eo adferri paritatem, unde credo ei in aliquâ parte eſſe cedendum: neque in concluſione abſolute dixi has diſtingui realiter, ſed poſſe teneri earum diſtinctionem realem: modum quo id fieret, infra indicabo; dependet enim à reſolutione alterius partis controverſæ & tituli.

Ad rationem autem allatam pro eorum diſtinctione ſupra, dici poſſet proinde nunquam vigere in animali utramque paſſionem flagranter, ſcilicet iram & concupiſcentiam, quod etiam experimur, ſcilicet auctâ unâ, decreſcere aliam, adeoque non neceſſe eſt iſtos motus ſimul eſſe, quia nec paſſiones; & proinde poſſunt eſſe idem, & in eodem organo, ut infra explicabo. Sed hoc ipſum

Objici poteſt nobis, quod ira minuit concupiſcentiam, & viceversâ concupiſcentia iram, adeoque non ſunt idem, quia nihil idem minuit ſe. Hæc & ſequens ratio, ſi quid valent, juvant alteram illam partem concluſionis: at enim iſta non videtur convincere, quia non dixi iram & concupiſcentiam eſſe idem, ſed iraſcibilem & concupiſcibilem; quæ autem minuunt ſe ſunt ira, &c. quæ ſunt actus ſecundi: ſed contra

Inſtari adhuc poteſt, quod experiamur etiam actus primos minuere ſe invicem, nam qui proni ſunt ad libidinem ſunt ſubinde tardi ad iram; & calidi ad iram ſunt frigidi ad libidinem, quod non poſſet eſſe ſi idem foret utriuſque principium; nec enim idem poteſt minui & non minui ſimul.

Reſpondeo hoc argumento urgeri etiam adverſarios: nam ſi valet, probat ipſam concupiſcibilem à ſe diſtingui: etenim inveniuntur aliqui fervidi ad aliquos actus concupiſcentiæ, ad alios frigidi, aut non æque inflammati, quidam temperantes gulæ, ſunt intemperantes libidinis, & è contra. Itaque hoc omnibus ſolvendum eſt in præſenti: atque in quovis corporali principio

habet

habet facilem ſolutionem; id enim oritur ex diverſis organi diſpoſitionibus, quæ bene poſſunt eſſe ad unum actum & non ad alium. At vero in principio ſpirituali, non eſt æque molle argumentum: unde difficultas ad formationem ſyllogiſmi, & facilitas ad cognitionem recte inferunt diverſa principia Logicæ docentis & utentis, de quo alibi in loco. Nunc ſit

---

ACTIO III.

De ſede ſeu ſubjecto utriuſque appetitus atque etiam de natura iraſcibilis.

Breviarium.

N. 1. *Iraſcibilem non eſſe circa bonum arduum, contra D. Th.*

2. *Illa non eſt propriè appetitus, neque, &c.*

3. *Organum appetitus non eſt cerebrum, ſed Cor.*

4. *Non ita tamen Cor, quin ille ultra ſe extendat.*

1. LUbet hoc alterum primò expedire quùm ſit quid rei adeoque ſupponatur ad cætera: Thomiſtæ ut ſupra innui, ponunt iraſcibilem eſſe circa bonum arduum, & in hoc diſtingui à concupiſcibili qui verſatur circa bonum abſolutè ſine ulla limitatione vel affectione. Huic obſtat Subtilis & ſui: videndum eſt cujus ſententia præponderet.

Contra Thomiſticam & Recentem facit primò ratio ſupra à me poſita, quod arduitas non poſſit eſſe ſpecificativum ullius appetitus: quia nimirum ipſa non eſt appetibilis, adeoque, aut iraſcibilis non erit appetitus, aut non erit circa arduum. Utrumque autem docent illi: aſſumptum hujus à me probatum eſt ibi, quia arduitas non eſt bonitas nec bona, ſed omnino mala, eſt enim pœnalis.

Deinde quando dicunt iraſcibilem eſſe circa bonum arduum, concupiſcibilem circa bonum non arduum; aut hoc intelligitur præciſivè tantum, aut etiam excluſivè, ſi primum, tunc iraſcibilis erit ſpecies concupiſcibilis, & non aliquid contrapoſitum ei. Excluſive autem intelligi eſt falſum, quia multa amantur à concupiſcibili quæ tamen habent arduitatem: Amor Dei ſuper omnia, credo equidem continet aliquam arduitatem, imo ſummam & omnem, in hoc enim tota lex pendet, & prophetæ: nec tamen pertinet ad iraſcibilem, ſed &c. Et ne forte dicatur hic amor non eſſe concupiſcentia, accipiamus aliquem qui vere talis ſit, puta concupiſcentiam oculorum, aut concupiſcentiam carnis; quis enim neſcit in divitiis comparandis, & in aſſequendis voluptatibus eſſe ingentes difficultates, nemo tamen dicet me his voluptatibus per iraſcibilem frui, aut imminere, ſed per ipſiſſimas concupiſcentias.

Tertiò quia primarius & ſpecificativus actus iraſcibilis eſt iraſci, atque hic in omni opere ejus exercetur aliquo modo: atqui nemo dicet me iraſci bono arduo, ergo bonum arduum non erit objectum iraſcibilis; & aliæ exeogitari poſſunt quibus hanc inventionem cædas.

2. Tenenda eſt ergo doctrina Subtilis, quod iraſcibilis non ſit proprie appetitus, neque de bono arduo, ſed potius oppoſitas affectiones contineat, ut ipſa ſit reſpuentia, & impugnatio quædam, habeatque pro objecto malum, aut certe & magis proprie, ipſam probibens aſſequutionem concupiti, quod quoniam non poteſt melius dici quam Scoti verbis, proferam illa: ait ergo ipſe. Actus iraſcibilis eſt iraſci quod ſecundum Philoſ. 2. Rhetoric. eſt appetere vindictam ſecundum rationem apparentem, propter apparentem parvipenſionem; igitur objectum iraſcibilis eſt vindicare, vel verius, ſi hoc, eſt actus ejus, vindicabile ſeu punibile quod, poſſet dici iraſcitivum, vel uſitatiori modo loquendi offendens; quod offendens non dicitur, ſtatim diſconveniens concupiſcibili, ſed quia, impedit illud quod eſt primo conveniens appetitui, puta guſtativo carnis cibum, ideo concupiſcitur primo; prohibens autem cibum & removens offendit animal concupiſcens. Offendens igitur iraſcibilis eſt tale offendens circa, quod iraſcibilis habet nolle, non quidem propriè refugientis ſicut concupiſcibilis nolens refugit, ſed magis reſpuentis ſive repellentis.

Unde bona venia Thomiſtarum, decepti videntur ex ſimilitudine ſpei, quam pro irâ vel iraſcibili acceperunt.

Jam circa ſecundum punctum, varias priorum opiniones, qui volet leget apud Salas ex Conymbr. citatis. Quæ majorem ſpeciem probabilitatis habet ex priſcis, eſt illa medicorum apud Lactantium, quod nimirum ſubjectum & organum iracundiæ ſit in felle, timoris in corde, lætitiæ in ſplene, cupiditatis in jecore, propter rationem quam infrà tangam utcunque; non enim nimis premit. Unde lis nunc temporis videtur reducta ad cerebrum, in quo ultimò Recent. quidam conſtituit appetitum, quod intelligit tam de iraſcibili quam de concupiſcibili, exiſtimo

3. Dicendum, quod organum appetitus ſenſitivi neque pro unâ, neque pro utrâque parte ſit cerebrum, ſed potius Cor; non tamen ita quin ad alia ſe extendat; imo in quibuſdam eſſe diffuſum per totum, aut quaſi totum corpus. Hoc pro ſecunda parte eſt ad mentem & verba Subtilis citata num. 1. ubi clarè dicit iraſcibilem habere diverſa organa.

In primis tamen ſuadeo primam partem, & arguo contra cerebrum de priori appetitu qui eſt concupiſcibilis, ſic: diſpoſitiones ad concupiſcentiam non ſunt in cerebro, ſed oppoſitæ, ergo

Digitized by Google

ergo non eſt cenſendum quod ſedes aut organum concupiſcibilis ſit cerebrum: conſequentia eſt legitima; non enim credendum eſt naturam collocaſſe ullius virtutis ſedem ubi non poſuit inſtrumenta, aut qualitates connaturales ejus. Antecedens autem oſtenditur facile, quia concupiſcentiæ deſervit calor, ut cuique notum eſt, cerebrum autem non eſt calidum, ſed notabiliter frigidum, quum ſit humidum, & aqueum. Confirmo; quia in ſenibus deſinit concupiſcentia in quibus frigus viget, in juvenibus fervet in quibus calor abundat; ergo ſignum eſt quod illa ſequitur calorem; quod ita verum eſt ut etiam cibi calidi ſive formaliter, ſive virtualiter illam irritent, etiam potus, ut vinum.

Arguo etiam adhuc: quia ſi cerebrum eſſet organum appetitus ſive concupiſcibilis, ſive iraſcibilis, tum læſo cerebro impediretur, aut ſaltem mitigaretur motus concupiſcentiæ, id autem non contingit, quamvis deberet contingere, quemadmodum actio ſenſus communis ſive imaginativæ impeditur & turbatur læſo cerebro, eo quod in cerebro reſidet ipſa ut in organo ac ſede.

Objicit Adverſarius ſenſum communem eſſe in capite & cerebro, adeoque appetitum, quia hic debet eſſe juxta illum, qui eſt cognitivus & ſemper debet præcedere iſtum in agendo, eo quod eum dirigat & doceat. Urget argumentum in brutis paulo efficacius, eo quod hæc habeant animas diviſibiles: propter quod poſitâ veritate noſtræ concluſionis contingeret appetitum ferri in incognitum; nam pars animæ quæ in corde eſt ferretur in incognitum quandocunque amaret, quia nimirum non illa, ſed pars quæ in cerebro eſt cognoſceret objectum proſequendum. Reſpondeo primo hanc difficultatem, (ſi quæ eſt) ſuperandam eſſe omnibus Thomiſtis, ex quibus ille vult ſe cenſeri; etenim hi ponunt potentias diſtingui ab animâ, & eſſe accidentia invariabilia; tum autem non ſolum pars, ſed tota potentia appetens eſt non cognoſcens. Non utor hoc argumento ſed volo tantum oſtendere quod illud poſſit & debeat ſolvi, quum in illud incurrat communis doctrina Thomiſtarum. Reſpondeo ergo ipſe negando conſequentiam; & ad probationem quæ poſita eſt potiſſimum in confirmatione, dico iterum non ſequi illata, quia ſufficit quod ſuppoſitum appetens ſit cognoſcens; non vero eſt neceſſe quod eadem pars aut potentia ſit ſimul cognoſcens & intelligens. Quæ reſponſio ex ſemetipſâ confirmatur, nam voluntas quæ amat in homine, & intellectus qui intelligit ſunt aliud & aliud formaliter; non ergo idem per omnia eſt appetens & intelligens, quocunque ſe vertat Adverſarius; atque adeo non eſt neceſſaria tam præciſa identitas; & denique non invenitur alia niſi identitas ſuppoſiti, quæ in propoſito recurrit.

Alterum illud de corde jam ſuadetur; quia affectus tam cupiditatis quam iræ in corde ſentitur: ardet quis amore, cor ſtatim palpitat; flagrat irâ, cor incrudeſcit, & ſanguis circa ipſum bullit; & circumeundo per omnia, affectiones ac perturbationes utriuſque circa cor ſentiuntur, adeoque in ipſo ſunt motus tam iræ quam amoris, & proinde ipſum erit organum eorum: Hæc ratio eſt à poſteriori, ſed altera hæc à priori.

Quia nimirum cor eſt principium vitæ in animalibus, & ab illo dependet ipſa æquè ac mors, cor enim eſt ultimum moriens, & quamdiu illud non patitur, adhuc animal vivit: Illi ergo aſſignanda fuerunt arma defenſiva qualis eſt ira; ſi autem ira, etiam concupiſcentia, quod non negabunt ſequi adverſarii, ergo.

Teneo tamen hæc non eſſe tam ſcrupuloſe affixa cordi, quin etiam ad alia ſe extendant, quia non credo quin ſanguis iracundo bulliat etiam in hepate; quin bilis etiam in veſicâ fellis intumeſcat, & veluti undas agat; bilioſi enim iracundi ſunt, ut cuivis notum eſt; & idipſum proportionaliter credo de organo appetitus concupiſcibilis, cur enim non æque de utroque. Quod totum confirmatur, quia inſecta ſecta retinent adhuc appetitum utrumque, nam ſerpens & vermis diviſus in partes, in utrâque ſentit, movet ſe, & quùm pungitur dolet ac reſiſtit, ſaltem retrahit ſe, qui ſunt effectus concupiſcibilis & iraſcibilis, ergo.

Confirmatio hæc aliquid facit; ſed ratio eſt præfixa non me convincit; iſti enim motus dici poſſunt effectus iræ vel concupiſcentiæ qui poſſunt eſſe diſperſi per partes corporis, etiam in quibus non eſt organum, quod libet oſtendere inſtantiâ; nam verecundia utrique eſt paſſio ſive iraſcibilis, ſive concupiſcibilis quod nunc non intereſt, & ſuffuſio ſanguinis ac rubor ex ipſa eſt in vultu hominis; nec tamen inde inferre licet quod organum ullius appetitus ſive concupiſcibilis ſive appetibilis ſit in vultu, ergo ſimiliter.

Probanda eſt ergo res per ipſos actus concupiſcibilis ſive iraſcibilis, ut ſupra feci, per inſtantias proſequutionis & fugæ, & qualitatum his immediatè inſervientium, quæ philoſophia confirmari poteſt per fidem, quando hæc docet quod ex *corde prodeunt homicidia, adulteria, &c.* nam ex duobus illis unum pertinet ad concupiſcibilem ſcilicet adulterium, alterum ad iraſcibilem, puta homicidium: Et contra cerebrum illius Recentis facit ſimiliter ſcriptura, neque enim ait illa diligendum eſſe Deum vel aliud ex toto cerebro, ſed ex toto corde: & quamvis hæc ſit authoritas negativa, tamen innititur rationi; etenim ridiculum eſſet ſi quis quempiam obligaret ad diligendum ex ipſius cerebro; quis hoc cum audit non rideat? *Matth. 15. 1. 18.* *Deute. 6. 5.* *Matth. 22. 18.*

(*,*)

ACTIO IV.

ACTIO IV.

De paſſionibus in ſpecie:

Breviarium.

N. 1. *Voluptas.*
2. *Gaudium, & Triſtitia.*
3. *Timor.*
4. *Admiratio.*
5. *Verecundia.*
6. *Miſeratio.*
7. *Ira.*

1. SUpra curavi paſſiones utriuſque appetitus, tam concupiſcibilis quam iraſcibilis, quæ, etiam accommodari poſſunt voluntati. De illis hic reſumam tractatum omiſſis iis quæ à quibuſdam hic fuſe tractantur, & immerito, non enim ſunt paſſiones, ſed actiones ſcilicet, amor, averſio, &c. ut ibi. Primum ex meis fuit voluptas quæ cum notiſſima ſit experimento, difficillima eſt explicatu, quod patet ex diverſitate opinionum quæ apud authores de hac re ſcatent, & referuntur à Salas hic; licet Recent. quidam ſcripſerit totum eſſe per ſe notum. Omiſſis pluribus dicendi modis ponam principalem quæ ex diametro opponitur concluſioni, & vult, voluptatem eſſe perceptionem objecti convenientis: dolorem diſconvenientis. Ita Fracaſt. Flamin. &c. oppoſita eſt Subtilis atque etiam Angelici quæ quidem verior videtur, ſed patietur ſatis arduas oppoſitiones, ut infra: nihilominus

Dicendum erit cum illis, quod voluptas non ſit perceptio objecti quantumvis convenientis. Hanc commendare libet authoritate Ariſtotelis, qui quum longiſſime de re cogitaſſet, ut patet ex ipſo, libro hujus operis decimo per plura capita, ſignificat denique ſe in hanc partem inclinare: docet enim ibi cap. 4. operationem perfici voluptate, quod in ſenſu Adv. eſſet dicere operationem perfici operatione, aut, voluptatem perfici voluptate. Dabo verba ejus quæ etiam probationem quandam hujus continent: ait ergo loco citato: *Perficit autem operationem voluptas non ut habitus quidam qui ineſt, ſed ut finis ſuperveniens, perinde atque venuſtas in iis, qui in flore ætatis conſtituti ſunt*: & infra: *ſine operatione non fit voluptas*, &c. *operationem omnem voluptas perficit.*

Probatio hujus à ratione, eſt ſeparatio iſtorum, contingit enim fieri operationem voluptuoſam ſine voluptate; nam ut omittam ſenſationes guſtus & tactus, in quibus objecta eadē non eodē modo ſemper ſapiunt, ſed minus repetita quā incepta, unde quidā quotidianos cibos, tametſi delicatos, & proprias uxores licet alias formoſas faſtidiunt, præferuntque aliquando minoris notæ merces in utroque genere. Totum patet omnibus in ſenſu viſus, nam idem hortus, eadem viridaria ſæpe viſa non delectant quæ primâ vice ſummè delectabant; idemque eſt in comœdiis ac tragædiis, quæ ipſæ nequaquam repetitæ placent, imo non poſſumus à nobis impetrare patientiam ut eaſdem ſæpe videamus, ex quibus patet veritas concluſionis; nam in ſenſibus quotieſcunque objecta percipiuntur, adeſt operatio, non adeſt delectatio, adeoque jam evidenter operatio non eſt delectatio, nec è contra.

Diceret forte quis non haberi ſimilem operationem in utriſque caſibus. At enim non ſufficit hoc evertendo argumento; do enim hoc, & & fortaſſe intenſior eſt operatio ſecundâ vice, nec tamen intenſior eſt delectatio. Inſtari poteſt, organum non eſſe ſimiliter diſpoſitum in utroque caſu ſed diſſimiliter, atque ideo non ſentiri delectationem; ſic videmus hominem eſurientem delectari cibo vehementer, ſaturum aut ſemiſaturum non item. Et vera re puto hanc inſtantiam tangere articulum ipſum quæſtionis ſed facere pro me; quia nimirum indiſpoſitio organi ſecunda vice eſt ad recipiendum, non vero ad agendum; ad hoc enim melius ſe habet, atque adeo delectatio & voluptas fiet patiendo & recipiendo, non autem agendo.

Arguo tertiò; delectatio non eſt objecti, neque ad ipſum; ſenſatio eſt objecti, & ad ipſum refertur, ergo delectatio non eſt ſenſatio; v.g. quum commedo, guſto cibum, at non delector, perceptio eſt erga ſaporem, delectatio non; ſed circa ſenſum, aut (quod verius videtur) quid omninò abſolutum adeoque non ſunt ſynonyma hæc.

Quarto, quia delectatio ſentitur, operatio non ſentitur: quod intelligo de ſenſu ipſo operante: v.g. Guſtus percipit ſaporem, at non percipit guſtationem, alioqui ſapor non eſſet objectum ejus adæquatum, ergo jam non eſt idem delectatio & operatio aut perceptio.

Dices, etiam operationem ipſam ſenſu percipi; quiſque enim experitur ſe ſentire. Reſpondeo experimentum hoc non haberi à ſenſu proprio, ſed à communi, aut etiam ab ipſa animæ eſſentiâ, vel ſuppoſito ipſo tantum; at vero delectatio percipitur à ſenſu in quó eſt operatio, v.g. à guſtu, tactu, &c. Deinde, perceptio illa ſenſationis non eſt alia ab ipſa ſenſatione, alioquin ibimus in infinitum: ſic enim dabitur hujus perceptionis perceptio, & illius alia, & deinceps in æternum; at vero oſtenſum eſt delectationem non eſſe primam perceptionem objecti, non enim objectum ſenſus percipitur tunc, ſed alia affectio ſequens.

Cenſeo ergo delectationem eſſe potius paſſionem; ita cenſuit Subtil. 3. d. 15. q. 1. num. 8. 9. 10. & 11. maxime autem ille 9. ubi palam ait *illud quod inclinatur recipere à perfectivo perfectionem quæ dicitur delectatio*: ecce delectationem receptam, non vero productam ſecundum Scotum: unde ibidem ſtatim: *quæ quia non eſt in poteſtate paſſivi* in præ-

Digitized by Google

in præſentiâ agentis, dicitur eſſe paſſio, &c. ut ſupra in themate.

Probata manet ex ſupra poſitis; ſi enim non ſit actio, nihil relinquitur quod ſit niſi paſſio. Præterea ſic, quia delectatio non eſt in poteſtate ſenſus, nec ſentientis, quantumvis liberi; at vero ſi foret actio, eſſet in poteſtate agentis, ergo. Major experientiâ convincitur: ſed quia dici poteſt ideo delectationem non eſſe in poteſtate hominis, quia operatio jam elicita non eſt in poteſtate ejus, oſtendo delectationem & ſimilia non eatenus eſſe neceſſaria quatenus actio producta neceſſariò recipitur; quia ceſſante actione non ceſſat delectatio vel dolor, nam qui paſſus eſt magnum damnum, v. g. mortem patris ſui, etſi non cogitet de mortuo, & conſequenter non habeat nolitionem actualem ejus, adhuc dolet, & eſt triſtis, ergo jam hæc non ſunt neceſſaria neceſſitate ſolius actionis, ſed neceſſitate ſua quæ eſt paſſionis. Deinde ſæpe optamus poſſe coercere lætitiam, timorem, &c. nec tamen poſſumus; adeoque manifeſtum eſt ea non eſſe nobis libera; ſed ſi eſſent actiones certiſſime eſſent liberæ, ergo ſignum eſt, quod non agimus hæc, ſed patimur.

Objici tamen poteſt ſatis ardua difficultas quam in ſuperioribus tetigi, quod ſcilicet voluptatem vitaliter percipiamus; at vero vita non conſiſtit in paſſione, ſed in actione ut apud omnes eſt certum, ergo delectari non eſt pati, nec delectatio paſſio. Urgeo, quia ſi delectatio eſſet mera paſſio ut nos prætendimus, tum illa poſſet mortuo ineſſe, itemque dolor quod conſtat eſſe falſum; patet tamen ſequi hinc, quia mortuus bene poteſt pati, imo ad hoc ſolum eſt aptus; & ipſa inanimata, ut ligna arida & lapides eſſent capacia voluptatis, quod falſum eſt, quum hæc exigant non quamcunque vitam, ſed ſenſitivam. Reſpondeo etſi neſciamus hoc ſolvere per omnia, tamen non eſſe cedendum ei; quia etiam noſtræ rationes ſunt prægnantes; æque enim certum eſt non poſſe ſenſum tendere ultra objectum ſuum, ac delectationem exigere vitam. Secundò ad hoc dico vitam non exigere propriam actionem, vel productionem alicujus; quod ſi oſtendatur fatiſcit argumentum; oſtendo autem inſtantiâ ſummæ, & perfectiſſimæ vitæ, quæ eſt illa Dei; Deus enim vivit certiſſimè, & tamen non habet in ſe aliquid productum, ſed actus vitales ejus ſunt improducti, & realiter identificati.

Diceret forte aliqui D. Deum habere actus notionales quibus aliquid producitur, ſcilicet ipſæ perſonæ Divinæ. Sed hoc nihil nocet: certum enim eſt eum habere aliam vitam, quia vita eorum actuum eſt tribus communis; atqui nihil intentionale eſt ipſis commune. Deinde Spiritus Sanctus ſine dubio vivit; hic autem nullam actionem intentionalem habet. Itaque vita Dei non eſt ſita in actione; neque Deus eam producit, ſed quaſi recipit potius: unde proprie eam dicitur habere. Joan. 5. 26. *Pater vitam habet in ſemetipſo, & dedit filio vitam habere in ſeipſo*: ad quod facit id quod ſtatim ſubditur: *poteſtatem dedit ei judicium facere*; ubi opus ad extra ſignificatur verbo activo; at vero vita interna verbo quaſi paſſivo. Per quæ patet ad totum: nihilominus ſigillatim, ad confirmationem nego ſequelam: cauſa eſt, quia hæc forma quæ eſt voluptas exigit ſubjectum vivens, ſicut multæ aliæ formæ exigunt determinata ſubjecta, ita ut ſi alteri uniantur, non præbeant ei effectum formalem: Sanè ſi Dei gratia poneretur in ligno, non proinde lignum redderetur amicum ei; & tamen amicitia eſt effectus formalis gratiæ: ita hic. Tota doctrina confirmatur; quia nobiliſſimum vivere eſt intelligere; & tamen *intelligere eſt quoddam pati*: poterunt ergo dolere & delectari eſſe quædam vivere, & tamen conſiſtere in pati. *3. de Anim. 4.*

Quid jam ſit voluptas aut delectatio, ſupervacaneum exiſtimo reſolvere, & vix poſſibile; unde aliqui hic fruſtrà ſe fatigant; nam nemo eſt qui id neſciat; non proinde tamen quiſque explicare poteſt: Cujus cauſa eſt, quod τὸ delectari ſit ſimplex terminus, & ex primò cognitis, ut non poſſint accipi notiora ad ipſum explicandum: nam quod D. Thom. & alii volunt eſſe dilatationem cordis, aut ſimile; eſt adferre pro cauſa effectum.

§. II.

De Gaudio & Triſtitiâ.

IDipſum cenſendum eſt per omnia quod de voluptate & dolore, de quibus hactenus; addito eo quod advertit exacte Subtilis, voluptatem & dolorem ad ſenſum pertinere; triſtitiam & gaudium ad voluntatem. Unde quum præſcinditur mihi membrum aliquod, doleo; quum amicus aliquis, triſtor.

§. III.

De Timore.

SEmper mihi redit illud de quadam ineffabilitate harum paſſionum, eo quod valde familiares, & ita nimis notæ ſint. Puto enim timorem, aut nullatenus, aut difficillime explicari poſſe. Ariſtoteles refert antiquorum definitionem, quod ſit: *Exſpectatio malorum*; ſed malam quia falſam: non enim timere eſt expectare, ſed oppoſitum ejus: expectatio ſiquidem eſt ſpes, quæ non verſatur circa mala. Unde carpitur, & meritò Virgilius quod cecinerit

Tantum potuit ſperare dolorem.

Ipſe autem Ariſt. aggreſſus explicationem, definivit timorem eſſe ex imaginatione futuri mali corruptivi, aut dolorem inferentis perturbationem

nem aut dolorem. Nec tamen videtur ſatisfeciſſe; quia perturbatio videtur ad intellectum pertinere, timor autem ad affectum: vel ſi de affectu loquatur tum non explicat definitum, ſed effectum ejus.

Itaque exiſtimo non ſolum difficile ſed ſupervacaneum eſſe cudere definitionem hujus, propter jam dicta, ſi tamen lector fortaſſe proterviat, ut aliquam neceſſariò audire velit, dicatur: timor eſſe impulſus appetitus quo ab imminenti malo avertitur. Explicabo ipſam breviter per partes, & tum reſolvam alias difficultates. Dixi eſſe impulſum, quia hoc ſignificat affectum pati ab extrinſeco. Dixi eſſe averſionis, quia ſi ſit converſionis, erit quaſi ſpes. Volui malum eſſe imminens, quia ſi ſit procul non generat timorem, quod probat quiſpiam cum Ariſtotele citato, eo quod omnes ſciunt ſe morituros, verum quoniam non prope idcirco non curant. Sed (veniâ illius) non videtur ratio ſufficere probationi, nam quod mors non timeatur eſt alia cauſa, ſcilicet inevitabilitas illius, quia vitari non poteſt, & ita non timorem ſed triſtitiam cauſat, timor enim eſt permixtus ſpei; at nulla eſt ſpes evadendi mortem.

Inſtari tamen poteſt, quod cauſa ſit abſentia, non vero certitudo, nam ſi aliter eſſet, tum mors cauſaret ſaltem triſtitiam, ut jam tactum eſt; at vero non cauſat, alioquin homines ſemper eſſent triſtes, quod non eſt verum, ne quidem cum cogitant de morte. Reſpondeo cauſare aliquam quoties cogitatur, niſi forte homo ſit præoccupatus magnâ intenſione contrariæ paſſionis, ut lætitiæ. Fateor etiam abſentiam mortis ſeu tarditatem ejus imminuere paſſionem in cogitáte, ſicut imminentia aut vicinia ejus vehementi horrore quatit.

Ariſt. Quæri poteſt utrum timor ſit ſimplex paſſio, an vero compoſitus ex ſpe? Hoc ultimum reſpondit Recens quidam, qui proinde ex timore & ſpe unam paſſionem confecit. Sed obſtandum eſt ei, & tenendum mordicus timorem & ſpem non ſolum eſſe plures paſſiones, ſed oppoſitas: in quo ultimo verbo ſtat ratio reſolutionis, eamque ſic extendo.

Motus contrarii non poſſunt ſe componere; ſpes & timor ſunt contrarii, adeoque. Dices majorem eſſe falſam: quia motus trepidationis quem Aſtronomi aſſignant firmamento, vel ſuperiori cœlo, ſecundum aliquos nono, ſecundum alios undecimo, hic inquam, eſt compoſitus ex duobus motibus acceſſus & receſſus: ergo. Reſpondeo prius his probandum eſſe quod motus trepidationis ſit unus, dico enim illum eſſe duos, non minus quam aſcenſum & deſcenſum. Non poterunt autem illi probare motum trepidationis eſſe unum, licet cœlum ſit unum, quia uni orbi poſſunt plures motus convenire, quod illi docent de motu diurno, itemque de alio motu ab occaſu in ortum.

Itaque timor eſt receſſus; unde etiam ſanguis timentis retrahit ſe ab exteriori parte ad interna; ſpes eſt acceſſus & aſpiratio quædam. Inſtari tamen poteſt hoc ſtare cum ſententiâ oppoſitâ, quia acceſſus ſpei, & receſſus timoris coincidunt; ille enim eſt ad bonum; hic à malo, v. g. Timet quis mortem, non certò tamen, unde ſperat vitam, timere & ſperare in hoc homine videntur dicere idipſum. Reſpondeo, ſi argumentum valet, probaret utrumque eſſe unum affectum ſeu paſſionem, non tantum compoſitam, ſed ſimplicem, quod eſt falſum etiam apud arguentes. Reſpondeo ſecundò negando ſequelam: quia differunt objecto, hujus enim eſt malum, illius bonum: iterum differunt entitate, quia timor eſt paſſio, ſpes eſt actus: denique ſpes eſt volitio, timor eſt fuga.

Sed hæc omnia (quod revera miror) poſſunt evacuari, idem enim motus poteſt tendere in bonum & in malum, eſſe proſequutio & fuga, ſed diverſorum: fuga mali, & proſequutio boni: ſic in phyſicis tranſitus ab uno extremo, hoc eſt receſſus ab eo eſt acceſſus ad alterum, neque opus eſt ut quis bis moveatur ad hoc ut recedat ab uno polo quando movetur per diametrum & accedit alium, ſed illo ipſo motu ſeu latione qua fertur ab uno oppoſito accedit ad aliud: idem eſt de generatione, & corruptione, de eſſe & non eſſe, eo ipſo enim quo aliquid recedit à nihilo, tranſit ad eſſe, & è contra, adeoque. Hæc mihi videtur ſuo modo fundata: unde cenſeri poteſt ipſa ſpes eſſe timor & è contra.

Objici poteſt contra principalem reſolutionem ſcriptura quæ laudat timorem. *Beatus vir qui timet, &c.* ſexcenties, ex quo ſequitur eam non eſſe paſſionem, nam hæc non eſt laude digna. Reſpondet Subtilis, timorem intelligi humilitatem: Reſponderem ego timorem ibi & in ſimilibus eſſe obedientiam: ſequitur enim: *in mandatis ejus volet nimis.*

Objicio ſecundò: Audacia non eſt paſſio, ergo nec timor; quia oppoſitorum eadem eſt doctrina: Reſpondeo audaciam non opponi timori, ſed timiditati, quæ diverſa ſunt, & ſecundum hoc non eſt paſſio ſed quaſi habitus, vel potius naturalis impotentia apud Ariſtotelem in prædicam:

Objici poteſt contra hoc quod diximus timorem eſſe cum formidine, ſpes non neceſſario dicit formidinem, ergo nec timor, quia vel timor eſt idem cum ſpe, ut jam innuimus, & ita ſi timor dicat formidinem, & ſpes non dicat, jam timor dicet, & non dicet eā. vel eſt oppoſitum ei, & ita ſimiliter eum dicet quia oppoſitorum eadem eſt regula. Probatio antecedentis ſunt animæ purgatorii in quibus eſt ſpes & tamen nulla formido. Hoc argumentum in materiâ de ſpe deſcripſi, quùm eam Scholæ dictarem, & jam vidi ibi inſolutum, ſed locum ſolutioni relictum. Vexavit olim, Pet. Lorca: ut proinde negaret ſpem animabus Purgatorii: ſed non propterea evaderet, quia Sancti aliqui in hac vita habent certitudinem de ſua beatitudine, & ſaltem hi non amittunt ſpem.

Duabus viis crederem poſſe incedi: una ut dicatur ſpes non eſſe directe oppoſitum timoris, ſed aliud quid innominatum, & adferatur ratio, quod ſpes habeat aliud oppoſitum, nempe deſperationem: uni autem, unum eſt oppoſitum. Secunda ſupponit doctrinam à me loco citato traditam, ſcilicet multos eſſe actus ſpei, nam etiam tentio objecti deſiderati, & gaudium de poſſeſſione ejus eſt ab habitu ſpei, licet non ſit ſpes, aut ſperare in rigore: unde ibidem dixi in beatis manere ſpem: Hoc poſito dico animas purgatorii & quaſcunque habentes certitudinem non habere ſpem, ſeu actum qui ſit ſperare propriè, licet habitum retineant. Ultimum hoc objicio

objicio: quia Chriſtus D.N. habuit timorem, at nullam incertitudinem, quùm ſciret omnia, ergo. Huic negavi aſſumptum, loquendo, ut facimus, de timore paſſione, (timorem enim qui eſt donum utique habuit nec recte probatur ab Adverſ. eo quod timuit mortem: non enim timuit, ſed horruit eam: unde bene ipſe: *Triſtis eſt anima mea ad mortem*; triſtitiam ergo quaſi de præſenti habuit, propter ſummam certitudinem de futuritione ejus.

§. IV.

De Admiratione.

POſui hanc inter paſſiones ſupra: ſed intelligo id aliter ac plerique, teneo enim admirationem eſſe paſſionem intellectus, non autem voluntatis ut communiter putatur, de qua fateor pauciſſima eſſe quæ ſubeunt mihi dicenda.

Subit tamen omnino rejicere judicium cujuſdam Recentis, de hoc dicentis, admirationem eſſe timorem alicujus magni mali, &c. quid enim admirationi cum timore? quid cum malo? quum verſetur circa verum. Niſi erro etiam, erravit Cajetanus in eadem, volens eam eſſe deſiderium ſciendi occultum: hæc enim & ſimilia ne prope quidem accedunt.

Deſcribendo eam ruditer, teneo admirationem eſſe ſtuporem animi de novitate aut excellentia alicujus rei, cujus rationem aut cauſam non comprehendimus. Probatio hujus & ſimilium non poteſt melior eſſe quam ipſa experientia cujuſque, qui ſic ſentit ſe moveri quando mirabilia hæc occurrunt. Quod totum juvari, & inſinuari poteſt voce græcâ, θάυμα quæ hujuſmodi ſtuporem ac perculſionem ſignificat, ut videas in fonte. At vero quoniam quæri poteſt etiam de ſtupore quid ſit? neve videamur idem aliter adferre: dico ſtuporem eſſe defixionem animi qui non permittitur interim huc aut illuc inclinare.

Dices, ſic videbitur eſſe dubitatio; nemo autem dicet idem eſſe dubitationem ac admirationem. Reſpondeo negando aſſumptum, quia dubitans vacillat, & fertur modo huc, modo illuc, licet neutrò reſolutivè, at vero admirans non, ſed obſtupeſcit veluti defixus et hians in contemplatione novitatis, ex quo iterum patet ratio contra dubitationem; nam dubitatio non exigit novitatem aut excellentiam objecti.

Ex hoc ſtupore intellectus, (fateor) oritur in affectu aut voluntate hominis alia affectio, ſed hactenus eſt innominata illa; hoc enim nomen quod verſamus, impoſitum eſt affectioni cognitivæ.

Suadetur jam reſolutio, quia admiratio inducit ad cogitandum & ſtudendum: unde Philoſophus 1. Metaph ait quod *ex admiratione cœperunt homines philoſophari*; utique ut invenirent cauſas rerum quas admirantur, adeoque admiratio dicit neſcientiam cauſæ. Sed contra

Objici poteſt; ſi admiratio eſſet ex ignorantia cauſæ, tum cognitâ cauſâ delineret admiratio, atqui hoc non fit, multa enim admiramur, etiam cognita cauſa eorum, puta horologii artificium, & ipſum mundum elementarem; quomodo, v.g. terra ſuo pondere non decidat, & ſimilia, ut acum magneticam, &c.

Altera objectio principalis contra reſolutionem eſt Theologica: quia Chriſtus D. *miratus eſt* plus ſemel; primùm fidem Centurionis, dum illam Chananeæ; &c. & tamen certum eſt illum non laboraſſe ullâ ignorantiâ horum, adeoque. Tertiò denique animalia bruta deberent ſemper admirari, quia nimirum patiuntur ignorantiam multarum rerum, imo omnium fere quas non experiuntur.

Propter ſecundum hoc dixi in materiâ de Incarnatione admirationem oriri potius ex imbecillitate, quam ex ignorantiâ admirantis, eo quod res quam admiratur excedit vires ejus ſic admirantis, propter quod ille obſtupeſcit eam ab alio factam: Contra hoc tamen videtur eſſe veritas ſeu experientia, quia paſſim occurrunt plurima quæ non poſſumus nos præſtare, nec tamen admiramur. Ego quidem non ſcio texere aut pingere, nec tamen omnem telam aut picturam admiror.

Ex alterâ etiam parte multa poſſumus & facimus ipſi quæ tamen facta miramur, nutrimur, creſcimus, generamus ſimiles nobis, & tamen huc uſque non capimus plenè, quin abunde admiramur quomodo nutrimentum illud ex uno loco ad omnes corporis partes transferamus? quomodo ex eodem chilo generamus partes ſolidiſſimas, ut oſſa; liquidas, ut medullam. Mater Machabæorum ſine dubio virtute naturali formavit in ſuo ventre ipſorum organa; & tamen ipſa hoc ipſum admirans: *neſcio* (inquit) *qualiter in utero meo comparuiſtis*, imò fere negavit à ſe factum: ſingulorum membra non ego ipſa compegi. Ad hoc tamen puto reſponderi facile poſſe, nos hæc non facere humano modo, ſed naturali & vegetativâ virtute, adeoque poſſe ea cadere ſub admirationem ortam ex impotentiâ; quiâ homo quâ talis ex induſtriâ ſuâ eſt impotens ad hæc agenda, quia ergo homo ut talis admiratur, accipienda eſt impotentia ejus ut talis ſeu ut humano modo operatur; non ut aliter (puta naturaliter) operatur.

Itaque fateor me admirari admirationem; neque adhuc poſſe ſtatuere in quo ex duobus illis conſiſtat, ſive, ex quo præ alio oriatur; & potius credere quod ex utroque capite proveniat, puta aliquando ex ignorantia, alias ex impotentia: idque probari ſatis per ſupradicta, neque tamen propterea retractanda vel immutanda eſt definitio poſita, quia in ſuo tenore quadrabit utrique, vel rectius abſtracto ab utroque illo capite; quod erit, Excedens vires admirantis, ſive illas intellectus, ſive voluntatis, aut facultatis ejus quod etiam videtur inſinuaſſe Ariſtoteles dum ait: *magnanimum non eſſe admirativum*. Verus enim intellectus hujus loci eſt, eum non facile æſtimare aut magni facere res: præſertim quas vulgus adorat, ut divitias, dignitates, &c. quæ infra te ponit. Itaque objectum admirationis erit aliquid magnum.

Digitized by Google

magnum, id eſt ſupra admirantem poſitum, ad quod ille non pertingat, ut dixi. Atque hinc diſcernes quæcunque ſupra poſita pro utraque parte: nam omnia & ſingula incidunt in alteram claſſem ex his duabus.

Dices illud de Chriſto D. adhuc ſtare, quia fides illa neque ſcientiam neque poteſtatem Chriſti ſuperavit. Non ago Theologum, ſed ad hoc breviter dico, potuiſſe Chriſtum D. nihilominus admirari fidem Centurionis & Chananeæ, licet ipſe polleret majori virtute; quia ſcilicet non erat facienda ei comparatio illorum ſecum in ſtatu quo tunc erat plenitudinis omnium gratiarum; ſed in ſtatu eorum, ſcilicet in ſtatu ſæculari & militari, item muliebri & gentili, in quo ſi humanitas aſſumpta poneretur ſimilis illis, id eſt ſine unione & auxiliis, fortaſſis non idem præſtaret, certè autem laboraret in præſtando. Sic viri mirantur opera puerorum, licet ipſi majora præſtare poſſint quia nimirum apud ſe intro non comparant ſe viros puero, ſed pueros puero; ita ſimiliter

§. V.

De Verecundiâ.

Ere mea facit quod habet Ariſtot. hic lib. 4. c. 9. *De verecundia* inquiens *tanquam de virtute non attinet dicere. commotioni enim potius ſimilis eſt quam habitui*; hoc eſt paſſio potius quam actus aut ſimile. Definivit eam idem Ariſtotel. quod ſit; Timor infamiæ: ſed non placet; tum enim non eſſet paſſio diſtincta ab aliis. Deinde verecundia ex timore infamiæ oritur; (propterea enim verecundatur quis, quia timet infamiam) adeoque illa non eſt hic; cum nihil à ſe oriatur. Ad hæc decidenda

In primis non diſplicet eorum doctrina qui diſtinguunt hic verecundiam ab erubeſcentia & pudore; ut verecundia ſit de futuris; ſive, motus animi retrahentis ſe ab infamibus operibus. Erubeſcentia autem & pudor de præteritis, quando quis deprehenſus eſt in flagranti delicto. Mihi videtur verecundia latius patere quã putent hi authores: non enim exiſtimo verecundiam eſſe de infamia tantum; quia nimirum infamia ſicut & fama hominis eſt apud alios: at verò verecundia fugit non ſolum malam opinionem aliorum de habente, ſed etiam ſui ipſius, ſive conſcientiam turpitudinis: unde verecundi oderunt etiam quum ſoli ſunt, turpes actiones & paſsiones, niſi malis hoc ultimum modeſtiæ adſcribere.

Erit ergò verecundia, impulſus animo impreſſus ad fugiendam malam cujuſque opinionem, ſive infamiam apud quemcunque: Erubeſcentia autem: perturbatio animi (intellige paſſiva) ob infamiam jam inflictam. Et licet iſtæ definitiones non ſint per omnia exactæ, non eſt id curandum, quia nemo eget horum definitionibus, quas quiſque melius intelligit apud ſe quam poſſit ab ab alio audire. Reſolvam ergò dubia aliquot, quæ circumſtant hanc materiam: & in primis quoniam ex omni paſſione ſequitur alteratio aliqua corporis, & ex verecundia rubor oritur ob affuſum ſanguinem; quæri non immeritò poteſt cur ſanguis ad vultum prodeat ei qui deprehenſus eſt in aliquo flagitio? quod quidem ego non definiam præcisè, & ad unguem; dabo tamen duas rationes quibus id poſſit aſsignari.

Una eſt, quod Natura ſoleat tranſmittere ſanguinem & ſpiritus vitales parti laboranti; unde in timore ſanguis ad cor fluit, quia nimirum Cor tunc patitur ab imaginatione mali jam jam imminentis. At infamia & dedecus quia externa ſunt, tum partes exteriores ſunt juvandæ, atque ideo ſanguis ad vultum & cutem tranſmittitur. Altera huius cauſa aſsignari poteſt, quod qui verecundatur, aut deprehenſus eſt in flagitio, vellet latere, & non videri; natura ergò tunc, hoc novo velo, & colore ſanguineo, quantum in ipſa eſt nititur vultum hominis ſubducere aſpectibus aliorum, apud quos malam notam incurrit.

Secundo loco dubitari poteſt, num vera ſit doctrina Ariſtotelis ſupra, quod verecundia non ſit virtus? Laudatur enim à doctis & probis, adeoque; Imò ipſe Ariſtoteles alibi eam inter virtutes numerat. Exiſtimo in hoc loco reſpondendum eſſe negativè, quia nimirum eſt paſsio aut affectio, quam homo recipit tantum non producit, intellige humano modo & liberè, certum eſt enim quod phyſicè ab eo fiat, quemadmodum nutritio & augmentatio. Alias tamen motum verecundiæ in voluntate ſequentem, ſcilicet fugam mali ob avertendam infamiam, crediderim eſſe virtuoſum, licet valdè exiliter & infimæ claſsis; plane ſicut timor pœnæ definitur à Tridentino eſſe motus Spiritus Sancti: *jam quidem moventis, ſed nondum inhabitantis.* Id autem ipſum intelligendum eſt de verecundiâ peccati: nam non omnis verecundia virtuoſa eſt, ſicut non omnis cautela eſt prudentia, ſed ea quæ verſatur in materia virtutis; ita hic, verecundia de operibus ſervilibus, de paupertate &c. non eſt virtuoſa, ſed ſubinde ſuperbia.

* * *

§. VI.

De Miſeratione.

MIſereri, græcè ἐλεῶ, vel ἐλεη-μον ſignificat animum inclinatum ad ſublevandam alterius egeſtatem. Sed enim hic non videtur mihi offerri, eo ſenſu, aut non eo vocabulo, ſed alio potius quo dicitur ſympathia, quæ eſt compaſſio erga alterius miſeriam, de qua vix aliud melius dici poteſt, quam illud M. Tullii quod ſit *Ægritudo animi ex miſeria alterius injuria laborantis*; hæc enim æquat, & excedit prolixam definitionem ab Ariſtotele aſſignatam.

Circa hanc autem ipſam adverto inprimis τὸ *ægritudo* non eſſe accipiendum ut ſonat pro eo quod eſt morbus aut malehabentia, ſic enim explicaretur genus aliquod non ſpecies quæ deſideratur. Erit ergò ſenſus quod ſit ægritudo, hoc eſt ægreferentia alienæ &c. quamvis prior intellectus ſi deſcenderet ad ſpeciem affectionis, ſat verus & proprius eſſet.

Secundum autem magis principale eſt, quod ſcilicet requiratur ad miſerationem ut calamitas aliena quæ movet ad commiſerationem ſit injuſte illata, ſic enim ait: alterius *injuria laborantis*, quod ad miſerationem non videtur requiri, nam etiam movemur ad commiſerationem illorum, qui juſte torquentur, & ut egregiè inter alia Seneca: *Miſericordia non cauſam, ſed fortunam ſpectat*: quamvis ipſe in eandem prolapſus ſit deinde dicens: eſſe ægritudinem ob mala *quæ accidere immerentibus credit*. Ex quo oritur tertia affectio contra hanc definitionem, nam τὸ *alterius*, de mente definientis ſine dubio ſignificat alium mihi ſimilem puta hominem, & tamen multi moventur commiſeratione etiam erga animalia bruta S.P.N. Franciſcus non poterat pati cædem agnorum, & conabatur eos à morte redimere pretio procurato, quod in ipſo gratia, in aliis natura fecit. Ex quibus videas definitionem corrigi poſſe, ut ſit: Ægritudo animi ex miſeria alterius ſentientis ſeu patientis, hic enim non requiritur injuria, neque reſtringitur ad hominem ſolum paſſio, quia etiam bruta patiuntur & ſentiunt.

Jam verò ad illud: An commiſeratio ſit virtus? dudum jam ſatisfactum eſt in ſimili ſupra. Unde locus quæſtioni ſolum relictus: num actus ad quem inclinat ſit virtuoſus? quod quidem omnes ſupponunt reſolvendum affirmativè; ſed ego dubito. Moveor autem quia miſerantes ſæpe intendunt liberare patientem ut ſe ipſos liberent à dolore compaſſionis; tum autem non eſt amor amicitiæ erga patientem proximum, ſed amor concupiſcentiæ. Huius ſignum eſt quod levius ferunt mala aliorum quando audiunt ea quàm quando vident: at verò calamitas æquè premit patientem ſive ego videam eum pati, ſive audiam tantum. Deinde minus curant de morte quam de miſeria præſenti & coram ſe poſità; nam nihil penſi habent quod equus aut canis moriatur; ægrè autem ferunt eos laniari ob oculos ſuos.

Itaque hæc affectio non eſt admodum æſtimanda, quia neque ex virtute eſt notabiliter, neque ad virtutem inclinat: quod inde perſuaſum eſſe nobis debet, quoniam qui videntur eo magis ferventer tangi, minus parati ſunt ſuccurrere, ſcilicet mulieres & pueri. Viri autem prudentes & ſolidæ virtutis, magis juvant, & minus dolent. Unde meritò Stoici noluerunt eam in animum ſapientis admittere: *Eſt enim vitium puſilli animi ad ſpeciem alienorum malorum ſuccidentis: itaque peſſimo cuique familiariſſima eſt. Anus & mulierculæ ſunt quæ lacrymis nocentiſſimorum moventur. Ergo quemadmodum religio Deos colit ſuperſtitio violat, ita clementiam, manſuetudinemque omnes boni præſtabunt, miſericordiam autem vitabunt: Sapiens ergo non miſeretur, quia & ſine miſeria animi non fit: ceterum omnia quæ qui miſerentur dolentes faciunt, hic libens & alacri animo faciet. Miſericordia vicina eſt miſeriæ* &c. ex Sen. lib. 2. de clem.

§. VII.

De Irâ.

NOn eſt ſuperaddendus, jam enim ſupra de Iraſcibili (rectius irativâ) facultate diſſerens omnia attuli, quæ ad ipſam iram explicandam erant neceſſaria: ut jam vix quidpiam ſuperaddi poſſit, iis præſertim quæ ex ipſo Subtili deſcripſi. In quo proinde deſinet mihi hic tractatus Ethicus ad morum compoſitionem deſcriptus, quæ utique debet eſſe finis omnis Philoſophiæ.

Denique de his conſulantur.

ARiſt. 2. *Rhet.* Cicero 4. *Tuſcul. qq.* Damaſc. *in fragm. ſentent. & lib. 2. de fid. cap. 22.* Nyſſen. *diſput. de Reſur.* Prosp. *lib. 3 de vit. contempl.* D. Thom. *de Verit. q. 26 & in qq. diſput. Tom.* [illegible] *& 1. 2 q. 22.* S. Antonin. *1. p. tit. 6. c. 1.* Joan Gerſon. *tract. de paſſ. 3. p. Alphab. 72.* Viguer. *in Inſtitut. c. 1. §. 9. 10. & 11.* Horont. *in Margar. lib. 12.* Fox. *lib. 5 natur. philoſ.* Azor. *Inſtit. moral. Tom. 2. lib. 3.* Ludov. Vives. *3. de Anim. per totum* Petr. Gregor. *in Syntax. art. mirab. lib. 33* Petr. Sibac. *tract. de Anim. cap. 14.* Joan. Salaſ. *1 2. tract. 9.* Gervaſ. *tract. notitiarum, tit. de appet. ſenſit.* Carbo *in Sum. tom. lib. 6.* Titelman. *lib. 2. philoſoph.* Vervet. *3. de Anim. ſpecul. 6. & 7.* Conimbr. *diſp. 6. Ethicor.* Flamin. *nobil. 1. de fœlic. cap. 10 11. 12.* Tarq. Gallut. *in append. de Perturbat. ad c. 9. l. 2. Ethic. &c.*

INDEX

INDEX

APOLOGIARUM ET ACTIONUM ETHICÆ

DUBIA PROLOGOMENA

DUBIUM I. De Objecto Ethicæ. 177

DUBIUM II. Utrum Ethica ſit ſcientia; an potius ſit ipſe habitus Prudentiæ? 178

DUBIUM III. Utrum certum ſit Ethicam eſſe practicam, necne? 179

APOLOGIA I.

De Voluntario.

ACTIO I. In quo conſiſtat moralitas actus? 18[illegible]

ACTIO II. Spontaneum & Voluntarium quid? 183

ACTIO III. Expenditur amplius explicatio Voluntarii. 184

APOLOGIA II.

De Libero.

ACTIO I. Utrum in hominibus pro hoc ſtatu detur Liberum Arbitrium? ubi etiam ſtatuitur quid illud ſit? 187

ACTIO II. Utra ex duabus potentiis ſit liberum arbitrium, Intellectus, an Voluntas? 188

ACTIO III. Utrum libertas ſit intrinſeca actui Voluntatis, necne? 190

ACTIO IV. Utrum intenſio & continuatio actus ſint liberæ? 192

ACTIO V. Utrum poſſibilis ſit omiſſio libera & pura, ſive ſine adiuncto actu? 195

DUBIUM I. Utrum in pura omiſſione ſit difficultas? 197

DUBIUM II. Utrum pura omiſſio poſſit eſſe meritoria? ibid.

DUBIUM III. Utrum pura omiſſio habeat finem propter quem? 198

APOLOGIA III.

De Involuntario, & cauſis eius.

ACTIO I. Quid ſit violentum, & quando potentia vim patiatur? 199

ACTIO II. Vtrum metus cauſet involuntarium? 201

ACTIO III. An? & quomodo concupiſcentia impediat vel augeat voluntarium? 204

ACTIO IV. Vtrum Ignorantia cauſet voluntarium, an involuntarium? 206

APOLOGIA IV.

De Bonitate & malitia actuum humanorum.

ACTIO I. In quo conſiſtat bonitas moralis actus humani? 209

ACTIO II. Quomodo actus fiant boni, vel mali ab objectis? 213

ACTIO III. Corrigitur communis doctrina de numero circumſtantiarum. 216

ACTIO IV. Corrigitur communis doctrina Ethicorum de modo quo circumſtantiæ influunt in actus humanos. 217

ACTIO V. Vtrum finis & medium ſeorſim influant affectiones morales ejuſdem rationis in actum humanum? 219

ACTIO VI. Vtrum ambo illa poſſint influere affectiones diverſæ rationis in eundem actum; puta intentio bonitatem, electio malitiam? 222

APOLOGIA V.

De actibus, externo, & Indifferenti.

ACTIO I. Vtrum actus interni ſint mali, & peccaminoſi? 226

ACTIO II. Vtrum actus exteriores ſint formaliter boni, aut mali moraliter? 228

ACTIO III. Vtrum actus exterior addat bonitatem aut malitiam bonitati & malitiæ interioris? 231

ACTIO IV. Vtrum aliqua actio humana ſit indifferens, ſive media inter bonam & malam moraliter? 234

ACTIO V. Vtrum detur actus humanus indifferens in individuo? 236

Digitized by Google

APOLOGIA VI:

De Regula actionis humanæ.

ACTIO I. Quantum teneatur homo conformare ſe voluntati Divinæ? 239
ACTIO II. Quid ſit recta ratio quæ regulat actiones humanas? 241
ACTIO III. Utrum recta ratio ſit practica, an ſpeculativa? & utrum debeat eſſe evidenter vera, nec ne? 243
ACTIO IV. Quanta ſit obligatio Conſcientiæ? 245
ACTIO V. Decidit dubia aliquot de Conſcientia errante. 247
ACTIO VI. De Conſcientia dubia. 249

APOLOGIA VII.

De Opinione probabili.

ACTIO I. Utrum ſufficiat opinio probabilis ut quis ſit ſecurus in agendo? 252
ACTIO II. Utrum ſaltem neceſſe ſit probabiliorem & tutiorem in praxi præferre minus probabili, & minus tutæ? 254
ACTIO III. Utrum ſint aliquæ exceptiones ab hac doctrinâ? 259
ACTIO IV. Quæſtiones aliquot de hac materiâ motæ & ſolutæ. 261
ACTIO V. Aliter reſolvendum in dubio facti propriè. 262
ACTIO VI. Quomodo deponenda ſit conſcientia erronea & ſcrupuloſa? 264

PARS ALTERA ETHICÆ.

APOLOGIA I.

De Bono.

ACTIO I. Quomodo definiendum Bonum? 267
ACTIO II. Utrum Bonum coincidat cum pulchro? 268
ACTIO III. Utrum Bonum adæquet voluntatem, ut hæc non poſſit ferri in malum? 270
ACTIO IV. Utrum Bonum rectè dividatur, in honeſtum, jucundum, utile? Item An coincidat cum fine, nec ne? ibid.

APOLOGIA II.

De Vltimo Fine.

ACTIO I. Utrum homo non ſolum à Deo authore gratiæ, ſed etiam à natura habeat aliquem ultimum finem omnium actionum? 273
ACTIO II. Utrum homo potuit à natura relinqui in ſtatu, quem jam ducimus vivendo? & an poſſit ſatiari bono aliquo infra Deum viſum, & fruitum? 274
ACTIO III. Reſolvit quædam dubia ſparſim de ultimo fine. 276

APOLOGIA III.

De Beatitudine.

ACTIO I. Quid accipiendum ſit nomine beatitudinis objectivæ? 280
ACTIO II. Utrum Beatitudo in hac vita haberi poſſit? 282
ACTIO III. Quæ ſint admittenda, & quæ arcenda ad conſtituendam huiuſmodi Beatitudinem? 284
ACTIO IV. In quo opere Beatitudo ipſa conſiſtat? 286
ACTIO V. De Beatitudine ipſa formali. Ubi etiam de diſcrimine creatæ, & increatæ. 289

TERTIA PARS ETHICÆ.

De Virtutibus & Paſſionibus.

APOLOGIA I.

De Virtute in Genere.

ACTIO I. Quid ſit Virtus? 293

ACTIO II.

Digitized by Google

ACTIO II. Utrum Virtus ſit verè qualitas ac habitus? & an influat phyſicè in actionem? 294
ACTIO III. Utrum Virtus in medio conſiſtat? 297
ACTIO IV. De ſubjecto virtutum. 299
ACTIO V. Reſolvit quædam dubia ſparſim de hac materia. 303

De Virtutibus Cardinalibus in ſpecie.

APOLOGIA II.

De Prudentiâ.

ACTIO I. Quid ſit Prudentia? 306
ACTIO II. Utrum Prudentia dependeat à Voluntate, & habitibus ejus, & vice verſa habitus morales à Prudentia? 307
ACTIO III. Utrum ſit una virtus Prudentiæ reſpectu omnium moralium virtutum, an verò plures? 310
ACTIO IV. Utrum Prudentia dictet tantum de fine moralium virtutum, an etiam de mediis? 312

APOLOGIA III.

De Iuſtitiâ.

ACTIO I. Quid Juſtitia? & an eſſentialiter ad alterum? 315
ACTIO II. De Juſtitia Legali. 317
ACTIO III. De Diviſione Juſtitiæ in Commutativam & Diſtributivam. 319
ACTIO IV. De Vindicante Juſtitia. 321

APOLOGIA IV.

De Temperantia, & Fortitudine.

ACTIO I. Quid ſit Temperantia, & quod ejus exercitium? 324
ACTIO II. Utrum Temperantia determinata ſit ad ſenſum Tactus, vel ſolum, vel quaſi ſolum, nec ne? 326
ACTIO III. De Eſſentia Fortitudinis. 327
ACTIO IV. An fuga poſſit eſſe fortitudinis actus? 328
ACTIO V. Comparatio harum virtutum ad ſe, & utriuſque ad Juſtitiam. ibid.

APOLOGIA VLTIMA.

De Paſſionibus.

ACTIO I. Definitio & Diviſio Paſſionis. 331
ACTIO II. De Diſtinctione Concupiſcibilis ab Iraſcibili. 333
ACTIO III. De Sede ſeu ſubjecto utriuſque appetitus; atque etiam de Natura Iraſcibilis. 334
ACTIO IV. De Paſſionibus in ſpecie. 337

§. PRIMUS. De Voluptate. ibid.
§. SECUNDUS. De Gaudio & Triſtitiâ. 338
§. TERTIUS. De Timore. ibid.
§. QUARTUS. De Admiratione. 340
§. QUINTUS De Verecundia. 341
§. SEXTUS. De Miſeratione. 342
§. SEPTIMUS. De Irâ. ibid.

Digitized by Google

INDEX NOTABILIVM ETHICAE

Prior numerus paginam, poſterior marginalem; interdum dubium, vel paragraphum notat.

A.

Actiones Angelicæ ſunt humanæ. 180. 2
Actus humanus non eſt idem quod liber. 180. 1
Actus non fit moralis per libertatem præciſe, 181.4. neque per reſpicientiam operantis ad regulam rationis. ibid. num. 5
Actus Chriſti D. erant, & Beatorum ſunt morales. 182. ult.
Actus voluntatis anſint immediatè voluntarii, incertum. 185. 4
Actus poſitivus non requiritur ad libertatem. 195. 1.
Actus aliquis poteſt eſſe ex fine bonus, ex medio malus. 223. 4
Actus interni ſunt peccaminoſi non tamen univerſim ut creditur. 227. 3
Actus externi ſunt formaliter boni, vel mali, ac non tantum per denominationem ab internis, vel alio. 228. 2. An ſint liberi, 230.5
Actus exterior adfert ſecum propriam bonitatem, diſtinctam ab illa interni. 231. 1
Actus humanus poteſt eſſe indifferens, id eſt nec bonus, nec malus, 234.2. Idque non ſolum in ſpecie, ſed in individuo ſumptus. 236. 2
Angeli habent virtutes morales, ſed non eaſdem ſpecie cum noſtris, 302. 12

B.

Beatitudo quid antiquis ſignificaverit, & quid revera ſit, 273. 1. an exigat ut voluntates omnes beati etiam conditionatæ impleantur? 282. 5
Bonorum diverſa genera. 209. 1
Bonum alteri non fit per ſolam unionem ad ipſum. ibid. 2
Beatitudo naturalis nec in voluptate eſt, nec ſine ipſa. 284. 2
Beatitudo non conſiſtit in contemplatione, ſed in fruitione, 285. 4. formalis non conſiſtit in actu 289. 1. nec tamen ad eam ſufficit delectatio ſine actu, 290. 2. Probabiliter coincidit cum objectivâ. 290. 4
Beatus potuit quilibet eſſe in ſtatu naturæ conditæ. 283. 3
Boëtius non intellexit per beatitudinem, quod alii philoſophi, 280. 1. nec ipſius acceptio, nec illa Auguſtini probari poteſt, 281. 2
Bonum non coincidit cum pulchro, 268. 2. Bonum morale coincidit, 269. 4. coincidit tamen cum fine, unde media non ſunt bona. 271. 3

C.

Caſus in quo poſſeſſio non prodeſt habenti. 262 4
Circumſtantiæ non rectè numerantur communiter ut ſint ſeptem: 216. 1. *Quis* non eſt circumſtantia, ibid. 2. nec *quid* ib. nec *quomodo* ſemper. 217. 4
Circumſtantiæ non mutant ſpeciem actus, 217, 1 non contrahunt præcedentem differentiam actus. 218. 2
Circumſtantiæ damni aut lucri ſubſequentis non augent malitiam aut bonitatem actus, ſed nec minuunt, 219. 4
Concupiſcentia auget voluntarium, 204. 1. non minuit libertatem, 205. 4. minuit tamen peccatum. ibid. 5
Concupiſcibilis & Iraſcibilis in voluntate ſunt formaliter indiſtinctæ, 333. 1. In parte tamen ſenſitivâ realiter diſtinguuntur, ibid. 2

D.

Definitio Ariſtotelica virtutis reprobatur, 293. 1. Aſſignatur legitima. ib. num. 2.
Deus ſolus plene beatus, 291. 6. An formaliter delectet beatos. ibid. 5
Diſpenſari non poſſe cum ullo ut agat contra conſcientiam. 246. 4
Diviſio boni in honeſtum, delectabile, & utile, vitioſa. 270. 2
Diviſio juſtitiæ in commutativam & diſtributivam ſimiliter. 319. 2

E.

Electio ſumit bonitatem non ſolum à fine, ſed etiam à medio; unde illa eſt bis bona. 220, 2
Electio prava non oritur ab intentione. 223. 2
Ethica eſt vere ſcientia, 178. dub. 2. eſt diverſum quid à prudentia: ibi practica non ſpeculativa. 179. dub. 3
Exigentia vindictæ comparata ad reum non eſt juſtitia. 323. 4

F.

Finis hominis non neceſſario eſt quid unum aut ſimplex, 276. 1. ſuppoſito autem quod finis hominis ſit bonum finitum, poſſunt dari plures diſparati. ib. n. 2
Finis ultimi non ſubordinati poſſunt eſſe plures. 278. 5
Fœlicitas politica vix ulli contingere poteſt: privata poteſt. 283. 2
Fælicitas non eſt in divitiis, &c. ſed in virtute, 288. 3 quomodo id accipiendum, de habitu, an de actu. ibid. 4

For-

Fortitudo quomodo non ſit vitioſa. 327.1

Fuga an poſſit eſſe fortitudinis actus, 328. quærendum inter quæſtiones quodlibeticas Authoris.

G.

Gaudium, quæ paſſio. 338.§.2

H.

Habitus augent liberum & voluntarium. 205.6

Habitus virtutis moralis poteſt concurrere ad actum malum. 224.5. Reſidens in eſſentia animæ poteſt influere in actus potentiarum. 300.5

Habitus ponendi ſunt de facto in parte ſenſitiva hominis; qui tamen non ſunt virtutes. 301.8

Homo non eſt objectum Ethicæ. 177. dub. 1. prolog. Habet arbitrium liberum non ſolum à coactione ſed etiam à neceſſitate, 187 2. non exigit finem infinite perfectum. 275. 3. in ſtatu innocentiæ non haberet virtutes infuſas morales, 299. 2. non habet à natura finem poſitive unum 273.2. nec à ſe ipſo, ſed plures integrantes, ib num. 3.

Hominem non potuiſſe eſſe ſine fine ultimo qui eſt Deus, probabile. 277.4

Honor includendus in diviſione boni, licet accipiatur illa trimembris vulgata, 272. 6. non eſt ne quidem pars beatitudinis, ſicut nec imperium aut fama. 286. 5

I.

Idem an poſſit eſſe principium oppoſitorum. 299. 5

Ignorantia cauſat voluntarium potius quam involuntarium 206.3. Cur nihilominus irritet contractus. 207.n.5.

Ignorantiæ diviſiones, 206.1. Antecedens, concomitans, ſubſequens quomodo accipiendæ? ibid. n.2

Intenſio & continuatio actus ſunt liberæ. 192.2

Intentio bona non vitiatur electione pravâ, 223. 3. non excuſat electionem pravam, 225.n.6 An ſaltem minuat malitiam ejus? ib n.7

Judex in dubio de jure plurium in idem an poſſit rem ſortibus committere? 261.3. quid facere debet quum neutra pars habet poſſeſſionem? ib. n.2

Judicium probabile, quod non peccem, an liberet me à peccato agendo? 253. 4

Ira impedit concupiſcentiam, & cur? 334.q.ult. explicatur ipſa. ib.n.7

Iraſcibilis non eſt circa bonum arduum ut creditum D. Thomæ, 335.1. nec eſt proprie appetitus. ibid. 2

Juſtitiæ definitio apud Ariſtotelem, & Ulpianum, vitioſa, 315. 1. vera definitio, 316. 2. An illa ſit vera virtus, ibid. non ſemper eſt rigide ad alterum. 316.3

Juſtitia legalis impropria eſt, 317.1. neque tamen eſt virtus ſpecialis, 318.2. Videtur quid præſtantius juſtitiâ. 319.4

Juſtitia vindicativa in judice reſpectu Reip. pertinet ad commutativam. 321.1

L.

Lex Divina quomodo nunquam inferat homini perplexitatem. 246.4.

Liberum arbitrium eſt ipſa voluntas. 188.1. non ſolum à coactione liberum eſt, ſed etiam à neceſſitate. 187.2

Libertas voluntatis in actu primo & in actu ſecundo eſt eadem. 190.1. eſt tamen identificata voluntati, non item actui ejus ibid.2.

Liceatne in dubio habenti non ſolum poſſeſſio rei ſed uſus? 260.3

M.

Malitia omiſſionis major quam illa actus. 196.3

Media habeantne totam bonitatem à fine, 222. ult.

Medicina an una ſpecie facultas. 312.3

Medicus an poſſit ſequi opinionem minus probabilem & minus tutam in medendo? 259.1

Metus non cauſat involuntarium. 202.2. Defenditur nihilominus communis ſententia affirmans. 203.6

Moralitas unde habeatur, & in quo conſiſtat. 181 3. non habetur per hoc quod actus eliciatur cum reſpicientia ad regulas rationis. ibid. 5. neque eſt imputabilitas actus. 182.6

N.

Natura humana exigit ad alia ordinari quam ſint objecta hujus vitæ. 275.2

Naturalia an laude digna. 303.3

O.

Objecta tribuunt bonitatem & malitiam actibus humanis. 214.3

Objectum Logicæ an operationes intellectus? 178. dub. 1.

Objectum actus imperantis eſt actus imperatus: objectum vero imperati res circa quam verſatur volendo, 214. 2. Ethices an ſint operationes humanæ. 178. dub. 1

Omiſſio libera & pura poſſibilis, 195.1. non continet difficultatem in omittendo ſubeundam. 197. dub. 1. Poteſt eſſe meritoria ib. dub. 2. non habet finem propriè. 198. dub. 3.

Opera pœnalia ſunt certo meritoria. 252. 3

Opinio probabilis ſufficit ad tuto agendum in moralibus. 252. 2. nec eſt neceſſe formidinem abeſſe opinanti & agenti. 253. 3. An hinc ſequatur licere quodlibet? 254 5. neque neceſſe eſt ſequi opinionem magis probabilem, imo nec ſummè, aut maximè tabilem. 254.2

Origo trium ſpecierum juſtitiæ. 319.1.

Organum appetitus non eſt cerebrum ſed cor. 335.3

P.

Paſſio quid moraliter. 331. 1. Definitiones Ariſtotelis & D. Thomæ rejectæ, ibid. 2. vera definitio ejus, 332.3. diviſio ejus apud pleroſque mala excuſatur, aſſignatur alia. ibid. 4. & 5.

Patiens an beatus in miſeriis. 281

Permanentia an pars beatitudinis? 287.2.
Philoſophi Ethnici totum hominis bonum in hac vita poſuerunt. 274,1.
Philoſophia antiquorum de beatitudine quomodo excuſanda. 284,1.
Potentiæ animæ ſi diſtinguantur ab ipſa, virtutes ponendæ ſunt, non ſolum in potentiis, ſed in ipſa. 320, 4.
Proportiones juſtitiæ commutativæ & diſtributivæ. 319.1
Prudentia an virtus moralis, 306.1. Quomodo definienda? ibid. 2. Definitiones Ariſtotelis & Auguſtini expenſæ, ibid. 1. An per ſe dictet de ſingularibus, 307.3. Quomodo infallibilis? ib. 4. Ad intellectũ ſpectat, ibid. 1. Dependet aliquo modo à virtutibus moralibus, 309.6. Intra ſe habet plures ſpecies, 311.2. Verſatur circa fines virtutum, 313.1. Non tamen præſtituit fines illis. ibid. 2

Q.

QUid non eſt circumſtantia. 216.2
Quis non eſt circumſtantia: ibid.
Quomodo, ſimiliter non eſt. 217.4
Quot virtutes morales, tot prudentiæ diſtinctæ. 301.1

R.

REcentiores in moralibus ſunt diſcipuli Ockami. 219.1
Recta ratio & appetitus rectus in definitionibus faciunt pleriſque circulum, 241.2. Aſſignatur modus quo illa deſcribi poſſint ſine circulo: 242.4
Recta ratio abſolutè eſt judicium de agibilibus: 243.6. Non eſt ſolum cognitio practica: ibid. 1. Non eſt in rigore affirmatio vel negatio. 244.4. Non debet eſſe abſque formidine & evidens: ibid. 3
Rectitudo appetitus apud Ariſtotelem antecedit rectitudinem rationis: 242.5. Quomodo id ſuſtineri poſſit ſine errore? ibid.
Regula moralis ex inſufficienti fit ſufficiens ſine mutatione ſui. 244.2
Regula: *In dubiis tutior pars eſt eligenda*: Examinatur. 257.6
Remedia ſcrupulorum quorumcunque. 265.6

S.

SAcerdos in adminiſtrandis Sacramentis an poſſit ſequi opinionem minus tutam. 259.2
Scientia media Recentiorum perſtringitur, 191.5 Stante ea nullus actus eſt liber: ibid.
Scientia ſtante ab oppoſito non licet ſequi opinionem probabilem. 256.4
Securitas quomodo requiratur ad Beatitudinem 284.4
Solonis ſententia de Beatitudine, à quibuſdam malè intellecta. 281,1
Scrupulus quid ſit, & ex quibus cauſis, 265.5. Quomodo curetur. ib. 6

T.

TErmini aliquot non nimis exacti apud Scholaſticos. 331.1
Temperantia non ſolum à qualitatibus, ſed à ſubſtantiis retrahit, 325.2. Habet actum poſitivum: ibid. 3. Non exercetur intra ſolam voluntatem, ibid. 4. Non eſt reſtringenda ad ſenſum tactus, 326.2. Fortitudini præferenda. 328,1
Temperantiæ definitio ibid.
Timor quid. 314.1
Triſtitiæ paſſio quid? ibid. §. 2. Apud Scotum quid: 338.§.3 ibid.
Tutum ut diſtinctum à probabili, quid? 254.1

V.

VArii modi deponendi conſcientiam erroneam: 264.3
Verecundia explicatur. 241.§.5
Verbum otioſum de quo reddenda eſt ratio quale. 237.4
Virtus moralis non eſt qualitas, 294.2. An principium patiendi, 293.3. An attingat phyſicè opus: 294.4. & 295.7. Non omnis conſiſtit in medio, 297.2. Retrahit ab utroque extremo ambiente, aliquando ab uno tantum. 298.4
Virtutis eſſe in relatione conſiſtit. 295.6
Virtutes antiquis agnitæ in medio conſiſtunt. 298 Omnes non ſunt connexæ: 303.1. Caſtitatis & paupertatis quales. 298.2
Virtus non neceſſario eſt habitus, aut quid acquiribile actu, 303.2. Propter ſe amabilis, & quo ſenſu: 304.4. An eſſentialiter honeſta? ibid. n. 5
Virtutes morales non dependent à prudentia in eſſe, ſed bene in agere, 309.7. Requiruntur autem in ipſo operante, ac non tantum in aliquo ſuppoſito adjuvante. 310.8
Voluntas Dei multiplex. 239.1
Volendum nobis eſt, quod eſt Deo volitum; nec poſſumus phyſicè loquendo aliud nolle. 240.2. Sed nec moraliter ibid. 3. Non tenemur tamen ad objectum naturale Deo volitum, nec ad ullam voluntatem eius niſi antecedentem. ibid. n. 4.
Voluntas poteſt proſequi mala, non tamen appetere. 270.1.
Voluptas poteſt honeſtè percipi, etiam optari. 270.4. An impediat contemplationem, 285. Qualis paſſio. 327.§.1.

APOLOGIÆ SELECTÆ

Digitized by Google

APOLOGIAE SELECTAE

De Iuſtitiâ & Iure.

LECTORI.

NIhil libentius notes quàm quorundam Authorum methodum qui de quatuor virtutibus ſcripturi præmittunt titulum de una: Volunt occupari circa Prudentiam, Iuſtitiam, Fortitudinem, Temperantiam, & tamen toti materiæ præfigunt titulum *de Iuſtitia & Iure*, tanquam aut Ius foret virtus, aut una virtus eſſet virtutes, quùm nec illud exſpectari poſſit, & hoc ſit omnino deſperandum. Adeo non falsò *Plato* inquit, ſingularis prudentiæ eſſe nomina rebus indere, quum hic viri ſenio graves, doctrinis eximii, tot librorum patres, parere opera ſciverint, parta nominare neſcierint: Ut mirari deſinas cur Protoplaſtes Adàm, quum adhuc ei ſcientiam conſcientia ſiſteret, omnia, etiam bruta propriis nominibus & quaſi indicibus naturæ eorum appellârit, idem ſcientiis cum innocentia deſtitutus in ipſo uxoris ſuæ nomine erraverit, quippe quam Hevam vocavit, id eſt matrem cunctorum viventium, quum jam omnibus mortem peperiſſet. Videri poſſunt quæ de hoc argumento in epiſtolis meis deſcripſi. Mihi illa inſcriptio erit uſui, qui ſolam hanc ſcilicet juſtitiam attingam, quippe quæ ſola tot lites in foro, opiniones in ſcholis gignit perpetua fæcunditate, ut aliæ ex aliis naſcantur.

Cæterum propinabo Lectori adhuc aliud ſuper moderna methodo Authorum: Scribunt hodiè Authores de Iuſtitia, Fortitudine, Temperantia, & quidem Theologicè, ſive in ſecundo ſentent. apud Magiſtr. ſequaces, ſive in 2a 2æ apud Summiſtas, & tenaces D. Thomæ, quum tamen harum virtutũ, nulla Theologica ſit, omnes morales. Propter quod ego, niſi erro, maturius eas Ethicæ, ſive morali ſcientiæ inſerui. Sed & iterum cum his expoſtulare poſſum ſuper aliis virtutibus, etſi non æquo jure, nec enim volo eas Theologiæ abeſſe, ſed adeſſe Ethicæ: Sunt autem trias hæc, Fides, Spes, Charitas, quas etſi fatear nos divinis Scripturis didiciſſe, ſed concedere quiſque habet, potuiſſe humanis addita. Scio illas ex objecto eſſe divinas, quæ ratio videtur eas arctaſſe ad Theologiam, quaſi cancellis circumponendas: Sed ſint tales, an ſummè? an magis divinæ quàm Deus, qui quamvis Theologiam omnem ipſis etiam appendicibus ſuis faciat, interim tamen Metaphyſicam, etiam Phyſicam nobis facit, ut videas in Ariſtotele, tam illius operis libro 12. quàm hujus octavo. At enim eundum eſt quà itur, licèt non eatur quà eundum.

Et quanquam hactenus ſpeculativi, in hoc pulvere legum tanquam peregrini verſamur, nemo tamen mihi objiciat profiteri me quod neſcio, & adhuc imperitum iuris agere Iuris-peritum, alioqui *ſi mihi vehementer occupato ſtomachum moverint, triduo me juris-conſultum profitebor*. Sed & hic interim propinabo Lectori rudimenta quædam huius negotii in anteceſſum, ne quis iis inſuetus earum novitate facto impetu opprimatur.

Digitized by Google

Explicantur termini aliquot legales in materia Juſtitiæ.

JUS

Eſt legitima poteſtas ad rem aliquam obtinendam, vel ad aliquam functionem, cujus violatio injuriam conſtituit.

DOMINIUM

Eſt jus diſponendi de re aliqua tantùm ſua.

USUS-FRUCTUS

Eſt jus rebus alterius utendi ſalvâ eorum ſubſtantia: idemque eſt USUS.

SERVITUS

Eſt ius fruendi re aliena, vel impediendi aliquid circa ipſam.

POSSESSIO

Eſt detentio rei, corporis, & animi & iuris adminiculo.

PRÆSCRIPTIO

Eſt adquiſitio dominii, vel peremptio alieni iuris ex tempore legibus definito proveniens.

USUCAPTIO

Eſt adquiſitio dominii per continuationem temporis lege definiti.

CONTRACTUS

Eſt mutua obligatio.

PROMISSIO

Eſt ſpontanea fidei obligatio facta alteri de re bona poſſibili.

DONATIO

Eſt datio liberalis.

USURA

Eſt lucrum immediatè ex mutuo proveniens.

CENSUS

Eſt ius percipiendi annuam penſionem ex re vel perſona alterius.

CAMBIUM

Eſt permutatio pecuniæ pro pecunia.

LOCATIO

Eſt contractus quo perſona vel res aliqua ad uſum vel fructum pretio conceditur.

CONDUCTIO

Eſt idipſum activè.

EMPHYTEUSIS

Eſt conceſſio rei immobilis cum tranſlatione dominii utilis, retento directo, ſub onere certæ penſionis proprietario ſolvendæ.

FEUDUM

Eſt conceſſio rei immobilis, vel æquipollentis cum translatione dominii utilis, proprietate retenta ſub onere fidelitatis & obſequii.

LIBELLUS,
ſive Contractus Libellaricus

Eſt, quando Emphyteuta vel feudatarius rem quam in feudum vel Emphyteuſin accepit ſibi, contractu vendit tertio.

HYPOTHECA

Eſt pignus datum creditori, ſine traditione per nudam conceſſionem.

REGULÆ

Digitized by Google

Regulæ aliquot Juris Canonici.

II.

1. Poſſeſſor malæ fidei nullo unquam tempore præſcribit.

III.

2. Sine poſſeſſione præſcriptio non procedit.

IV.

3. Peccatum non dimittitur niſi reſtituatur ablatum.

V.

4. Peccati venia non datur niſi correcto.

VI.

5. Privilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum ipſa.

VII.

6. Semel malus ſemper præſumitur eſſe malus.

VIII.

7. Ratum quis habere non poteſt quod ipſius nomine non eſt geſtum.

XI.

8. Quum ſunt partium jura obſcura, reo favendum eſt potius quàm actori.

XII.

9. In judiciis non eſt acceptio perſonarum habenda.

XVIII.

10. Non firmatur tractu temporis quod ab initio fuit nullum.

XXVII.

11. Scienti & conſentienti non fit injuria neque dolus.

XXX.

12. In obſcuris minimum eſt ſequendum.

XXXIV.

13. Generi per ſpeciem derogatur.

XXXV.

14. Plus ſemper in ſe continet quod eſt minus.

XXXVI.

15. Pro poſſeſſore habetur qui dolo deſiit poſſidere.

XXXVII.

16. Vtile non debet per inutile vitiari.

XXXXII.

17. Acceſſorium naturam ſequi convenit principalis.

XXXXVII.

18. Præſumitur ignorantia ubi ſcientia non probatur.

XXXXIX.

19. In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.

L.

20. In re communi potior eſt conditio prohibentis.

LXV.

21. In pari delicto vel cauſa potior eſt conditio poſſidentis.

LXXX.

22. In toto partem non eſt dubium contineri.

Digitized by Google

Regulæ aliquot Juris Caſarei.

CXCVII.

1. Quum par delictum duorum, ſemper oneratur petitor.

CVII.

2. Cum ſervis nulla actio eſt.

CLIII.

3. Ea quæ in partes dividi non poſſunt ſolida à ſingulis hæredibus debentur.

II.

4. Fœmina & impubes ab omnibus civilibus officiis arcentur.

XXXXI.

5. Furioſi, vel ejus cui bonis interdictum eſt, nulla eſt actio.

XL.

6. In omnibus cauſis pro facto accipitur id in quo quis alium perhorreſcit quo minus fiat.

XIV.

7. In omnibus obligationibus quum dies non ponitur præſenſenti debetur.

XXIII.

8. In perſonam ſervilem nulla cadit obligatio.

LXX.

9. Invito beneficium non datur.

CCVII.

10. Iure naturæ æquum eſt neminem cum alterius injuria fieri locupletiorem.

C.

11. Non poteſt videri improbus qui ignorat quantum ſolvere debeat.

CLVII.

12. Privilegia quædam cauſæ ſunt, quædam perſonæ, prima ſola ad hæredes tranſeunt.

XXXXX.

13. Quidquid in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur non prius ratum quàm ſi perſeverantia apparuerit indicium animi fuiſſe: Vxor brevi reverſa, nec divertiſſe videtur.

XXXIII.

14. Quod attinet ad Ius Civile ſervi pro nullis habentur, non tamen ex jure naturali, quia quoad hoc omnes homines ſunt æquales.

XXX.

15. Quod ab initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere.

CXLVII.

16. Si quis prægnantem uxorem reliquit, non videtur ſine liberis diſceſſiſſe.

CLXVII.

17. Furioſus abſentis loco eſt.

XXXIV.

18. Vni duo pro ſolido hæredes eſſe non poſſunt.

APOLOGIA

APOLOGIA PRIMA

Exponit Ius ipſum & Iuſtitiam.

ACTIO I.
Quid Jus?

ACTIO II.
Quid Juſtitia?

ACTIO III.
Explicat adhuc amplius Juſtitiam.

ACTIO IV.
Comparatio Juſtitiæ ad alias virtutes.

ACTIO V.
Expenditur eadem in ordine ad paſſiones.

ACTIO VI.
Aſsignat diviſiones Juris.

ACTIO VII.
De diviſione Iuſtitiæ in commutativam & diſtributivam.

ACTIO VIII.
Quid iniuria, & an poſſit fieri volenti?

Scot. 4. *diſt*. 17. *quæſt*. 1. *num*. 3.

AD propoſitum non poſſumus invenire aliquod præceptum, quo teneatur quis, niſi iuris naturalis vel poſitivi, & hoc vel divini vel Eccleſiaſtici. Illud autem eſt verum de iure naturæ, cuius veritas eſt nota ex terminis, & tale eſt principium in lege naturę, ſicut & in ſpeculabilibus principium notum eſt ex terminis, ſive quod ſequitur evidenter ex vero tali ſic noto, cuiuſmodi eſt concluſio practica demonſtrata, & ſtrictè loquendo nihil aliud eſt de lege naturæ niſi principium vel concluſio demonſtrata, ſic tamen extendendo quandoque dicitur de lege nat. verum practicum, &c.

Idem *ibidem diſt*. 46. *quæſt*. 1. *num*. 2.

HIc primò videndum eſt de iuſtitiæ definitione. Rationem generaliſsimam ponit Anſelmus de verit. cap. 12. quòd Juſtitia eſt rectitudo voluntatis propter ſe ſervata: hæc ratio ſpecificatur per Juſtitiam ſecundùm quod de ea tractat Ariſtoteles 5. Ethic. qui addit ultra hanc rationem, hoc quod eſt eſſe ad alterum. Iſta ſecunda ſubdividitur, quia vel eſt quaſi univerſalis ad alterum, puta ad legislatorem, & ad legem, in quantum eſt regula quædam determinata à legislatore, & hæc dicitur à quibuſdam iuſtitia legalis. Vel eſt particularis, puta in aliquo particulari determinato, pertinente ad legem, rectitudo ad alterum: & hæc ſecunda ſubdividitur, quia vel poteſt eſſe ſimpliciter ad alterum, vel ad ſe quaſi ad alterum, &c.

Digitized by Google

ACTIO I.

Quid Ius?

Breviarium.

N. 1. *Cur Ius hic præponatur Iuſtitiæ?*
2. *Ius in Pandectis quid? Æquum & bonum quid? Conſultus Ariſtot. ex 2. Moral.*
3. *Definitio juris apud Ethicos ſpeculativos carpitur.*
4. *Propria authoris explicatio.*
5. *Objectio ſolvitur: Prælatus regularis an habeat jus in ſubditum, nec ne?*
6. *Objectio altera ſolvitur. Quid ſit primum in iure?*

1. IAm dixi in Prologo comunem titulum hujus negotii apud Authores eſſe *de iuſtitia & Iure*: quod autem ego de jure ante juſtitiam agã, allegare poſſem pro me Ariſtotelem, qui conſultò monet agentes de potentia, (idemque eſt abſque dubio de habitu,) debere exordium ſumere ab objecto, à quo illa ſpecificatur. Etenim (exempli ergo) qui auditum definire volet, non putet ſe muneri ſuo ſatisfacere, ſi anfractus ac meatus hujus membri deſcribat, id enim eſſet aurem explicare, ſed debet dicere quòd ſit ſenſus perceptivus ſoni, aut quid ſimile; atque ita aliquis ante me egit hic prius de jure, quod tamen ego non auſim approbare factum, nam non eſt paritas ſive exercitium doctrinæ Peripateticæ in præſenti, non enim objectum juſtitiæ eſt ius ſicut obiectum auditus eſt ſonus. Etenim iudex v. g. cuius eſt quàm maximè iuſtitiam adminiſtrare per ſententiam ſuam non dat parti ius in rem controverſam, ſed ipſammet; ſicut etiam exequutor ſententiæ realiter ac materialiter ipſam apprehendit, neuter autem dat ius, ut nec dare poteſt, niſi fortè res ſit alicuius ipſorum. Quia tamen obiectum iuſtitiæ involvit ius tanquam concretum, cuius illud eſt forma, (unde à quibuſdam dicitur iuſtum, de quo infra,) meritò præponitur ius explicatum iuſtitiæ explicandæ, quia illud eſt aliquid obiecti eius, quod enim iudex & iuſtitia vult facere, eſt dare unicuique in id quod habet ius, quibus de ratione ordinis præmiſſis.

2. Quoad *quid eſt* iuris, vix eſt inter Authores controverſia, fortè tamen inter omnes (antiquiores ſaltem) eſt error, qui non ab omnibus deinde eſt agnitus: nunc ut celebre punctum pro meo more varietate aliqua adſpergam, primùm profero ipſum ius ſe prodens & exponens. Pandectæ enim in principio ſtatim docere nos incipiunt, quòd ius ſit *ars boni & æqui*: quem locum enarrans Acurſius cenſet *aliud eſſe bonum, & aliud æquum*, quod ſi verum ſit, tum ius non erit hic definitum, imo nec definibile, quia nec unum, quùm non ſit unius obiecti. Donatus Grammaticus, *Ius* (inquit,) *eſt quod omnia recta & inflexibilia exigit: æquitas eſt quod multum ex iure remittit*: Hinc Terentius: *Non eſt neceſſe ſævire patrem, hoc eſt ſuo iure agere*: Perque, *Terentius*, (Donati indicio,) *eleganter oſtendit ius non niſi in neceſſitate eſſe ſervandum*. Sed & Ariſtoteles opponit ius æquo bonoque, apud ipſum enim *Epikes*, eſt emendatio iuris ſcripti, quod ipſe *Dicaon* appellat: cui etiam favet vox illa vulgi: *Summum ius, ſumma iniuria*. Sed & ea eſt *æqui boni*que *natura*, *ut legis quæ parte deficit ob univerſale, emendatio ſit*: Unde etiam idem vult *Leges eſſe inſtar Lesbiæ normæ*, de qua infra hic Apolog. 7. Act. 1. num. 4. ex ipſo: qui ibidem concludit quòd *æquus & bonus vir non eſt exactus iuris exequutor, habetuſque ipſe æquitas, quæ quidem iuſtitia quædam eſt*. Ariſt. 5. Ethic. 1.

3. Sed relinquendo hæc amœnitati, apud ſpeculativos noſtros recepta dudum definitio eſt, quòd ius in præſenti ſit, poteſtas legitima ad rem aliquam obtinendam, vel ad aliquam functionem, cuius violatio iniuriam conſtituit: ut ſupra in terminis diſpoſui. Ita enim paſſim ſcriptores hodie, ſed niſi erro non exactè; produci enim poteſt inſtantia in contrarium, quia ſuperior Regularis habet legitimam poteſtatem in ſubditum ſuum, & in multas functiones circa illum exercendas, nec tamen habet ius in illum, ut loquimur hic rigidè & ſtrictè, quia non tenetur ei ſubditus ex iure quod iuſtitiam conſtituit, ſed ex promiſſione aut voto: Ex quo oritur quòd ſi inferior deſit ſuo muneri, non tenetur ad reſtitutionem. Imo caſus eſt in omnibus ſubditis, qui politicè tantùm, non etiam deſpoticè ſubduntur alicui, v. g. cives gubernatori, nobiles Principi, & omnes cuicunque legislatori, hi enim omnes ſubſunt aliis iam dictis reſpectivè quoad multas functiones, & alii habent legitimam poteſtatem in eos ad iſtos fines, nec tamen habent huiuſmodi ius.

Reſponderi tamen poteſt pro ſic definientibus, proviſum eſſe omnibus his exceptionibus per ſequentem particulam, *cujus violatio iniuriam facit*, nam contraventio ab inferiori facta ſuperiori Regulari, vel à civibus magiſtratui, &c. non conſtituit iniuriam. Audio & nego proviſum eſſe definitioni per hæc quæ ipſa adferunt ei maculam; erratum eſt enim in his addendis, quæ non poſſunt definitionem explicare, quùm ipſa potius explicanda ſint per aliud. Iniuria enim eſt violatio iuris, adeoque ut ſciatur quid ſit iniuria, debet prius ſciri quid ſit ius. Vrgeo exceptionem, etenim ineptè ageret qui vellet explicare nobis lucem, dicendo quod ſit qualitas cuius abſentia tenebras facit: aut, (quod ferè idem eſt,) viſum dicat eſſe illam, cuius defectus facit cæcitatem; quùm non poſſim capere quid ſint tenebræ niſi prius conceperim quid ſit lux aut lumen, neque cæcitatem niſi poſtquam didici quid ſit viſus. Ita enim non poſſum intelligere quid ſit iniuria, niſi prius intellexero quid ſit ius, cuius ratio à priori eſt quod illa ſit privatio huius, omnis autem privatio per habitum cognoſcenda

gnoſcenda ſit; nec enim negotium hoc cognitionum, aut omnino ullum poteſt incipere à nullo aut nihilo, cujuſmodi eſt negatio ac privatio. Videantur, ſi placet quæ notavi in *Metaph.* Apolog. ult. & penult. de *Ente irrito & nihilis*.

4. Jam quando expector ipſe aliquid concluſurus, fateor hic facilius eſſe aliena carpere, quàm aliquid ex ſuo ſtatuere quod non poſſit etiam carpi. Unde primus modus hoc decidendi viſus eſt mihi nihil dicere; etenim hoc quod eſt *Ius*, ex illis eſt quæ ſupra ſæpe in præcedentibus Tomis dixi concipi facilè poſſe, explicari non poſſe. Veniat enim qui volet & incipiat mihi exponere quid ſit gaudium? quid triſtitia? voluptas? dolor? quid ſignificamus quùm dicimus, habeo tibi gratias? aut (ſi deſcendamus ad externa,) quid eſt, *propino*? Et revera id ipſum eſt in primis qualitatibus quæ ſenſu percipiuntur, nam quamvis Ariſtoteles tentaverit explicare quid ſit color? & lux? ſed neminem unquam docuit quod ipſe neſcivit, imo nec quæ ſcivit, quia non potuit verbis extra proferre naturalem definitionem, & ingenitum conceptum horum.

2. de Anim. c. 7. & 8.

Quia tamen hoc non eſt reſpondere, quum ſit non reſpondere: Dico poſitivè ius eſſe poteſtatem diſponendi de re aliqua tanquam ſua: quo loco volo ly *tanquam* non ſignificare ſimilitudinem ſed proprietatem, quod facit ly *quaſi* ibi, *Vidimus gloriam eius quaſi unigeniti à Patre*.

Ioan. 1.

Commendatio hujus definitionis eſt conceptus naturalis quem quiſque apud ſe format & experitur de Tò *ius*, eſt enim iſte ut cuique ex ſe conſtat. Non addidi *legitima* ut fecit communis definitio ſupra, quia ius prius eſt lege, quum & ipſe legiſlator habere poſſit ius, & verò debeat. Deus etiam habeat præſtantiſſimum ius, quod tamen nulla lege potuit accipere, ſed ſolâ naturâ rerum, id eſt ſua & creaturarum. Non enim ſibi ille quidquam dare potuit, (quis enim poteſt?) nec alius, quia nemo ante ipſum res poſſedit. Atque (ut hic id addam quod ſupra dicendum fuit,) hæc inſtantia Domini Dei iterum infringit communem definitionem, nam Deus ſine dubio habet ius in omnes res mundi, *quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*, & nos tamen abutendo illis, ſive etiam utendo contra eius voluntatem non facimus ei iniuriam, neque peccata per reſtitutionem delemus, ſed per pœnitentiam! Vide dicenda Tomo 4. ſequenti.

Fateor tamen, ad hoc dici poſſet, quòd ſpectatâ naturâ rei faceremus Deo iniuriam, nunc autem ideo non facimus, quia ipſe id non vult, nec obiicit nobis ſervandum aut violandum, niſi dominium juriſdictionis, & nequaquam dominium proprietatis, quod ſolum facit iniuriam, quùm contingit illud violari. Sed hoc alio ſpectat, ac proinde expectandum eſt loco iam citato: interim contra definitionem duo mihi videntur

5. Obiici poſſe, primum quod videatur relabi in defectum, cuius accuſavimus communem definitionem, ut patet applicanti inſtantiam quam contra illam allegavi; nam ſuperior Regularis & Magiſtratus habent poteſtatem diſponendi de ſubditis ſuis, & tamen non habent ius, ſive titulum iuſtitiæ de quo hic, adeoque. Antecedens oſtenditur, quia prælatus poteſt ſubditum hinc alio transferre, & aliunde huc; item imponere hoc aut illud officium; quid autem eſt diſponere niſi hoc ſit? Magiſtratus autem & Princeps politicus poteſt de vita ſubditorum diſponere, hic enim conſcribit eos milites, militare autem clarum eſt quod ſit vitam exponere, adeoque. Reſpondeo tamen aſſumi falſum, non enim poteſt abſolutè diſponere de ſubditis aut unus, aut alter; non poteſt deſtruere, non poteſt vendere, imo nec torquere eos aut afficere moleſtia ſine cauſa, &c. quæ tamen omnia poſſet ſi potuiſſet diſponere de illis tanquam verè ſuis, ut patet in iumentis & in verè ſervis, ne quid dicam de rebus inanimatis.

Inſtabis, non eſſe opus toto iſto, nam hoc quod nos ultra fatemur, videtur verificare definitionem de ipſis, v.g. transferre de loco ad locum, hoc enim eſt diſponere, idque de eo facit, quia eſt ſuus. Reſpondeo neque illam eſſe plenam diſpoſitionem, ſed accidentalem, tam phyſicè quàm moraliter, neque ſubditum eſſe *ſuum*, reſpectu prælati. Quo loco repeto quod alibi videor monuiſſe, linguam Latinam, & à fortiori alias laborare vocum penuriâ, & proinde cogi ad impropriè loquendum: in propoſito enim illa pronomina, quæ fateor ipſe in regulis Grammaticis eſſe poſſeſſiva applicat rebus non poſſeſſis. Quod ut credatur, profero exempla, in quibus tranſvertit ſignificationes illorum, & applicat ex diametro oppoſitis; dicit enim apud ipſam ſervus quiſpiam, *Dominus meus*, dicit item creatura: *Deus meus*, quum tamen dominus non ſit ſervi, ſed ſervus domini, & multò minus Deus pertineat ad creaturas, aut poſſideatur ab illis; ita hic dico illud *ſuum* impropriè eſſe poſitum.

6. Obiici alterum poteſt à priori: Nam datur aliquid prius ſignificato huius definitionis, adeoque illa non definit, quia definitio debet eſſe ex primis. Antec. patet, quia poteſt reddi ratio cur quis poſſit diſponere de re aliqua, eſtque, quia habet ius in ipſam, ideo enim diſponere poteſt, ergo iam ius eſt aliquid prius, eò quòd hic dicitur, adeoque non eſt ipſum. Reſpondeo, ſit cauſa, & ſit ratio, non obeſt, quia eſt cauſa, & ratio formalis, ſicut poteſt reddi ratio aliqua cur Petrus v.g. ſit animal rationale, reſpondendo quòd ideo ſit talis, quia eſt homo: vel, ut voles ex adverſo reſpondendo quòd ideo ſit homo, quia eſt animal rationale; & tamen omnium confeſſione bene definitur homo quòd ſit animal rationale.

Si quis tamen vellet hæc & alia evadere, & adhuc ſuccinctus rem expedire, poſſet definire ius dicendo: Ius eſſe quod facit rem meam in exemplo, vel tuam, &c. reſpectivè. Hanc ideo approbo, quia videtur exprimere verbis definitionem quam natura nobis indidit de hoc termino *Ius*, ut quiſque experitur, adeoque.

* * *

ACTIO II.

§. VI.

De Miſeratione.

MIſereri, græcè ἔλεος, vel ἐλεήμον ſignificat animum inclinatum ad ſublevandam alterius egeſtatem. Sed enim hic non videtur mihi offerri eo ſenſu, aut non eo vocabulo, ſed alio potiùs quo dicitur ſympathia, quæ eſt compaſſio erga alterius miſeriam, de qua vix aliud melius dici poteſt, quam illud M. Tullii quod ſit *Ægritudo animi ex miſeria alterius injuria laborantis*; hæc enim æquat, & excedit prolixam definitionem ab Ariſtotele aſſignatam.

Circa hanc autem ipſam adverto inprimis τὸ *ægritudo* non eſſe accipiendum ut ſonat pro eo quod eſt morbus aut malehabentia, ſic enim explicaretur genus aliquod non ſpecies quæ deſideratur. Erit ergò ſenſus quod ſit ægritudo, hoc eſt ægreferentia alienæ &c. quamvis prior intellectus ſi deſcenderet ad ſpeciem affectionis, ſat verus & proprius eſſet.

Secundum autem magis principale eſt, quod ſcilicet requiratur ad miſerationem ut calamitas aliena quæ movet ad commiſerationem ſit injuſte illata, ſic enim ait: alterius *injuria laborantis*, quod ad miſerationem non videtur requiri, nam etiam movemur ad commiſerationem illorum, qui juſte torquentur, & ut egregiè inter alia Seneca: *Miſericordia non cauſam, ſed fortunam ſpectat*: quamvis ipſe in eandem prolapſus ſit deinde dicens: eſſe ægritudinem ob mala *quæ accidere immerentibus credit*. Ex quo oritur tertia affectio contra hanc definitionem nam τὸ *alterius*, de mente definientis ſine dubio ſignificat alium mihi ſimilem puta hominem, & tamen multi moventur commiſeratione etiam erga animalia bruta S.P.N. Franciſcus non poterat pati cædem agnorum, & conabatur eos à morte redimere pretio procurato, quod in ipſo gratia, in aliis natura fecit. Ex quibus videas definitionem corrigi poſſe, ut ſit: Ægritudo animi ex miſeria alterius ſentientis ſeu patientis. hic enim non requiritur injuria, neque reſtringitur ad hominem ſolum paſſio, quia etiam bruta patiuntur & ſentiunt.

Jam verò ad illud: An commiſeratio ſit virtus? dudum jam ſatisfactum eſt in ſimili ſupra. Unde locus quæſtioni ſolum relictus: num actus ad quem inclinat ſit virtuoſus? quod quidem omnes ſupponunt reſolvendum affirmativè; ſed ego dubito. Moveor autem quia miſerantes ſæpe intendunt liberare patientem ut ſe ipſos liberent à dolore compaſſionis; tum autem non eſt amor amicitiæ erga patientem proximum, ſed amor concupiſcentiæ. Huius ſignum eſt quod levius ferunt mala aliorum quando audiunt ea quàm quando vident; at verò calamitas æquè premit patientem ſive ego videam eum pati, ſive audiam tantum. Deinde minus curant de morte quam de miſeria præſenti & coram ſe poſità; nam nihil penſi habent quod equus aut canis moriatur; ægrè autem ferunt eos laniari ob oculos ſuos.

Itaque hæc affectio non eſt admodum æſtimanda, quia neque ex virtute eſt notabiliter, neque ad virtutem inclinat: quod inde perſuaſum eſſe nobis debet, quoniam qui videntur eo magis ferventer tangi, minus parati ſunt ſuccurrere, ſcilicet mulieres & pueri. Viri autem prudentes & ſolidæ virtutis, magis juvant, & minus dolent. Unde meritò Stoici noluerunt eam in animum ſapientis admittere: *Eſt enim vitium puſilli animi ad ſpeciem alienorum malorum ſuccidentis: itaque peſſimo cuique familiariſſima eſt. Anus & mulierculæ ſunt quæ lacrymis nocentiſſimorum moventur. Ergo quemadmodum religio Deos colit ſuperſtitio violat, ita clementiam, manſuetudinemque omnes boni præſtabunt, miſericordiam autem vitabunt. Sapiens ergo non miſeretur, quia & ſine miſeria animi non fit: cæterum omnia quæ qui miſerentur dolentes faciunt, hic libens & alacri animo faciet. Miſericordia vicina eſt miſeriæ* &c. ex Sen. lib. 2 de clem.

§. VII.

De Irâ.

NOn eſt ſuperaddendus, jam enim ſupra de Iraſcibili (rectius irativà) facultate diſſerens omnia attuli, quæ ad ipſam iram explicandam erant neceſſaria: ut jam vix quidpiam ſuperaddi poſſit, iis præſertim quæ ex ipſo Subtili deſcripſi. In quo proinde detinet mihi hic tractatus Ethicus ad morum compoſitionem deſcriptus, quæ utique debet eſſe finis omnis Philoſophiæ.

Denique de his conſulantur.

ARiſt. 2. *Rhet* Cicero 4. *Tuſcul. qq.* Damaſc. *in fragm. ſentent. & lib. 2. de fid. cap. 22.* Nyſſen. *diſput. de Reſur* Proſp *lib. 3 de vit contempl.* D. Thom. *de Verit. q. 26 & in qq. diſput. Tom. 1. &* 1. 2 *q. 22.* S. Antonin. *1. p. tit. 6. c. 1.* Joan Gerſon. *tract. de paſſ 3. p. Alphab.* 72. Vigner. *in Inſtitut. c. 1. §. 9. 10. & 11.* Horont. *in Margar. lib. 12.* Fox. *lib. 5 natur philoſ.* Azor. *Inſtit. moral. Tom. 2 lib. 3.* Ludov. Vives. *3. de Anim. per totum* Petr. Gregor. *in Syntax. art. mirab lib 33* Petr. Sibac. *tract. de Anim. cap. 14.* Joan. Salaſ. *1 2. tract 9.* Gervaſ. *tract. notitiarum, tit. de appet. ſenſit.* Carbo *in Sum. tom. lib. 6.* Titelman. *lib. 2. philoſoph.* Verver. *3. de Anim. ſpecul. 6. & 7.* Conimbr. *diſp. 6. Ethicor.* Flamin. *nobil 1. de fœlic. cap. 10 11. 12.* Tarq. Galluc. *in append. de Perturbat. ad c. 9. l. 2. Ethic. &c.*

INDEX
APOLOGIARUM ET ACTIONUM ETHICÆ
DUBIA PROLOGOMENA

DUBIUM I. De Objecto Ethicæ. 177
DUBIUM II. Utrum Ethica ſit ſcientia; an potius ſit ipſe habitus Prudentiæ? 178
DUBIUM III. Utrum certum ſit Ethicam eſſe practicam, necne? 179

APOLOGIA I.
De Voluntario.

ACTIO I. In quo conſiſtat moralitas actus? 181
ACTIO II. Spontaneum & Voluntarium quid? 183
ACTIO III. Expenditur amplius explicatio Voluntarii. 184

APOLOGIA II.
De Libero.

ACTIO I. Utrum in hominibus pro hoc ſtatu detur Liberum Arbitrium? ubi etiam ſtatuitur quid illud ſit? 187
ACTIO II. Utra ex duabus potentiis ſit liberum arbitrium, Intellectus, an Voluntas? 188
ACTIO III. Utrum libertas ſit intrinſeca actui Voluntatis, necne? 190
ACTIO IV. Utrum intenſio & continuatio actus ſint liberæ! 192
ACTIO V. Utrum poſſibilis ſit omiſſio libera & pura, ſive ſine adiuncto actu? 195

DUBIUM I. Utrum in pura omiſſione ſit difficultas? 197
DUBIUM II. Utrum pura omiſſio poſſit eſſe meritoria? ibid.
DUBIUM III. Utrum pura omiſſio habeat finem propter quem? 198

APOLOGIA III.
De Involuntario, & cauſis eius.

ACTIO I. Quid ſit violentum, & quando potentia vim patiatur? 199
ACTIO II. Vtrum metus cauſet involuntarium? 201
ACTIO III. An? & quomodo concupiſcentia impediat vel augeat voluntarium? 204
ACTIO IV. Vtrum Ignorantia cauſet voluntarium, an involuntarium? 206

APOLOGIA IV.
De Bonitate & malitia actuum humanorum.

ACTIO I. In quo conſiſtat bonitas moralis actus humani? 209
ACTIO II. Quomodo actus fiant boni, vel mali ab objectis? 213
ACTIO III. Corrigitur communis doctrina de numero circumſtantiarum. 216
ACTIO IV. Corrigitur communis doctrina Ethicorum de modo quo circumſtantiæ influunt in actus humanos. 217
ACTIO V. Vtrum finis & medium ſeorſim influant affectiones morales ejuſdem rationis in actum humanum? 219
ACTIO VI. Vtrum ambo illa poſſint influere affectiones diverſæ rationis in eundem actum; puta intentio bonitatem, electio malitiam? 222

APOLOGIA V.
De actibus, externo, & Indifferenti.

ACTIO I. Vtrum actus interni ſint mali, & peccaminoſi? 226
ACTIO II. Vtrum actus exteriores ſint formaliter boni, aut mali moraliter? 228
ACTIO III. Vtrum actus exterior addat bonitatem aut malitiam bonitati & malitiæ interioris? 231
ACTIO IV. Vtrum aliqua actio humana ſit indifferens, ſive media inter bonam & malam moraliter? 234
ACTIO V. Vtrum detur actus humanus indifferens in individuo? 236

APOLOGIA VI:

De Regula actionis humanæ.

ACTIO I. Quantum teneatur homo conformare ſe voluntati Divinæ? 239
ACTIO II. Quid ſit recta ratio quæ regulat actiones humanas? 241
ACTIO III. Utrum recta ratio ſit practica, an ſpeculativa? & utrum debeat eſſe evidenter vera, nec ne? 243
ACTIO IV. Quanta ſit obligatio Conſcientiæ? 245
ACTIO V. Decidit dubia aliquot de Conſcientia errante. 247
ACTIO VI. De Conſcientia dubia. 249

APOLOGIA VII.

De Opinione probabili.

ACTIO I. Utrum ſufficiat opinio probabilis ut quis ſit ſecurus in agendo? 252
ACTIO II. Utrum ſaltem neceſſe ſit probabiliorem & tutiorem in praxi præferre minus probabili, & minus tutæ? 254
ACTIO III. Utrum ſint aliquæ exceptiones ab hac doctrinâ? 259
ACTIO IV. Quæſtiones aliquot de hac materiâ motæ & ſolutæ. 261
ACTIO V. Aliter reſolvendum in dubio facti propriè. 262
ACTIO VI. Quomodo deponenda ſit conſcientia erronea & ſcrupuloſa? 264

PARS ALTERA ETHICÆ.

APOLOGIA I.

De Bono.

ACTIO I. Quomodo definiendum Bonum? 267
ACTIO II. Utrum Bonum coincidat cum pulchro? 268
ACTIO III. Utrum Bonum adæquet voluntatem, ut hæc non poſſit ferri in malum? 270
ACTIO IV. Utrum Bonum rectè dividatur, in honeſtum, jucundum, utile? Item An coincidat cum fine, nec ne? ibid.

APOLOGIA II.

De Vltimo Fine.

ACTIO I. Utrum homo non ſolum à Deo authore gratiæ, ſed etiam à natura habeat aliquem ultimum finem omnium actionum? 273
ACTIO II. Utrum homo potuit à natura relinqui in ſtatu, quem jam ducimus vivendo? & an poſſit ſatiari bono aliquo infra Deum viſum, & fruitum? 274
ACTIO III. Reſolvit quædam dubia ſparſim de ultimo fine. 276

APOLOGIA III.

De Beatitudine.

ACTIO I. Quid accipiendum ſit nomine beatitudinis objectivæ? 280
ACTIO II. Utrum Beatitudo in hac vita haberi poſſit? 282
ACTIO III. Quæ ſint admittenda, & quæ arcenda ad conſtituendam huiuſmodi Beatitudinem? 284
ACTIO IV. In quo opere Beatitudo ipſa conſiſtat? 286
ACTIO V. De Beatitudine ipſa formali. Ubi etiam de diſcrimine creatæ, & increatæ. 289

TERTIA PARS ETHICÆ.

De Virtutibus & Paſſionibus.

APOLOGIA I.

De Virtute in Genere.

ACTIO I. Quid ſit Virtus? 293

ACTIO II. Utrum Virtus ſit verè qualitas ac habitus? & an influat phyſicè in actionem? 294
ACTIO III. Utrum Virtus in medio conſiſtat? 297
ACTIO IV. De ſubjecto virtutum. 299
ACTIO V. Reſolvit quædam dubia ſparſim de hac materia. 303

De Virtutibus Cardinalibus in ſpecie.

APOLOGIA II.

De Prudentiâ.

ACTIO I. Quid ſit Prudentia? 306
ACTIO II. Utrum Prudentia dependeat à Voluntate, & habitibus ejus, & vice verſa habitus morales à Prudentia? 307
ACTIO III. Utrum ſit una virtus Prudentiæ reſpectu omnium moralium virtutum, an verò plures? 310
ACTIO IV. Utrum Prudentia dictet tantum de fine moralium virtutum, an etiam de mediis? 312

APOLOGIA III.

De Iuſtitiâ.

ACTIO I. Quid Juſtitia? & an eſſentialiter ad alterum? 315
ACTIO II. De Juſtitia Legali. 317
ACTIO III. De Diviſione Juſtitiæ in Commutativam & Diſtributivam. 319
ACTIO IV. De Vindicante Juſtitia. 321

APOLOGIA IV.

De Temperantia, & Fortitudine.

ACTIO I. Quid ſit Temperantia, & quod ejus exercitium? 324
ACTIO II. Utrum Temperantia determinata ſit ad ſenſum Tactus, vel ſolum, vel quaſi ſolum, nec ne? 326
ACTIO III. De Eſſentia Fortitudinis. 327
ACTIO IV. An fuga poſſit eſſe fortitudinis actus? 328
ACTIO V. Comparatio harum virtutum ad ſe, & utriuſque ad Juſtitiam. ibid.

APOLOGIA VLTIMA.

De Paſſionibus.

ACTIO I. Definitio & Diviſio Paſſionis. 331
ACTIO II. De Diſtinctione Concupiſcibilis ab Iraſcibili. 333
ACTIO III. De Sede ſeu ſubjecto utriuſque appetitus; atque etiam de Natura Iraſcibilis. 334
ACTIO IV. De Paſſionibus in ſpecie. 337

§. PRIMUS. De Voluptate. ibid.
§. SECUNDUS. De Gaudio & Triſtitiâ. 338
§. TERTIUS. De Timore. ibid.
§. QUARTUS. De Admiratione. 340
§. QUINTUS De Verecundia. 341
§. SEXTUS. De Miſeratione. 342
§. SEPTIMUS. De Irâ. ibid.

INDEX NOTABILIVM ETHICAE

Prior numerus paginam, poſterior marginalem; interdum dubium, vel paragraphum notat.

A.

Actiones Angelicæ ſunt humanæ. 180. 2
Actus humanus non eſt idem quod liber. 180. 1
Actus non fit moralis per libertatem præciſe, 181. 4. neque per reſpicientiam operantis ad regulam rationis. ibid. num. 5
Actus Chriſti D. erant, & Beatorum ſunt morales. 182. ult.
Actus voluntatis anſint immediatè voluntarii, incertum. 185. 4
Actus poſitivus non requiritur ad libertatem. 195. 1
Actus aliquis poteſt eſſe ex fine bonus, ex medio malus. 223. 4
Actus interni ſunt peccaminoſi non tamen univerſim ut creditur. 227. 3
Actus externi ſunt formaliter boni, vel mali, ac non tantum per denominationem ab internis, vel alio. 228. 2. An ſint liberi, 230. 5
Actus exterior adfert ſecum propriam bonitatem, diſtinctam ab illa interni. 231. 1
Actus humanus poteſt eſſe indifferens, id eſt nec bonus, nec malus, 234. 2. Idque non ſolum in ſpecie, ſed in individuo ſumptus. 236. 2
Angeli habent virtutes morales, ſed non eaſdem ſpecie cum noſtris, 302. 12

B.

Beatitudo quid antiquis ſignificaverit, & quid revera ſit, 273. 1. an exigat ut voluntates omnes beati etiam conditionatæ impleantur? 282. 5
Bonorum diverſa genera. 209. 1
Bonum alteri non fit per ſolam unionem ad ipſum. ibid. 2
Beatitudo naturalis nec in voluptate eſt, nec ſine ipſa. 284. 2
Beatitudo non conſiſtit in contemplatione, ſed in fruitione, 285. 4. formalis non conſiſtit in actu 289. 1. nec tamen ad eam ſufficit delectatio ſine actu, 290. 2. Probabiliter coincidit cum objectivâ. 290. 4
Beatus potuit quilibet eſſe in ſtatu naturæ conditæ. 283. 3
Boëtius non intellexit per beatitudinem, quod alii philoſophi, 280. 1. nec ipſius acceptio, nec illa Auguſtini probari poteſt, 281. 2
Bonum non coincidit cum pulchro, 268. 2. Bonum morale coincidit, 269. 4. coincidit tamen cum fine, unde media non ſunt bona. 271. 3

C.

Caſus in quo poſſeſſio non prodeſt habenti, 262 4
Circumſtantiæ non rectè numerantur communiter ut ſint ſeptem: 216. 1. *Quis* non eſt circumſtantia, ibid. 2. nec *quid* ib. nec *quomodo* ſemper. 217. 4
Circumſtantiæ non mutant ſpeciem actus, 217, 1 non contrahunt præcedentem differentiam actus. 218. 2
Circumſtantiæ damni aut lucri ſubſequentis non augent malitiam aut bonitatem actus, ſed nec minuunt, 219. 4
Concupiſcentia auget voluntarium, 204. 1. non minuit libertatem, 205. 4. minuit tamen peccatum. ibid. 5
Concupiſcibilis & Iraſcibilis in voluntate ſunt formaliter indiſtinctæ, 353. 1. In parte tamen ſenſitivâ realiter diſtinguuntur, ibid. 2

D.

Definitio Ariſtotelica virtutis reprobatur, 293. 1. Aſſignatur legitima. ib. num. 2.
Deus ſolus plene beatus, 291. 6. An formaliter delectet beatos. ibid. 5
Diſpenſari non poſſe cum ullo ut agat contra conſcientiam. 246. 4
Diviſio boni in honeſtum, delectabile, & utile, vitioſa. 270. 2
Diviſio juſtitiæ in commutativam & diſtributivam ſimiliter, 319. 2

E.

Electio ſumit bonitatem non ſolum à fine, ſed etiam à medio; unde illa eſt bis bona. 220. 2
Electio prava non oritur ab intentione. 223. 2
Ethica eſt vere ſcientia, 178. dub. 2. eſt diverſum quid à prudentia: ibi practica non ſpeculativa. 179. dub. 3
Exigentia vindictæ comparata ad reum non eſt juſtitia. 323. 4

F.

Finis hominis non neceſſario eſt quid unum aut ſimplex, 276. 1. ſuppoſito autem quod finis hominis ſit bonum finitum, poſſunt dari plures diſparati. ib. n. 2
Finis ultimi non ſubordinati poſſunt eſſe plures. 278. 5
Fœlicitas politica vix ulli contingere poteſt: privata poteſt. 283. 2
Fælicitas non eſt in divitiis, &c. ſed in virtute, 288. 3. quomodo id accipiendum, de habitu, an de actu. ibid. 4

For-

Fortitudo quomodo non ſit vitioſa. 327. 1
Fuga an poſſit eſſe fortitudinis actus, 328. quærendum inter quæſtiones quodlibeticas Authoris.

G.

GAudium, quæ paſſio. 338. §. 2

H.

HAbitus augent liberum & voluntarium. 205. 6
Habitus virtutis moralis poteſt concurrere ad actum malum. 224. 5. Reſidens in eſſentia animæ poteſt influere in actus potentiarum, 300. 5
Habitus ponendi ſunt de facto in parte ſenſitiva hominis; qui tamen non ſunt virtutes. 301. 8
Homo non eſt objectum Ethicæ. 197. dub. 1. prolog. Habet arbitrium liberum non ſolum à coactione ſed etiam à neceſſitate, 187 2. non exigit finem infinite perfectum. 275. 3. in ſtatu innocentiæ non haberet virtutes infuſas morales, 299. 2. non habet à natura finem poſitive unum 273. 2. nec à ſe ipſo, ſed plures integrantes, ib num. 3.
Hominem non potuiſſe eſſe ſine fine ultimo qui eſt Deus, probabile. 277. 4
Honor includendus in diviſione boni, licet accipiatur illa trimembris vulgata, 272. 6. non eſt ne quidem pars beatitudinis, ſicut nec imperium aut fama. 286. 5

I.

IDem an poſſit eſſe principium oppoſitorum. 299. 5
Ignorantia cauſat voluntarium potius quam involuntarium 206. 3. Cur nihilominus irritet contractus. 207. n. 5.
Ignorantiæ diviſiones, 206. 1. Antecedens, concomitans, ſubſequens quomodo accipiendæ? ibid. n. 2
Intenſio & continuatio actus ſunt liberæ. 192. 2
Intentio bona non vitiatur electione pravâ, 223. 3. non excuſat electionem pravam, 225. n. 6 An ſaltem minuat malitiam ejus? ib n. 7
Judex in dubio de jure plurium in idem an poſſit rem ſortibus committere? 261. 3. quid facere debet quum neutra pars habet poſſeſſionem? ib. n. 2
Judicium probabile, quod non peccem, an liberet me à peccato agendo? 253. 4
Ira impedit concupiſcentiam, & cur? 334. q. ult. explicatur ipſa. ib. n. 7
Iraſcibilis non eſt circa bonum arduum ut creditum D. Thomæ, 335. 1. nec eſt proprie appetitus. ibid. 2
Juſtitiæ definitio apud Ariſtotelem, & Ulpianum, vitioſa, 315. 1. vera definitio, 316. 2. An illa ſit vera virtus, ibid. non ſemper eſt rigide ad alterum. 316. 3
Juſtitia legalis impropria eſt, 317. 1. neque tamen eſt virtus ſpecialis, 318. 2. Videtur quid præſtantius juſtitiâ. 319. 4
Juſtitia vindicativa in judice reſpectu Reip. pertinet ad commutativam. 321. 1

L.

LEx Divina quomodo nunquam inferat homini perplexitatem. 246. 4.
Liberum arbitrium eſt ipſa voluntas. 188. 1. non ſolum à coactione liberum eſt, ſed etiam à neceſſitate. 187. 2
Libertas voluntatis in actu primo & in actu ſecundo eſt eadem. 190. 1. eſt tamen identificata voluntati, non item actui ejus ibid. 2.
Licetne in dubio habenti non ſolum poſſeſſio rei ſed uſus? 260. 3

M.

MAlitia omiſſionis major quam illa actus. 196. 3
Media habentne totam bonitatem à fine, 222. ult.
Medicina an una ſpecie facultas. 312. 3
Medicus an poſſit ſequi opinionem minus probabilem & minus tutam in medendo? 259. 1
Metus non cauſat involuntarium, 202. 2. Defenditur nihilominus communis ſententia affirmans. 203. 6
Moralitas unde habeatur, & in quo conſiſtat. 181 3. non habetur per hoc quod actus eliciatur cum reſpicientia ad regulas rationis. ibid. 5. neque eſt imputabilitas actus. 182. 6

N.

NAtura humana exigit ad alia ordinari quam ſint objecta hujus vitæ. 275. 2
Naturalia an laude digna. 303. 3

O.

OBjecta tribuunt bonitatem & malitiam actibus humanis. 214. 3
Objectum Logicæ an operationes intellectus? 178. dub. 1.
Objectum actus imperantis eſt actus imperatus: objectum vero imperati res circa quam verſatur volendo, 214. 2. Ethices an ſint operationes humanæ. 178. dub. 1
Omiſſio libera & pura poſſibilis, 195. 1. non continet difficultatem in omittendo ſubeundam. 197. dub. 1. Poteſt eſſe meritoria ib. dub. 2. non habet finem propriè. 198. dub. 3.
Opera pœnalia ſunt certo meritoria. 252. 3
Opinio probabilis ſufficit ad tuto agendum in moralibus. 252. 2. nec eſt neceſſe formidinem abeſſe opinanti & agenti. 253. 3. An hinc ſequatur licere quodlibet? 254. 5. neque neceſſe eſt ſequi opinionem magis probabilem, imo nec ſummè, aut maximè tabilem. 254. 2
Origo trium ſpecierum juſtitiæ. 319. 1.
Organum appetitus non eſt cerebrum ſed cor. 335. 3

P.

PAſſio quid moraliter. 331. 1. Definitiones Ariſtotelis & D. Thomæ rejectæ, ibid. 2. vera definitio ejus, 332. 3. diviſio ejus apud pleroſque mala excuſatur, aſſignatur alia. ibid 4. & 5.
Patiens an beatus in miſeriis.

APOLOGIAE SELECTAE

De Iuſtitiâ & Iure.

LECTORI.

NIhil libentius notes quàm quorundam Authorum methodum qui de quatuor virtutibus ſcripturi præmittunt titulum de una: Volunt occupari circa Prudentiam, Iuſtitiam, Fortitudinem, Temperantiam, & tamen toti materiæ præfigunt titulum *de Iuſtitia & Iure*, tanquam aut Ius foret virtus, aut una virtus eſſet virtutes, quùm nec illud exſpectari poſſit, & hoc ſit omnino deſperandum. Adeo non falsò *Plato* inquit, ſingularis prudentiæ eſſe nomina rebus indere, quum hic viri ſenio graves, doctrinis eximii, tot librorum patres, parere opera ſciverint, parta nominare neſcierint: Ut mirari deſinas cur Protoplaſtes Adam, quum adhuc ei ſcientiam conſcientia ſiſteret, omnia, etiam bruta propriis nominibus & quaſi indicibus naturæ eorum appellârit, idem ſcientiis cum innocentia deſtitutus in ipſo uxoris ſuæ nomine erraverit, quippe quam Hevam vocavit, id eſt matrem cunctorum viventium, quum jam omnibus mortem peperiſſet. Videri poſſunt quæ de hoc argumento in epiſtolis meis deſcripſi. Mihi illa inſcriptio erit uſui, qui ſolam hanc ſcilicet juſtitiam attingam, quippe quæ ſola tot lites in foro, opiniones in ſcholis gignit perpetua fæcunditate, ut aliæ ex aliis naſcantur.

Cæterum propinabo Lectori adhuc aliud ſuper moderna methodo Authorum: Scribunt hodiè Authores de Iuſtitia, Fortitudine, Temperantia, & quidem Theologicè, ſive in ſecundo ſentent. apud Magiſtr. ſequaces, ſive in 2a 2æ apud Summiſtas, & tenaces D. Thomæ, quum tamen harum virtutũ, nulla Theologica ſit, omnes morales. Propter quod ego, niſi erro, maturius eas Ethicæ, ſive morali ſcientiæ inſerui. Sed & iterum cum his expoſtulare poſſum ſuper aliis virtutibus, etſi non æquo jure, nec enim volo eas Theologiæ abeſſe, ſed adeſſe Ethicæ: Sunt autem trias hæc, Fides, Spes, Charitas, quas etſi fatear nos divinis Scripturis didiciſſe, ſed concedere quiſque habet, potuiſſe humanis addita. Scio illas ex objecto eſſe divinas, quæ ratio videtur eas arctaſſe ad Theologiam, quaſi cancellis circumponendas: Sed ſint tales, an ſummè? an magis divinæ quàm Deus, qui quamvis Theologiam omnem ipſis etiam appendicibus ſuis faciat, interim tamen Metaphyſicam, etiam Phyſicam nobis facit, ut videas in Ariſtotele, tam illius operis libro 12. quàm hujus octavo. At enim eundum eſt quà itur, licèt non eatur quà eundum.

Et quanquam hactenus ſpeculativi, in hoc pulvere legum tanquam peregrini verſamur, nemo tamen mihi objiciat profiteri me quod neſcio, & adhuc imperitum iuris agere Iuris-peritum, alioqui *ſi mihi vehementer occupato ſtomachum moverint, triduo me juris-conſultum profitebor.* Sed & hic interim propinabo Lectori rudimenta quædam huius negotii in anteceſſum, ne quis iis inſuetus earum novitate facto impetu opprimatur.

Digitized by Google

Regulæ aliquot Juris Canonici.

II.

1. Poſſeſſor malæ fidei nullo unquam tempore præſcribit.

III.

2. Sine poſſeſſione præſcriptio non procedit.

IV.

3. Peccatum non dimittitur niſi reſtituatur ablatum.

V.

4. Peccati venia non datur niſi correcto.

VI.

5. Privilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum ipſa.

VII.

6. Semel malus ſemper præſumitur eſſe malus.

VIII.

7. Ratum quis habere non poteſt quod ipſius nomine non eſt geſtum.

XI.

8. Quum ſunt partium jura obſcura, reo favendum eſt potius quàm actori.

XII.

9. In judiciis non eſt acceptio perſonarum habenda.

XVIII.

10. Non firmatur tractu temporis quod ab initio fuit nullum.

XXVII.

11. Scienti & conſentienti non fit injuria neque dolus.

XXX.

12 In obſcuris minimum eſt ſequendum.

XXXIV.

3. Generi per ſpeciem derogatur.

XXXV.

14. Plus ſemper in ſe continet quod eſt minus.

XXXVI.

15. Pro poſſeſſore habetur qui dolo deſiit poſſidere.

XXXVII.

16. Vtile non debet per inutile vitiari.

XXXXII.

17. Acceſſorium naturam ſequi convenit principalis.

XXXXVII.

18. Præſumitur ignorantia ubi ſcientia non probatur.

XXXXIX.

19. In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.

L.

20. In re communi potior eſt conditio prohibentis.

LXV.

21. In pari delicto vel cauſa potior eſt conditio poſſidentis.

LXXX.

22. In toto partem non eſt dubium contineri.

Digitized by Google

Regulæ aliquot Juris Cæſarei.

CXCVII.

1. Quum par delictum duorum, ſemper oneratur petitor.

CVII.

2. Cum ſervis nulla actio eſt.

CLIII.

3. Ea quæ in partes dividi non poſſunt ſolida à ſingulis hæredibus debentur.

II.

4. Fœmina & impubes ab omnibus civilibus officiis arcentur.

XXXXI.

5. Furioſi, vel ejus cui bonis interdictum eſt, nulla eſt actio.

XL.

6. In omnibus cauſis pro facto accipitur id in quo quis alium perhorreſcit quo minus fiat.

XIV.

7. In omnibus obligationibus quum dies non ponitur præſenſenti debetur.

XXIII.

8. In perſonam ſervilem nulla cadit obligatio.

LXX.

9. Invito beneficium non datur.

CCVII.

10. Iure naturæ æquum eſt neminem cum alterius injuria fieri locupletiorem.

C.

11. Non poteſt videri improbus qui ignorat quantum ſolvere debeat.

CLVII.

12. Privilegia quædam cauſæ ſunt, quædam perſonæ, prima ſola ad hæredes tranſeunt.

XXXXX.

13. Quidquid in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur non prius ratum quàm ſi perſeverantia apparuerit indicium animi fuiſſe: Vxor brevi reverſa, nec divertiſſe videtur.

XXXIII.

14. Quod attinet ad Ius Civile ſervi pro nullis habentur, non tamen ex jure naturali, quia quoad hoc omnes homines ſunt æquales.

XXX.

15. Quod ab initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere.

CXLVII.

16. Si quis prægnantem uxorem reliquit, non videtur ſine liberis diſceſſiſſe.

CLXVII.

17. Furioſus abſentis loco eſt.

XXXIV.

18. Vni duo pro ſolido hæredes eſſe non poſſunt.

APOLOGIA

APOLOGIA PRIMA

Exponit Ius ipſum & Iuſtitiam.

ACTIO I.
Quid Jus?

ACTIO II.
Quid Juſtitia?

ACTIO III.
Explicat adhuc amplius Juſtitiam.

ACTIO IV.
Comparatio Juſtitiæ ad alias virtutes.

ACTIO V.
Expenditur eadem in ordine ad paſſiones.

ACTIO VI.
Aſſignat diviſiones Juris.

ACTIO VII.
De diviſione Iuſtitiæ in commutativam & diſtributivam.

ACTIO VIII.
Quid iniuria, & an poſſit fieri volenti?

Scot. 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 1. *num.* 3.

AD propoſitum non poſſumus invenire aliquod præceptum, quo teneatur quis, niſi iuris naturalis vel poſitivi, & hoc vel divini vel Eccleſiaſtici. Illud autem eſt verum de iure naturæ, cuius veritas eſt nota ex terminis, & tale eſt principium in lege naturę, ſicut & in ſpeculabilibus principium notum eſt ex terminis, ſive quod ſequitur evidenter ex vero tali ſic noto, cuiuſmodi eſt concluſio practica demonſtrata, & ſtrictè loquendo nihil aliud eſt de lege naturæ niſi principium vel concluſio demonſtrata, ſic tamen extendendo quandoque dicitur de lege nat. verum practicum, &c.

Idem *ibidem diſt.* 46. *quæſt.* 1. *num.* 2.

HIc primò videndum eſt de iuſtitiæ definitione. Rationem generaliſſimam ponit Anſelmus de verit. cap. 12. quòd Juſtitia eſt rectitudo voluntatis propter ſe ſervata: hæc ratio ſpecificatur per Juſtitiam ſecundùm quod de ea tractat Ariſtoteles 5. Ethic. qui addit ultra hanc rationem, hoc quod eſt eſſe ad alterum. Iſta ſecunda ſubdividitur, quia vel eſt quaſi univerſalis ad alterum, puta ad legiſlatorem, & ad legem, in quantum eſt regula quædam determinata à legiſlatore, & hæc dicitur à quibuſdam iuſtitia legalis. Vel eſt particularis, puta in aliquo particulari determinato, pertinente ad legem, rectitudo ad alterum: & hæc ſecunda ſubdividitur, quia vel poteſt eſſe ſimpliciter ad alterum, vel ad ſe quaſi ad alterum, &c.

Digitized by Google

ACTIO I.

Quid Ius?

Breviarium.

N. 1. *Cur Ius hic præponatur Iuſtitiæ?*
2. *Ius in Pandectis quid? Æquum & bonum quid? Conſultus Ariſtot. ex 2. Moral.*
3. *Definitio iuris apud Ethicos ſpeculativos carpitur.*
4. *Propria authoris explicatio.*
5. *Objectio ſolvitur: Prælatus regularis an habeat jus in ſubditum, nec ne?*
6. *Objectio altera ſolvitur. Quid ſit primum in iure?*

1. IAm dixi in Prologo commu- nem titulum hujus negotii apud Authores eſſe *de iuſtitia & iure*: quod autem ego de jure ante juſtitiam agã, allegare poſſem pro me Ariſtotelem, qui conſultò monet agentes de potentia, (idemque eſt abſque dubio de habitu,) debere exordium ſumere ab objecto, à quo illa ſpecificatur. Etenim (exempli ergo) qui auditum definire volet, non putet ſe muneri ſuo ſatisfacere, ſi anfractus ac meatus hujus membri deſcribat, id enim eſſet aurem explicare, ſed debet dicere quòd ſit ſenſus perceptivus ſoni, aut quid ſimile; atque ita aliquis ante me egit hic prius de jure, quod tamen ego non auſim approbare factum, nam non eſt paritas ſive exercitium doctrinæ Peripateticæ in præſenti, non enim objectum juſtitiæ eſt ius ſicut obiectum auditus eſt ſonus. Etenim iudex v.g. cuius eſt quàm maximè iuſtitiam adminiſtrare per ſententiam ſuam non dat parti ius in rem controverſam, ſed ipſammet; ſicut etiam exequutor ſententiæ realiter ac materialiter ipſam apprehendit, neuter autem dat ius, ut nec dare poteſt, niſi fortè res ſit alicuius ipſorum. Quia tamen obiectum iuſtitiæ involvit ius tanquam concretum, cuius illud eſt forma, (unde à quibuſdam dicitur iuſtum, de quo infra,) meritò præponitur ius explicatum iuſtitiæ explicandæ, quia illud eſt aliquid obiecti eius, quod enim iudex & iuſtitia vult facere, eſt dare unicuique in id quod habet ius, quibus de ratione ordinis præmiſſis.

2. Quoad *quid eſt* iuris, vix eſt inter Authores controverſia, fortè tamen inter omnes (antiquiores ſaltem) eſt error, qui non ab omnibus deinde eſt agnitus: nunc ut celebre punctum pro meo more varietate aliqua adſpergam, primùm profero ipſum ius ſe prodens & exponens. Pandectæ enim in principio ſtatim docere nos incipiunt, quòd ius ſit *ars boni & æqui*: quem locum enarrans Acurſius cenſet *aliud eſſe bonum, & aliud æquum*. quod ſi verum ſit, tum ius non erit hic definitum, imo nec definibile, quia nec unum, quùm non ſit unius obiecti. Donatus Grammaticus, *Ius* (inquit,) *eſt quod omnia recta & inflexibilia exigit: æquitas eſt quod multum ex iure remittit*: Hinc Terentius: *Non eſt neceſſe ſævire patrem, hoc eſt ſuo iure agere*: Per quæ, *Terentius*, (Donati iudicio,) *eleganter oſtendit ius non niſi in neceſſitate eſſe ſervandum*. Sed & Ariſtoteles opponit ius æquo bonoque, apud ipſum enim *Epikes*, eſt emendatio iuris ſcripti, quod ipſe *Dicæon* appellat: cui etiam favet vox illa vulgi: *Summum ius, ſumma iniuria*. Sed & ea eſt æqui bonique natura, *ut legis qua parte deficit ob univerſale, emendatio ſit*: Unde etiam idem vult *Leges eſſe inſtar Lesbiæ normæ*, de qua infra hic Apolog. 7. Act. 1. num. 4. ex ipſo: qui ibidem concludit quòd *æquus & bonus vir non eſt exactus iuris exequutor, habitusque ipſe æquitas, quæ quidem iuſtitia quædam eſt*. Ariſt. 5. Ethic. 1.

5. Sed relinquendo hæc amœnitati, apud ſpeculativos noſtros recepta dudum definitio eſt, quòd ius in præſenti ſit, poteſtas legitima ad rem aliquam obtinendam, vel ad aliquam functionem, cuius violatio iniuriam conſtituit: ut ſupra in terminis diſpoſui. Ita enim paſſim ſcriptores hodie, ſed niſi erro non exactè; produci enim poteſt inſtantia in contrarium, quia ſuperior Regularis habet legitimam poteſtatem in ſubditum ſuum, & in multas functiones circa illum exercendas, nec tamen habet ius in illum, ut loquimur hic rigidè & ſtrictè, quia non tenetur ei ſubditus ex iure quod iuſtitiam conſtituit, ſed ex promiſſione aut voto: Ex quo oritur quòd ſi inferior deſit ſuo muneri, non tenetur ad reſtitutionem. Imo caſus eſt in omnibus ſubditis, qui politicè tantùm, non etiam deſpoticè ſubduntur alicui, v.g. cives gubernatori, nobiles Principi, & omnes cuicunque legislatori, hi enim omnes ſubſunt aliis iam dictis reſpectivè quoad multas functiones, & alii habent legitimam poteſtatem in eos ad iſtos fines, nec tamen habent huiuſmodi ius.

Reſponderi tamen poteſt pro ſic definientibus, proviſum eſſe omnibus his exceptionibus per ſequentem particulam, *cujus violatio iniuriam facit*, nam contraventio ab inferiori facta ſuperiori Regulari, vel à civibus magiſtratui, &c. non conſtituit iniuriam. Audio & nego proviſum eſſe definitioni per hæc quæ ipſa adferunt ei maculam; erratum eſt enim in his addendis, quæ non poſſunt definitionem explicare, quùm ipſa potius explicanda ſint per aliud. Iniuria enim eſt violatio iuris, adeoque ut ſciatur quid ſit iniuria, debet prius ſciri quid ſit ius. Vrgeo exceptionem, etenim ineptè ageret qui vellet explicare nobis lucem, dicendo quod ſit qualitas cuius abſentia tenebras facit: aut, (quod ferè idem eſt,) viſum dicat eſſe illam, cuius defectus facit cæcitatem; quùm non poſſim capere quid ſint tenebræ niſi prius conceperim quid ſit lux aut lumen, neque cæcitatem niſi poſtquam didici quid ſit viſus. Ita enim non poſſum intelligere quid ſit iniuria, niſi prius intellexero quid ſit ius, cuius ratio à priori eſt quod illa ſit privatio huius, omnis autem privatio per habitum cognoſcenda

Digitized by Google

gnoſcenda ſit; nec enim negotium hoc cognitionum, aut omnino ullum poteſt incipere à nullo aut nihilo, cujuſmodi eſt negatio ac privatio. Videantur, ſi placet quæ notavi in *Metaph.* Apolog. ult. & penult. de *Ente irrito & nihilis.*

4. Jam quando expector ipſe aliquid concluſurus, fateor hîc facilius eſſe aliena carpere, quàm aliquid ex ſuo ſtatuere quod non poſſit etiam carpi. Unde primus modus hoc decidendi viſus eſt mihi nihil dicere; etenim hoc quod eſt *Ius*, ex illis eſt quæ ſupra ſæpe in præcedentibus Tomis dixi concipi facilè poſſe, explicari non poſſe. Veniat enim qui volet & incipiat mihi exponere quid ſit gaudium? quid triſtitia? voluptas? dolor? quid ſignificamus quum dicimus, habeo tibi gratias? aut (ſi deſcendamus ad externa,) quid eſt, *propino*? Et revera id ipſum eſt in primis qualitatibus quæ ſenſu percipiuntur, nam quamvis Ariſtoteles tentaverit explicare quid ſit color? & lux? ſed neminem unquam docuit quod ipſe neſcivit, imo nec quæ ſcivit, quia non potuit verbis extra proferre naturalem definitionem, & ingenitum conceptum horum.

3. de Anim. c. 7. & 8.

Quia tamen hoc non eſt reſpondere, quum ſit non reſpondere: Dico poſitivè ius eſſe poteſtatem diſponendi de re aliqua tanquam ſua: quo loco volo ly *tanquam* non ſignificare ſimilitudinem ſed proprietatem, quod facit ly *quaſi* ibi, *Vidimus gloriam eius quaſi unigeniti à Patre.*

Ioan. 1.

Commendatio hujus definitionis eſt conceptus naturalis quem quiſque apud ſe format & experitur de Τὸ *Ius*, eſt enim iſte ut cuique ex ſe conſtat. Non addidi *legitima* ut fecit communis definitio ſupra, quia ius prius eſt lege, quum & ipſe legiſlator habere poſſit ius, & verò debeat. Deus etiam habeat præſtantiſſimum ius, quod tamen nulla lege potuit accipere, ſed ſolâ naturâ rerum, id eſt ſua & creaturarum. Non enim ſibi ille quidquam dare potuit, (quis enim poteſt?) nec alius, quia nemo ante ipſum res poſſedit. Atque (ut hic id addam quod ſupra dicendum fuit,) hæc inſtantia Domini Dei iterum infringit communem definitionem, nam Deus ſine dubio habet ius in omnes res mundi, *quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*, & nos tamen abutendo illis, ſive etiam utendo contra eius voluntatem non facimus ei iniuriam, neque peccata per reſtitutionem delemus, ſed per pœnitentiam: Vide dicenda Tomo 4. ſequenti.

Fateor tamen, ad hoc dici poſſet, quòd ſpectatâ naturâ rei faceremus Deo iniuriam, nunc autem ideo non facimus, quia ipſe id non vult, nec objicit nobis ſervandum aut violandum, niſi dominium juriſdictionis, & nequaquam dominium proprietatis, quod ſolum facit iniuriam, quùm contingit illud violari. Sed hoc alio ſpectat, ac proinde expectandum eſt loco iam citato: interim contra definitionem duo mihi videntur

5. Obiici poſſe, primum quod videatur relabi in defectum, cuius accuſavimus communem definitionem, ut patet applicanti inſtantiam quam contra illam allegavi; nam ſuperior Regularis & Magiſtratus habent poteſtatem diſponendi de ſubditis ſuis, & tamen non habent ius, ſive titulum iuſtitiæ de quo hic, adeoque. Antecedens oſtenditur, quia prælatus poteſt ſubditum hinc alio transferre, & aliunde huc item imponere hoc aut illud officium; quid autem eſt diſponere niſi hoc ſit? Magiſtratus autem & Princeps politicus poteſt de vita ſubditorum diſponere, hic enim conſcribit eos milites, militare autem clarum eſt quod ſit vitam exponere, adeoque. Reſpondeo tamen aſſumi falſum, non enim poteſt abſolutè diſponere de ſubditis aut unus, aut alter; non poteſt deſtruere, non poteſt vendere, imò nec torquere eos aut afficere moleſtia ſine cauſa, &c. quæ tamen omnia poſſet ſi potuiſſet diſponere de illis tanquam verè ſuis, ut patet in iumentis & in verè ſervis, ne quid dicam de rebus inanimatis.

Inſtabis, non eſſe opus toto iſto, nam hoc quod nos ultra fatemur, videtur verificare definitionem de ipſis, v.g. transferre de loco ad locum, hoc enim eſt diſponere, idque de eo facit, quia eſt ſuus. Reſpondeo neque illam eſſe plenam diſpoſitionem, ſed accidentalem, tam phyſicè quàm moraliter, neque ſubditum eſſe *ſuum*, reſpectu prælati. Quo loco repero quod alibi videor monuiſſe, linguam Latinam, & à fortiori alias laborare vocum penuriâ, & proinde cogi ad impropriè loquendum: in propoſito enim illa pronomina, quæ fateor ipſe in regulis Grammaticis eſſe poſſeſſiva applicat rebus non poſſeſſis. Quod ut credatur, profero exempla, in quibus tranſvertit ſignificationes illorum, & applicat ex diametro oppoſitis; dicit enim apud ipſam ſervus quiſpiam, *Dominus meus*, dicit item creatura: *Deus meus*, quum tamen dominus non ſit ſervi, ſed ſervus domini, & multò minus Deus pertineat ad creaturas, aut poſſideatur ab illis; ita hic dico illud *ſuum* impropriè eſſe poſitum.

6. Obiici alterum poteſt à priori: Nam datur aliquid prius ſignificato huius definitionis, adeoque illa non definit, quia definitio debet eſſe ex primis. Antec. patet, quia poteſt reddi ratio cur quis poſſit diſponere de re aliqua, eſtque, quia habet ius in ipſam, ideo enim diſponere poteſt, ergo iam ius eſt aliquid prius, eò quòd hic dicitur, adeoque non eſt ipſum. Reſpondeo, ſit cauſa, & ſit ratio, non obeſt, quia eſt cauſa, & ratio formalis, ſicut poteſt reddi ratio aliqua cur Petrus v. g. ſit animal rationale, reſpondendo quòd ideo ſit talis, quia eſt homo: vel, ut voles ex adverſo reſpondendo quòd ideo ſit homo, quia eſt animal rationale, & tamen omnium confeſſione bene definitur homo quòd ſit animal rationale.

Si quis tamen vellet hæc & alia evadere, & adhuc ſuccinctus rem expedire, poſſet definire ius dicendo: Ius eſſe quod facit rem meam in exemplo, vel tuam, &c. reſpectivè. Hanc ideo approbo, quia videtur exprimere verbis definitionem quam natura nobis indidit de hoc termino *Ius*, ut quiſque experitur, adeoque.

* * *

ACTIO II.

Digitized by Google

ACTIO II.

Quid Iuſtitia?

Breviarium.

N. 1. *Iuſtitia vox æquivoca apud Authores, & quibus ſenſibus.*

2. *Definitio Metaphyſica juſtitiæ reprehenditur pluries.*

3. *Aſſignatur alia partim ex Auguſtino, an voluntas ſit Iuſtitia?*

4. *Objicitur contra, & reſpondetur reus patiens an exerceat juſtitiam?*

eſſ. der. ner. in. 1. IUris & Juſtitiæ acceptiones latè & libenter Rec. ad quos proinde poſſem Lectorem remittere, niſi deferendum eſſet Scripturæ, quæ ſingularem imo univerſalem ſignificationem huic voci imponit: apud ipſam enim non ſignificat unam virtutem, ſed omnes, & in ſumma, ipſam ſanctitatem, ut
.91. paſſim legere eſt in Lege & Evangelio: *Juſtus*
5. *ut palma; Iuſti autem in perpetuum vivent.* Et atten-
th.6. *dite ne juſtitiam veſtram faciatis*, &c. & aliis ſexcentis, quorum numerum adferre non expedit, ſed rationem. Videtur autem aſſignari poſſe illa
an.3. apud S. Joannem: *Peccatum eſt iniquitas*, græcè ἀνομία, id eſt irregularitas aut obliquitas, quod quia eſt indefinitum ſeu univerſale, ſequitur virtutem etiam univerſaliter poſſe dici rectitudinem ſeu æquitatem, quod idem eſt ac juſtitia. Cæterùm, ne quis improprietatem ullam in hac Biblica ſignificatione ſuſpicetur, ſciat eam apud alios etiam inveniri. Ariſt. 5. Ethic. in eodem ſenſu nomine *juſtum* utitur, & innuit eſſe utendum. Eſt etiam Juriſconſultorum, apud quos *juriſprudentia* definitur *Divinarum humanarumque rerum notitia.* Vides jus ſive juſtum omnia omnino complecti, tam humana quàm Divina.

2. Quibus præmiſſis, circa juſtitiam faciam quod de jure feci, expendam ſcilicet communem & receptam ejus definitionem: Eſt autem iſta, quam authores ab Ulpiano ſumpſerunt, & D. Thomas approbat, etiam exponit:
ſtitia. *Iuſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cui-*
tuſt. *que tribuendi*: Dicam breviter quæ mihi contra
re. eam oborta ſunt, quando alii tam effuſi ſunt
q. in illius laude: Primò enim eſſe *conſtantem* non
rt. 1. videtur eſſe de ratione voluntatis juſtæ, & multò minus *perpetuam*, nam velle dare ſuum cuique, tametſi uno inſtanti eſt actus virtutis, certè autem non alterius quàm juſtitiæ, adeoque jam habetur juſtitia ſine conſtantia. Et verò quis neſcit aut neget in gratiam Ulpiani, vel etiam D. Thomæ, quòd actus vitii, licèt parum durent, v. g. pravus conſenſus in voluptatem aut vindictam ſit peccaminoſus, licèt raptim volet, & tamen nihil minus eſt quàm conſtans aut perpetuus, quidni ergo? &c. Deinde quàm propriè dicitur juſtitia eſſe voluntas? accidens inhærens potentiæ vocatur ipſa? Quis ferat me definientem artem ſaltatoriam, quòd ſit pedes aut crura? & tamen illa ars tota eſt in pede aut crure. Tertiò auſim dicere non eſſe verum, quòd juſtitia tribuat jus ſuum ulli, non enim illa poteſt dare ullum non habenti, nec auferre, ſed id tantùm præſtat quod curet vel optet illa omnibus aſſignari, in quæ jus habent, quod patet eſſe diverſum. Nec refert ſi dicas illam orationem poſſe facere hunc ſenſum, quia in definitionibus ſicut in teſtamentis oportet ſiccè & propriè loqui, non autem per tropos. Quartò quæro num iuſtitia velit ipſi iuſto ius ſuum reddere, an non? Si non, iam non vult *cuique* reddere: ſi ſic, iam illa non eſt ad alterum: Quo nomine poſſem etiam quintò eam pulſare, quia hunc ordinem ad alterum omittit, quùm ſit ipſe character huius virtutis, & ſingularis differentia ab aliis: Denique ſimile eſt quod obiici poteſt de æqualitate; Juſtitia enim vel maximè attendit æqualitatem, & hic tamen in tam ampla ac Rhetorica definitione nihil auditur de æqualitate: Hanc replicam pono ad homines, ſive ex adverſariorum ſenſu, quid enim ipſe ſentiam, infra aperiam.

3. Hos nodos dum mihi ſolvunt periti Juris, atque etiam ſecundæ ſecundæ, ſtatuo ipſe hanc iuſtitiæ definitionem, ut ſit: Proprium principium ſuum cuique aſſignandi: Hæc nullius Lib. 13.
eſt ante me, quod ſciam, niſi fortè debeatur Civit.
ex parte Auguſtino docenti illam eſſe virtutem cap. 2.
quæ ſua cuique diſtribuit: ſed intereſt quod Auguſtinus de ſuo dubia aliqua poſitivè aſſerit, à quibus mea definitio abſtrahit, ut patebit explicatione eius. Dixi enim iuſtitiam eſſe proprium principium, ne inciderem in lapſum Ulpiani, & putarer credere quòd voluntas ipſa eſſet iuſtitia. Eſt quidem voluntas principium aſſignandi ſuum cuique, at non proprium, quum ſit etiam multorum aliorum actuum principium amandi, ſperandi, temperandi, obediendi, &c. proprium ergo erit habitus ad hoc deſtinatus.

Dices impoſſibile eſſe ſubterfugere, quo minus voluntas ſit iuſtitia, ſive excludere illam univerſaliter à ratione iuſtitiæ: Etenim divina voluntas eſt divina iuſtitia, non enim datur in Deo habitus. Reſpondeo tamen definitionem adhuc ſtare, & particulam illam verè ac neceſſariò ei eſſe incluſam, quia nimirum virtus iuſtitiæ, ſicut & aliæ omnes ſunt identificatæ voluntati divinæ ob eius perfectionem: quum ergo voluntas illa ſit non tantum virtuoſa, ſed ipſa virtus, iam eſt etiam proprium principium hoc præſtandi. Inſtabis, illa voluntas ſicut & aliæ eſt commune principium huiuſmodi actuum, ergo non proprium. Sed nego conſequentiam, vel diſtinguo conſequens, aut

potius

potius probationem eius quæ expectanda erat iſta: nihil proprium eſt commune: nihil idem realiter nego, nihil idem formaliter tranſeat, quia non nocet. Divina voluntas habet rationem potentiæ, & iterum rationem habitus; ſub prima eſt commune principium illius actus, ſub ſecunda eſt proprium.

Adhuc tamen urgeri poteſt ſic: Non poteſt proprius actus & determinatus elici ſine proprio principio; poteſt autem actus juſtitiæ ſine habitu elici, nam primus actus non elicitur ab habitu; quum habitus potius generetur ab ipſo. Reſpondeo hoc argumentum non eſt proprium huius loci: nec mihi tantum, ſed omnibus ſolvendum; nemo enim eſt qui neſciat habitus in ſpecie eſſe principia propria talium actuum in ſpecie; & tamen nullus actus eſt præter illos Theologicarum virtutum qui non poſſit elici, imò debeat ſine habitu: propter quod tranſeo replicam hanc ſine ulteriori ſolutione; ſed tum quæri poteſt quid hic denique definiatur potentia? an habitus? an aliud quid? Reſpondeo in terminis poſitis definitum eſſe habitum, id enim fecit Ulpianus quem correxi, nam *conſtans & perpetua voluntas* non eſt niſi ab habitu, ut bene D. Tho. intellexit, & ex illo Scoto. Si tamen habere quis velit definitionem utrique competentem quoad hoc, dicet, quod ſit principium aſſignandi ſuum cuique. Si etiam velit habere definitionem quæ competat indifferenter tam habitui quam actui, dicat, Juſtitiam eſſe ſuum cuique aſsignare, nam τὸ *aſsignare* indifferens eſt ad actualem & habitualem aſsignationem.

4. Objici tamen adhuc poteſt contra definitionem. Charitas eſt principium dandi ſuum cuique; non enim ſtat quod diligam Petrum, v.g. & quod nolim dare ei ſaltem ſuum: Reſpondeo charitatem eſſe principium huius, at non proprium, quia eſt multorum præterea: diſtinguo ergò antecedens, actu elicito, nego, imperato concedo. Quando ergò Charitas ad hoc agendum tendit, utitur operâ juſtitiæ, ſicut ipſa voluntas quodammodo.

Objicies ſecundò: Reus qui patitur pœnam inflictam judicis ſententia ob ſuam culpam, exercet juſtitiam, & tamen nihil dat: ergò. Reſpondeo: imò multum dat quia dat parti læſæ ſatisfactionem, v.g. in talione quando ei qui alicui oculum eruit, alius eruitur, atque ita quandam æqualitatem ponit inter partes, id eſt ſe & læſum quando quoad hoc fiunt pares. Deinde etiam ob hoc ipſum in definitione poſui potius aſſignare quam dare aut tribuere, illud enim ſola voluntate præſtari poteſt, iſta non æquè. Ex quibus videas Juriſconſultos & Rhetores minus aptos eſſe ad cudendas rerum definitiones ad canones & amuſſes earum, nam etiam illa M. Ciceronis eſt potius encomium quam explicatio juſtitiæ, quod ſcilicet *Iuſtitia ſit ratio qua ſocietas hominum inter ipſos & vitæ communitas continetur*. Quod tamen vix eſt admirandum, quum etiam Ariſtoteles hic lapſus eſſe videatur: nam juſtitiam definivit quod ſit *habitus juſtorum operativus*, planè ſicut olim *qualitatem* definivit quod ſit *id quo quales dicimur*. Ex quibus & ſimilibus vix unquam aliquid diſcitur, quum fere idem explicetur per ſemetipſum, & proinde ſciri debeat antequam addiſcatur.

ACTIO III.

Explicat adhuc amplius Iuſtitiam.

Breviarium.

N. 1. Iuſtitia non neceſſariò eſt ad alterum Theologicè oſtenſum.
2. Ethicè oſtenſum.
3. Poteſt actus juſtitiæ exerceri circa ipſum agentem.
4. Objectio ſoluta. An quis poſſit eſſe ſibi iniurius.

1. ODi eorum methodum qui difficultates diſsimulant, & ſuffocant potius quam ſolvunt, quia quum aliqua premuntur, ſtatim diſtinguunt de proprio, & improprio, depreſsè & largè ſumpto &c. Unde profiteor me hic arctum tendere, & loqui de verâ ac propriâ juſtitiâ quæ jus reſpicit etiam ſupponit, ac de hac

Dico primò: juſtitiam non neceſſario eſſe ad alterum in ſuppoſito. Hæc videbitur nova quibuſdam, & impingere ſtatim in limine tanquam faciat contra prima principia Ethicæ, in quâ nihil magis decantatum eſt quam juſtitiam eſſe ad alterum, ut videas apud Ariſt. & D. Tho. paſsim: non caret tamen fundamento Subtilis, & proinde probatur Theologicè in primis quia inter Deum & Chriſtum fuit vera juſtitia; ſed inter ipſos non fuit diſtinctio ſuppoſitorum, ergò jam ad juſtitiam non eſt neceſſaria diſtinctio ſuppoſitorum. Majorem ſuppono non probo, eo quod ſit extranea huic loco, in quo ſufficit quod ſit multorum ex illis qui concluſionem non tenent; & tamen eâ ſive probatâ, ſive conceſsâ concluſio eſt aſſerta per hanc rationem, ergò.

Dici poteſt Minorem eſſe falſam, quia in Deo eſt Trinitas ſuppoſitorum in Chriſto autem non, adeoque inter ipſos hinc inde eſt diſtinctio ſuppoſitorum. Reſpondeo: ſine dubio in Deo eſſe ſuppoſitum diſtinctum ab illo Chriſti, quum in illo ſint tria, in hoc unum tantum; at non proinde replicam prævalere, quia juſtitia Chriſti interceſsit non ſolum inter cætera ſuppoſita, ſed etiam inter illud quod ipſe Chriſtus fuit, puta inter illud Verbi, nam Chriſtus D. pro nobis ſatisfecit toti Trinitati, id eſt tribus perſonis, ex his autē una fuit illa in quâ ipſe ſubſiſtebat, adeoque ſatisfecit ſibi, ex quo ſequitur quod ad ſatisfactionem quæ eſt actus juſtitiæ non requiritur diſtinctio ſuppoſiti.

2. Quia tamen verſamur in Ethicâ, hæc autem ratio eſt Theologica ſaltem ſic formata, eam alio transfero, ſupponendo tamen principia Chriſtianæ philoſophiæ quod ſcilicet perſona creata poſsit aſſumere hypoſtaticè aliam naturam, v.g. Petri illam Pauli; quo ſuppoſito probabiliſsimè, quia nimirum eſt multorum

Digitized by Google

poſt Subtilem, ſic arguo: In eo caſu poſſet eſſe actus juſtitiæ, & actio juridica aut, (ſi ita voles) juſtitialis Petri ad Paulum; & tamen tunc non eſſet diſtinctio ſuppoſiti inter Petrum & Paulum, ergò ad juſtitiam, atque eius actionem non eſt neceſſaria diſtinctio ſuppoſitorum, quod fuit probandū. Major huius ſi redigeretur in praxin, non egeret probatione, nemo enim eſt qui non cenſeret Paulum tunc debere ſolvere debita accepta à creditore Petro, & viceverſâ, ac ſimilia adeoque. Et ſi fortè protervìat aliquis ad quidquam horum negandum:

Arguo tertiò per rationem omnium à priori, quia nimirum ad juſtitiæ adminiſtrationem quod refert eſt diſtinctio dominiorum, ut patet in patre & filio, domino ac ſervo: qui licet ſint plures perſonæ, ſed non ſufficiunt ad juſtitiam quia non habent plura dominia, in tali autem caſu foret diſtinctio dominiorum in aſſumente & aſſumpto, ſive inter ſuſtentantem & ſuſtentatum, adeoque. Minor, ſi negetur, probatur, quia eſt diverſitas voluntatum, hæc autem, dico voluntas eſt ſubiectum dominii, adeoque ubi plures tales ſunt, ſunt plura dominia, ſaltem poſſunt eſſe. Confirmo, voluntas eſt quæ exercet dominium, ergò illa eſt quæ ipſum habet, utique enim in eo eſt actus primus in quo eſt ſecundus alicuius: Antecedens autem oſtendo quia voluntas eſt quæ diſponit de re aliquâ donando, commutando &c. Confirmo adhuc quia injuria fit ratione voluntatis, puta quia res aliqua aufertur invito domino, ergo jus eſt in voluntate, quia injuria eſt læſio juris.

Pergo, quando eſt una voluntas & natura, non poteſt exerceri juſtitia, tametſi ſint plura ſuppoſita, ergò ad exercitium juſtitiæ nihil referunt ſuppoſita, ſed ſola natura: Patet antecedens in divinis, nec enim Pater v. g. poteſt donare aliquid Spiritui Sancto aut viciſſim, quia ambo imò omnes tres ſunt *unus dominus*, ut notavit Athanaſius in ſymbolo, & ante eum Apoſtolus: ſicut ergo nemo unus poteſt facere ſe iterum dominum alicuius rei transferendo jus in ſe, ita &c. jam ad ulteriora pergendo.

3. Dico actum juſtitiæ poſſe verſari circa ipſum juſtum, ſive eum qui actum exercet. Hæc habet aliquid ſingularitatis, ſed quantum id refert ſi habet tantundem veritatis? certe autem habet aliquid Subtile, ſive Scotiſticum, nam vulgata doctrina Scoti eſt quod *mihi & tibi* non variant rationem formalem ullius actus, adeoque quicunqui verſari poteſt circa unum, poteſt circa alterum. Ita ille.

Præterea idem, & poſt ipſum alii docent quod quælibet virtus optet honeſtatem ſuam in quocunque ac non tantum in habente ipſam; & denique docet pœnitentiam eſſe talem actum, id eſt juſtitiæ in ſemetipſum; tenet enim quod pœnitens eſt exequutor juſtitiæ vendicativæ Dei in ſe: quia *unicuique commiſſum eſt eſſe miniſtrum Dei ferentis legem ſuam ad vindicandum in ſe ipſum.*

Probabo hanc in primis ad hominem, quia nimirum juſtitia legalis eſt vera & propria juſtitia ſecundum plures ex illis qui negant concluſionem, hæc autem tendit in ipſum juſtum, adeoque vera juſtitia abſque omni improprietate & tropo. Antecedens apparet in Mich. Salon. Martin. Becano, &c. Minor autem inde, quia juſtitia legalis eſt partis ad totum; at verò in toto eſt illa pars, ergò iam ille tendens in totum tendit in ſeipſum juſtum. Caſus eſt quando aliquis cooperatur ad ſecuritatem Reip. vel civitatis totius, atque omnium eius civium, eo enim ipſo cooperatur ad ſecuritatem ſuam: Si ergò poteſt eſſe verus actus juſtitiæ in aliquo erga totum cuius ipſe eſt pars, certè poteſt eſſe erga ſe ipſum, atqui id eſt poſſibile ſecundum adverſarios, ergò & iſtud.

Probo iam abſolutè intentum: nam quando poſtulo vindictam ex eo qui me læſit, exerceo actum juſtitiæ quia utor meo jure & pono æqualitatem inter partes, ſive conor ponere, & tamen hic actus tendit in me ipſum, ergò iam actus aliquis juſtitiæ poteſt tendere in ipſum iuſtum. Quæ ratio augeri poteſt ſi ſupponamus caſum eſſe in materiâ in quâ quis non poſſit omittere vindictam, v. g. in læſione vel ablatione famæ; ſi enim, (ut probabiliter tenetur) homo non ſit dominus ſuæ famæ, iam tenetur poſtulare vindictam, vel reparationem eius, adeoque habet debitum exercendi hunc actum, atque ita nihil ei deeſt ad juſtitiam. Idem eſt quando creditor urget debitorem ut ſolvat.

Dices, in his & ſimilibus non eſſe eundem ubique, ſed intervenire duos. Et ego id ipſum dico, adhuc tamen ſtat quod actus juſtitiæ feratur in ipſum juſtum, nam procurat ſibi ſolutionem; & lucrum adquirendum eſt ipſi. Cæterum non intendo dicere quod ullo modo poſſit fieri, aut haberi actus juſtitiæ ab eodem in eundem ſtatim, vel ſufficere ei unum, quum illi ponat ſemper æqualitatem, quæ non poteſt haberi niſi inter plures. Et redeundo ad concluſionem probari poteſt contra adverſantes ex eorum definitione, ut ſupra notavi contra ipſam, nam juſtitia jus ſuum cuique tribuit, etiam juſto, quum hic ſit aliquis.

Et ne ſubterfugiat reſpondens dicendo eſſe loquutionem accommodam, ſicut dici ſolet quod ſal ſapit omnia, &

quod tegit omnia cœlum. *Ovid. l. Metam.*

Quum tamen non tegat ſe ipſum; arguo ſic contra eum: Actus quo volo ut omnes habeant & accipiant quæ ipſis debentur, eſt actus juſtitiæ, eſt enim ipſum exercitium definitionis ipſorum, quæ eſt, conſtans voluntas ſuum cuique tribuendi; ſed hic actus fertur in ipſum juſtum ſive volentem, quum ſit unus ex omnibus, & ſine ipſo non poſſint omnes habere ſua, adeoque.

4. Quæ contra obiici poſſunt, iam ſoluta & præventa ſunt: unum diſponam in forma ſic. Juſtitiæ actus eſt dare, ut patet ex definitione, nemo autem ſibi dare poteſt, ergò nec eſſe juſtus ad ſe. Addam adhuc unum; implicat aliquem ſibi facere iniuriam, ergò & facere ſibi jus aut juſtum, utique enim circa idem verſantur iſta oppoſita. Secundum hoc magis premit; primum enim facilem habet ſolutionem. Eſt quidem juſtitiæ dare ſuum cuique, at non ſolum hoc illius eſt, ſed etiam procurare ut detur. Iudex quàm maximè iuſtitiam adminiſtrat, & tamen nulli dat, ſed tantum pronuntiat dandum. Ita hic: Deinde quidni dicam aliquem poſſe ſibi dare: Quum herus non ſolvit, licitum eſt famulo ex burſà eius accipere ſtipendium ſecundum communem; id ſi faciat, dabit ſibi: Verum eſt id ab eo fieri loco aut vice alterius, nec illum hic habere dationem niſi materialiter, quia moraliter non dat quum non habeat dominium antecedenter, ſed interim utcunque dat.

Ad

Digitized by Google

Ad ſecundum autem nego conſequentiam quamvis videatur clara: Cauſa negatæ eſt diſparitas iſta, quia nimirum ad faciendum juſtum homo tantum debet eſſe volens, quod facile eſt quando vergit in ſuum commodum, ut hic quùm quis utitur ſuo jure; ad faciendam autem injuriam debet quis eſſe invitus, & licet hoc facilè fieri poſsit, tamen non poteſt fieri ut quis faciat aliquid invitus, eſſet enim tunc volens & nolens idipſum, quæ contradictio moralis eſt tam implicans quam Metaphyſica ulla, ſicut eſt etiam affirmare & negare aliquid in intellectu.

ACTIO IV.

Comparatio Juſtitiæ ad alias virtutes.

Breviarium.

N. 1. *Juſtitia virtus multis laudibus celebrata.*

2. *Non eſt abſolutè aliis moralibus melior*
3. *Objectio: Martyrium quanti æſtimandum?*
4. *Præfertur Juſtitia cæteris moralibus; & quomodo?*
5. *Abſolutus exceſſus eſt penes alias.*
6. *Objectiones aliquot pro Juſtitia.*
7. *Alia adhuc: ubi de malitia adulterii.*

1\. ILlæ cataractæ laudum quas aliqui effundunt in Juſtitiam cogunt me expendere meritum earum in ipſâ. Ariſtot. & M. Cicero plurimi ſunt in eâ efferendâ & reliquis præferendâ: Prioris eſt eulogium illud quod *Juſtitia tanto eſt cæteris rutilantior quanto Heſperus eſt aliis ſtellis*, quem ſecutus Cicero ait *in juſtitia virtutis ſplendorem eſſe maximum*. Ego alius ab utroque, puto dubitari poſſe non ſolum an Juſtitia ſit ſumma virtus? ſed an omnino talis ſit, propter rationem infra aſſignandam; quæ etiam cauſa fuit cur Act. 1. in definitione Juſtitiæ non poſui pro genere virtutem: Interim loquendo ut ajunt cum multis, examinabo comparativè negotium, & vel maximè comparabo eam ſociis ejus, ſcilicet Temperantiæ & Fortitudini, nam Theologicis certum eſt quod cedat, itemque Religioni, quam difficulter continebis ne evadat Theologica. Itaque liberam ſententiam ferendo, quia Subtilis non videtur rem in his terminis tetigiſſe.

5\. Ethic. 1. lib. offic.

2\. Dico primò, Juſtitiam abſolutè & ſimpliciter, ſive ex natura rei non eſſe aliis moralibus meliorem, adeoque nec præferendam. Hæc paucos habet patronos præter Buridanſ, qui tamen concluſionem ponit de ſingulis, iſta autem poſita eſt de omnibus, & ſic

Probatur ut extorqueatur confeſſio Adverſariis, etenim illi omnes in eam ſententiam conceſſerunt, vel maximè propterea quod Juſtitia provideat publico bono; quùm aliæ virtutes circa privatum cujuſque occupentur, ut videas apud ipſos qui ſemper hanc rationem in ſcenam referunt: at vero non fuit ſic diſcurrendum, neque ſufficit deductio illa intento, nam natura rei non habet publicum bonum, non eſt neceſſe eſſe Reſpublicas aut Societates quùm homo poſsit ducere monaſticam vitam ſive ſolitariam ut olim tot millia Sanctorum fecerunt, & adhuc faciunt. Adverto autem me in hoc genere non cenſere eos qui hodie eo nomine id eſt monachi appellantur. Nam Regulares quantumcunq; ſeparati vivant, faciunt Remp. & reguntur legibus quoad ſe mutuò; ſed intelligo monaſticam id eſt eremiticam vitam, in quâ nulli duo ſibi cohærent, ſed quiſque per ſe degit, ſicut olim S. Paulus in Thebaide, S. Ægidius. S. Hilarion aliquamdiu &c. quo poſito ſic argumentor: ſi homines ducerent eremiticam vitam juſtitia non eſſet præſtantiſſima virtus: poſſet autem fieri ut talem ducerent, ergò fieri poteſt ne juſtitia ſit præſtantiſsima &c. Hæc tamen ratio patitur inſignem obicem in ſuo ſubſumpto; negandum enim videtur & falſum quod homines poſsint ducere monaſticam vitam, ſive ſinguli per ſe degere, quia tum ſtatim deſineret genus humanum, tum enim non cohabitaret mas fœminæ, atque ita non daretur generatio. Reſpondeo primò genus hominum aliquando deſiturum, atque ita non tolli abſolutam poſsibilitatem imò nec futuritionem caſus. Reſpondeo ſecundò ſimultatem quæ requiritur ad generationem non inferre juſtitiam, quia ad illam debent tantum eſſe ſimul vir & uxor & proles; at vero inter virum & uxorem, inter parentes & prolem non datur juſtitia, ergò. Reſpondeo tertiò ſaltem à reſurrectione & deinceps fore occaſionem caſus, tum enim non nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut angeli Dei: quæ ſententia ſuppeditat mihi quartam ſolutionem, quia nimirū in angelis habetur caſus, qui quum non egeant generatione poſſunt ſoli degere. & tum currit caſus, ſive comparatio juſtitiæ ad alias virtutes.

Arguo etiam ſecundo ſic: Juſtitia procurat alienum bonum, aliæ morales procurant proprium; atqui perfectius eſt procurare ſuum bonū quam alienum, ergò jam aliæ virtutes perfectiores ſunt juſtitiâ. Confirmo; non poteſt dari virtus contra legem naturæ, ſed natura ſemper præfert ipſum operantem alteri, ergò non eſt virtus quæ præfert alienum bonum proprio, ne dum ſumma: Reſpondet aliquis ſi comparatio fiat inter privata bona, argumentum prævalere, ex his enim ſemper præferendum eſt bonum operantis: ſi autem comparetur privatum publico, tum bonum publicum eſſe præferendum, & à virtute, imò etiam à natura præferri; ſic enim brachium elevat ſe quando videt ictum capiti imminere, quia totus homo perit ſi caput amputetur, non item ſi manus. Hoc ſolum obſtat curſui argumenti, unde lentius impugnandum eſt, & directè contra ipſum dico magis amari à quolibet bonū proprium privatum quam commune, idque à naturâ & ratione dictari: Quod probo axiomate illo Philoſophi: *Propter quod unumquodque tale, illud magis tale*, atqui ego v. g. propter me ipſum amo publicum bonum: puta patriam meam, aut Rempublicam talem ergò magis amo me ipſum. Totus ſyllogiſmus eſt apertus, & legitima forma, ut nihil videatur ei deeſſe ad aſſenſum. Minor enim cuique conſtat; nam ſi quærat, cur amem hanc

provinciam? ratio aſſignanda eſt quia ego in ea natus ſum; ecce radicem amoris me ipſum. Explico & confirmo, nam in re controverſâ duo ſunt, & eſſe publicá, & eſſe meam, jam vero quòd cauſa amoris non ſit eſſe publicum, inde conſtat, quia ego non amo alias provincias quæ tamen ſunt Reſpublicæ, & patriæ fortaſſis meliores meâ: adeoque jam cauſa amoris eſt illud *meum* ſive relatio ad *me*, quod proinde eſt principium omnis mei amoris.

3. Objicies, ſi ita ſit, non licebit pro Principe aut Republicâ militare, ſic enim præfertur vita alterius propriæ. Reſpondeo pro vitâ Principis aut eius propriâ ſupellectile ſubditi non putant ſe obligatos niſi forté Reip. ſalus ab eo dependeat. Quod autem pro ipſa Republ. militet non probat eum præferre aliquid ſibi, quia ipſemet eſt pars, & aliquid eius: itaq; tunc præfert ſe & alios ſibi ſoli. Dices hinc haberi quod non liceat pro Deo vitam profundere, quia tum quis præferret ſibi aliquid cuius ipſe non eſt pars. Reſpondeo Deum in hoc eſſe ſolum, neque conſequentiam trahendam ab ipſo ad alia, quia omnia illius jura ſupernaturalia ſunt.

Dicam etiam hic data occaſione quod ſentio contra communem aliorum ſenſum in hac materiâ, eſtque iſtos milites non facere quod putantur, ſcilicet exponere animas ſuas pro alio, neque præferre aliquid ſibi; tum enim id contingeret quando illi ibi cæſi ad nihilum redigerentur: ſi autem neque omninò pereunt, neque perpetuò in illâ ſeparatione manebunt, ſed iterum redibunt id idipſum & recuperabunt totum, jam illi non expendunt ſimpliciter vitas ſed intervallum quoddam illarũ, atq; ita nihil ſibi præponunt, ſed tantũ continuationi ſuæ vitæ præponunt aliquid puta continuationem alienæ, vel ſimile.

Unde revera æſtimanda eſt benignitas Dei qui tanti facit martyres ac martyria, & permitttit dici quod homines pro ipſo aut Chriſto moriantur; quum tamen expreſsè & rigidè loquendo illi non ſubeant ſimpliciter mortem pro ipſo, ſed pro ſua culpa (tametſi originali) aut pro naturæ ſuæ fragilitate; nam quamvis nunquam interceſsiſſet cauſa Dei aut Chriſti, ſed illi erant denique morituri. Non ergò mortem in ſubſtantiâ debet illis Deus, ſed in modo & circumſtantiis, quia jam eſt aliquanto citior quæ tum eſſet tardior, & plerumque eſt acerbior quia eſt violenta quæ tunc
...trus eſſet naturalis. Huius inſigne exemplum fuit ille
...men. ſenex qui jam jam moribundus ex morbo aut ſe-
Mar- nio, ab irruente carnifice pro fide occiſus, martyr
...21. migravit è vitâ, quam alioqui erat amiſſurus.

.& 4. Dico jam ſecundò, ſuppoſita ſocietate ho-
...m. minum & communi vita Juſtitia dignior eſt aliis
9. ad moralibus. Hæc habet amicos omnes ferè, vete-
.742. res poſt Ariſtotelem, Recent. cum S. Tho. & probatur quia Juſtitia procurat publicum bonum, reliquæ autem privatum; at verò bonum totius nobilius eſt bono partis, ergò juſtitia aliis Eſt ratio quam ſupra contra me attuli, & juvare poteſt exemplum ibi allatum de parte, puta manu objiciente ſe periculis ut totum ſervetur: id enim partim eſt inſtinctus naturæ, quia in quolibet animali fit, idque raptim & ſine præviâ deliberatione, naturæ autem ductus eſt certiſsimus: Præterea etiam partim eſt dictamen rationis, quia rationabile eſt totum præferre parti, & maius bonum minori.

Alia probatio ſeu commendatio huius bi- blica eſt, quod D. Deus quum dediſſet legem homini in ſocietate victuro omnia fere præcepta tulit in materia juſtitiæ: tale eſt enim illud *Non occides*, item illud: *Non mæchaberis*: adhuc illud: *Non furtum facies*, & denique tota ſeries noni & decimi: *Non concupiſces uxorem proximi tui, non ſervum, non ancillam, non bovem* &c. Si enim Deus magis ſollicitus fuit de materia juſtitiæ, niſi erro ſignum eſt illam ei fuiſſe chariorem & conſequenter meliorem, illud enim eſt majus bonum quod ſummo bono magis placet: *Bonum quod amat maieſtas divina commendat.* *Exod. 20.* *S. Cypr. lib. de pat.*

Objiciam tamen contra priorem probationem: Quod juſtitia aut aliud procuret publicum bonum facit eam eſſe magis neceſſariam, non autem eſſe magis nobilem, ergò necdum vicit ratio aut concluſio illa, quod ſuadetur exemplo, nam in animali ſenſus tactus eſt magis neceſſarius ad totius vitam quam ſenſus viſus, quod æque certum & adhuc clarius eſt de ſenſu guſtus, qui tamen apud omnes eſt imperfectior viſu, atque etiã auditus adeoque. Diſcurſus etiam poſſet inſtitui in eodẽ animali de vita vegetativa & actibus eius, quæ ſine dubio imperfectior eſt vitâ ſenſitivâ, & multò magis rationali; & tamẽ magis neceſſaria eſt animali quã ſenſitiva, quia ſine exercitio ſenſitivæ poteſt animal vivere, ſine exercitio vegetativæ non item; ad vitam enim opus eſt alimento quod per vegetativam miniſtratur. Dici poteſt quod defectus alimenti non occidat directè hominẽ vel animal, ſed vegetabile, idemque eſſe de ſenſu tactus qui non eſt neceſſarius homini quà talis, ſed animali, adeoque. Reſpondeo omnia hæc eſſe vera proximè, abſolutè tamen eſſe falſa, quia vita rationalis, & multò magis ſenſitiva dependet à vegetativâ pro nunc ut omnes experimur, non enim poteſt mori animal & supereſſe homo in Petro v. g. adeoque defectus vegetativæ occidit animal & hominem, ac non tantum vegetabile ipſum: Ad rationẽ autem reſpondeo quod publicum bonum non reddit aliquid puta actum nobilius phyſicè & entitative, bene autem moraliter quod eſt proprium huius loci.

Sed, inquies, nondum deciſum eſt negotiũ, quia homo poteſt utramque vitã ducere, ſcilicet tam monaſticam quam civilem, & juſtitia non eſt prælata aliis virtutibus niſi ſuppoſito tali ſtatu Reſpondeo proinde illas virtutes ſe habere hic ſicut excedens & exceſſum, nam ſtatus in quo aliæ virtutes eminent eſt ſimpliciter neceſſarius, non enim poteſt eſſe genus humanũ niſi ſic ſit ut poſſint ſinguli taliter apud ſe degere; iſte ergò, ſive facultas habendi eum eſt per ſe requiſitus, alius autem non ſed per accidens, eo quod homines elegerint talem ſtatum puta politicum qui facit ſocietatem, adeoque, ut dixi, eſt per accidens quod exiſtat, qui modus ſemper eſt inferior eo qui eſt per ſe. Ex alterâ tamen parte, quia ex his duobus ſtatibus ſecundus iſte ſocietatis ſive politicus eſt melior, *melius eſt enim duos eſſe ſimul quam unum*, *Eccleſ. 4.* oraculo Spiritus S. proinde quia melius eſt in hoc ſtatu videtur abſolutè præferendum: unde equidem vix auſim ullam partem abſolutè deprimere, aut etiam elevare, ſicut enim inter Sanctos, ita inter virtutes comparatio eſt odioſa.

5. Quia tamen cœpi ab illa parte, quæ minus communis eſt, & alias virtutes præfert, proſequar illam ſic: Ut enim demus Juſtitiam ratione boni publici eſſe præferendam, ut hactenus tentatum, id tamen non ſufficit Adverſ quia juſtitia quæ

pro-

propriè ac directè bonum publicum procurat eſt vindicativa, & legalis, per quas caſtigantur exceſſus, & ſinguli præferunt ſuo bono commune: cæterum enim commutativa recte & proprie fertur in privata bona, & inter illa verſatur: at vero neque legalis juſtitia, neque vindicativa eſt propriè & preſſè talis ſecundum Adv. ſed ſola commutativa; ex quo

Novum argumentum inſtruo non ſolum pro præſenti, ſed pro aliâ priore parte tituli, etenim propriè dicta juſtitia eſt commutativa, reliquæ autem legalis & vindicativa deficiunt à rigore & proprietate hujus virtutis, at vero nemo prudens præfert actus commutationis actibus aliarum virtutum moralium, puta temperantiæ & fortitudinis; num enim perfectius eſt vendere olera in foro quam longam abſtinentiam, etiam inediam tolerare? quam carnem flagellis tundere ut ſpiritus imperet? aut ſimiles alii actus qui homines ad culmen perfectionis ducunt, & denique miracula operantur? minime: imo timendum videtur ne inſtantia vincat quod quæ maxime juſtitia eſt, quam minimè ſit virtus, de quo fuit prima pars tituli, nam præciſe vendere, maxime vilia, vix eſt virtus, ſed inſtrumentum à naturâ datum ad vitæ commoditatem. Quis credat caupones toties habere actum meritorium quoties potum promunt? coquunt olera? dices juſtitiam non conſiſtere in venditione, (quia tunc ſuum dant puta quod eſt vendentium,) ſed in traditione poſtquam res jam facta eſt aliena: ſed contra eſt quod eodem fere recidant, nam vendendo tradunt, & tradendo vendunt: &, ſi hoc ipſum concedatur, tum mechanicæ illæ artes mercatorum & cauponum, erunt ſummè meritoriæ omnium in Reſp. quod quis affirmet? pergo jam in probando: quia inter habitus ſententia debet ferri ex præſtantiſſimis actibus hinc inde, intellige ſibi comparatis; atqui præſtantiſſimi actus illarum virtutum ſunt digniores laude quam præſtantiſſimus actus juſtitiæ: quis enim æquet commutationem ullarum mercium martyrio? vel ſententiam judicis in reum caſtitati?

6. Contra hæc objicere libet conglobata argumenta Dominici à Soto qui oppoſitum ſic probat, primò ratione ſubjecti, quia juſtitia inſidet rationali appetitui puta voluntati, cæteræ autem puta temperantia & fortitudo, ſenſitivo. Secundò ratione objecti, nam virtus eſt circa arduum ac difficile, difficilius autem eſt hominem eſſe bene affectum ad alienum bonum conſervãdum quam ad proprium, ad quod ipſa natura vehementer inclinat, quùm ergo aliæ virtutes inclinent ad bonum ipſius operantis, juſtitia autem ad alienum, fit, &c. Unde Ariſt. 5. Ethic. 1 complures in propriis uti virtute poſſunt, ſed in his quæ ſunt ad alium nequeunt, quia res eſt magis ardua: quapropter probat ſententiam illam Brantis, *Magiſtratus virum oſtendit*: quia exinde homo habet reſpectum ad alios. Tertiò ex effectu juſtitiæ, quùm enim homo ſit politicum animal, natum ſcilicet in ſocietate vivere, illa in eo virtus magis emicat per quam pax publica procuratur. Quartò quia virtus, omnium optima omnibus & omni tempore eſt neceſſaria: talis eſt juſtitia quia in bello & in pace, (fortitudo autem duntaxat in bello,) ut notavit Ariſtot. 7. Polit. 7. Quod confirmare poſſumus Ageſilai ſententia: qui Plutarcho teſte quæſitus quænam harum virtutum præſtaret? reſpondit *nihil fortitudine egeremus ſi omnes eſſemus juſti.* Sed hæc levia ſunt & in ſpeciem tantum: unde nec opus eſt illis ſolvendis immorari; quin ex dicendis diſſolventur: loquitur enim hic domi ſuæ, & domeſticis, qui ponunt morales virtutes extra voluntatem in appetitu materiali, &c.

Objicio ergo ipſe acrius: labefactatâ juſtitiâ totum Reip. corpus corruit, nam quiſque involabit in aliena bona, nemo plectetur, &c. quod tam immane malum non contingit ob intemperantiam aut ignaviam quibus temperantia & fortitudo violantur. Reſpondeo qui hæc objicit non cogitat (quod ajunt) cætera paria, ſed hinc partem, inde totum, & proinde poteſt negari illi totum: expono me; ſi intelligamus omnes eſſe intemperantes ſicut arguens cogitat omnes eſſe injuſtos, dico ſequutura hæc incommoda, aut majora: nam, ſi omnes ſunt ebrii, v. g. nihil proderunt leges, nihil judices: & involabunt in aliena bona non quæcunque ſed etiam Divina.

7. Objicio tertio: oppoſitum juſtitiæ eſt maxime malum, ergo ipſa eſt quam maxime bonum, antecedens patet in homicidio quo infertur ſummum damnum, nec enim homo poteſt plus perdere aut pati. Reſpondeo ita quidem cogitatur negotium communiter, ſed à me non item; non enim reputo homicidium eſſe iniuriam ita proprie: Cauſa quia iniuria alicui infertur, per ipſam enim quis privatur iure ſuo: at vero occiſus iam nullus eſt, atque ita in ipſo nulli infertur iniuria, & nullus privatur ſuo iure. Quæres ergo quid erit? Reſpondeo aliquid peius iniuria, ſed (inquies) tum conſequentia à fortiori curret: Reſpondeo non curret, quia tum non opponetur iuſtitiæ, unde ſequetur non quod iuſtitia ſit magna virtus, ſed quod aliud quidpiam. Contra tamen

Obiicio quartò: ſaltem adulterium eſt contra iuſtitiam, hoc autem eſt maius malum quam ullum oppoſitum temperantiæ, ergo. Reſpondeo nego arguenti minorem, quia hoc ipſum eſt oppoſitum temperantiæ: Itaque hic etiam ſimiliter teneo malitiam adulterii non eſſe quam maxime iniuſtitiam, eſt enim in duplici genere illud, & duplicem malitiam habet, unam oppoſitam caſtitati atque ita temperantiæ; aliam oppoſitam iuſtitiæ: quod autem illa ſit maior, patet, quia tolli poteſt coniuges conſentiant, hæc autem eſt intollibilis. unde nec ſimplici fornicationi auferri poteſt. Itaque quoad me non magni facio iuſtitiam in eſſe virtutis, & illam minimi quæ maximè talis eſt, ſcilicet commutativam. Judices etiam cenſeri poſſunt ſicut alii opifices inſtrumentum aliquod ſervandi compagem Reip. Confirmor in meo ſenſu, quia iuſtitia non ſubit regulam virtutis moralis (intellectualis autem virtus certum eſt quod non ſit) quum non habeat duo vitia oppoſita hinc inde, obſidentia, iniuſtitia ſeu iniuria eſt unum, aſſignetur iam ſecundum. Videtur ergo eſſe frænum ſeu obex vitii potius quam ſincera virtus, quia dare ſuum alteri eſt neceſſitatis: quæ ratio non ſegniter confirmatur ſententia illa Salvatoris. *Dicite ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus.*

* * *

INDEX NOTABILIVM ETHICAE

Prior numerus paginam, poſterior marginalem; interdum dubium, vel paragraphum notat.

A.

ACtiones Angelicæ ſunt humanæ. 180. 2
Actus humanus non eſt idem quod liber. 180. 1
Actus non fit moralis per libertatem præciſe, 181. 4. neque per reſpicientiam operantis ad regulam rationis. ibid. num. 5
Actus Chriſti D. erant, & Beatorum ſunt morales. 182. ult.
Actus voluntatis anſint immediatè voluntarii, incertum. 185. 4
Actus poſitivus non requiritur ad libertatem. 195. 1
Actus aliquis poteſt eſſe ex fine bonus, ex medio malus. 223. 4
Actus interni ſunt peccaminoſi non tamen univerſim ut creditur. 227. 3
Actus externi ſunt formaliter boni, vel mali, ac non tantum per denominationem ab internis, vel alio. 228. 2. An ſint liberi, 230. 5
Actus exterior adfert ſecum propriam bonitatem, diſtinctam ab illa interni. 231. 1
Actus humanus poteſt eſſe indifferens, id eſt nec bonus, nec malus, 234. 2. Idque non ſolum in ſpecie, ſed in individuo ſumptus. 236. 2
Angeli habent virtutes morales, ſed non eaſdem ſpecie cum noſtris, 302. 12

B.

BEatitudo quid antiquis ſignificaverit, & quid revera ſit, 273. 1. an exigat ut voluntates omnes beati etiam conditionatæ impleantur? 282. 5
Bonorum diverſa genera. 209. 1
Bonum alteri non fit per ſolam unionem ad ipſum. ibid. 2
Beatitudo naturalis nec in voluptate eſt, nec ſine ipſa. 284. 2
Beatitudo non conſiſtit in contemplatione, ſed in fruitione, 285. 4. formalis non conſiſtit in actu 289. 1. nec tamen ad eam ſufficit delectatio ſine actu, 290. 2. Probabiliter coincidit cum objectivâ. 290. 4
Beatus potuit quilibet eſſe in ſtatu naturæ conditæ. 283. 3
Boëtius non intellexit per beatitudinem, quod alii philoſophi, 280. 1. nec ipſius acceptio, nec illa Auguſtini probari poteſt, 281. 2
Bonum non coincidit cum pulchro, 268. 2. Bonum morale coincidit, 269. 4. coincidit tamen cum fine, unde media non ſunt bona. 271. 3

C.

CAſus in quo poſſeſſio non prodeſt habenti, 262 4
Circumſtantiæ non rectè numerantur communiter ut ſint ſeptem: 216. 1. *Quis* non eſt circumſtantia, ibid. 2. nec *quid* ib. nec *quomodo* ſemper. 217. 4
Circumſtantiæ non mutant ſpeciem actus, 217, 1 non contrahunt præcedentem differentiam actus. 218. 2
Circumſtantiæ damni aut lucri ſubſequentis non augent malitiam aut bonitatem actus, ſed nec minuunt, 219. 4
Concupiſcentia auget voluntarium, 204. 1. non minuit libertatem, 205. 4. minuit tamen peccatum. ibid. 5
Concupiſcibilis & Iraſcibilis in voluntate ſunt formaliter indiſtinctæ, 333. 1. In parte tamen ſenſitivâ realiter diſtinguuntur, ibid. 2

D.

DEfinitio Ariſtotelica virtutis reprobatur, 293. 1. Aſſignatur legitima. ib. num. 2.
Deus ſolus plene beatus, 291. 6. An formaliter delectet beatos. ibid. 5
Diſpenſari non poſſe cum ullo ut agat contra conſcientiam. 246. 4
Diviſio boni in honeſtum, delectabile, & utile, vitioſa. 270. 2
Diviſio juſtitiæ in commutativam & diſtributivam ſimiliter. 319. 2

E.

ELectio ſumit bonitatem non ſolum à fine, ſed etiam à medio; unde illa eſt bis bona. 220. 2
Electio prava non oritur ab intentione. 223. 2
Ethica eſt vere ſcientia, 178. dub. 2. eſt diverſum quid à prudentia: ibi practica non ſpeculativa. 179. dub. 3
Exigentia vindictæ comparata ad reum non eſt juſtitia. 323. 4

F.

FInis hominis non neceſſario eſt quid unum aut ſimplex, 276. 1. ſuppoſito autem quod finis hominis ſit bonum finitum, poſſunt dari plures diſparati. ib. n. 2
Finis ultimi non ſubordinati poſſunt eſſe plures. 278. 5
Fœlicitas politica vix ulli contingere poteſt: privata poteſt. 283. 2
Fælicitas non eſt in divitiis, &c. ſed in virtute, 288. 3. quomodo id accipiendum, de habitu, an de actu. ibid. 4

For-

Digitized by Google

Fortitudo quomodo non ſit vitioſa. 327.1
Fuga an poſſit eſſe fortitudinis actus, 328. quærendum inter quæſtiones quodlibeticas Authoris.

G.

GAudium, quæ paſſio. 338.§.2

H.

HAbitus augent liberum & voluntarium. 205.6
Habitus virtutis moralis poteſt concurrere ad actum malum. 224.5. Reſidens in eſſentia animæ poteſt influere in actus potentiarum. 300.5
Habitus ponendi ſunt de facto in parte ſenſitiva hominis; qui tamen non ſunt virtutes. 301.8
Homo non eſt objectum Ethicæ. 197. dub. 1. prolog. Habet arbitrium liberum non ſolum à coactione ſed etiam à neceſſitate, 187 2. non exigit finem infinite perfectum. 275. 3. in ſtatu innocentiæ non haberet virtutes infuſas morales, 299.2. non habet à natura finem poſitive unum 273.2. nec à ſe ipſo, ſed plures integrantes, ib num. 3.
Hominem non potuiſſe eſſe ſine fine ultimo qui eſt Deus, probabile. 277.4
Honor includendus in diviſione boni, licet accipiatur illa trimembris vulgata, 272.6. non eſt ne quidem pars beatitudinis, ſicut nec imperium aut fama. 286.5

I.

IDem an poſſit eſſe principium oppoſitorum. 299.5
Ignorantia cauſat voluntarium potius quam involuntarium 206.3. Cur nihilominus irritet contractus. 207.n.5.
Ignorantiæ diviſiones, 206.1. Antecedens, concomitans, ſubſequens quomodo accipiendæ? ibid. n.2
Intenſio & continuatio actus ſunt liberæ. 192.2
Intentio bona non vitiatur electione pravâ, 223. 3. non excuſat electionem pravam, 225.n.6 An ſaltem minuat malitiam ejus? ib n.7
Judex in dubio de jure plurium in idem an poſſit rem ſortibus committere? 261.3. quid facere debet quum neutra pars habet poſſeſſionem? ib. n.2
Judicium probabile, quod non peccem, an liberet me à peccato agendo? 253.4
Ira impedit concupiſcentiam, & cur? 334.q.ult. explicatur ipſa. ib.n.7
Iraſcibilis non eſt circa bonum arduum ut creditum D. Thomæ, 335.1. nec eſt proprie appetitus. ibid.2
Juſtitiæ definitio apud Ariſtotelem, & Ulpianum, vitioſa, 315.1. vera definitio, 316.2. An illa ſit vera virtus, ibid. non ſemper eſt rigide ad alterum. 316.3
Juſtitia legalis impropria eſt, 317.1. neque tamen eſt virtus ſpecialis, 318.2. Videtur quid præſtantius juſtitiâ. 319.4
Juſtitia vindicativa in judice reſpectu Reip. pertinet ad commutativam. 321.1

L.

LEx Divina quomodo nunquam inferat homini perplexitatem. 246.4.
Liberum arbitrium eſt ipſa voluntas. 188.1. non ſolum à coactione liberum eſt, ſed etiam à neceſſitate. 187.2
Libertas voluntatis in actu primo & in actu ſecundo eſt eadem. 190.1. eſt tamen identificata voluntati, non item actui ejus. ibid.2.
Licetne in dubio habenti non ſolum poſſeſſio rei ſed uſus? 260.3

M.

MAlitia omiſſionis major quam illa actus. 196.3
Media habentne totam bonitatem à fine, 222. ult.
Medicina an una ſpecie facultas. 312.3
Medicus an poſſit ſequi opinionem minus probabilem & minus tutam in medendo? 259.1
Metus non cauſat involuntarium, 202.2. Defenditur nihilominus communis ſententia affirmans. 203.6
Moralitas unde habeatur, & in quo conſiſtat. 181 3. non habetur per hoc quod actus eliciatur cum reſpicientia ad regulas rationis. ibid 5. neque eſt imputabilitas actus. 182.6

N.

NAtura humana exigit ad alia ordinari quam ſint objecta hujus vitæ. 275.2
Naturalia an laude digna. 303.3

O.

OBjecta tribuunt bonitatem & malitiam actibus humanis. 214.3
Objectum Logicæ an operationes intellectus? 178. dub. 1.
Objectum actus imperantis eſt actus imperatus: objectum vero imperati res circa quam verſatur volendo, 214.2. Ethices an ſint operationes humanæ. 178. dub. 1
Omiſſio libera & pura poſſibilis, 195.1. non continet difficultatem in omittendo ſubeundam. 197. dub. 1. Poteſt eſſe meritoria ib. dub. 2. non habet finem propriè. 198. dub. 3.
Opera pœnalia ſunt certo meritoria. 252.3
Opinio probabilis ſufficit ad tuto agendum in moralibus. 252.2. nec eſt neceſſe formidinem abeſſe opinanti & agenti. 253.3. An hinc ſequatur licere quodlibet? 254.5. neque neceſſe eſt ſequi opinionem magis probabilem, imo nec ſummè, aut maximè tatalem. 254.2
Origo trium ſpecierum juſtitiæ. 319.1.
Organum appetitus non eſt cerebrum ſed cor. 335.3

P.

PAſſio quid moraliter. 331.1. Definitiones Ariſtotelis & D. Thomæ rejectæ, ibid.2. vera definitio ejus, 332.3. diviſio ejus apud pleroſque mala excuſatur, aſſignatur alia. ibid. 4. & 5.
Patiens an beatus in miſeriis. 281

APOLOGIAE SELECTAE

De Iuſtitiâ & Iure.

LECTORI.

NIhil libentius notes quàm quorundam Authorum methodum qui de quatuor virtutibus ſcripturi præmittunt titulum de una: Volunt occupari circa Prudentiam, Iuſtitiam, Fortitudinem, Temperantiam, & tamen toti materiæ præfigunt titulum *de Iuſtitia & Iure*, tanquam aut Ius foret virtus, aut una virtus eſſet virtutes, quùm nec illud exſpectari poſſit, & hoc ſit omnino deſperandum. Adeo non falsò *Plato* inquit, ſingularis prudentiæ eſſe nomina rebus indere, quum hic viri ſenio graves, doctrinis eximii, tot librorum patres, parere opera ſciverint, parta nominare neſcierint: Ut mirari deſinas cur Protoplaſtes Adàm, quum adhuc ei ſcientiam conſcientia ſiſteret, omnia, etiam bruta propriis nominibus & quaſi indicibus naturæ eorum appellârit, idem ſcientiis cum innocentia deſtitutus in ipſo uxoris ſuæ nomine erraverit, quippe quam Hevam vocavit, id eſt matrem cunctorum viventium, quum jam omnibus mortem peperiſſet. Videri poſſunt quæ de hoc argumento in epiſtolis meis deſcripſi. Mihi illa inſcriptio erit uſui, qui ſolam hanc ſcilicet juſtitiam attingam, quippe quæ ſola tot lites in foro, opiniones in ſcholis gignit perpetua fæcunditate, ut aliæ ex aliis naſcantur.

Cæterum propinabo Lectori adhuc aliud ſuper moderna methodo Authorum: Scribunt hodiè Authores de Iuſtitia, Fortitudine, Temperantia, & quidem Theologicè, ſive in ſecundo ſent. apud Magiſtr. ſequaces, ſive in 2a 2æ apud Summiſtas, & tenaces D. Thomæ, quum tamen harum virtutũ, nulla Theologica ſit, omnes morales. Propter quod ego, niſi erro, maturius eas Ethicæ, ſive morali ſcientiæ inſerui. Sed & iterum cum his expoſtulare poſſum ſuper aliis virtutibus, etſi non æquo jure, nec enim volo eas Theologiæ abeſſe, ſed adeſſe Ethicæ: Sunt autem trias hæc, Fides, Spes, Charitas, quas etſi fatear nos divinis Scripturis didiciſſe, ſed concedere quiſque habet, potuiſſe humanis addita. Scio illas ex objecto eſſe divinas, quæ ratio videtur eas arctaſſe ad Theologiam, quaſi cancellis circumponendas: Sed ſint tales, an ſummè? an magis divinæ quàm Deus, qui quamvis Theologiam omnem ipſis etiam appendicibus ſuis faciat, interim tamen Metaphyſicam, etiam Phyſicam nobis facit, ut videas in Ariſtotele, tam illius operis libro 12. quàm hujus octavo. At enim eundum eſt quà itur, licèt non eatur quà eundum.

Et quanquam hactenus ſpeculativi, in hoc pulvere legum tanquam peregrini verſamur, nemo tamen mihi objiciat profiteri me quod neſcio, & adhuc imperitum iuris agere Iuris-peritum, alioqui *ſi mihi vehementer occupato ſtomachum moverint, triduo me juris-conſultum profitebor.* Sed & hic interim propinabo Lectori rudimenta quædam huius negotii in anteceſſum, ne quis iis inſuetus earum novitate facto impetu opprimatur.

Regulæ aliquot Juris Canonici.

II.

1. Poſſeſſor malæ fidei nullo unquam tempore præſcribit.

III.

2. Sine poſſeſſione præſcriptio non procedit.

IV.

3. Peccatum non dimittitur niſi reſtituatur ablatum.

V.

4. Peccati venia non datur niſi correcto.

VI.

5. Privilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum ipſa.

VII.

6. Semel malus ſemper præſumitur eſſe malus.

VIII.

7. Ratum quis habere non poteſt quod ipſius nomine non eſt geſtum.

XI.

8. Quum ſunt partium jura obſcura, reo favendum eſt potius quàm actori.

XII.

9. In judiciis non eſt acceptio perſonarum habenda.

XVIII.

10. Non firmatur tractu temporis quod ab initio fuit nullum.

XXVII.

11. Scienti & conſentienti non fit injuria neque dolus.

XXX.

12. In obſcuris minimum eſt ſequendum.

XXXIV.

3. Generi per ſpeciem derogatur.

XXXV.

14. Plus ſemper in ſe continet quod eſt minus.

XXXVI.

15. Pro poſſeſſore habetur qui dolo deſiit poſſidere.

XXXVII.

16. Vtile non debet per inutile vitiari.

XXXXII.

17. Acceſſorium naturam ſequi convenit principalis.

XXXXVII.

18. Præſumitur ignorantia ubi ſcientia non probatur.

XXXXIX.

19. In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.

L.

20. In re communi potior eſt conditio prohibentis.

LXV.

21. In pari delicto vel cauſa potior eſt conditio poſſidentis.

LXXX.

22. In toto partem non eſt dubium contineri.

Regulæ aliquot Juris Cæſarei.

CXCVII.

1. Quum par delictum duorum, ſemper oneratur petitor.

CVII.

2. Cum ſervis nulla actio eſt.

CLIII.

3. Ea quæ in partes dividi non poſſunt ſolida à ſingulis hæredibus debentur.

II.

4. Fœmina & impubes ab omnibus civilibus officiis arcentur.

XXXXI.

5. Furioſi, vel ejus cui bonis interdictum eſt, nulla eſt actio.

XL.

6. In omnibus cauſis pro facto accipitur id in quo quis alium perhorreſcit quo minus fiat.

XIV.

7. In omnibus obligationibus quum dies non ponitur præſenſenti debetur.

XXIII.

8. In perſonam ſervilem nulla cadit obligatio.

LXX.

9. Invito beneficium non datur.

CCVII.

10. Iure naturæ æquum eſt neminem cum alterius injuria fieri locupletiorem.

C.

11. Non poteſt videri improbus qui ignorat quantum ſolvere debeat.

CLVII.

12. Privilegia quædam cauſæ ſunt, quædam perſonæ, prima ſola ad hæredes tranſeunt.

XXXX X.

13. Quidquid in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur non prius ratum quàm ſi perſeverantia apparuerit indicium animi fuiſſe: Vxor brevi reverſa, nec divertiſſe videtur.

XXXIII.

14. Quod attinet ad Ius Civile ſervi pro nullis habentur, non tamen ex jure naturali, quia quoad hoc omnes homines ſunt æquales.

XXX.

15. Quod ab initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere.

CXLVII.

16. Si quis prægnantem uxorem reliquit, non videtur ſine liberis diſceſſiſſe.

CLXVII.

17. Furioſus abſentis loco eſt.

XXXIV.

18. Vni duo pro ſolido hæredes eſſe non poſſunt.

APOLOGIA

APOLOGIA PRIMA

Exponit Ius ipſum & Iuſtitiam.

ACTIO I.
Quid Jus?

ACTIO II.
Quid Juſtitia?

ACTIO III.
Explicat adhuc amplius Juſtitiam.

ACTIO IV.
Comparatio Juſtitiæ ad alias virtutes.

ACTIO V.
Expenditur eadem in ordine ad paſſiones.

ACTIO VI.
Aſſignat diviſiones Juris.

ACTIO VII.
De diviſione Iuſtitiæ in commutativam & diſtributivam.

ACTIO VIII.
Quid iniuria, & an poſſit fieri volenti?

Scot. 4. *diſt*. 17. *quæſt*. 1. *num*. 3.

AD propoſitum non poſſumus invenire aliquod præceptum, quo teneatur quis, niſi iuris naturalis vel poſitivi, & hoc vel divini vel Eccleſiaſtici. Illud autem eſt verum de iure naturæ, cuius veritas eſt nota ex terminis, & tale eſt principium in lege naturę, ſicut & in ſpeculabilibus principium notum eſt ex terminis, ſive quod ſequitur evidenter ex vero tali ſic noto, cuiuſmodi eſt concluſio practica demonſtrata, & ſtrictè loquendo nihil aliud eſt de lege naturæ niſi principium vel concluſio demonſtrata, ſic tamen extendendo quandoque dicitur de lege nat. verum practicum, &c.

Idem *ibidem diſt*. 46. *quæſt*. 1. *num*. 2.

HIc primò videndum eſt de iuſtitiæ definitione. Rationem generaliſſimam ponit Anſelmus de verit. cap. 12. quòd Juſtitia eſt rectitudo voluntatis propter ſe ſervata: hæc ratio ſpecificatur per Juſtitiam ſecundùm quod de ea tractat Ariſtoteles 5. Ethic. qui addit ultra hanc rationem, hoc quod eſt eſſe ad alterum. Iſta ſecunda ſubdividitur, quia vel eſt quaſi univerſalis ad alterum, puta ad legiſlatorem, & ad legem, in quantum eſt regula quædam determinata à legiſlatore, & hæc dicitur à quibuſdam iuſtitia legalis. Vel eſt particularis, puta in aliquo particulari determinato, pertinente ad legem, rectitudo ad alterum: & hæc ſecunda ſubdividitur, quia vel poteſt eſſe ſimpliciter ad alterum, vel ad ſe quaſi ad alterum, &c.

gnoſcenda ſit; nec enim negotium hoc cognitionum, aut omnino ullum poteſt incipere à nullo aut nihilo, cujuſmodi eſt negatio ac privatio. Videantur, ſi placet quæ notavi in *Metaph.* Apolog. ult. & penult. de *Ente irrito & nihilis*.

4. Jam quando expector ipſe aliquid concluſurus, fateor hic facilius eſſe aliena carpere, quàm aliquid ex ſuo ſtatuere quod non poſſit etiam carpi. Unde primus modus hoc decidendi viſus eſt mihi nihil dicere; etenim hoc quod eſt *Ius*, ex illis eſt quæ ſupra ſæpe in præcedentibus Tomis dixi concipi facilè poſſe, explicari non poſſe. Veniat enim qui volet & incipiat mihi exponere quid ſit gaudium? quid triſtitia? voluptas? dolor? quid ſignificamus quùm dicimus, habeo tibi gratias? aut (ſi deſcendamus ad externa,) quid eſt, *propino*? Et revera id ipſum eſt
2. de Anim. c. 7. & 8.
in primis qualitatibus quæ ſenſu percipiuntur, nam quamvis Ariſtoteles tentaverit explicare quid ſit color? & lux? ſed neminem unquam docuit quod ipſe neſcivit, imo nec quæ ſcivit, quia non potuit verbis extra proferre naturalem definitionem, & ingenitum conceptum horum.

Quia tamen hoc non eſt reſpondere, quum ſit non reſpondere: Dico poſitivè ius eſſe poteſtatem diſponendi de re aliqua tanquam ſua: quo loco volo ly *tanquam* non ſignificare ſimilitudinem ſed proprietatem, quod facit ly *quaſi*
Ioan. 1.
ibi, *Vidimus gloriam eius quaſi unigeniti à Patre.*

Commendatio hujus definitionis eſt conceptus naturalis quem quiſque apud ſe format & experitur de *Tò Ius*, eſt enim iſte ut cuique ex ſe conſtat. Non addidi *legitima* ut fecit communis definitio ſupra, quia ius prius eſt lege, quum & ipſe legiſlator habere poſſit ius, & verò debeat. Deus etiam habeat præſtantiſſimum ius, quod tamen nulla lege potuit accipere, ſed ſolâ naturâ rerum, id eſt ſua & creaturarum. Non enim ſibi ille quidquam dare potuit, (quis enim poteſt?) nec alius, quia nemo ante ipſum res poſſedit. Atque (ut hic id addam quod ſupra dicendum fuit,) hæc inſtantia Domini Dei iterum infringit communem definitionem, nam Deus ſine dubio habet ius in omnes res mundi, *quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*, & nos tamen abutendo illis, ſive etiam utendo contra eius voluntatem non facimus ei iniuriam, neque peccata per reſtitutionem delemus, ſed per pœnitentiam! Vide dicenda Tomo 4. ſequenti.

Fateor tamen, ad hoc dici poſſet, quòd ſpectatâ naturâ rei faceremus Deo iniuriam, nunc autem ideo non facimus, quia ipſe id non vult, nec objicit nobis ſervandum aut violandum, niſi dominium juriſdictionis, & nequaquam dominium proprietatis, quod ſolum facit iniuriam, quùm contingit illud violari. Sed hoc alio ſpectat, ac proinde expectandum eſt loco iam citato: interim contra definitionem duo mihi videntur

5. Obiici poſſe, primum quod videatur relabi in defectum, cuius accuſavimus communem definitionem, ut patet applicanti inſtantiam quam contra illam allegavi; nam ſuperior Regularis & Magiſtratus habent poteſtatem diſponendi de ſubditis ſuis, & tamen non habent ius, ſive titulum iuſtitiæ de quo hic, adeoque. Antecedens oſtenditur, quia prælatus poteſt ſubditum hinc alio transferre, & aliunde huc; item imponere hoc aut illud officium; quid autem eſt diſponere niſi hoc ſit? Magiſtratus autem & Princeps politicus poteſt de vita ſubditorum diſponere, hic enim conſcribit eos milites, militare autem clarum eſt quod ſit vitam exponere, adeoque. Reſpondeo tamen aſſumi falſum, non enim poteſt abſolutè diſponere de ſubditis aut unus, aut alter; non poteſt deſtruere, non poteſt vendere, imo nec torquere eos aut afficere moleſtia ſine cauſa, &c. quæ tamen omnia poſſet ſi potuiſſet diſponere de illis tanquam verè ſuis, ut patet in iumentis & in verè ſervis, ne quid dicam de rebus inanimatis.

Inſtabis, non eſſe opus toto iſto, nam hoc quod nos ultra fatemur, videtur verificare definitionem de ipſis, v.g. transferre de loco ad locum, hoc enim eſt diſponere, idque de eo facit, quia eſt ſuus. Reſpondeo neque illam eſſe plenam diſpoſitionem, ſed accidentalem, tam phyſicè quàm moraliter, neque ſubditum eſſe *ſuum*, reſpectu prælati. Quo loco repeto quod alibi videor monuiſſe, linguam Latinam, & à fortiori alias laborare vocum penuriâ, & proinde cogi ad impropriè loquendum: in propoſito enim illa pronomina, quæ fateor ipſe in regulis Grammaticis eſſe poſſeſſiva applicat rebus non poſſeſſis. Quod ut credatur, profero exempla, in quibus tranſvertit ſignificationes illorum, & applicat ex diametro oppoſitis; dicit enim apud ipſam ſervus quiſpiam, *Dominus meus*, dicit item creatura: *Deus meus*, quum tamen dominus non ſit ſervi, ſed ſervus domini, & multò minus Deus pertineat ad creaturas, aut poſſideatur ab illis; ita hic dico illud *ſuum* impropriè eſſe poſitum.

6. Obiici alterum poteſt à priori: Nam datur aliquid prius ſignificato huius definitionis, adeoque illa non definit, quia definitio debet eſſe ex primis. Antec. patet, quia poteſt reddi ratio cur quis poſſit diſponere de re aliqua, eſtque, quia habet ius in ipſam, ideo enim diſponere poteſt, ergo iam ius eſt aliquid prius, eò quòd hic dicitur; adeoque non eſt ipſum. Reſpondeo, ſit cauſa, & ſit ratio, non obeſt, quia eſt cauſa, & ratio formalis, ſicut poteſt reddi ratio aliqua cur Petrus v. g. ſit animal rationale, reſpondendo quòd ideo ſit talis, quia eſt homo: vel, ut voles ex adverſo reſpondendo quòd ideo ſit homo, quia eſt animal rationale; & tamen omnium confeſſione bene definitur homo quòd ſit animal rationale.

Si quis tamen vellet hæc & alia evadere, & adhuc ſuccinctus rem expedire, poſſet definire ius dicendo: Ius eſſe quod facit rem meam in exemplo, vel tuam, &c. reſpectivè. Hanc ideo approbo, quia videtur exprimere verbis definitionem quam natura nobis indidit de hoc termino *Ius*, ut quiſque experitur, adeoque.

* * *

Digitized by Google

ACTIO II.

Quid Iuſtitia?

Breviarium.

N. 1. *Iuſtitia vox æquivoca apud Authores, & quibus ſenſibus.*
2. *Definitio Metaphyſica juſtitiæ reprehenditur pluries.*
3. *Aſſignatur alia partim ex Auguſtino, an voluntas ſit Iuſtitia?*
4. *Obiicitur contra, & reſpondetur reus patiens an exerceat juſtitiam?*

eſſ. der. ner. n. 1. IUris & Juſtitiæ acceptiones latè & libenter Rec. ad quos proinde poſſem Lectorem remittere, niſi deferendum eſſet Scripturæ, quæ ſingularem imo univerſalem ſignificationem huic voci imponit: apud ipſam enim non ſignificat unam virtutem, ſed omnes, & in ſumma, ipſam ſanctitatem, ut
.91. 5. th.6. paſſim legere eſt in Lege & Evangelio: *Juſtus ut palma; Iuſti autem in perpetuum vivent.* Et *attendite ne juſtitiam veſtram faciatis*, &c. & aliis ſexcentis, quorum numerum adferre non expedit, ſed rationem. Videtur autem aſſignari poſſe illa
an.3. apud S. Joannem: *Peccatum eſt iniquitas*, græcè *ἀνομία*, id eſt irregularitas aut obliquitas, quod quia eſt indefinitum ſeu univerſale, ſequitur virtutem etiam univerſaliter poſſe dici rectitudinem ſeu æquitatem, quod idem eſt ac juſtitia. Cæterùm, ne quis improprietatem ullam in hac Biblica ſignificatione ſuſpicetur, ſciat eam apud alios etiam inveniri. Ariſt. 5. Ethic. in eodem ſenſu nomine *juſtum* utitur, & innuit eſſe utendum. Eſt etiam Juriſconſultorum, apud quos *juriſprudentia* definitur *Divinarum humanarumque rerum notitia.* Vides jus ſive juſtum omnia omnino complecti, tam humana quàm Divina.

2. Quibus præmiſſis, circa juſtitiam faciam quod de jure feci, expendam ſcilicet communem & receptam ejus definitionem: Eſt autem iſta, quam authores ab Ulpiano ſumpſerunt, & D. Thomas approbat, etiam exponit:
ſtitia. e iuſt. ire. e q. rt. 1. *Iuſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi*: Dicam breviter quæ mihi contra eam oborta ſunt, quando alii tam effuſi ſunt in illius laude: Primò enim eſſe *conſtantem* non videtur eſſe de ratione voluntatis juſtæ, & multò minus *perpetua*, nam velle dare ſuum cuique, tametſi uno inſtanti eſt actus virtutis, certè autem non alterius quàm juſtitiæ, adeoque jam habetur juſtitia ſine conſtantia. Et verò quis neſcit aut neget in gratiam Ulpiani, vel etiam D. Thomæ, quòd actus vitii, licèt parùm durent, v. g. pravus conſenſus in voluptatem aut vindictam ſit peccaminoſus, licèt raptim volet, & tamen nihil minus eſt quàm conſtans aut perpetuus, quidni ergo? &c. Deinde quàm propriè dicitur juſtitia eſſe voluntas? accidens inhærens potentiæ vocatur ipſa? Quis ferat me definientem artem ſaltatoriam, quòd ſit pedes aut crura? & tamen illa ars tota eſt in pede aut crure. Tertiò auſim dicere non eſſe verum, quòd juſtitia tribuat jus ſuum ulli, non enim illa poteſt dare ullum non habenti, nec auferre, ſed id tantùm præſtat quod curet vel optet illa omnibus aſſignari, in quæ jus habent, quod patet eſſe diverſum. Nec refert ſi dicas illam orationem poſſe facere hunc ſenſum, quia in definitionibus ſicut in teſtamentis oportet ſiccè & propriè loqui, non autem per tropos. Quartò quæro num iuſtitia velit ipſi iuſto ius ſuum reddere, an non? Si non, iam non vult cuique reddere: ſi ſic, iam illa non eſt ad alterum: Quo nomine poſſem etiam quintò eam pulſare, quia hunc ordinem ad alterum omittit, quùm ſit ipſe character huius virtutis, & ſingularis differentia ab aliis: Denique ſimile eſt quod obiici poteſt de æqualitate; Juſtitia enim vel maximè attendit æqualitatem, & hic tamen in tam ampla ac Rhetorica definitione nihil auditur de æqualitate: Hanc replicam pono ad homines, ſive ex adverſariorum ſenſu, quid enim ipſe ſentiam, infra aperiam.

3. Hos nodos dum mihi ſolvunt periti Juris, atque etiam ſecundæ ſecundæ, ſtatuo ipſe hanc iuſtitiæ definitionem, ut ſit: Proprium principium ſuum cuique aſſignandi: Hæc nullius Lib. 19.
eſt ante me, quod ſciam, niſi forrè debeatur Civit.
ex parte Auguſtino docenti illam eſſe virtutem cap. 21.
quæ ſua cuique diſtribuit: ſed intereſt quod Auguſtinus de ſuo dubia aliqua poſitivè aſſerit, à quibus mea definitio abſtrahit, ut patebit explicatione eius. Dixi enim iuſtitiam eſſe proprium principium, ne inciderem in lapſum Ulpiani, & putarer credere quòd voluntas ipſa eſſet iuſtitia. Eſt quidem voluntas principium aſſignandi ſuum cuique, at non proprium, quum ſit etiam multorum aliorum actuum principium amandi, ſperandi, temperandi, obediendi, &c. proprium ergo erit habitus ad hoc deſtinatus.

Dices impoſſibile eſſe ſubterfugere, quo minus voluntas ſit iuſtitia, ſive excludere illam univerſaliter à ratione iuſtitiæ: Etenim divina voluntas eſt divina iuſtitia, non enim datur in Deo habitus. Reſpondeo tamen definitionem adhuc ſtare, & particulam illam verè ac neceſſariò ei eſſe incluſam, quia nimirum virtus iuſtitiæ, ſicut & aliæ omnes ſunt identificatæ voluntati divinæ ob eius perfectionem: quum ergo voluntas illa ſit non tantum virtuoſa, ſed ipſa virtus, iam eſt etiam proprium principium hoc præſtandi. *Inſtabis*, illa voluntas ſicut & aliæ eſt commune principium huiusmodi actuum, ergo non proprium. Sed nego conſequentiam, vel diſtinguo conſequens, aut

potius

potius probationem eius quæ expectanda erat iſta: nihil proprium eſt commune: nihil idem realiter nego, nihil idem formaliter tranſeat, quia non nocet. Divina voluntas habet rationem potentiæ, & iterum rationem habitus; ſub prima eſt commune principium iſtius actus, ſub ſecunda eſt proprium.

Adhuctamen urgeri poteſt ſic: Non poteſt proprius actus & determinatus elici ſine proprio principio; poteſt autem actus juſtitiæ ſine habitu elici, nam primus actus non elicitur ab habitu; quum habitus potius generetur ab ipſo. Reſpondeo hoc argumentum non eſt proprium huius loci: nec mihi tantum, ſed omnibus ſolvendum; nemo enim eſt qui neſciat habitus in ſpecie eſſe principia propria talium actuum in ſpecie; & tamen nullus actus eſt præter illos Theologicarum virtutum qui non poſſit elici, imò debeat ſine habitu: propter quod tranſeo replicam hanc ſine ulteriori ſolutione; ſed tum quæri poteſt quid hic denique definiatur potentia? an habitus? an aliud quid? Reſpondeo in terminis poſitis definitum eſſe habitum, id enim fecit Ulpianus quem correxi, nam *conſtans & perpetua voluntas* non eſt niſi ab habitu, ut bene D. Tho. intellexit, & ex illo Scoto. Si tamen habere quis velit definitionem utrique competentem quoad hoc, dicet, quod ſit principium aſſignandi ſuum cuique. Si etiam velit habere definitionem quæ competat indifferenter tam habitui quam actui, dicat, Juſtitiam eſſe ſuum cuique aſsignare, nam τὸ *aſſignare* indifferens eſt ad actualem & habitualem aſsignationem.

4. Obiici tamen adhuc poteſt contra definitionem. Charitas eſt principium dandi ſuum cuique; non enim ſtat quod diligam Petrum, v. g. & quod nolim dare ei ſaltem ſuum: Reſpondeo charitatem eſſe principium huius, at non proprium, quia eſt multorum prætereà: diſtinguo ergò antecedens, actu elicito, nego, imperato concedo. Quando ergò Charitas ad hoc agendum tendit, utitur operâ juſtitiæ, ſicut ipſa voluntas quodammodo.

Objicies ſecundò: Reus qui patitur pœnam inflictam judicis ſententia ob ſuam culpam, exercet juſtitiam, & tamen nihil dat: ergò. Reſpondeo: imò multum dat quia dat parti læſæ ſatisfactionem, v. g. in talione quando ei qui alicui oculum eruit, alius eruitur, atque ita quandam æqualitatem ponit inter partes, id eſt ſe & læſum quando quoad hoc fiunt pares. Deinde etiam ob hoc ipſum in definitione poſui potius aſſignare quam dare aut tribuere, illud enim ſola voluntate præſtari poteſt, iſta non æquè. Ex quibus videas Juriſconſultos & Rhetores minus aptos eſſe ad cudendas rerum definitiones ad canones & amuſſes earum, nam etiam illa M. Ciceronis eſt potius encomium quam explicatio juſtitiæ, quod ſcilicet *Iuſtitia ſit ratio qua ſocietas hominum inter ipſos & vitæ communitas continetur*. Quod tamen vix eſt admirandum, quum etiam Ariſtoteles hic lapſus eſſe videatur: nam juſtitiam definivit quod ſit *habitus juſtorum operativus*, plane ſicut olim *qualitatem* definivit quod ſit *id quo quales dicimur*. Ex quibus & ſimilibus vix unquam aliquid diſcitur, quum fere idem explicetur per ſemetipſum, & proinde ſciri debeat antequam addiſcatur.

ACTIO III.

Explicat adhuc amplius Iuſtitiam.

Breviarium.

N. 1. *Iuſtitia non neceſſario eſt ad alterum* Theologicè *oſtenſum.*
2. *Ethicè oſtenſum.*
3. *Poteſt actus juſtitiæ exerceri circa ipſum agentem.*
4. *Obiectio ſoluta. An quis poſſit eſſe ſibi iniurius.*

1. ODi eorum methodum qui difficultates diſsimulant, & ſuffocant potius quam ſolvunt, quia quum aliqua premuntur, ſtatim diſtinguunt de proprio, & improprio, depreſsè & largè ſumpto &c. Unde profiteor me hic arcum tendere, & loqui de verâ ac propriâ juſtitiâ quæ jus reſpicit etiam ſupponit, ac de hac

Dico primò: juſtitiam non neceſſario eſſe ad alterum in ſuppoſito. Hæc videbitur nova quibuſdam, & impingere ſtatim in limine tanquam faciat contra prima principia Ethicæ, in quâ nihil magis decantatum eſt quam juſtitiam eſſe ad alterum, ut videas apud Ariſt. & D. Tho. paſsim: non caret tamen fundamento Subtilis, & proinde probatur Theologicè in primis quia inter Deum & Chriſtum fuit vera juſtitiâ; ſed inter ipſos non fuit diſtinctio ſuppoſitorum, ergò jam ad juſtitiam non eſt neceſſaria diſtinctio ſuppoſitorum. Majorem ſuppono non probo, eo quod ſit extranea huic loco, in quo ſufficit quod ſit multorum ex illis qui concluſionem non tenent; & tamen eâ ſive probatâ, ſive conceſsâ concluſio eſt aſſerta per hanc rationem, ergò.

Dici poteſt Minorem eſſe falſam, quia in Deo eſt Trinitas ſuppoſitorum in Chriſto autem non, adeoque inter ipſos hinc inde eſt diſtinctio ſuppoſitorum. Reſpondeo: ſine dubio in Deo eſſe ſuppoſitum diſtinctum ab illo Chriſti, quum in illo ſint tria, in hoc unum tantum; at non proinde replicam prævalere, quia juſtitia Chriſti interceſsit non ſolum inter cætera ſuppoſita, ſed etiam inter illud quod ipſe Chriſtus fuit, puta inter illud Verbi, nam Chriſtus D. pro nobis ſatisfecit toti Trinitati, id eſt tribus perſonis, ex his autē una fuit illa in quà ipſe ſubſiſtebat, adeoque ſatisfecit ſibi, ex quo ſequitur quod ad ſatisfactionem quæ eſt actus juſtitiæ non requiritur diſtinctio ſuppoſiti.

2. Quia tamen verſamur in Ethicâ, hæc autem ratio eſt Theologica ſaltem ſic formata, eam alio transfero, ſupponendo tamen principia Chriſtianæ philoſophiæ quod ſcilicet perſona creata poſsit aſſumere hypoſtaticè aliam naturam, v. g. Petri illam Pauli; quo ſuppoſito probabiliſsimè, quia nimirum eſt multorum

Digitized by Google

poſt Subtilem, ſic arguo: In eo caſu poſſet eſſe actus juſtitiæ, & actio juridica aut, (ſi ita voles) juſtitialis Petri ad Paulum; & tamen tunc non eſſet diſtinctio ſuppoſiti inter Petrum & Paulum, ergò ad juſtitiam, atque eius actionem non eſt neceſſaria diſtinctio ſuppoſitorum, quod fuit probandũ. Major huius ſi redigeretur in praxin, non egeret probatione, nemo enim eſt qui non cenſeret Paulum tunc debere ſolvere debita accepta à creditore Petro, & viceverſâ, ac ſimilia adeoque. Et ſi fortè protervíat aliquis ad quidquam horum negandum:

Arguo tertiò per rationem omnium à priori, quia nimirum ad juſtitiæ adminiſtrationem quod refert eſt diſtinctio dominiorum, ut patet in patre & filio, domino ac ſervo: qui licet ſint plures perſonæ, ſed non ſufficiunt ad juſtitiam quia non habent plura dominia, in tali autem caſu foret diſtinctio dominiorum in aſſumente & aſſumpto, ſive inter ſuſtentantem & ſuſtentatum, adeoque. Minor, ſi negetur, probatur, quia eſt diverſitas voluntatum, hæc autem, dico voluntas eſt ſubiectum dominii, adeoque ubi plures tales ſunt, ſunt plura dominia, ſaltem poſſunt eſſe. Confirmo, voluntas eſt quæ exercet dominium, ergò illa eſt quæ ipſum habet, utique enim in eo eſt actus primus in quo eſt ſecundus alicuius: Antecedens autem oſtendo quia voluntas eſt quæ diſponit de re aliquâ donando, commutando &c. Confirmo adhuc quia injuria fit ratione voluntatis, puta quia res aliqua aufertur invito domino, ergo jus eſt in voluntate, quia injuria eſt læſio juris.

Pergo. quando eſt una voluntas & natura, non poteſt exerceri juſtitia, tametſi ſint plura ſuppoſita, ergò ad exercitium juſtitiæ nihil referunt ſuppoſita, ſed ſola natura: Patet antecedens in divinis, nec enim Pater v. g. poteſt donare aliquid Spiritui Sancto aut viciſſim, quia ambo imò omnes tres ſunt *unus dominus*, ut notavit Athanaſius in ſymbolo, & ante eum Apoſtolus: ſicut ergo nemo unus poteſt facere ſe iterum dominum alicuius rei transferendo jus in ſe, ita &c. jam ad ulteriora pergendo.

3. Dico actum juſtitiæ poſſe verſari circa ipſum juſtum, ſive eum qui actum exercet. Hæc habet aliquid ſingularitatis, ſed quantum id refert ſi habet tantundem veritatis? certè autem habet aliquid Subtile, ſive Scotiſticum, nam vulgata doctrina Scoti eſt quod *mihi & tibi* non variant rationem formalem ullius actus, adeoque quicunqui verſari poteſt circa unum, poteſt circa alterum. Ita ille.

Præterea idem, & poſt ipſum alii docent quod quælibet virtus optet honeſtatem ſuam in quocunque ac non tantum in habente ipſam: & denique docet pœnitentiam eſſe talem actum, id eſt juſtitiæ in ſemetipſum; tenet enim quod pœnitens eſt exequutor juſtitiæ vendicativæ Dei in ſe: quia *unicuique commiſſum eſt eſſe miniſtrum Dei ferentis legem ſuam ad vindicandum in ſe ipſum.*

Probabo hanc in primis ad hominem, quia nimirum juſtitia legalis eſt vera & propria juſtitia ſecundum plures ex illis qui negant concluſionem, hæc autem tendit in ipſum juſtum, adeoque vera juſtitia abſque omni improprietate & tropo. Antecedens apparet in Mich. Salon. Martin. Becano, &c. Minor autem inde, quia juſtitia legalis eſt partis ad totum; at verò in toto eſt illa pars, ergò iam ille tendens in totum tendit in ſeipſum juſtum. Caſus eſt quando aliquis cooperatur ad ſecuritatem Reip. vel civitatis totius, atque omnium eius civium, eo enim ipſo cooperatur ad ſecuritatem ſuam: Si ergò poteſt eſſe verus actus juſtitiæ in aliquo erga totum cuius ipſe eſt pars, certè poteſt eſſe erga ſe ipſum; atqui id eſt poſſibile ſecundum adverſarios, ergò & iſtud.

Probo iam abſolutè intentum: nam quando poſtulo vindictam ex eo qui me læſit, exerceo actum juſtitiæ quia utor meo jure & pono æqualitatem inter partes, ſive conor ponere, & tamen hic actus tendit in me ipſum, ergò iam actus aliquis juſtitiæ poteſt tendere in ipſum iuſtum. Quæ ratio augeri poteſt ſi ſupponamus caſum eſſe in materiâ in quâ quis non poſſit omittere vindictam, v. g. in læſione vel ablatione famæ; ſi enim, (ut probabiliter tenetur) homo non ſit dominus ſuæ famæ, iam tenetur poſtulare vindictam, vel reparationem eius, adeoque habet debitum exercendi hunc actum, atque ita nihil ei deeſt ad juſtitiam. Idem eſt quando creditor urget debitorem ut ſolvat.

Dices, in his & ſimilibus non eſſe eundem ubique, ſed intervenire duos. Et ego id ipſum dico, adhuc tamen ſtat quod actus juſtitiæ feratur in ipſum juſtum, nam procurat ſibi ſolutionem, & lucrum adquirendum eſt ipſi. Cæterum non intendo dicere quod ullo modo poſſit fieri, aut haberi actus juſtitiæ ab eodem in eundem ſtatim, vel ſufficere ei unum, quum illi ponat ſemper æqualitatem, quæ non poteſt haberi niſi inter plures. Et redeundo ad concluſionem probari poteſt contra adverſantes ex eorum definitione, ut ſupra notavi contra ipſam, nam juſtitia jus ſuum cuique tribuit, etiam juſto, quum hic ſit aliquis.

Et ne ſubterfugiat reſpondens dicendo eſſe loquutionem accommodam, ſicut dici ſolet quod ſal ſapit omnia, &

quod tegit omnia cælum. Ovid 1. Metam.

Quum tamen non tegat ſe ipſum; arguo ſic contra eum: Actus quo volo ut omnes habeant & accipiant quæ ipſis debentur, eſt actus juſtitiæ, eſt enim ipſum exercitium definitionis ipſorum, quæ eſt, conſtans voluntas ſuum cuique tribuendi; ſed hic actus fertur in ipſum juſtum ſive volentem, quum ſit unus ex omnibus, & ſine ipſo non poſſint omnes habere ſua, adeoque.

4. Quæ contra obiici poſſunt, iam ſoluta & præventa ſunt: unum diſponam in forma ſic. Juſtitiæ actus eſt dare, ut patet ex definitione, nemo autem ſibi dare poteſt, ergò nec eſſe juſtus ad ſe. Addam adhuc unum; implicat aliquem ſibi facere iniuriam, ergò & facere ſibi ius aut iuſtum, utique enim circa idem verſantur iſta oppoſita. Secundum hoc magis premit; primum enim facilem habet ſolutionem. Eſt quidem juſtitiæ dare ſuum cuique, at non ſolum hoc illius eſt, ſed etiam procurare ut detur. Iudex quam maximè iuſtitiam adminiſtrat, & tamen nulli dat, ſed tantum pronuntiat dandum. Ita hic: Deinde quidni dicam aliquem poſſe ſibi dare: Quum herus non ſolvit, licitum eſt famulo ex burſâ eius accipere ſtipendium ſecundum communem; id ſi faciat, dabit ſibi: Verum eſt id ab eo fieri loco aut vice alterius, nec illum hic habere dationem niſi materialiter, quia moraliter non dat quum non habeat dominium antecedenter, ſed interim utcunque dat.

Ad

Digitized by Google

Ad ſecundum autem nego conſequentiam, quamvis videatur clara: Cauſa negatæ eſt diſparitas iſta, quia nimirum ad faciendum juſtum homo tantum debet eſſe volens, quod facile eſt quando vergit in ſuum commodum, ut hic quùm quis utitur ſuo jure; ad faciendam autem injuriam debet quis eſſe invitus, & licet hoc facilè fieri poſſit, tamen non poteſt fieri ut quis faciat aliquid invitus, eſſet enim tunc volens & nolens idipſum, quæ contradictio moralis eſt tam implicans quam Metaphyſica ulla, ſicut eſt etiam affirmare & negare aliquid in intellectu.

ACTIO IV.

Comparatio Iuſtitiæ ad alias virtutes.

Breviarium.

N. 1. *Iuſtitia virtus multis laudibus celebrata.*

2. *Non eſt abſolutè aliis moralibus melior*
3. *Objectio: Martyrium quanti æſtimandum?*
4. *Præfertur Iuſtitia cæteris moralibus; & quomodo?*
5. *Abſolutus exceſſus eſt penes alias.*
6. *Objectiones aliquot pro Iuſtitia.*
7. *Alia adhuc: ubi de malitia adulterii.*

1. Illæ cataractæ laudum quas aliqui effundunt in Juſtitiam cogunt me expendere meritum earum in ipsâ. Ariſtot. & M. Cicero plurimi ſunt in eâ efferendâ & reliquis præferendâ: Prioris eſt eulogium illud quod *Iuſtitia tanto eſt cæteris rutilantior quanto Heſperus eſt aliis ſtellis*, quem ſequutus Cicero ait *in juſtitia virtutis ſplendorem eſſe maximum*. Ego alius ab utroque, puto dubitari poſſe non ſolum an Juſtitia ſit ſumma virtus? ſed an omnino talis ſit, propter rationem infra aſſignandam; quæ etiam cauſa fuit cur Act. 1. in definitione Juſtitiæ non poſui pro genere virtutem: Interim loquendo ut ajunt cum multis, examinabo comparativè negotium, & vel maximè comparabo eam ſociis eius, ſcilicet Temperantiæ & Fortitudini, nam Theologicis certum eſt quod cedat, itemque Religioni, quam difficulter continebis ne evadat Theologica. Itaque liberam ſententiam ferendo, quia Subtilis non videtur rem in his terminis tetigiſſe.

5. Ethic. 1. lib. offic.

2. Dico primò, Juſtitiam abſolutè & ſimpliciter, ſive ex natura rei non eſſe aliis moralibus meliorem, adeoque nec præferendam. Hæc paucos habet patronos præter Buridanũ, qui tamen concluſionem ponit de ſingulis, iſta autem poſita eſt de omnibus, & ſic

Probatur ut extorqueatur confeſſio Adverſariis, etenim illi omnes in eam ſententiam conceſſerunt, vel maximè propterea quod Juſtitia provideat publico bono; quùm aliæ virtutes circa privatum cujuſque occupentur, ut videas apud ipſos qui ſemper hanc rationem in ſcenam referunt: at vero non fuit ſic diſcurrendum, neque ſufficit deductio illa intento, nam natura rei non habet publicum bonum, non eſt neceſſe eſſe Reſpublicas aut Societates quùm homo poſſit ducere monaſticam vitam ſive ſolitariam ut olim tot millia Sanctorum fecerunt, & adhuc faciunt. Adverto autem me in hoc genere non cenſere eos qui hodie eo nomine id eſt monachi appellantur. Nam Regulares quantumcunq; ſeparati vivant, faciunt Remp. & reguntur legibus quoad ſe mutuò; ſed intelligo monaſticam id eſt eremiticam vitam, in quâ nulli duo ſibi cohærent, ſed quiſque per ſe degit, ſicut olim S. Paulus in Thebaide, S. Ægidius. S. Hilarion aliquamdiu &c. quo poſito ſic argumentor: ſi homines ducerent eremiticam vitam juſtitia non eſſet præſtantiſſima virtus: poſſet autem fieri ut talem ducerent, ergò fieri poteſt ne juſtitia ſit præſtantiſsima &c. Hæc tamen ratio patitur inſignem obicem in ſuo ſubſumpto; negandum enim videtur & falſum quod homines poſsint ducere monaſticam vitam, ſive ſinguli per ſe degere, quia tum ſtatim deſineret genus humanum, tum enim non cohabitaret mas fœminæ, atque ita non daretur generatio. Reſpondeo primò genus hominum aliquando deſiturum, atque ita non tolli abſolutam poſsibilitatem imò nec futuritionem caſus. Reſpondeo ſecundò ſimultatem quæ requiritur ad generationem non inferre juſtitiam, quia ad illam debent tantum eſſe ſimul vir & uxor & proles; at vero inter virum & uxorem, inter parentes & prolem non datur juſtitia, ergò. Reſpondeo tertiò ſaltem à reſurrectione & deinceps fore occaſionem caſus, tum enim non nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut angeli Dei: quæ ſententia ſuppeditat mihi quartam ſolutionem, quia nimirũ in angelis habetur caſus, qui quum non egeant generatione poſſunt ſoli degere. & tum currit caſus, ſive comparatio juſtitiæ ad alias virtutes.

Arguo etiam ſecundò ſic: Juſtitia procurat alienum bonum, aliæ morales procurant proprium; atqui perfectius eſt procurare ſuum bonũ quam alienum, ergò jam aliæ virtutes perfectiores ſunt juſtitiâ. Confirmo; non poteſt dari virtus contra legem naturæ, ſed natura ſemper præfert ipſum operantem alteri, ergò non eſt virtus quæ præfert alienum bonum proprio, ne dum ſumma: Reſpondet aliquis ſi comparatio fiat inter privata bona, argumentum prævalere, ex his enim ſemper præferendum eſt bonum operantis: ſi autem comparetur privatum publico, tum bonum publicum eſſe præferendum, & à virtute, imò etiam à natura præferri; ſic enim brachium elevat ſe quando videt ictum capiti imminere, quia totus homo perit ſi caput amputetur, non item ſi manus. Hoc ſolum obſtat curſui argumenti, unde lentius impugnandum eſt, & directè contra ipſum dico magis amari à quolibet bonũ proprium privatum quam commune, idque à naturâ & ratione dictari: Quod probo axiomate illo Philoſophi: *Propter quod unumquodque tale, illud magis tale*, atqui ego v.g. propter me ipſum amo publicum bonum: puta patriam meam, aut Rempublicam talem ergò magis amo me ipſum. Totus ſyllogiſmus eſt apertus, & legitima forma, ut nihil videatur ei deeſſe ad aſſenſum. Minor enim cuique conſtat; nam ſi quæras, cur amem hanc

provinciam? ratio aſſignanda eſt quia ego in ea natus ſum; ecce radicem amoris me ipſum. Explico & confirmo, nam in re controverſâ duo ſunt, & eſſe publicã, & eſſe meam, jam vero quòd cauſa amoris non ſit eſſe publicum, inde conſtat, quia ego non amo alias provincias quæ tamen ſunt Reſpublicæ, & patriæ fortaſſis meliores meâ: adeoque jam cauſa amoris eſt illud *meum* ſive relatio ad *me*, quod proinde eſt principium omnis mei amoris.

3. Objicies, ſi ita ſit, non licebit pro Principe aut Republicâ militare, ſic enim præferetur vita alterius propriæ. Reſpondeo pro vitâ Principis aut eius propriâ ſupellectile ſubditi non putant ſe obligatos niſi fortè Reip. ſalus ab eo dependeat. Quod autem pro ipſa Republ. militet non probat eum præferre aliquid ſibi, quia ipſemet eſt pars, & aliquid eius: itaq; tunc præfert ſe & alios ſibi ſoli. Dices hinc haberi quod non liceat pro Deo vitam profundere, quia tum quis præferret ſibi aliquid cuius ipſe non eſt pars. Reſpondeo Deum in hoc eſſe ſolum, neque conſequentiam trahendam ab ipſo ad alia, quia omnia illius jura ſupernaturalia ſunt.

Dicam etiam hic data occaſione quod ſentio contra communem aliorum ſenſum in hac materiâ, eſtque iſtos milites non facere quod putantur, ſcilicet exponere animas ſuas pro alio, neque præferre aliquid ſibi; tum enim id contingeret quando illi ibi cæſi ad nihilum redigerentur: ſi autem neque omninò pereunt, neque perpetuò in illâ ſeparatione manebunt, ſed iterum redibunt id idipſum & recuperabunt totum, jam illi non expendunt ſimpliciter vitas ſed intervallum quoddam illarum, atq; ita nihil ſibi præponunt, ſed tantũ continuationi ſuæ vitæ præponunt aliquid puta continuationem alienæ, vel ſimile.

Unde revera æſtimanda eſt benignitas Dei qui tanti facit martyres ac martyria, & permittit dici quod homines pro ipſo aut Chriſto moriantur; quum tamen expreſsè & rigidè loquendo illi non ſubeant ſimpliciter mortem pro ipſo, ſed pro ſua culpa (tametſi originali) aut pro naturæ ſuæ fragilitate; nam quamvis nunquam interceſsiſſet cauſa Dei aut Chriſti, ſed illi erant denique morituri. Non ergò mortem in ſubſtantiâ debet illis Deus, ſed in modo & circumſtantiis, quia jam eſt aliquanto citior quæ tum eſſet tardior, & plerumque eſt acerbior quia eſt violenta quæ tunc eſſet naturalis. Huius inſigne exemplum fuit ille ſenex qui jam jam moribundus ex morbo aut ſenio, ab intuente carnifice pro fide occiſus, martyr migravit è vitâ, quam alioqui erat amiſſurus.

...trus / ...men. / Mar- / l. 21.

.& / ...m. / 9. ad / 742.

4. Dico jam ſecundò, ſuppoſita ſocietate hominum & communi vita Juſtitia dignior eſt aliis moralibus. Hæc habet amicos omnes ferè, veteres poſt Ariſtotelem, Recent. cum S. Tho. & probatur quia Juſtitia procurat publicum bonum, reliquæ autem privatum; at verò bonum totius nobilius eſt bono partis, ergò juſtitia aliis. Eſt ratio quam ſupra contra me attuli, & juvare poteſt exemplum ibi allatum de parte, puta manu objiciente ſe periculis ut totum ſervetur: id enim partim eſt inſtinctus naturæ, quia à quolibet animali fit, idque raptim & ſine præviâ deliberatione, naturæ autem ductus eſt certiſsimus: Præterea etiam partim eſt dictamen rationis, quia rationabile eſt totum præferre parti, & maius bonum minori.

Alia probatio ſeu commendatio huius bi-blica eſt, quod D. Deus quum dediſſet legem homini in ſocietate victuro omnia fere præcepta tulit in materia juſtitiæ: tale eſt enim illud *Non occides*, item illud: *Non mæchaberis*: adhuc illud: *Non furtum facies*, & denique tota ſeries noni & decimi: *Non concupiſces uxorem proximi tui, non ſervum, non ancillam, non bovem* &c. Si enim Deus magis ſollicitus fuit de materia juſtitiæ, niſi erro ſignum eſt illam ei fuiſſe chariorem & conſequenter meliorem, illud enim eſt majus bonum quod ſummo bono magis placet: *Bonum quod amat maieſtas divina commendat.*

Exod. 20.

S. Cypr. lib. de pat.

Objiciam tamen contra priorem probationem: Quod juſtitia aut aliud procuret publicum bonum facit eam eſſe magis neceſſariam, non autem eſſe magis nobilem, ergò necdum vicit ratio aut concluſio illa, quod ſuadetur exemplo, nam in animali ſenſus tactus eſt magis neceſſarius ad totius vitam quam ſenſus viſus, quod æque certum & adhuc clarius eſt de ſenſu guſtus, qui tamen apud omnes eſt imperfectior viſu, atque etiã auditu adeoque. Diſcurſus etiam poſſet inſtitui in eodẽ animali de vita vegetativa & actibus eius, quæ ſine dubio imperfectior eſt vitâ ſenſitivâ, & multò magis rationali; & tamẽ magis neceſſaria eſt animali quã ſenſitiva, quia ſine exercitio ſenſitivæ poteſt animal vivere, ſine exercitio vegetativæ non item; ad vitam enim opus eſt alimento quod per vegetativam miniſtratur. Dici poteſt quod defectus alimenti non occidat directè hominẽ vel animal, ſed vegetabile, idemque eſſe de ſenſu tactus qui non eſt neceſſarius homini qua talis, ſed animali, adeoque. Reſpondeo omnia hæc eſſe vera proximè, abſolutè tamen eſſe falſa, quia vita rationalis, & multò magis ſenſitiva dependet à vegetativâ pro nunc ut omnes experimur, non enim poteſt mori animal & ſupereſſe homo in Petro v. g. adeoque defectus vegetativæ occidit animal & hominem, ac non tantum vegetabile ipſum: Ad rationẽ autem reſpondeo quod publicum bonum non reddit aliquid puta actum nobilius phyſicè & entitative, bene autem moraliter quod eſt proprium huius loci.

Sed, inquies, nondum deciſum eſt negotiũ, quia homo poteſt utramque vitã ducere, ſcilicet tam monaſticam quam civilem, & juſtitia non eſt prælata aliis virtutibus niſi ſuppoſito tali ſtatu. Reſpondeo proinde illas virtutes ſe habere hic ſicut excedens & exceſſum, nam ſtatus in quo aliæ virtutes eminent eſt ſimpliciter neceſſarius, non enim poteſt eſſe genus humanũ niſi ſic ſit ut poſſint ſinguli taliter apud ſe degere; iſte ergò, ſive facultas habendi eum eſt per ſe requiſitus, alius autem non ſed per accidens, eo quod homines elegerint talem ſtatum puta politicum qui facit ſocietatem, adeoque, ut dixi, eſt per accidens quod exiſtat, qui modus ſemper eſt inferior eo qui eſt per ſe. Ex alterâ tamen parte, quia ex his duobus ſtatibus ſecundus iſte ſocietatis ſive politicus eſt melior, *melius eſt enim duos eſſe ſimul quam unum*, oraculo Spiritus S. proinde quia melius eſt in hoc ſtatu videtur abſolutè præferendum; unde equidem vix auſim ullam partem abſolutè deprimere, aut etiam elevare, ſicut enim inter Sanctos, ita inter virtutes comparatio eſt odioſa.

Eccleſ. 4.

5. Quia tamen cœpi ab illa parte, quæ minus communis eſt, & alias virtutes præfert, proſequar illam ſic: Ut enim demus Juſtitiam ratione boni publici eſſe præferendam, ut hactenus tentatum, id tamen non ſufficit. Adverſ. quia juſtitia quæ

pro-

propriè ac directè bonum publicum procurat eſt vindicativa, & legalis, per quas caſtigantur exceſſus, & ſinguli præferunt ſuo bono commune: cæterum enim commutativa rectè & propriè fertur in privata bona, & inter illa verſatur: at vero neque legalis juſtitia, neque vindicativa eſt propriè & preſſè talis ſecundum Adv. ſed ſola commutativa; ex quo

Novum argumentum inſtruo non ſolum pro præſenti, ſed pro aliâ priore parte tituli, etenim propriè dicta juſtitia eſt commutativa, reliquæ autem legalis & vindicativa deficiunt à rigore & proprietate hujus virtutis, at vero nemo prudens præfert actus commutationis actibus aliarum virtutum moralium, puta temperantiæ & fortitudinis, num enim perfectius eſt vendere olera in foro quam longam abſtinentiam, etiam inediam tolerare? quam carnem flagellis tundere ut ſpiritus imperet? aut ſimiles alii actus qui homines ad culmen perfectionis ducunt, & denique miracula operantur? minime: imo timendum videtur ne inſtantia vincat quod quæ maxime juſtitia eſt, quam minimè ſit virtus, de quo fuit prima pars tituli, nam præciſe vendere, maxime vilia, vix eſt virtus, ſed inſtrumentum à naturâ datum ad vitæ commoditatem. Quis credat caupones toties habere actum meritorium quoties potum promunt? coquunt olera? dices juſtitiam non conſiſtere in venditione, (quia tunc ſuum dant puta quod eſt vendentium,) ſed in traditione poſtquam res jam facta eſt aliena: ſed contra eſt quod eodem fere recidant, nam vendendo tradunt, & tradendo vendunt: &, ſi hoc ipſum concedatur, tum mechanicæ illæ artes mercatorum & cauponum, erunt ſummè meritoriæ omnium in Reſp. quod quis affirmet? pergo jam in probando: quia inter habitus ſententia debet ferri ex præſtantiſſimis actibus hinc inde, intellige ſibi comparatis; atqui præſtantiſſimi actus illarum virtutum ſunt digniores laude quam præſtantiſſimus actus juſtitiæ: quis enim æquet commutationem ullarum mercium martyrio? vel ſententiam judicis in reum caſtitati?

6. Contra hæc objicere libet conglobata argumenta Dominici à Soto qui oppoſitum ſic probat, primò ratione ſubjecti, quia juſtitia inſidet rationali appetitui puta voluntati, cæteræ autem puta temperantia & fortitudo, ſenſitivo. Secundò ratione objecti, nam virtus eſt circa arduum ac difficile, difficilius autem eſt hominem eſſe bene affectum ad alienum bonum conſervãdum quam ad proprium, ad quod ipſa natura vehementer inclinat, quùm ergo aliæ virtutes inclinent ad bonum ipſius operantis, juſtitia autem ad alienum, fit, &c. Unde Ariſt. 5. Ethic. 1 complures in propriis uti virtute poſſunt, ſed in his quæ ſunt ad alium nequeunt, quia res eſt magis ardua: quapropter probat ſententiam illam Brantis, *Magiſtratus virum oſtendit*: quia exinde homo habet reſpectum ad alios. Tertiò ex effectu juſtitiæ, quùm enim homo ſit politicum animal, natum ſcilicet in ſocietate vivere, illa in eo virtus magis emicat per quam pax publica procuratur. Quartò quia virtus, omnium optima omnibus & omni tempore eſt neceſſaria: talis eſt juſtitia quia in bello & in pace, (fortitudo autem duntaxat in bello,) ut notavit Ariſtot. 7. Polit. 7. Quod confirmare poſſumus Ageſilai ſententia: qui Plutarcho teſte quæſitus quænam harum virtutum præſtaret? reſpondit *nihil fortitudine egeremus ſi omnes eſſemus juſti*. Sed hæc levia ſunt & in ſpeciem tantum; unde nec opus eſt illis ſolvendis immorari; quin ex dicendis diſſolventur: loquitur enim hic domi ſuæ, & domeſticis, qui ponunt morales virtutes extra voluntatem in appetitu materiali, &c.

Objicio ergo ipſe acrius: labefactatâ juſtitiâ totum Reip. corpus corruit, nam quiſque involabit in aliena bona, nemo plectetur, &c. quod tam immane malum non contingit ob intemperantiam aut ignaviam quibus temperantia & fortitudo violantur. Reſpondeo qui hæc objicit non cogitat (quod ajunt) cætera paria, ſed hinc partem, inde totum, & proinde poteſt negari illi totum: expono me; ſi intelligamus omnes eſſe intemperantes ſicut arguens cogitat omnes eſſe injuſtos, dico ſequutura hæc incommoda, aut majora: nam, ſi omnes ſunt ebrii, v. g. nihil proderunt leges, nihil judices: & involabunt in aliena bona non quæcunque ſed etiam Divina.

7. Objicio tertio: oppoſitum juſtitiæ eſt maxime malum, ergo ipſa eſt quam maxime bonum, antecedens patet in homicidio quo infertur ſummum damnum, nec enim homo poteſt plus perdere aut pati. Reſpondeo ita quidem cogitatur negotium communiter, ſed à me non item; non enim reputo homicidium eſſe iniuriam ita proprie: Cauſa quia iniuria alicui infertur, per ipſam enim quis privatur iure ſuo: at vero occiſus iam nullus eſt, atque ita in ipſo nulli infertur iniuria, & nullus privatur ſuo iure. Quæres ergo quid erit? Reſpondeo aliquid peius iniuria, ſed (inquies) tum conſequentia à fortiori curret; Reſpondeo non curret, quia tum non opponetur iuſtitiæ, unde ſequetur non quod iuſtitia ſit magna virtus, ſed quod aliud quidpiam. Contra tamen

Obiicio quartò: ſaltem adulterium eſt contra iuſtitiam, hoc autem eſt maius malum quam ullum oppoſitum temperantiæ, ergo. Reſpondeo nego argumenti minorem, quia hoc ipſum eſt oppoſitum temperantiæ: Itaque hic etiam ſimiliter teneo malitiam adulterii non eſſe quam maxime iniuſtitiam, eſt enim in duplici genere illud, & duplicem malitiam habet, unam oppoſitam caſtitati atque ita temperantiæ; aliam oppoſitam iuſtitiæ: quod autem illa ſit maior, patet, quia tolli poteſt coniuges conſentiant, hæc autem eſt intollibilis. unde nec ſimplici fornicationi auferri poteſt. Itaque quoad me non magni facio iuſtitiam in eſſe virtutis, & illam minimi quæ maximè talis eſt, ſcilicet commutativam. Judices etiam cenſeri poſſunt ſicut alii opifices inſtrumentum aliquod ſervandi compagem Reip. Confirmor in meo ſenſu, quia iuſtitia non ſubit regulam virtutis moralis (intellectualis autem virtus certum eſt quod non ſit) quum non habeat duo vitia oppoſita hinc inde, obſidentia, iniuſtitia ſeu iniuria eſt unum, aſſignetur iam ſecundum. Videtur ergo eſſe frænum ſeu obex vitii potius quam ſincera virtus, quia dare ſuum alteri eſt neceſſitatis: quæ ratio non ſegniter confirmatur ſententia illa Salvatoris. *Dicite ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus.*

* * *

ACTIO V.

Expenditur eadem in ordine ad paſſiones?

Breviarium.

N. 1. *Iuſtitiam verſari etiam circa paſſiones, probatur.*
2. *Probatio altera: Avaritia an paſſio? obiectiones in oppoſitum: ſoluta.*
3. *Aliæ morales verſantur circa actiones.*
4. *Oſtenſum id nominatim de fortitudine & temperantia.*

1 Hic etiam coercenda eſt nimia credulitas quorundam, quibus familiare eſt jurare in verba antiquorum. Propter quoſdam paſſus Ariſtotelis & Aquinatis negant plerique authores juſtitiam verſari circa paſſiones, quibus ego plane

Contradico, & oſtendo contradicendum, ſi prius monuero concluſionem eſſe indefinitam, & neque concedere juſtitiæ omnes paſſiones, neque negare. Itaque iram, libidinem, odium nego juſtitiæ, avaritiam concedo domandam, & probo in primis à paritate: quia temperantia, v.g. libidinem frænat, ergo juſtitia avaritiam, tam enim obſtat avaritia actui exercitio juſtitiæ quam libido ſive prutitus voluptatis temperantiæ & actui ejus quæ eſt moderata fruitio, vel etiam fuga voluptatum.

Poſſet etiam probationi adhiberi aliud ſimile, ſi non etiam idipſum, quia nimirum ad injuſtitiam invitat ſubinde pruritus voluptatis, hic enim ſæpe incitat ad adulteriũ quæ eſt notiſſima ſpecies injuſtitiæ, debet ergo juſtitia reprimere pruritum voluptatis quæ eſt vehementiſſima paſſio, alioquin non exibit in actum ſuum: ſi ergo habet ſubmovere omnia impedimenta ſui actus, & exercitii (quod quæque virtus facit) ſequitur quod debeat ſubmovere libidinem adeoque jam negotium eſt illi cum aliquâ paſſione, ſed non ſuadeo utendum probatione quia rem hanc propriè non tangit; etenim in adulterio duæ malitiæ ſunt, una luxuriæ per quam adulter utitur non ſuâ: altera injuſtitiæ, quia utitur alienâ, jam vero pruritus voluptatis non curat quod ſit aliena, perinde enim ſatisfaceret ille ſi foret ſoluta, adeoque virtus cujus eſt abſtinere alieno non habet luctari cum luxuriâ, quia hæc ſuo actu & intentione non fertur in alienum niſi forte materialiter, quod non facit injuſtum aut injuriam ut profitentur ipſi adverſarii. Confirmo Ethicam hanc ex Ariſt. quem adverſarii adorant quia illius judicio qui furatur propter adulterium magis eſt adulter quam fur id eſt plus peccat libidine quam injuſtitia, (quia alioqui ipſum adulterium eſt injuſtitia, & proinde non potuit opponi injuſtitiæ aut excipi ab ea,) atque ita jam repreſſio adulterii magis incumbit virtuti caſtitatis quam juſtitiæ quia ex duabus malitiis adulterii gravior eſt illa intemperantiæ ſive luxuriæ, ergo.

2. Probo ergo aliter & propriè concluſionem, quia nimirum habitus ut notum eſt ſunt facilitates, & juvant ut potentia expeditè agat, non autem ut abſolutè, qui non conferunt ſimpliciter poſſe, ſed tale, puta facile, atque ita jam habitus quiſque ex proprio munere habet ſuperare difficultates ſaltem ſui proprii actus, & eas quæ directè ei opponuntur: ſed aliqua paſſio directè opponitur juſtitiæ, ergo juſtitia habet reprimere aliquam paſſionem. Inſtantia minoris jam allata eſt, eſt enim avaritia, quia hæc inclinat ad retinenda aliena ut notum eſt.

Duo ad hæc dici poſſunt, unum eſt quod avaritia non ſit paſſio, quia non eſt in appetitu ſenſitivo, neque enim hic cogitat aut capit quid ſit eſſe divitem, quùm omnes ejuſmodi ſint in illo appetitu. Alterum eſt, falſum eſſe quod avaritia inclinet ad accipienda aliena, nam avaritia hoc non cogitat aut curat, non enim optat niſi habere divitias, quod autem ſint tales, puta Petri aut Pauli non æſtimat; & idipſum contra multorum apprehenſionem credo cenſendum eſſe de concupiſcentiâ quod ſcilicet inclinet ad voluptates, ad peccatum autem non item, aut non ita directè ſemper, quia nimirum illa vult frui tali perſonâ in ſubſtantiâ, non aliud; id autem per ſe non eſt peccatum, quia potuit perſona illa fuiſſe ipſius, atque ita conſequenter potuit ille frui eâ abſque peccato.

Sed ut hoc ultimum tanquam aliò ſpectans pertranſeam, falſum eſt omnes paſſiones eſſe in appetitu ſenſitivo, nam ira eſt paſſio, nec tamen eſt in ſolo corpore, ſed in animâ & ſpiritu, quum etiam Deus iraſci dicatur. Alterum autem illud eſt quidem verum, ſed non infringit probationem, quia licet avaritia non curet, nec intelligat hanc rem eſſe alienam, tamen homo qui intelligit, per eam invitatur ad capienda & ad ietenda ſibi aliena, ſi videat ſe talia aliter adquirere non poſſe: ultimum pro hac veritate ſit teſtimonium Ariſt. qui palam pronunciavit *moralem virtutem eſſe, circa voluptates & triſtitias verſari*: quis enim adverſariorum dubitet juſtitiam eſſe virtutem moralem: ſed 2. Ethic.

Objiciunt illi eundem 5. Ethic. docentem quod *juſtitia qua eſt pars virtutis* id eſt ſpecialis virtus, *in actionibus*, id eſt commerciis hominum *emendandis verſatur*. Hanc ſolvam ſequenti concluſione, interim

Objicio rationem, quia nimirum juſtitia eſt ad alterum, paſſiones autem ſunt ad habentem, nam reddunt hominem incompoſitum in ſeipſo, ergo juſtitia non habet agere cum paſſionibus; quod etiam extra formam argumenti patet, nihil enim refert alterius ſi ego ſim ignavus, ſi crapulæ addictus, qui defectus componuntur per fortitudinem & temperantiam, & ſic de ſimilibus, adeoque. Reſpondeo omnia eſſe vera ac proinde probare quod juſtitia ex profeſſo, ut ajunt non habet agere cum paſſionibus, non tamen efficere

quin

In 5. Ethic cap. 1. Dom. Soto lib. 3. Iuſt. q. 2. art. 3.

quin obortâ aliqua debeat compeſcere eam: fateor non eſſe probabile quod vult Buridan. iram, odium, & concupiſcentiam eſſe compeſcenda à juſtitia, & cæteras qualcunque paſſiones quando impediunt liberum exercitium ejus: ſunt quidem compeſcendæ illæ tunc ab homine juſto, at non per juſtitiam ſed per alias virtutes quæ illis ex adverſo reſpondent: Juſtitia autem, neque debet, neque poteſt id præſtare, alioquin fruſtra multiplicarentur virtutes morales, & ſola juſtitia eſſet omnes.

3. Dico etiam non rectè ſtatutum eſſe id diſcrimen inter juſtitiam & reliquas virtutes quod juſtitia verſetur circa actiones, aliæ morales circa paſſiones. Hæc eſt contra S. Thom. qui contrariam credidit ſe deduxiſſe ex Ariſt. & tamen ante me aliquis hujus commentator meam animoſe tradit & conatur defendere: videatur ubi eum cito: quanquam prioris commentator aliquis, id eſt Aquinatis miretur id ei in mentem veniſſe nedum in manum aut ſtilum.

Una pars hujus jam probata eſt quando oſtendi juſtitiam circa paſſionem aliquam verſari: Probatur altera quæ eſt, morales alias verſari circa actiones ſive dictare & efficere earum rectitudinem: ſuper quo antecedenter poſſem repetere illius Thomiſtæ admirationem de eo quod oppoſitum huius venerit ulli in mentem: nam habitus ſunt propter actus, intellige eliciendos, & principia eorum, reddunt enim quodammodo vicem quandam, quia & ipſi ab actibus geniti ſunt, & proinde ſimiles gignunt: ſi ergo aliæ illæ, puta temperantia, & fortitudo ſunt habitus, iam efficient actus. Iterum ſic: virtus eſt quæ habentem perficit & actum eius bonum reddit, ut habet ille quem putant ſe ſequi adverſarii: ſi ergo aliæ ſint virtutes, quid ſequitur niſi, &c.

Sed reſpondebunt forte illi ſe non velle quin virtutes illæ activè & efficienter ſe habeant, ſed tantum ne ſic ſe habeant domando paſſiones. Contra tamen eſt quod hoc non ſit reſpondere, ſed concedere; non enim poteſt agens creatum imminuere aliquid poſitivum nihil agendo: non poſſum habitum malum remittere niſi per oppoſitos actus bonos: v.g. ebrietatem debeo reprimere per frequentatam ſobrietatem, ſuperbiam per actus humilitatis unde egregie *S. Bonaventura*, novitios monet *quod ad humilitatem humiliatio eſt via*, & ſic de cæteris: quod etiam in naturalibus,

In ſpecul. diſcipl. c. 1.

(non tantum in moralibus) eſt videre: non enim poteſt qualitas aliqua ſubiecto expelli niſi per inductionem qualitatis contrariæ in pluribus gradibus (qui reſpondeat pluribus actibus) ſi qualitas ſit intenta.

4. Deſcendo iam ad particulares virtutes ipſas, ſcilicet temperantiam ac fortitudinem, & aio quod prima, ſcilicet temperantia inclinat ad actum, nam eius dictamen eſt agere, non vero ceſſare ab actione: explico me: dico temperantiam non velle ut quis nihil comedat, ſed ut moderatè comedat, quod ſine dubio eſt agere. Suadeo aſſumptum, quia alias virtus incideret in vitium, nam æque eſt abuſus nimium comedere ac nihil omnino, imo non æque quia multo perniciosius eſt nihil comedere, quum hoc ſit homicidium, ergo iam exercitium temperantiæ eſt actus aut agere.

Et adhuc majori pondere ratio recurrit in fortitudine, nam hic nihil agere eſt ignaviæ quæ eſt extremum quod per fortitudinem fugitur, adeoque non eſt ipſa. Confirmo, quia qui non agit, ut maximè eſt non temerarius, & habet laudem negativam; at vero laus fortitudinis eſt poſitiva. Confirmo adhuc ad hominem, nam ſecundum pleroſque adverſariorum non poteſt dari pura omiſſio libera, exercitium virtutis debet eſſe liberum, ergo non poteſt eſſe purè omiſſivum, adeoque debet eſſe poſitivum & conjunctum cum actu.

His omnibus opponunt Ariſtotelem & Aquinatem, quibus tunc tantum cedendum eſt quando ratio non præponderat: unde argumentum ab authoritate putatum revera eſt à ratione; ideo enim cedimus, & credimus dictis ſapientum præ illis vulgi aut alicuius idiotæ, quia judicamus hos habuiſſe rationes & cauſas ſui aſſerti præ illis. Sed, inquies, ratio pro illis eſt, nam paſſiones intro nos vexant, quum ergo foris non tendant, non faciunt ad proximum circa quem eſt juſtitia. Reſpondeo falſum eſſe quod paſſiones noſtræ nihil faciant ad proximos, quum multæ incitent nos ad nocendum ipſis, ira, avaritia, & ſimiles. Unde quod ſupra dixi de avaritia, ſcilicet eam à iuſtitia vincendam, exiſtimo dicendum de ſuperbia, nam & hæc inclinat ut eripiamus proximo honorem ſicut illa ut eidem eripiamus facultatem.

ACTIO VI.

Aſſignat diviſiones juris.

Breviarium.

N. 1. *Iuriſtæ, quomodo dividunt Ius? Theologi quomodo?*

2. *Ius in re, & Ius ad rem, quæ? & qualiter Iuſtum quotuplex.*

1. Videri poſſumus hoc iam feciſſe ſupra in prologomenis materiæ, ex Canonico & civili Jure, ſed non fruſtra hic titulum pono & proſequor, quia Theologus, & Philoſophus Chriſtianus aliter hic terminos accipit, & aliter Juriſperiti. Hi enim dividunt ius primò in naturale, gentium, & civile, naturale vocant quod eſt commune hominibus, ac brutis, ut conjunctio maris & fœminæ, liberorum procreatio ac educatio. Jus Gentium quod eſt proprium hominibus, & illis omnibus quaſi commune, ut religio erga Deum, obſequium erga

erga

Digitized by Google

erga patriam & parentes, bella, captivitas, ſervitus, contractus, &c. Jus Civile quod eſt proprium alicui Reip. ut civitati.

2 Theologi dividunt jus in naturale & poſitivum: Poſitivum in divinum & humanum, ultimò dividunt hoc humanum in Jus gentium, Civile & Canonicum. Jus naturale vocant illud quod eſt conſentaneum rationi naturali, nec in brutis ſed in hominibus locũ habet: Jus gentium quod omnium gentium conſenſu introductum eſt. Civile & Canonicum ſunt illis quæ ſupra, ex quibus fit aliqua eſſe de jure gentium apud Juriſtas quæ apud Theologos ſunt de jure naturali, ut eſt religio ad Deum, obſequium erga parentes, & quæcunque in duabus tabulis legis præſcripta ſunt, quamvis denique quoad ſubſtantiam rei hinc inde conveniant.

3. Tum vero ex parte termini quem reſpicit jus, aliud eſt jus in re, & aliud jus ad rem, quod etiam notavit Pontif. *Clement. unic. de ſequeſtr.* Jus in re eſt circa rem aliquam, ad quod quos res ipſa devincta eſt, paritque actionem realem: Jus ad rem eſt circa aliquam, tale ad quod res ipſa nondum devincta eſt, paritque actionem perſonalem: Primi illius juris perfectiſſima ſpecies eſt dominium; de quo expectentur dicenda Apol. 2. ſequenti, nihil enim nobis magis devinctum eſt quam cujus habemus dominium; quod tamen ſalva pace aliquorum, intelligo de dominio conjuncto poſſeſſioni. Et tale jus habet quis per emptionem, & alios contractus ſequutâ rei traditione, per collationem beneficii ſequutâ acceptatione: Jus autem ad rem compeiit ſimiliter per eoſdem contractus, emptionis, ſtipulationis, &c. ante rei traditionem: ſi enim res illa alteri vendatur interim & revera tradatur manet illi, neque tu potes illam tibi vendicare, ſed tantum habes actionem perſonalem in eum qui te fraudavit. Ex quibus fit *jus ad* aliquando eſſe circa rem nondum exiſtentem, & creditorem habere jus in re reſpectu pignoris quod apud ipſum eſt. *Malder.*

4. Denique juſtum quod reſpondet juri, & videtur dicere æqualitatem duplex eſt ſicut & ipſa æqualitas, unum Arithmeticum aliud Geometricum: illud enim rei ad rem, ut numeri ad numerum, v. g. binarii ad binarium; hoc proportionis ad proportionem: illud obſervatur in uſu commutivæ iuſtitiæ, iſtud in alterius, de quâ ſit.

ACTIO VII.

De diviſione Iuſtitiæ & Commutativam & diſtributivam?

Breviarium.

HUſe à me tractatur tomo quarto ſequenti qui eſt de Deo uno & attributis; eo quod ex his unum, & quidem inſigne ſit Juſtitia. Conſulatur locus ſicui libet, & de aliis minoris notæ diviſionibus Recent. qui in ſimilibus laxantur; mihi lubet à iuſtitia & iure iam denique ad iniuriam ferri, & quærere.

ACTIO VIII.

Quid Injuria? Et, an poſſit fieri volenti?

Breviarium.

N. 1. *Definita injuria: doctrina S. Aquinatis.*

2. *Reſolvitur contra ipſum titulum negativè?*

3. *Objicitur, & Reſpondetur onus reſtitutionis non ſemper ſupponit culpam.*

4. *Ratio à priori reſolutionis: Recent. evaſio præcluſa?*

5. *Objectio: ſoluta: qui ſe interimit an ſibi iniurius?*

6. *Reſoluti alii caſus iuxta ſuprapoſita.*

1. PRima pars tituli ſupra decisa eſt (ſaltem virtualiter) Act. 1. quùm enim ibi aſſignata ſit definitio iuris, eo ipſo exurgit definitio iniuriæ, eſt enim: violatio iuris, quæ quomodo intelligenda ſit, patebit explicata & expugnata quorundam Thomiſtarum, atque ipſius D. Thomæ doctrina.

Itaque Aquinas & ſui hic docent fieri poſſe ut quis ex ſua parte iniuriam inferat, & tamen alter iniuriam non patiatur; & etiam è contra fieri poſſe ut quiſpiam iniuriam, aut potius iniuſtum (ſic enim loquuntur illi) patiatur, quùm tamen alius iniuriam non inferat. Prioris exemplum ponunt ſi detrahas famæ alterius & ille cedat ſuo iuri in famam; poſterioris, quando per ignorantiam alteri vendis rem vitioſam quam ille putat eſſe integram.

2. Cenſeo omnia hæc falsò dicta, ut minimè & quam leviſſimè dicam impropriè. Moveor quia impoſſibile eſt aliquem pati nullo agente; ſi ergo ego patiar iniuriam, neceſſe eſt aliquem mihi facere iniuriam: impoſſibile eſt quidpiam accipi niſi aliquo dante, & ſimilia quæ etiam ſynonymè multiplicari poſſunt quùm res ſit evidens, ſed illi fortè dicturi ſunt quod etiam tunc fiat iniuſtum & iniuria, ſed impropriè. At fruſtra eſt omne, nam ratio facta exigit hinc inde æqualitatem

Digitized by Google

tatem uſque ad apices & jota ut vides, ſi enim nemo facit talem, id eſt proprie dictam injuriam, quomodo aliquis patitur? confirmo efficaciter & metaphyſicè omnia, quia efficiens eſt unde motus mutationiſq; primum eſt principium, undè implicat dari cauſam materialē aut formalem ejus cujus nullum eſt efficiens; atqui illius injuriæ nullum eſt efficiens, ergo nullū ſubjectum quod eſt cauſa materialis, &c. quæ omnia verti poſſunt contra alteram partem ejuſdem doctrinæ de aliquo inferente injuriam, & nullo patiente.

Excuſari tamen poſſunt utcunque illi, quia videntur habuiſſe conceptum verum, etſi phraſin falſam, verum eſt enim illum hominem tunc paſſum eſſe damnū, licèt non ſit verum quod paſſus ſit injuriam: at enim tunc illorum doctrina aliunde deficit, nam hujus damni datur efficiens licet non detur injuriæ.

Ratio à priori quâ hæc omnia probo, eſt, quia τὸ *iniuria* eſt terminus partim phyſicus, partim moralis; eſt enim aliquid dependens à ratione & libertate in inferente, adeoque ubi hæc non adſunt in efficiente, non fit neque provenit ab eo injuria. Suadeo aſſumptum, nam ſi vinea alicujus deſtruatur grandine, non cenſetur grando feciſſe ei injuriam, & tamen ſi homo jactis lapidibus id egiſſet, feciſſet ei injuriam: ex quo patet injuriam conſiſtere in illo morali, nam nihil deeſt grandini, niſi illa moralitas, cæterum enim in phyſico ſunt pares. *I*taque verius eſt quod dixit idem initio artic. ſcilicet injuriam non fieri niſi à volente, neque ſuſtineri niſi à nolente; de quo tamen diſceptandum eſt hic nobis ſtatim, interim

3. Objicio: Poteſt quis obligari ad reſtitutionem ex actione quæ non fuit culpa; nemo autem obligatur ad reſtitutionem niſi ob iniuriam ſeu iniuſtitiam, ergo iam datur in aliquo iniuria accepta, ubi non eſt iniuria illata: atque ita verum eſt quod D. Thom. ait contingere ut aliquis patiatur iniuriam, ubi nullus eam infert. Anteced. in quo eſt vis oſtenditur: ſi enim ego exploſi bombardam, & incendi ſegetes, quùm vellem avem aut feram ferire, teneor ad reſtitutionem ei cuius agrum incendi, & tamen non intuli ei iniuriam. Reſpondeo onus reſtitutionis ſequi ablationem rei alienæ ſive illa ſit culpabilis ſive non; quia alter ſine ſuâ culpâ non debet privari bonis ſuis, atque ita licet explodens non peccaverit, tenetur tamen reparare damnum alterius, qui per ipſius innocentiam non perdidit ius in ſua bona, adeoque habet illud adhuc ad ea recuperanda, quod ſufficit reſpondiſſe extra formam; in quâ ſi reſpondere voles negabis minorem.

Jam quoad 2. partem tituli, in promptu debet eſſe reſolutio negativa, eſt enim regula Juris à me ſupra poſita in prologomenis num. 11. Canon. quod *ſcienti & conſentienti non fit injuria neque dolus*: quo magis miteris aliquorum improprietatem in dicendo qui hanc veritatem numerant inter concluſiones ſuas, quum ſit principiū.

4. Ratio etiam in promptu eſt. quia iniuria infertur alicui per hoc quod ius eius violetur, non poteſt autem violari niſi ipſo invito, nam ſi conſentiat, cedit ſuo iuri, & permittit illud arbitrio lædentis. Confirmo efficaciter, nam nemo poteſt ſibi iniuriam facere, cuius veriſſimæ veritatis cauſa non eſt niſi quia talis non invitus patitur, quùm à ſe agente patiatur, & nemo poſſit agere nolens; ſi ergo non patitur ab alio invitus, non patitur iniuriam. Confirmatur totum adhuc à priori quia iniuria, tam activè quam paſſivè ſumpta dicit aliquid morale, ac non tantum, aut non totum phyſicum; nam ſi abſcindā arbori ramum, non facio ei iniuriam, ſi autē homini membrum abſcindam, facio, & tamen in phyſico ſunt hinc inde æquales, inæqualitas ergo erit moralitas, quæ quùm ſit libertas, denique debet eſſe, & provenire à voluntate, adeoque quod facit iniuriam eſt voluntas: unde ſi deſit voluntas, aut rectiùs noluntas, non erit iniuria, &c.

Recens tamen quiſpiam cenſuit gloſſandum tam illuſtre principium, tanquam currere non poſſet ſine commentario: dicit ergo non fieri iniuriam conſentienti, quia ius ipſius non violatur, poſſe tamen conſentiente aliquo fieri iniuriam qua violetur ius non quidem ipſius, ſed alterius bene, & ponit exemplum in ſervo, qui ſi conſentiat in ablationem bonorum ſuorum. facit ne auferens ea inferat ei iniuriam, non facit autem, ne inferat eam alteri, ſcilicet domino eius, quia dominus habet ius in bona ſervi ne auferantur. Sed non intelligo hanc Ethicam ſatis, & proinde libet ſciſcitari hos commentatores, uter illorum bonorum ſit dominus, herus an ſervus? ſi ſervus, iam nec illi nec alteri fit iniuria: ſi herus, tum caſus non eſt exceptio à regulâ, uterque autem eſſe non poſſunt, quia unius rei non poſſunt eſſe duo in ſolidum domini, quæ mihi eſt regula iuris, non minus illuſtris quam illa quæ dictat quod *iniuria non inferatur volenti.*

5. Eſt tamen aliud quod propemodum labefactat hanc veritatem, & fidem eius, ſaltem apud me; eſtque quod quidam Doctores hanc regulam explicantes diſtinguunt duplicia bona; alia quorum nos domini ſumus, ut honor, fama etiam ſecundum quoſdam, & bona fortunæ, in quibus poſſumus cedere noſtro iuri: alia quorum non ſumus domini, ſed ſolum cuſtodes, ut eſt vita, corpus, membra, ſanitas, coniux, proles, &c. in quibus iuri noſtro non poſſumus renunciare. Itaque regulam iuris volunt valere in primi generis bonis, in aliis autem non, ac proinde in his volentem poſſe pati iniuriam: cuius cauſa eſt, quia quùm ceſſio iuris ſit invalida, totum illud ius permanet in ſuo vigore, ac proinde ſi contra fiat peccatur contra iuſtitiam. Hanc difficultatem ſuperare conatus eſt Recens quiſpiam iam citatus per hoc quod homines non ſic loquantur, nec ſoleat vocari talis iniuria: ſed quanti id refert ſi talis ſit? num res vocibus? philoſophia vulgo accommodanda eſt? itaque contra exceptionem ratione agendum eſt, quod ſic præſto: etenim illa ſupponit & aſſumit falſum, quod ſcilicet in iam enumeratis homo non poſſit renunciare ſuo iuri, quod illis authoribus nego; nullum enim ius eſt cui non poſſit habens illud renunciare, ſicut nulla res eſt quam non poſſit donare is qui illius dominus eſt, nam hoc includitur in ipſo conceptu dominii ut poſſit quis libere diſponere de re ſine ullius iniuriâ, ſi ergo ſit aliquid de quo quis non poſſit liberè diſponere donando, vendendo, cedendo reſignando, dicendum eſt quod ſic impotens non eſt dominus illius rei.

Dices, non agitur de re, ſed de iure in ipſam Reſpondeo primò hæc eſſe ſynonyma, & proinde non fuiſſe locum exceptioni replicantis ſignificatæ per particulam *ſed*; nam me donare tibi librum, eſt me cedere iuri meo in illum, atque in te illud transferre, reliquum autem eſt cedere poſſeſſioni vel uſui, &c. Secundò etiam ad idem dico ha-

co habentem dominium rei alicujus, puta prædii aut libri eſſe dominum non ipſius rei tantum, ſed etiam ſui iuris in ipſam: quia etiam de ipſo jure diſponere poteſt reſignando & transferendo illud in quem vult.

Inſtabis: ſi ita ſit, tum in quolibet reſpectu cujuslibet reculæ erunt infinita iura, quod ſine dubio abſurdum eſt, ſed probatur ſequi, quia ille in primis habet ius in rem illam, puta acum, tum etiam habet ius in ipſum ius ſuum in eandem acũ; quod ut verum ſit, neceſſe eſt eum habere tertium ius in hoc ſecundum ius propter eandem rationem, & ſic de aliis in infinitum: Reſpondeo tamen negando ſequelam propter rationem Scoti Subtili dignam quâ iam olim coercuit hanc infinitatem in relationibus: dicit ergo D. quod quãdo fundamentum non poteſt eſſe ſine termino, tunc relatio identificatur ipſi, neque opus eſt ut illa ſit forma diſtincta, ſed coincidere cum præcedenti, ut latè ex ipſo explicavi Tom. 1. Apolog. de Relationibus: quia ergo non poſſum eſſe dominus rei, puta prædii, niſi ſim etiam dominus iuris quod in illam habeo, proinde dominium meum in rem coincidit cum dominio in ius, &c.

Eſt tamen adhuc aliquid quod contra dici poſſit; nempe ſtat quod aliquis habeat ius in rem, nec tamen poſſit cedere ſuo iuri, unde & Juriſtæ definiunt dominium, quod ſit poteſtas diſponendi de re aliquâ niſi lege prohibeatur, ut infra ſtatim Apol. & Act. ſequenti; non ergo ſequitur quod quis non habeat ius ex eo quod non poſſit ei cedere, adeoq; male impugnata eſt à nobis doctrina Adverſ. Reſp. eſt quidem illa exceptio ab eâ veritate ſed ſola; ad propoſitum autem non facit, quia non conſtat de ulla lege Dei (quæ tamen ſola obſtaret) quâ prohibentur creaturæ diſponere de his rebus in quas habent ius: unde unum ex duobus dicendum eſt, quod aut illi non ſint domini harum rerum, aut certè poſſint cedere ſuo dominio.

Objici tamen poteſt; ſi ita ſit, ſequitur quod qui ſe interficit non faciat quidpiam injuſtum, conſequens autem eſt falſum, quia talis eſt homicida, & ipſa civili lege punitur. Qua die Coloniâ ubiorum abſceſſi vidi tres patibulo pendentes, ex quibus tertius appenſus eſt à miniſtris iuſtitiæ eo quod ſe ipſe interemerit, patet tamen ſequela, quia volentem occidit. Reſpondet Recens citatus & ex illo alius eius ſocius feciſſe quidem eum iniuriam, at non ſibi ſed Reipub. & etiam Deo (ſecundum D. Thom.) quia hic quam maximè eſt vitæ humanæ dominus. At enim vix horum aliquod auſim approbare; & in primis illud de Rep. neſcio an quadret cum horum aut horum principiis: nam quũm hominis erga Remp. & viciſſim Reip. erga membra ſua id eſt particulares homines iuſtitia ſit legalis, hæc autem non ſit proprie dicta iuſtitia, neſcio quomodo illa faciat iniuriam. Jam ad ſecundum de Deo, hic quidem eſt in omni rigore dominus, ſed per mortem hominis non perdit omnino, ſivè planè & plenè dominium ſuum: quod oſtendo dupliciter; primò ſic, quia homo per mortem non planè perit, imo nihil illius perit, non corpus, non anima, (unio autem non eſt pars hominis, ut nec ullius totius, ſed conditio) quorum utrumque quia poſt mortem manet, proinde manet intra dominium Dei. Aliter ſic, quia qui rem ablatam ponit in loco unde is cui eam abſtulit facile eam habere poteſt, nullum damnũ infert ei cui eam abſtulit; atqui Deus nullo negotio poteſt hominem mortuum ſibi re habere ut prius, vivificando ipſum, adeoque, Sed huic ſecundo vix fido, quia nec in ipſis humanis id ſemper ſufficit, tenetur enim is qui aufert reponere rem in locum unde dominus eius ſine novo ſumptu aut moleſtiâ eam rehabere poſſit: licet autem Deus poſſit hominem vivum recipere, ſi velit eo quod ipſe eum poſſit vivificare, tamen id non facit ſine aliquâ, ut ſic dicam moleſtiâ, quia debet novam actionem, non quamcunque habere non qualemcunque ſed miraculoſam. Tertiò adhuc acrius, quia quantumvis res omnes ſint D. Dei, tamen quando abutimur illis, ſive eas contra ipſius voluntatem tractamus, non facimus furtum reſpectu ejus, licet auferamus eas invito domino quæ eſt quaſi definitio furti: dici poteſt cauſa eſſe quia tum non auferimus D. Deo rem, nec ponimus eam extra ſphæram juriſdictionis eius, quum illa ſit ubique. Sed oſtendo hoc etſi verè, non tamen ſufficienter dictum; nam ſi deſtruam rem furto ablatam, v. g. incendam ligna, jam poſui illa extra peculium & juriſdictionem Dei, & tamen non feci ei injuriam. Itaque cenſeo minus verè dictum, quod fiat tunc injuria Deo, minus proprie quod fiat Reip. veriſſimè autem quod non fiat occiſo. Qui autem tam addicti ſunt ad inveniendam hic iniuriam, vertere ſe habent ad filios, uxorem, &c. occiſi, quorum juri ille non potuit renunciare.

6. Atque ex his patet ad alios caſus qui hic objiciuntur de occidẽte alium volentem, de proſtituente uxorem aut filiam, de dante pecunias ad uſuram: nam ultimum hoc non eſt caſus præſentis, quia accipiens non eſt ſimpliciter volens, unde dans ad uſuram, per iniuriam accipit ultra ſortem, quia acceptum aufert ſimpliciter invito. De primo autem abſolutè idem cenſeo quod de occidente ſeipſum ſupra, in caſu autem aliquo non item, nam ſi quis ex vulnere eſſet moriturus, certiſſimè, & interim in tormento agonis, non videtur reus homicidii qui acceleraret ei mortem, puta qui ſtringeret laqueum ut citius moreretur is qui iam pẽdet in cruce, quia talis non infert mortem, ſed circumſtantiam eius. Dices, iſte fuit caſus Amalecitæ qui occidit Saul regem, & tamen David ad judicavit eum morti propterea. Reſpondeo factum Davidis refertur à ſcripturâ, non laudatur: Poſſumus tamen excuſare illud utcunque quia David iudicavit reum confeſſum, nam adoleſcens confeſſus eſt ſe occidiſſe Saulem; illis: *occidi eum*, unde *& David ait eum: ſanguis tuus ſuper caput tuum: os enim* (nota tuum cauſalem) *loquutum eſt adverſum te dicens: Ego interfeci Chriſtum Domini.*

Tractant hæc

Ariſtot. *lib. 5. Moral.* Nicomach. *& .. mag mor. & Moral. Eudemior. lib.* S. Iſidor. *lib 5. Etymolog.* Buridan. 5. *Ethicor. Iuriſconſulti in Pandect. ff. de Iuſtit. & Iur. d. 12.* Canoniſtæ *in Decret diſt. item 1.* Magiſter *ſentent. 3. diſt. 36.* D. Thom. *ibid. & 2. 2. qu.* Subtilis *in loco utriusque thematis ſupra.* Guliel. Budæus *in Pandect. princip.* Dominc. Soto *lib. 3. de Iuſt. & Iur.* Tarquin. Gallut. *in Comment. Ariſt citati.* Franc. Suar. *Tom. 2 de Relig.* Mart. Becan. *tract. de Iuſt. & c. c. 1.* Ioan. Malder. *ibid.* Adam. Tanner *Tom. & diſp. 4* Anton. Hiquæus *in Commento* Scot. *citat.* Ludovic. Mollina *Tom. & diſp. 1.* Leonar. Leſſius. *lib. 2. de Iuſtit.* Ioan. Lugo. *Tom. 1. de Iuſt. diſp. 1.*

APOLO-

Digitized by Google

APOLOGIA SECVNDA

De dominio, uſu, proprietate & Poſſeſſione.

ACTIO I.

An in uſu conſumptibilibus dominium ſeparari poſſit ab uſu?

ACTIO II.

An Eccleſiaſtici Regulares habeant dominium rerum illis, aut earum domibus conceſſarum; necne?

ACTIO III.

An clerici ſint domini beneficiorum aut fructuum quos ex illis percipiunt; necne?

ACTIO IV.

De emolumentis Poſſeſſionis.

Scotus *4. diſt. 3. q. 2. num. 6.*

EXemplum iſtius haberi poteſt *extra de verb. ſignif.* Exiit. & eſt hodie in *6. lib.* ubi dicitur ſententialiter quod retento dominio concedere aliis uſum non eſt inutile, quia uſus ille neceſſarius eſt utentibus, & à ſimili in propoſito concedere poteſtatem ſui corporis ad talem actum ſi petatur retento tamen uſu, quia certum eſt quod ab illo non petetur non eſt inutile. Hoc tamen exemplum patitur calumniam, quia non ita videtur quod uſus poſſit reſervari dominio tradito ſicut è converſo, quia poſterius magis traditur ſine priori quam è converſo, ſed quoad hoc, videlicet quod alicui poteſt competere unum ſine alio, &c.

Idem *diſt. 15. quaſt. 2. num. 11.*

NOn poteſt monachus dare ſine licentia abbatis, nec filius familias ſine voluntate parentis, nec etiam clericus in aliquo caſu ſine voluntate, vel ſaltem contra voluntatem Papæ, ut habetur *Extra de Cenſ. C. Romana*: ad cuius capituli obſervationem pœnam poſuit Gregor. X. cuius capitulum eſt hodie in VI. Libro *Decretal. C. Exigit, &c.*

ACTIO I.

An in uſu conſumptibilibus dominium ſeparari poſſit ab uſu?

Breviarium.

- *N. 1. Dominium apud Iuriſtas quid?*
- *2. Scrupuloſi illi in ſua definitione: & quomodo? Allegatus Apoſtol. ad* Galat.
- *3. Occaſio controverſia: Honor religionis Franciſcana.*
- *4. Reſolutio affirmativa tituli: probatur pluries.*
- *5. Defertur* Ioanni XXII. *& probabiliter ſtatuitur uſum auferre dominium priſtino proprietario.*
- *6. Probabilibus tamen eſſe oppoſitum, probatur.*
- *7. Veri profeſſores* Ord. S. Franc. *omnes & ſoli in quibuſcunque rebus habent ſolum uſum, nihil dominii.*
- *8.* Ioann. XXII. *an? & quomodo oppoſitum ſuis* Extravag *declaraverit? & quomodo non opponatur prædeceſſoribus ſuis* Clement. V. *&* Nicol. III.
- *9. Objectiones ex ratione poſita, & ſoluta.*

1. IN toto hoc tractatu profiteor me agere philoſophum Ethicum, non juriſperitum, ac proinde decidere difficultates ratione practicâ, magis quam paſſibus legum aut legisperitorum? non quia non poſſim etiam alterum hoc efficere ſi ſtatuiſſem, nam id negantes prævenî in prologo ſupra feſtivo illo M. Ciceronis: *ſi mihi vehementer occupato ſtomachum moverint, triduo me juriſconſultum profitebor.* Sed quia non eſt dignum operæ pretium, quùm quilque vel modicè linguæ latinæ peritus per ſe id addiſcere poſſit, & præſtare: præterea etiam quia ſunt fragilia, & loco ac authoritate mobilia, quum ſint hominum placita quæ ſcimus paſſim mutari.

Digitized by Google

Quia tamen nonnulla in facto pendent ab eorum leitu, ad redimendam moleſtiam, ne toties ea repetere cogerer, ſemel omnibus præmiſi ea jam ſupra in limine ut jam ſupponere poſſem primam partem tituli de dominio, uſu, &c. niſi Theologi quibus hoc opere præludo aliter horum aliqua acciperent ac jura ibi præmiſſa. Itaq; dominium quod propriè & perfectè tale eſt, à juriſconſultis definitur, *Ius perfecte diſponendi de re corporali* niſi lege prohibeatur: quam definitionem Theologi non recipiunt per omnia, nolunt enim illam particulam *corporali*, quia volunt dominium concernere res etiam non corporales, ut famam, libertatem; legiſtæ non item ſive non abſolute ſed cum reſtrictione vocant hoc, *quaſi dominium*; & ſimiliter poſſeſſionem eorum *quaſi poſſeſſionem*; ſed diſcrimen eſt tenue, & definitio redditur Theologica ſive Ethica dempto ly *corporalis*; quod ſufficit dixiſſe de primo & ultimo. De uſu autem, qui fuit duorum medius, jam dixi, Act.6. quæ enim huc ſpectant ſunt diviſiones ejus maxime autem in *uſum iuris & facti*.

Viſum eſt autem juris hujus peritis addere reſtrictionem illam niſi lege prohibeatur, quia nimirum extant jura quædam quæ prohibent quoſdam aliàs dominos, diſponere de ſuis, id enim in majoratibus, fideicommiſſis & bonis pupillorum accidit, nam minorennes quamvis primogeniti, & pupilli & legibus vetantur diſponere de ſuis bonis uſque ad certum tempus, utique ob ſuum & Reip. bonum.

2. Ego tamen non video neceſſitatem hujus additamenti, ne quidem ſi concedam leges illas latas eſſe, & adhuc vigere: Cauſa, quia poſitis & ſtantibus illis legibus perſonæ illis comprehenſæ poſſunt diſponere de rebus ſuis aut non poſſunt: ſi non poſſunt, ſequitur quod dominium ablatum ſit ipſis, neque amplius maneat apud eos, cujus contrarium Iuriſtæ docent: ſi non poſſunt, illa exceptio non eſt exceptio, quia ea non obſtāte tota difficultas verificatur. Confirmo & explico, quia per leges illas non eſt impeditum nec imminutum dominium ſed exercitium eius: at vero hic non eſt definitum exercitium dominii ſed ipſum; ergo. Itaque poterant illi Iuriſperiti continere apud ſe exceptionem illam, & definitionem liberam permittere, quod Theologi feciſſent niſi fuiſſent Iuriſtas ſequuti; dicunt enim dominium nihilominus manere apud perſonas illas, & præterea id probant loco Apoſtoli ad Galat.4. Quod ut videamus quam vere ſit dictum libet ipſam ſententiam Apoſtoli citare; eſt enim iſta: verſ.1. *Quanto tempore hæres parvulus eſt nihil differt à ſervo quùm ſit dominus omnium, ſed ſub tutoribus & actoribus eſt uſque ad præfinitum tempus à Patre.* Ecce palam affirmat hæredem minorennem eſſe dominum omnium bonorum: quod ſane ſufficit omnibus tam Theologis quam Iuriſtis ni quid obſtet, ut videtur obſtare, quia ibidem Apoſtolus ait eum nihil differre à ſervo; ſervus autem non habet dominium ullius rei. Præterea quum dixiſſet eum eſſe *dominum*, ſubdidit exceptionem, *ſed ſub tutoribus eſt*, unde tutela illa & ſubeſſe debet mortificare & imminuere in aliquo illud prius. Ad hæc, Apoſtolus videtur loqui de hærede cuius pater vivit, intelligi poteſt ex illo: *uſque ad præfinitum tempus à Patre*; at verò hæres vivente patre non eſt dominus bonorum, quùm ipſe pater ſit, neque poſſint eſſe duo in ſolidum. Verius tamen videtur loqui de filio orphano, ſive cuius pater obiit, alias enim non eſſet opus *tutoribus & actoribus*, quum ſufficeret ipſe pater. Illud autem, *uſque ad præfinitum tempus à patre*, rectè intelligitur in teſtamento patris per quod inſtituit ſolent tutores.

Propter hæc quæ in utramque partem ventilavi, probo aliter punctum principale ratione, quia nimirum leges nō poſſunt privare hominem ſuo jure; ſi ergo (ut fatentur authores & gloſſatores definitionis) pupilli & minorennes ex naturâ rei ſunt domini paternorum bonorum, debent eſſe non obſtante lege, quia nimirum lex non poteſt obſtare, licet pro bono ipſius pupilli vetet ipſi attrectationem bonorum, ſicut merito negatur depoſitum inſano quando timetur eo abuſurus: v. g. gladius.

3. Iam ad ſecundam partem quæ principalior eſt, illa lentius à me tractanda erit, quùm propter meos ſit cæpta, eamque noſtro Ordini debeant ſcholæ. Quippe occaſionem ei dedit Evangelica paupertas quam S. P. Franciſcus ſuis impoſuit ita arctam, non ſolum ſingulis ſed omnibus, hoc eſt fratribus cunctis non in particulari tantum ſed in communi, quùm aliæ religiones omnes omnino habeant dominium in cōmuni, licet nemo unus in particulari illud habeat ut communiter tenetur, de quo infrà. Præterea vero hæc abdicatio proprietatis nullis terminis eſt concluſa quia nullam rem excipit ne quidem neceſſariam vitæ, de quo & aliis ſtatum noſtrū concernentibus quum dubitatum eſſet aliquamdiu, denique duo ſummi Pontifices Nicol. III. & Clem. V. Regulam ipſam expoſuerunt, S. Franciſci commentatores, quem proinde percunctari libet, illo Eccleſiaſtici: *Quis poteſt gloriari ſimiliter ſic tibi?* Eccl. 48. nullus ſanè, & nullius Religionis inſtitutor.

Ad hæc, lis eſt aliunde ſolemnis, nam in eâ vertitur authoritas Pontificia, quia poſtquam Nicol. Pp. definivit totum ordinem, & ſingulos Religioſos carere proprietate omnium & ſingularum rerum, Ioan.22. voluit negotium iterum ventilari, quod ut tuto fieret ab aliis præter ipſum, quibus omnibus id erat vetitum Decretal. illis, ſuſpēdit cenſuras à Nicol. & Clem. latas in eos qui rem in dubium verterent, & ipſe denique oppoſitum declaravit tribus Extravag. quæ iam relata ſunt in ius: ſicut etiam Nicolai & Clem. declarationes ſunt de corpore Iuris: quod certè non parvum eſt ordinis ornamentum ut ſcilicet expoſitiones Regulæ eius aliis ſint regulæ, & corpus Iuris.

Ad rem ipſam decidendam videtur quibuſdam, diſtinguendum inter res uſu conſumptibiles, quales ſunt alimenta, & alias quæ uſu non conſumuntur ſtatim, ſed ſuperſunt poſt eum, ut ſunt veſtes, ſedilia, &c. Sed revera, ſi res penitus attendatur, vix invenietur diſcrimen niſi ſecundum magis & minus, nam etiam veſtes & ſedes uſu conſumuntur, licet non uno, & qui totum uſum veſtis haberet, poſſet de eo diſputari an non eſſet dominus, ſicut de eo qui habet unum uſum cibi: nihilominus quia res eſt magis expedita in iis quæ uno ſolo uſu abſumuntur, utar illis in decurſu, & iam.

4. Dico primo uſum & dominium diſtingui poſſe, ſecluſa Ioan. ſententiâ in quibuſcunque rebus, etiam quæ uno uſu abſumuntur, nec poſſunt expectare ſecundum; & ſecundum aliquos à fortiori ita eſſe in iis quæ ad multos uſus durant, ſecundum me non, ſed à paritate. Hoc dictum ultra omnia fere eſt celebre authoribus ab utraque

que

Digitized by Google

que parte, alibi videbis privatos Theologos altercari, hic Pontifices, oppoſitum enim huius docuit Joan. 22. in *Extra ad conditorem canonum*: quam reclamantibus noſtris edidit ſecundò & auxit; item in aliis duabus, quas ſequuti ſunt *S. Antonin. Sylveſter Turrecremata* &c. Sed cum concluſione & pro ipsâ ſunt multo plures qui omnes tenent noſtri ordinis Profeſſores licet habeant uſum rerum, non tamen habere earum dominiũ. Id enim declaravit *Nicol. III.* in Extr. *Exiit* & poſt eum *Clem. V.* ſæpedicti, & ante priorem horũ qui eſt Nicol. Idipſum cenſuerunt *Innoc. IV. Alex.* item *IV.* ejuſdem noſtri Ordinis, & *Greg. IX.* quos Nicol. pro ſe citat: & ex ſpeculativis Doctorr. idipſum pro certo tenuerunt poſt Joan. quotquot videre potui. *Soto: Navar. Leſſius, Becan. Malder.* ut mirum ſit quam cito defecerit ſequela Joannis poſt ipſius tempora, non obſtantibus fulminibus cenſuratum quas ille vibravit.

P. 4. tit. 12. art. 4. V. Dominium c. 3. ſum.

L. 4. de Iuſt. Com. 2. de Reg. Lib. 2. c. 3. cap. 2. q. 9

Hanc partem probo in primis ad homines, ſive ex confeſſione Adverſatiorum nam inter illos ſunt Iuriſtæ aliqui, & interim omnes tenent pupillos & minorennes habere dominium hæreditatis ſuæ, non habere uſum: ecce ergo dominium ſeparatum ab uſu in rebus conſumendis, tametſi uno deſtruantur. Neque verò aliud tenere poſſunt quùm tot legibus & pandectis ad hoc cogantur; ita enim habent. *L. Iuſiurandum* 17. §. & ibidem *Gloſſa Pupillus de iuretur.*

Secundum argumentum formo ex altera parte, nam aſſignabo caſum in quo uſus ſeparetur à dominio, eſtque quùm quis ſurripit furto aliquid ſive conſumptibile uno uſu ſive pluribus, ſive nullo; talis enim rei fur uſum habet evidenter, certe autem dominium aut jus non habet quùm non potuerit ſpoliare proprietarium ſuo jure.

Tertiò redeundo ad jura propter Iuriſperitos. *Inſtit. de uſu & habit.* ei qui nudum uſum fundi habet, concedit ut oleribus & pomis ad quotidianum victum utatur: ubi planum eſt negari ei dominium; nam ſi hoc haberet nihil ei poſſet negari quum poſſit pro libitu diſponere de fructibus vendẽdo, permutando, donando, &c. Simile argumentum eſt quartum hoc quod primo loco fuit ponendum; eſt enim biblicum ex Deut. 23. *Ingreſſus vineam proximi tui comedes uvas quantum tibi placuerit, foras autem ne efferas tecum. Si intraveris in ſegetem amici tui franges ſpicas & manu conteres, falce autem non metes.* Quibus legibus apparet ipſe Deus diſtinxiſſe inter uſum & dominium; clarum eſt enim quod utrobique uſum alienæ rei viatori conceſſerit, non quemcunque ſed qui conſumit rem; & tamen proprietario dominium reſervavit; ſi enim illud viatori conceſſiſſet non interdiceret ei ablationem uvæ, aut meſſem ſegetis (quod fecit, quia dominium includit poteſtatem ad hæc & cætera quæque.) Et denique non eſt opus hic multis probationibus, nam ut bene adverterunt Navar. & Malder. idem plane contingit convivis & ſervis; etenim invitans ad convivium non facit hoſpites dominos ciborum aut ſupellectilis: & tamen omnium uſum concedit qui illas res quâ in parte, qua in toto conſumit: nam ſupellex uſu teritur, & partialiter deſtruitur, cibus ac potus totaliter. De ſervo autem apud Iuriſtas certum eſt quod nullius rei dominium habeat (quùm omnes domino adquirat) & quam minimè bonorum domini; quùm ergo conſtet eum habere uſum aliquarum, manifeſtè patet uſum ſeparari à dominio.

5. Quia tamen Pontificia authoritas ubique ſervanda eſt (qua licet) indemnis, & Joan. Pontifex conſtanter ab oppoſito ſtetit, atque etiã utcunque ratio, licet meorum res agatur, abſit tamẽ ut plus deferam affectui quam veritati: Cenſeo igitur in rebus quæ uſu conſumuntur, dum conſumuntur aut jam ſunt conſumpta, dominium probabiliter non eſſe apud priſtinum proprietarium. Oppoſitum huius non exprimunt authores adverſi, ſed ſentiunt apud ſe certiſſimum; ego autem ſic improbo ratione quæ magis refert, poſtea citabo jura: ſit ergò exemplum in ovo, v. g. quod dum comedo, aut ſorbeo, vel in agno, quem occido, ſi dominium ovi ſit apud priſtinum proprietariũ, aut exſtat apud eum antequã ego illud ſorbeam; aut dum ſorbeo, aut poſtquã abſorbui illud. Si primũ dicatur, nihil favet adverſariis ſed aliquid detrahit, nam ſic dominiũ & uſus non ſeparantur, quoniam apud eundem manent, ſcilicet apud ipſum proprietarium, ego enim nihil habeo cum ovo ante uſum, ut ſuppono. Secundum autem dici non poteſt, (& multò minus tertium) quia dominium eſt poteſtas plena diſponendi de re pro ſuo libitu; at verò talem non habet Petrus proprietarius reſpectu ovi tunc, non enim poteſt aliter diſponere de ovo pro tunc, quum ovum nõ poſſit bis perire ſimul, nec (niſi multò minus) perire & manere, ſive non perire ſimul. Confirmo, quia potentia moralis ſupponit phyſicam, qui enim nullus eſt, etiam nullius eſt, *nec poteſt id fortuna tenere quod natura dimiſit*: atqui tunc eſt phyſica impoſſibilitas diſponendi aliter de ovo, ergò & moralis cujuſmodi eſt dominium, proprietas &c. Si quis ſuperveniat cum Metaphyſicâ diſtinctione ſenſûs compoſiti & ſenſus diviſi, quaſi in illo priori proprietarius non habeat dominium, in ſecundo autem habeat, obruetur tertiâ parte argumenti, ſic enim poſſet is ineptire ut dicat etiam poſtquam res eſt conſumpta dominium remanere apud priſtinum proprietarium, quia ſi non interceſſiſſet conſumptio, maneret: ipſe autem eſt cauſa cur interceſſerit &c. in quibus conſiſtit ſenſus diviſus, quo quid ineptius in praxi? ergò &c.

Profetam etiam pro hoc eodem jura, nam *ff. de uſufruct. L. 1.* cavetur ne pecuniæ uſus poſſit legari abſque ipsâ, neque aliarum rerum quæ uſu conſumuntur, quia nemo his uti poteſt niſi conſumendo: & propterea quantum ex illo titulo colligitur, ad genus quoddam mutuationis ſpectat, ut bene Sotus ibi; tenetur enim recipiens iſta relinquere ſyngrapham danti quâ fateatur ſe debere & velle reſtituere rem legitimo hæredi. Et *ff. leg. omnium* §. *Conſtituitur* prohibetur uſusfructus perpetuus eſſe, ne inutilia ſint dominia.

6. Cenſeo nihilominus probabilius eſſe quod maneat; Cauſa, quia quod non eſt, non poteſt deſtrui, quod ergò deſtruitur, eſt. Dices negotiũ eſſe in oppoſitũ, quia quod generatur eſt, quod ergò corrumpitur non eſt, quia oppoſito modo ſe habent. Reſpondeo oppoſito modo ſe habent quoad terminos, non oppoſito quoad tranſitũ, quin magis in hoc conveniunt. Confirmo ultimò ad propoſitũ, puta moraliter; nã qui donat aut vendit in eo inſtanti eſt dominus, & habet rem intra ſuum jus, alias non poſſet donare, nemo enim dat quod nõ habet; ergò ſimiliter res quæ abſumitur quando abſumitur, eſt, atque adeo illius eſt cuius fuit eò uſque. Hinc ad rationes pro præcedenti aſſerto nego quod natura illam rem dimiſit, ſed dimittit. Ex Juribus autem illis primum facit pro

Digitized by Google

præſenti negotio, nam *exceptio firmat regulam*; quod ergo prohibetur faciendum ſupponitur fieri poſſe, alioqui fruſtra tereretur tempus in eo prohibendo, ſicut ſtulte fieret lex quæ vetaret homini volare. Jam ad finem vergendo

Dico ultimò veros profeſſores & obſervantes Regulæ Seraphici P. N. Franciſci, ſolum uſum facti in rebus quibuſcunque habere, dominium non habere. Hic profertur ille Phœnix religionis Franciſcanæ ob hoc à Concilio Trident. ſeorſim poſitæ, cui neſcias quos ex ſuis adjungit Sotus citatus. Concluſio quum ſit facti & non juris de quo hactenus, quaſi hiſtoricè probanda eſt. Sit ergò prima hæc: quia ex Reg. Jur. Beneficium non confertur invito; Religio autem non vult ſed odit & abnuit omnis rei dominium, ergo non accipit aut habet. Secunda, quia ut inquit organum illud Spiritus S. Franciſcus: *Hæc eſt illa celſitudo altiſſimæ paupertatis*; atque ita Franciſcana paupertas eſt tanta quâ major haberi non poteſt; poteſt autem haberi major illa quæ admittit dominium rerum in ſua communitate, licet in ſingularibus membris reſpuat illud, qualem paupertatem ſervant aliarum Religionum profeſſores; id enim declaravit teſtis omni exceptione major Innocent. Pap. IV qui fuit ordinis S. Dominici, atque ita in hac re maioris fidei (ait Malderus) quam Joannes: quod etiam eum feciſſe fatetur idem Joan. in illa Extravag. *Quia quorundam*.

7. Tertiò, quia Religio Franciſcana profitetur Evangelicam paupertatem eam ſcilicet quam Chriſtus D. & Apoſtoli obſervarunt: Atqui Chriſtus D. nullius rei proprietatem habuit: multorum autem uſum: ergo apud nos manet uſus abſque proprietate: Prima propoſitio huius eſt ipſum principium regulæ noſtræ: *Regula* enim *& vita fratrum Minorum hæc eſt ſcilicet S. Evangelium D. N. Jeſu Chriſti*, &c. Minor declarata eſt à Nicol. Pap. III in Decretal. *Exiit Tit. de verb. ſignif.* Nec refert quod ibidem dicatur Dominus præiviſſe exemplo etiam imperfectis, atque ita aliquando admiſiſſe dominium; nam quidquid de hoc ſit, ex Decret. habetur in primis ſeparabilem eſſe uſum a dominio, quia Chriſtus ea ſeparavit. Deinde habetur in nobis etiam illa eſſe ſeparata, quia nimirum nos profitemur ſequelam Chriſti in iis quæ erant perfectionis, non in iis quibus condeſcendit infirmitati plebis.

Quartum & ultimum ſit determinatio Sedis Apoſtolicæ quæ ex his concluſionibus primam & tertiam approbavit. Michael Cæſenas noſtri Ordinis olim Miniſter Generalis in epiſtola ad Ludovicum Bavarum Imperatorem enumerat novem Pontifices pro his veritatibus quos ego hic eodem ordine recenſebo: Sunt enim Gregor. IX. Innoc. IV. Alexand. etiam IV. Clem. IV, Greg. IV. Martini omnes quarti. Nicol. III. Bonifac. VIII. & Clem. V. ut jam non videatur relictus ambigendi locus: Si quis autem ſit eum aperiam in ſequentibus.

8. Primò autem (ut par eſt) objicio authoritatem Joan. XXII. qui oppoſitum definivit; & (ne putetur ſolus) dicit Nicolaum contra alium ſuum prædeceſſorem determinaſſe, ut non ei objici poſſit quod ſententiam à prædeceſſore approbatam reprobaverit; Et videri poſſit hæc materia *Lapis offenſionis & petra ſcandali* in quam Petri navis ſaltem apparenter offenderit. Ad hoc ego (quia cauſa eſt mea) reſpondeo alterius verbis Ioannem Papam laceſſitum à Guilielmo Ockamo noſtri Ordinis qui contra eum adhæſit Ludovico. Bavar. Imp. maximè intendiſſe quod Franciſcani non habeant merum uſum facti, ſed etiam juris, atque dominium: quod ut probaret, aſſumpſit, in rebus uſu conſumptibilibus nec jus utendi nec legitimũ uſum facti poſſe ſeparari à proprietate ſeu dominio: In quo ſive ille errraverit, ſive Nicolaus & eum ſequuti, nihil conficitur contra infallibilitatem ſedis Apoſtolicæ in definiendo; non enim illa eſt univerſalis, ſed in rebus fidei ad quas hæc quæſtio non ſpectat, quum ſit quaſi merè mœchanica & mercatoria, ut maximè profana legis peritia. 10. Mall.

At enim fæx huius nondum eſt exinanita nam Ioan. in Extra: *Quia quorundam*, ſtatuit ut quiſquis contra definita ab ipſo in dicta Extrav. *Ad conditorem* vel verbo vel ſcripto approbaverit, ab omnibus habeatur pro contumaci, & Romanæ Eccleſiæ rebelli, ſed reſpondeo quæſtionem de ſeparatione uſus à domino in conſumptibilibus non eſſe ex decretis ſeu determinatis in Extr: *Ad conditorem*: atque ita objectionem nihil nocere primæ concluſioni ſupra. Tertiæ tamen noceret niſi ſequentes Pontifices reaſſumpſiſſent dominium rerum mobilium noſtri Ordinis, quod Ioannes abjecit: (at enim id à pluribus eſt ſæpe factum;) item ſi ſtante determinatione Ioannis antequam alii reaſſumpſiſſent dominium illud quiſquam pertinaciter affirmaret mobilia noſtri Ordinis in dominio Romanæ Eccleſiæ, quorum neutrum hic fit, adeoque.

Contra tamen tertiò obiici poteſt à ratione & ſolet ſic: Uſus eſt ſalvâ rei ſubſtantiâ; ſed abſumens non ſalvat rei ſubſtantiam, ergò non habet tantummodo uſum. Major patet ex regulis ſupra præmiſſis tractatui; Minor autem experientiâ, agimus enim de illis quorum ſubſtantia abſumitur uſu. Sed etiam reſponderi poteſt & ſolet, uſum aliquem; (& quidem ordinarium de quo leges procedunt) eſſe talem, id eſt non ſe extendere ad rei ſubſtantiam, quia nimirum eſt independens à domini voluntate, (intellige continua) eo quod ſic utens ſemel ſibi pretio comparaverit jus utendi, cum onere tamen tenendi ſartam tectamque ſubſtantiam rei domino: Dari tamen uſum qui ſe extendit ad ſubſtantiam, eum ſcilicet qui pendet à domini proprietarii voluntate, & talem eſſe noſtrum. Quod libenter audio ſi fortè ſatisfaciat, de quo dubito; quia uſus non plus dicit quam applicationem, aut attrectationem rei, & ſi plus liceat, additur aliquid ultra uſum: unde ſi voluntas proprietarii plus concedat, concedit aliquid ultra uſum: Hoc amplius eluceſcet ex ſequenti, quod

9. Obiicio quartò: Qui merum uſum habet rei uſu pereuntis, tenetur ſi eam abſumat priori domino reddere æquivalens; atqui noſtri non tenentur reddere æquivalens ovo abſumpto exempli causâ, ergò non habent merum uſum facti in rebus abſumptibilibus ſed aliquid aliud ulterius & altius quod erit dominium aut ſimile. Directius tamen ad finem ſeu intentum alterius concluſionis poteſt argumentum formari de priſtino domino ſic: Qui habet dominium rei quam alter abſumit, habet titulum exigendi tantundem ſive æquivalens ab abſumente; atqui largitor ovi verbi gratia uni ex noſtris

noſtris non habet titulum exigendi aliud ovum, aut æquivalens, ergò apud ipſum non manſit dominium ovi, quod erat probandum. Probatio Majoris eſt caſus ejus qui in extrema neceſſitate alienam rem accipit & ſibi applicat, hic enim ſi venerit ad pinguiorem fortunam poſtea tenetur reddere æquivalens accepto ſi illud abſumpſit, ut ſi forte fuit cibus: Cujus ratio eſt quia neceſſitas non dedit ei plus juris in alienum quam neceſſe fuit ad evadendum periculum aut mortem; atqui ad hoc non fuit neceſſe ut fieret dominus, ſed tantum ut haberet uſum; nam dominium cibi non alit, ſed uſus, ergò ratione neceſſitatis non adquiſivit niſi uſum, & nullatenus proprietatem; quod ſi verum ſit tenetur ille poſtquam evaſit periculum reſtituere æquivalens ei à quo quid abſtulit. His & ſimilibus dandum eſt ita eſſe ex naturâ rei, de facto autem non, quia nimirum ipſe dans ſeu concedens vult aliter eſſe, ſive vult noſtros non obligari ad æquivalens. Sed enim hoc quid eſt aliud quam dicere quod idem dans cedat ſuo juri, atque ita dominio: quùm ergò cedat jus nobis, nonne cedit dominium? Neque verò expectandum eſt hic evadere per hoc quod transferat jus in Pontificem, nam de ipſo Pontifice redit quæſtio, num velit nos eſſe obligatos ad reſtitutionem ſubſtantiæ rei uſu præterito? de quo quia pars negativa eſt certa, proinde videtur recurrere abſurdum illud, quod ſcilicet reddat nos dominos alimentorum &c. Confirmo adhuc quia non poteſt ille dimittere nobis reſtitutionem & interim retinere dominium apud ſe; quod clarius evadit in creditore pecuniarum, hic enim non poteſt habere titulum ullum exigendi ſolutionem earum ſi dimittat eam, vel condonet; oppoſitum enim eſſet velle dari creditorem qui non haberet debitorem: Sicut ergò debitor ille per condonationem creditoris fit dominus pecuniarum; quidni nos? &c. Reſpondeo quocunque te vertas nos non reddi dominos, quia nolumus eſſe, (imò nec poſſumus poſt votum quo ſumus civiliter mortui;) beneficium autem, quale eſt ſine dubio dominium, non poteſt conferri invitis: Præterea etiam à priori, dominium non poteſt eſſe niſi apud ſubjectum rationale, & liberum, ut omnes fatentur; quorſum autem libertas niſi deberet exerceri ad admittendum; adeoque. Sed hæc egent longiori morâ quam nos poſſimus impendere; & præterea ſunt uni Ordini propria quum materia tractanda ſit communis omnibus.

Sit ergò.

* * *

ACTIO II.

Vtrum Eccleſiaſtici Regulares habeant rerum illis, aut earum domibus conceſſarum dominium, nec ne?

Breviarium.

N. 1. *Negativa reſolutio de Regularibus in particulari.*

2. *Eoſdem etiam in communi videri tales, id eſt ſine dominio ex priſca eorum inſtitutione, probatur jure antiquo, & novo Concil. Trident.*

3. *Solida probatio ejuſdem ex inſtitutorum verbis ac voluntate.*

4. *Prima ratio Metaphyſica, aut Logica, defenditur ab exceptione.*

5. *Alia ratio ex parte moralis: Videnda Quodlibeta authoris:*

6. *Objectio ex Tridentino ſolvitur: item ex Sexto Decretal.*

7. *Alia ex ratione: Solvitur. An res Regularium ſint nullius domino?*

1. QUæſtio inſtitui poteſt & reſolvi vel de Regularibus in particulari vel de iiſdem in communi ſumptis: Et quidem primum ferè apud omnes conſtat reſolvendum negativè; de ſingulis ſcilicet, idque ſine exceptione & formidine ita certo ut Innoc. Pontif. palam pronuntiaverit, ne ſe quidem ipſum diſpenſare poſſe cum monacho ut proprium habere poſſit. Ita habes *Cap. Eum ad monaſterium*, ubi explicat eſſentialia Religionis & dicit quod *abdicatio proprietatis ſicut & cuſtodia caſtitatis adeo eſt annexa regulæ monachali, ut ſuper ipſam nec ipſe ſummus Pontifex licentiam valeat indulgere.* Nec eſt quod quiſpiam opponat Equites, & Commendarios Ordinum militarium: Nam in primis non deeſt qui dicat nec hos quidem proprium habere, unde nec teſtari poſſunt: Et præterea adſunt plures, qui negent eos eſſe ſtrictè & propriè Religioſos; illud certum eſt, quod plerique uxores ducunt; & licet aliqui voveant conjugalem caſtitatem, ſed illa non æquè ſufficit religioni, alias cur conjugati non poſſint retinere uxores in monachatu? neque omnes equites hanc ipſam vovent ut leges apud noſtrum Mirandam.

Navar.

Itaque lis tota eſt de Regularibus in communi, in quâ ego, ut enixè opto priſtinam Eccleſiæ perfectionem in omnibus membris reddi, amplectar eas opiniones quæ & Scoto noſtro ſubſcribant, & fideles ſpeculativè ſaltem eo deducant unde humanâ labilitate deciderunt Et incipiendo à Regularibus qui ſunt potior pars gregis.

2. Aio ſimilius & vicinius vero eſſe quod Regulares non ſolum perſonæ ſed & communitates aut clauſtra ex inſtitutione earũ olim, nõ habuère rerum ullarum dominiũ. Et antequam procedam ad probationem moneo me nõ agere de jam dictis militũ Ordinib. cujuſmodi fuerũt Rhodienſes, ſunt Melitenſ. illi Calatrav. & Alcantaræ, ſed

de

Digitized by Google

le clauſtralibus quales ſunt S. Baſilii, S. Benedicti, Auguſtini,& ſimilium,idque ante tempora Concilii Tridentini quam maximè. Aſſertio eſt contra torrentem authorum; qui tamen incipit imminui paulatim, mecum enim eſt Navarrus, huius iuris præ cæteris conſultus. Maior & Becanus, &c.

Equidem ad hoc moveor ratione quam infra dabo; quia tamen nunc dierum homines hominibus deferunt, & paſſibus iuris: alio etiam illos mihi hic adeſſe: ita enim habet *Innoc.* in Cap. *Cum ſuper de cauſ. poſſeſſ.* per citatos à Decio *in Cap. Conſtitutus* de *Reſcript.* & à Navar. in tract. de redditib. *mon.* 40.*q.*1.

Altera probatio erit ſimilis ex doctrinâ Trident. quam plurimi hic faciunt Adverſarii; etenim illud ſeſſ.25. cap.3. de Reform. *Concedit omnibus monaſteriis & domibus tam virorum quam mulierum & mendicantium exceptis domibus fratrum S. Franciſci, etiam quibus ante ex conſtitutionibus ſuis erat prohibitum ut deinceps bona immobilia eis liceat poſſidere.* Ubi vides Concilium novum jus condere; nota enim illud *deinceps*, item illas *quibus ante erat ex conſtitutionibus ſuis prohibitum*: plane enim apparet ex hoc Conc. in quo ſe fundant Adverſ. negotium eſſe in oppoſitum, & diſtinctionem illam de dominio Regularium in communi & proprio initium ſumpſiſſe à Concilio, ita ut ante Concilium, & ſpectata inſtitutione, id illis eſſet illicitũ.

3. Alia valentior, & genuina probatio huius eſt inſtitutio Ordinum ſive intentio fundatorũ, utique enim tales ſunt Religiones tam in communi quam in individuis quales eas eſſe eorum authores voluerunt: Hæc autem pro nobis ſtat, certe enim illi tales non ſolum religioſos, ſed religiones tales eſſe voluerunt quibus nihil ne quidem in communi eſſet proprium. S. Greg. refert de quodam ſanctiſſimo Abbate nomine Iſaac, & laudat ipſum proptereà *quod quùm ab eo diſcipuli humiliter peterent ut pro uſu monaſterii poſſeſſiones quaſdã oblatas reciperet; ille ſollicitus ſuæ paupertatis cuſtos fortiter tenebat ſententiam ut renueret &c.* Ex quibus evidenter colligas judicio SS. Iſaac & Gregorii poſſeſſiones etiam in communi derogare paupertati, & Abbatem illum aut monachum quiſcunque fuit, cæpiſſe à paupertate tam in communi quam in particulari, quod intelligendum patet de ipſo, atque etiam ipſius monaſterio, & ita priſcos monachos atque eorum monaſteria huiuſmodi paupertatem coluiſſe, adeoque.

Iam vero modernos Ordines percurrendo, non facilè id evincam ex ipſorum inſtitutis, nam ordo S. Benedicti paupertatem omninò nõ promittit, ſed ſolam obedientiã in profeſſione (quod certè miratus ſum quum deprehenderem.) Ecce enim formam profitendi in illo. *Ego N. in hoc monaſterio S. N. promitto ſtabilitatem meam, & converſionem morum meorum, & obedientiam ſecundum regulam S. Benedicti coram Deo & Sanctis eius,* ut ſi mihi quis neget eum profiteri paupertatem in communi poſſim ego cogere eum ut neget eos teneri ad paupertatem in particulari. Idem dicendum de pleriſque aliis Ordinibus, nam ut teſtatur Pet. Dorland. *neque Carthuſienſ. neque Cluniacenſ. nec Camaldul. paupertatis votum palam emittunt* & poſt ipſorum pleroſque Ordo S. Auguſt. hanc profitendi formam accepit ab Innoc. IV. Pontifice: *Ego. N. facio profeſſionem, & promitto obedientiam Deo & B. Mariæ Virgini, &c. ſecundum regulam B. Auguſt. & conſtitutiones ipſius Ordinis.*

Non concedam tamen ulli aut hos Ordines non promittere paupertatem aut eum quam promittunt eſſe tantum in particulari. Nam vetuſtiſſimus ille S. Benedicti talem à ſuo fundatore imperatam accepit. Audiendus ipſe ſanctus cap.33. Regulæ. *Neque aliquid habere propriũ nullam omnino rem; &c. Sed nihil omnino, quippe quibus corpora ſua, nec voluntates licet habere in propria poteſtate.* & cætera ibidem conſequentia: quibus S. Patriarcha ſignificat velle ſe ut monachi æque abſint à peculio & proprietate rerum ſicut abſunt à proprietate voluntatum ac corporum. quod erat dicere tantam ac talem obſervandam eſſe illis paupertatem quantam caſtitatem quantam obedientiam, hæ enim duæ ſunt quæ privant religioſos proprietate voluntatum, & proprietate corporum: at verò certum eſt quod non liceat de Sancti mente monachis etiam in communi ſive toti monaſterio habere voluntatum proprietatem (quùm non ſolum ſinguli ſed omnes teneantur ad obediendum:) & multò minus licet eis alicuius corporis contra caſtitatem communem uſum habere.

S. Auguſtin. cuius regulâ pluſquam triginta Ordines utuntur, tàm ſeriò commendavit huiuſmodi paupertatem ſequacibus ſuis, ut illud caput iam ſit in ius relatum: *Ne dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia:* & infra: *Cum huius noſtræ Congregationis fratres, non ſolum facultatibus, ſed voluntatibus propriis in ipſa Ordinis ſuſceptione renunciaverint, & ſe per promiſſam obedientiam penitus aliorum poteſtati & imperiis in Chriſto & pro Chriſto ſubdiderint, certum eſt eos nihil habere poſſe, nec dare,* quæ qui detorquet ad paupertatem in particulari tantum, vim facit verbis Sancti, quùm ille non ſingulos ſed omnes alloquatur; nec enim ait: *nemo dicat*; ſed *ne dicatis.* Et vero ſi habent illi ſive Eremitæ, ſive Canonici, aliquid proprium communiter aut coniunctum, quidni dicant ſe habere?

Abſolvam hanc ſeriem antiquorum paræneticis verbis. S. Orſieſii in ſuâ regulâ quibus Aſſertum poſitum luculenter etſi obſcurè innuit; nec enim ſancta illa antiquitas delicatis his diſtinctionibus de peculio in communi & paupertate particularium utebatur: ait autem cuidam volenti in monachatu dominium aliquorum retinere. *Stulte quare non vis audire Dominum cohortantem. Vade vende omnia quæ habe. & da pauperibus* Cap.51. Nonne enim aliquid huius poſſet hodie dici communitati Regularium ſecundum Adverſarios. *Vſque hodie Helias Iſraelem corripit dicens quouſque claudicatis pede:* id eſt (ut quidam intellexit) paupertatem dividitis in duas?

S. P. Franciſcus non eget probatione ſuæ paupertatis in hoc genere, quam non ſolum authores omnes, ſed Pontifices & Conc. lia affirmant Nicol. Pap. III. in 6. *Decret. C. Exiit* tit. *de* verb. ſignif. *Porrò cum ipſa regula expreſſè contineat, quod fratres nihil ſibi approprient, nec domũ nec locũnec aliquã rem ſitque declaratum per noſtrum prædeceſſorem Gregor. IX. & nonnullos alios hoc obſervari debere tam in ſpeciali quam in communi* Concil. etiam Vienenſ. ſeu rectius Clem. Pap. V. in ipſo ut conſtat ex eodem: *6. lib. c. Exivi* eandem aſſerit, & adeſſe nobis pronunciat: Denique Trident. citatum quum conceſſit regularibus facultatem bona in communi poſſidendi, id egit *exceptis domibus fratrum S. Franc.* Et licet omnes taceant, ipſa regula inculcat. *Fratres nihil ſibi approprient, nec domum: nec locũ, nec aliquã rem, ſed tanquã peregrini & advenæ* &c. nam Cap.6. qui

qui habent dominium in communi, habent locum & domum: peregrini autem & advenæ ubi tales ſunt, nullam, aliàs non advenæ, ſed indigenæ eſſent.

S. etiam Ignatius id ipſum ſocietati ſuæ ſignificavit, quando domos profeſſas ejus voluit carere reditibus annuis, innuens talium poſſeſſionem aliquo modo obſtare profeſſioni religioſæ, ſaltem excellentiæ ejus. *Quod & dicendum videtur* (utor verbis Mirandæ noſtri,) *generaliter de omnibus in univerſum religionibus non ſolùm mendicantibus* (*ſi in ſua primava inſtitutione perſeveraſſent,*) *verùm etiam non mendicantibus*, &c.

4. Rationibus etiam id ipſum ſuadere conabor, primò ſic, quia licèt cogitatione quandoque dividamus inter res aliquas in communi, & eaſdem in particulari ſumptas, tamen in re difficulter contingere poteſt, ut idem uno modo ſe habeat in communi ſumptum, & oppoſito modo ſumptum in particulari: Implicat ut aliqua tabula ſit tota alba, cujus omnes partes ſunt nigræ: quomodo ergo non erit difficile quòd aliqua communitas, quæ eſt corpus & quoddam totum ſit dives, cujus omnia membra ſint paupera?

Eſt tamen contra hæc inſtantia, quia alias oppoſita cadunt ſupra idem aliter, & aliter ſumptum, quidni ergo ſupra monachos. Antecedens oſtendo, quia aliquid poteſt eſſe neceſſarium uno modo, puta indeterminatè ſumptum, & contingens aut in neceſſarium alio modo, puta determinatè ſumptum: Oculus dexter non eſt neceſſarius ad videndum determinatè ſumptus, eſt tamen neceſſarius indeterminatè ſumptus, ſine dubio enim vel dexter vel ſiniſter eſt neceſſarius: quæ Logica confirmatur Scripturis & Conciliis, cùm ſimus in materia morali, & concernente animas: *Neceſſe eſt venire ſcandala, veruntamen va homini illi per quem ſcandalum venit*: Ecce ſcandalum in univerſali neceſſarium, in particulari liberum, aliàs non eſſet imputandum ei per quem venit. Concilium ad hoc alibi adduxi, eſt enim Trident. ſeſſ. 6. can. 23. quidni ergo ſimiliter prætendi poſſit quod monachus aliquis in communi ſit dives, in particulari autem ſit pauper? Reſpondeo, nec ipſi monachi id prætendunt, aut authores adverſi, nolunt enim admittere ullum ſignabilem monachum eſſe proprietarium, adeoque non eſt paritas. Præterea in inſtantia allata tam realiter ineſt unum extremum oppoſitorum materię quàm alterum; ſi enim apprehendas oculum dextrum, v. g. aut peccatum quòd ſit mendacium, tam vere ineſt huic neceſſitas quàm cōtingentia, nam determinate ſumpto ineſt contingentia, aut in-neceſſitas, quia ſimpliciter & abſolute non eſt neceſſarius, quum æque ſufficiat alius oculus; neque mendacium eſt abſolute neceſſarium, aliàs non eſſet peccatum; neceſſe tamen eſt fieri mendacium vel furtum, vel fornicationem, &c. At verò de mente Adverſariorum uni monacho, v. g. Benedicto ineſt paupertas magis quàm proprietas, imo nolunt quidquam proprietatis ei ineſſe, id enim efficeret ne eſſet monachus. Epilogus ſit iſte quod quùm paupertas ſeu carentia proprietatis ſit eſſentialis Religioni, ſi communitas non participet paupertatem, jam illa num eſt religioſa, num eſt regularis? quod viderint an concedant: imò quiſpiam inferret quòd totus ordo non erit religioſus, quia totus ordo multò magis poteſt habere dominiū,

Matt. 18.

5. Pergo in probando, quia in diviti aliqua religione communitas non poteſt alienare bona monaſterii, ergo non habet dominium eorum; nam dominium, ut ſupra, involvit facultatem plene diſponendi de re, vendendo, emendo, donando, &c. Si dicas ipſis quidem licere hæc ordinarie & ex natura rei, ſed legibus eſſe interdicta; capieris, quia nec aliis religioſis id impoſſibile eſt niſi ratione legis, ut communiter authores, quia profeſſio religioſa non facit ex ſe ne contractus valeat, ſed tantùm ex ſtatuto Eccleſiæ: de quo videnda eſſent quæ de ſimili dixi in meis Quodlibetis.

Ultimum eſt hoc, quia quamvis communitates monachorum ſpeculativè hanc partem nolint tenere, tamen practicè coguntur amplecti; re enim vera & aſſidua coguntur ſuſtinere Pontificem de eorum bonis diſponentem, Abbatias dantem in commendas, & ex ipſis erigentem Epiſcopatus, &c. quæ ſignum ſunt ejus, quod Navarrus clarius affirmat, ſcilicet verum & proprium dominum ejuſmodi bonorum eſſe D. N. Jeſum Chriſtum, ſecundum autem & ſubſtitutum eſſe Pontificem, ipſos autem monachos, ſive eorum Abbates, non niſi diſpenſatores; ut alia omittam quæ cum jam dictis honeſtè perſuadere poſſunt monachis & quibuſcunque eorum ſuperioribus fragilitatem, atque etiam conſcientię ſtimulum, ſi quando monaſtica bona in alios uſus impendunt quàm ſuos, aut pauperum, denique omnia luculentius patebunt ex ſolutione ſequentis objecti. quæ ſola videtur regulares aliquos in conſcientia oppoſiti tenere.

6. Eſt autem illud quod jam attuli num. 2. Concil. Trident. ſeſſ. 25. ubi hujuſmodi dominium illis concedit, adeoque jam dominium illud monachorum in communi tutò teneri & exerceri poteſt, oppoſitum autem non niſi cum errore & pertinacia. Hoc tamen nihil facit niſi pro nobis; unde & ſupra Concilium adhibui in probationem mei ſenſus, quùm enim Concilium ibi condat novum jus, apparet eatenus negotium aliter ſe habuiſſe. Deinde, ſi neſciunt arguentes, aliud eſt dominium, & aliud poſſeſſio, quia hæc ſine illo tam licitè quàm illicitè haberi poteſt. Uſufructuarius poſſeſſionem prædii habet, dominium non habet, fur & latro poſſidet ablata, nec tamen dominium eorum habet, quod propoſito noſtro ideo conducit, quoniam verba Concilii expreſsè ſonant poſſeſſionem, dominii autem non meminerunt: *Bona immobilia eis liceat poſſidere*: Et infra, *domibus tam virorum quàm mulierum bona immobilia poſſidentibus*.

Secundò objicere videntur *Nicol. Papa III. in extr. Exiit* citato, ubi Pontifex determinat ſingulariter dominium rerum neceſſariarum fratribus S. Franciſci non eſſe ipſorum, ſed Sedis Apoſtolicæ, eo enim ipſo videtur ſupponere dominium omnium, quæ apud alios regulares ſunt, non eſſe ſedis, ſed ipſorum: Quibus reſpondendum eſt tacentem de aliis, tacere, atque ita de monachis nihil determinare: reſpondet enim Pontifex quæſtioni tunc ſibi motæ; quæſtio autem de rebus antiquorum monachorum jam dudum deciſa erat. Sed fortaſſis multò aptius dices Romanos Pontifices eorum in hoc genere paupertatem, & carentiam dominii multò clarius declaraſſe quàm noſtram, noſtram enim unus aut alter declaravit ſpeculativè, & de jure, ipſorum autem practicè & de facto, quum

Digitized by Google

quotidie Abbatias & proventus eis auferant, & aliis applicent pro ſuo libitu, quod vix unquam noſtris faciunt, aut ne vix quidem.

7. Oppones ultimò, ſi ita ſit, ſequitur dominium rerum conceſſarum monachis nullius eſſe. Reſpondeo non poſſe inferri hoc contra authores noſtræ partis; Navarrus enim expreſsè contendit eas eſſe Pontificis tanquam Vicarii Chriſti D. Iterum reſpondeo ex Nicolao Papa citato eas eſſe illius cujus eſſe voluerunt conceſſores, qui certe non intenderunt imminuere paupertatem aut perfectionem accipientium, quùm ſic imminuerent ſuum meritum: *Non enim enim eſt veroſimile aliquem eleemoſyna ſua ſine expreſſione modum illum præfigere, per quem & donans merito, & illi quorum neceſſitatibus intendit per donum hujuſmodi providere, vel effectu doni, vel conſcientiæ ſua puritate fraudentur.* Unde quum maioris perfectionis ſit habere uſum neceſſariarum rerum ſine dominio, cenſendum eſt collatorem bonorum id voluiſſe, atque ita denique ſi neceſſe ſit dominium datorum apud ipſoſmet manere, atque eorum hæredes. Et quid ſi dicam ea non habere dominum? certe quoad hoc non erunt ſola. Sed, inquis, hinc fiet ut auferens bona religioſorum nulli faciat iniuriam, quia nulli aufert quod illius eſt. Reſpondeo id eſſe falſum, quia ſaltem aufert monachis poſſeſſionem, quam ſi reſtituat, ſufficit illis, & mihi alio properanti.

ACTIO III.

Vtrùm Clerici ſint domini beneficiorum, aut fructuum quos ex illis percipiunt, nec nè?

Breviarium.

N. 1. *Præfertur ſententia negativa & probatur vetuſtate authorum ejus, itemque Canonibus.*

2. *Prima ratio: quæſtionem eſſe facti magis quàm iuris.*

3. *Secunda & tertia: Dedocetur error qui multorum mentibus inſedit.*

4. *Allegati & ſoluti Canones in oppoſitum.*

5. *Objecta etiam Lex Moyſis, & paritas Levitarum quoad decimas.*

6. *Objecta ratio & ſoluta. An pauperes aliquid iuris habeant in bona Clericorum?*

7. *Demonſtratio practica huius producta ex tabulis teſtamenti.*

8. *Appendix totum valenter aſſerens: Quorundam authorum in hoc genere licentia.*

1. TÆdet me toties legere & referre authores idipſum repetentes, diſtinguendo de bonis Clericorum patrimonialibus, parapharnal. & Eccleſiaſticis: priorum dominium concedentes Clericis, de tertiis autem dubitantes. Igitur priora illa ſepono & ſuppono, volo decidere tertium, de quo preſſe & proprie loquendo

Dico reſolutive, multo tutiorem, multoque digniorem ſequela eſſe ſententiam negativam, quæ ſcilicet Clericis beneficiatis quibuscunque aufert proprietatem fructuum quos ex beneficiis percipiunt ſaltem ultra ſuſtentationem ſuo ſtatui competentem. Hanc ſtatuo eodem ſpiritu, & maiori animo quàm præcedentem, quum hic maior iactura timeri poſſit tam rerum quàm animarum; & in ea differo à nonnullis ſequacibus eius. Primò, quòd putem eos teneri ad reſtitutionem, ſi ſecus faxint, idque includi in terminis concluſionis, quia nimirum univerſaliter quando peccatur contra iuſtitiam, ſtatim pœna ſequitur culpam, & peccans obligatur ad reſtitutionem. Alterum eſt, quod putem non eſſe illis licitum detrahere congruæ ſuſtentationi, & inde erogare; ſi tamen id agant, non credo illos fore obnoxios reſtitutioni. Subſtantia hujus concluſionis, ſive negatio dominii jam dicti, quamvis non ſit oppoſitæ parti numero authorum par, eſt tamen ipſa ſatis numeroſa illis, & fortaſſis compenſat pondere quod multitudini deeſt. Videatur antiquus ille *Alenſ. Richard. Palud. S. Antonin.* & alii vetuſtiores quos meritò ſequuti ſunt Recent. nam *Navar.* affirmat hanc eſſe communem ſententiam Canoniſtarum; & certè incipit talis eſſe Theologorum. Quia tamen priores illi putantur utcunque jus facere, iſta tantùm explicare aut commendare legenti, [illegible] oferam canones quibus creditur plus deferendum: Sunt autem illi *Cauſa 12. queſt. 1. Cap. Epiſcopus.* Item *Cap. Manifeſta.* & *Cap. Similiter. Cap. Qui juxta.* & *Cap. Revertimini.* & alia quæ alibi fortaſſe producam.

2. Nunc priuſquam pergam in probando, *Tract. & redd.* refricabo Lectori memoriam primi fundamenti huius negotii; eſt enim ut bene notavit Vaſquez quod legitur Act. 4. *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una, nec quiſquam eorum quæ poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat. ſed erant illis omnia communia.* Neque ſolùm mobilia ſua conferebant, ſed & prædia ac poſſeſſiones, nam capite ſequenti reprehenditur *Ananias*, quòd *fraudaverit de precio agri*; & *Ioſephus, qui cognominatus eſt Barnabas ab Apoſtolis*, refertur *vendidiſſe agrum, & attuliſſe precium ejus*, ac *poſuiſſe ante pedes Apoſtolorum.* Eccleſia ergo quum videret abundare oblata, & excedere fidelium neceſſitates, prædia data retinuit, & alia ex mobilibus comparavit, omnia ad eundem finem, ut ſcilicet converſi ad fidem haberent unde alerentur, maxime Eccleſiaſtici, qui propius fidem ipſam tractabant. Cumque hic fuerit ſpiritus primitivæ Eccleſiæ, omnino cenſendum eſt proxime ſequentes ſimiliter ſua erogaſſe, quia volebant facere quod viderunt factum. Quibus diſpoſitis ſic inſtruo

Primam rationem, quia reſolutio huius revera eſt quæſtio facti, licet videatur eſſe iuris, utique

Digitized by Google

utique enim illa bona illius ſunt, cujus ea eſſe voluerunt datores; atqui certum eſſe debet quòd non voluerint ea eſſe clericorum ad luxum & ditandos conſanguineos, ut faciunt, nam niſi vellent illi ea ad ſacros uſus transferri, non abſtuliſſent ſibi; & ſi quos conſanguineos ditari vellent, certe eſſent ſui, dico, ſuos ditari vellent. Quis credat Comitiſſam Mathildem v. g. ſuæ familiæ ſubtraxiſſe prædia, ad ditandam illam alicujus Parochi aut Epiſcopi? Hic altus Achilles, *hic murus aheneus eſto*, quem non poterunt perrumpere omnes inventiones ſpeculativorum, & palponum adulantium beneficiatis: unde & deduco hinc

3. Secundam quaſi probationem: revera enim videtur fide indignum, atque etiam ipſorum authorum ſapientia, quod paſſim ſcribunt clericos niſi recitent officium, hoc eſt penſum horarum, non facere fructus ſuos; ſi autem illud perſolvant, tum illos eſſe tutò dominos, & facere fructus omnes ſuos: quis enim credat? quis alteri perſuadeat, tam vaſta beneficia, tam immenſos fructus beneficiorum legatos eſſe ſacerdotibus tantum, ut abſolvant recitando aliquot pſalmos? Si autem hoc ſit falſum, verum erit fructus beneficiorum aliò tendere, puta ad alendos pauperes, ad redimendos captivos, qui non famem tantùm, ſed ſervitutem patiuntur, (ultra Eccleſiæ ornatum,) & alia fidelium incommoda ſublevanda, quæ quamdiu non deſunt, (nunc verò etiam abundant,) non licebit Eccleſiaſticis, iis relictis ad prophanum luxum, & ſuorum commoditates converti.

Tertia ratio adhuc efficacior eſto, quia omnes communiter fatentur, (quippe quod ex traditione deſcendit,) Eccleſiaſticos præ cæteris teneri ad eleemoſynas, & ad pias cauſas perſequendas, ita ut ſi expendant quæ eis ſuperſunt, in prophanos uſus peccent mortaliter, quidquid ſit de genere peccati; de quo ſolo eſt controverſia, at verò hæc tam ſtricta obligatio non poteſt oriri aliunde, quàm ex juſtitia, quia nimirum ex ſola charitate aut miſericordia provenire non poteſt; id enim (ut bene Recentior quidam) tum provenire deberet ab uno ex duobus, puta ex magna bonorum ſuperfluitate in Eccleſiaſticis, vel ex nimia inopia in egentibus, ſed neutrum ſufficit, imo nec utrumque, quod ſic deducitur, quia contingere poteſt & ſolet in ea occaſione, hoc eſt in magna egeſtate pauperum ditiores eſſe ſeculares, & plura eis ſuperfluere; at verò obligatio charitatis æquè ſe extendit ad omnes tam Eccleſiaſticos quàm ſeculares, aut prophanos, ut voles, ergo hæc tam notabilis tentio ſub mortali in Eccleſiaſticis non oritur ex lege charitatis aut miſericordiæ, ſed ex illa juſtitiæ. Breviter ſic totum deduco: in obligatione charitatis æqualis eſt Eccleſiaſticus ſeculari; in debito expendendi ſuperflua in pios uſus, nequaquam; ergo hoc debitum non oritur ex miſericordia aut charitate, adeoque ex juſtitia, quod fuit intentum, & convincit ſic expendentes obligari ad reſtitutionem.

Adhuc quartò, quia ſi Eccleſiaſtici eſſent plenè domini proventuum, ſicut ſeculares ſunt ſuorum, nihil eis deeſſet quò minus de illis diſponere poſſent in vita & morte, id enim pluribus illis licet; at verò hoc iſti non poſſunt, non enim poſſunt teſtari, ut patet ex *Cap. Ad hæc*: de Teſtament. Fateor hic eſt locus evaſioni, dici enim poteſt ex natura rei id eis licere; quod autem vetitum ſit provenire ab extrinſeco, puta à lege, quod non impedit quo minus habeant verum dominium, nam etiam pupillis & aliis ſimile quid eſt legibus vetitum, nec tamen deſinunt eſſe domini, adeoque. Sed non ſufficit inventum ſubducendis illis ab hoc onere; nam leges illæ de pupillis factæ ſunt in in bonum ipſorum pupillorum, ne prodigant ſua bona immature: hæ autem leges non ſunt factæ ad ditandos Eccleſiaſticos, nec in eorum commodum, ſed in commodum Eccleſiæ & pauperum. Confirmo, quia non videtur quòd Eccleſia poſſit auferre illis facultatem diſponendi de ſuis vel in vita vel in morte ſi eſſent plenè domini, ſicut nec aliis Chriſtianis, cur enim? ſi ergo id facit de his bonis, ſignum eſt quòd illi non ſint domini, ſed tantum adminiſtratores eorum.

4. Ultima & optima probatio ad homines erit ſolutio fundamentorum quibus authores aliqui fortaſſe his Eccleſiaſticis devincti, illis magis quam ſibi perſuaſerunt hic non intercedere juſtitiam, neque conſequenter onus reſtitutionis. Primum ſunt Canones, è quibus id videtur non obſcurè colligi. Nam *Cap. unic. de Cleric. non reſid. in 6.* dicitur quod *non faciat fructus ſuos*. Supponit ergo Canon, quòd alii reſidentes faciant fructus ſuos. Reſpondeo, etſi Canon non obſcurè ſed apertè id diceret, tamen cedendum & credendum eſſet potius rationibus concluſionis, quùm etiam Canones ei non deſint, ut patet ex poſitis huc uſque, &c. Deinde nego Canonem hoc dicere, eſt enim iſte: *Qui divinis officiis non interſunt, (niſi infirmitas, &c. Relevet) non ſunt domini quotidianarum diſtributionum, neque faciunt eas ſuas.* Loquitur ergo Canon de diſtributionibus quotidianis, quæ ob laborem in pſallendo & celebrando aſſumptum conceduntur, & proinde ex jure commutativo fiunt miniſtrorum Eccleſiæ, ſicut aliæ mercedes aliorum famulorum; quis enim unquam *ſtipendiis ſuis militavit*? Neque verò labor Eccleſiaſticus aut ipſi laborantes debent eſſe peioris conditionis quàm alii civiles ac ſeculares, abſit. Hoc ergo reſpondendum fuit urgentibus tam inſtanter Canonem, non autem quod ait Navarrus, *Tò dominos* ibi idem eſſe ac adminiſtratores, quùm adminiſtratio longiſſima linea diſtet à dominio, dominus enim ſua authoritate diſponit de rebus, adminiſtrator aliena: & certè ſi adminiſtratio inferret dominium, ſummi domini eſſent minimè tales; nam quo maiores ſunt principes, eò minus per ſe adminiſtrant ſuos reditus, ſed adhibent œconomos ac miniſtros. Idipſum dic ad locum Tridentini, quod ſimilia habet, & præterea hoc quod neque Tridentin. neque Canones aſſerant oppoſitum concluſionis, ſed Theologi tantùm aut Canoniſtæ ex iis inferunt illud, quàm legitimè eſt controverſum, & donec decidatur, res eſt in priſtino ſtatu hinc inde. Imò, nec ſi conſequentia eſſet legitima ſufficeret, quia tum non eſſet authoritas Canonis pura, ſed Logicum inventum. Denique non deeſt qui dicat Canonem in hoc non eſſe opportunum iudicem, quia pars illa quæ videtur à Canone tradi, eſt in favorem authorum, dico authorum Canonis. Dices, ſi authores Canonis, hoc eſt Eccleſiaſtici non ſunt opportuni iudices in hac materia, fruſtra ego pro me ullos allegavi. Reſpondeo tamen conſequentiam non colligi, cujus cauſam videor iam in-

Digitized by Google

ſinuaſſe, quia nimirum pars quam ego amplector eſt in præjudicium authorum, nemo autem in præjudicium ſuum ſententiam fert niſi ipſa veritate coactus.

5. Objicies ſecundò: Decimæ non dabantur Levitis in veteri teſtamento cum illo onere, ergo nec ipſæ aut alia in novo; Eccleſia enim videtur imitata divinam providentiam, aſſignando eandem taxam ſuis Levitis, adeoque cenſeri poteſt obſervaſſe eandem intentionem & modum. Hoc quia Biblicum eſt, accuratius ſolvendum erit. Bis ergo illud aggrediar, ſemel negando conſequentiam, iterum negando antecedens. Conſequentiam nego ob plures cauſas, una & prima eſt legislator, ſcilicet Deus, idemque dominus decimarum; is enim ſignificavit ſe abſolutè eas concedere Levitis, ut patebit ex paſſibus jam deſcribendis ex lege: Secunda. quia Levitæ non poterant aliud quidquam poſſidere, nec bona ſtabilia habere, quod noſtri faciunt; non ergo mirum eſt ſi in bonis Eccleſiaſticis plus juris habuerint quàm noſtri: Tertiò principaliter, quia Levitæ ipſi erant quaſi decima pars illius populi; in toto enim illo erant tantùm duodecim tribus, noſtri autem parochi, & univerſim Eccleſiaſtici vix ſunt centeſima pars populi, aliquando ne tanta quidem, quia nec volunt eſſe cum tot oneribus cœlibatus, officii, &c. Quartò, quia Levitæ Aaronici & ſacerdotes gignebant & gignebantur, ducebant uxores & procreabant liberos, quod noſtris non licet, unde cogebantur providere filiis ac filiabus per aſſignationem legitimæ partis tam in vita quàm in morte teſtando, quod noſtris eſt vetitum. Producam jam paſſus legis, quibus apparet Deum dediſſe Levitis illis verum jus in decimas, Num. 18. *Dixit Deus ad Aaron: In terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos, ego pars & hæreditas tua*: Et ibidem propè: *Filiis Levi dedi omnes decimas Iſraëlis in poſſeſſionem pro miniſterio quo ſerviunt mihi in tabernaculo fœderis.* Et adhuc clarius: *Precium eſt pro miniſterio quo ſervitis*: ubi ſæpius indicatur hæc veritas, quia decimæ ſignificantur eſſe Levitarum, ſicut aliæ poſſeſſiones erant ſecularium; & iterum, quia ſignificantur eſſe ſtipendia laborum quæ ex juſtitia pertinent ad laborantes. Et tamen his ipſis non obſtantibus favet Scriptura paupertati cuidam Levitarum; nam Deuter. 14. ita diſponit: *Anno tertio ſeparabis aliam decimam*, &c. *Venietque Levites qui aliam non habet partem, nec poſſeſſionem tecum. & peregrinus ac pupillus, & vidua ut comedant*, &c. Quo loco lex æquiparat Levitam peregrino quoad ſumendum decimis, certum eſt autem peregrinos ac pupillos non habuiſſe verum jus in illas, adeoque.

Objicies adhuc: Eccleſia non reſcindit pacta aut donationes quibus beneficiarii fructus redundantes alienant, vel prophanè expendunt, quod tamen omninò facere debuiſſet, ſi judicaret ea pauperibus ſtricto jure deberi. Reſpondeo hoc negotium de jure clericorum in ſua bona ſimile eſſe illi de reſidentia prælatorum, puta Epiſcoporum, &c. quæ uſque in hodiernum diem pendet Theologis ab utraque parte ſtantibus, ut non modo non poſſint, neque velint quidem negotium decidi, quod conſtat ex Actis Tridentini, in quo Patres avidiſſimè optabant quæſtionem determinari, ſed non licuit. Quamdiu ergo lis eſt pendula & probabilis hinc inde, clerici non ſunt deturbandi poſſeſſione ſua, quùm ubique melior ſit conditio poſſidentis. Non eſt ergo mirum quòd Eccleſia non reſcindat pacta quæ non conſtat eſſe injuſta.

6. Ultimum ſit illud, quod ex noſtra ſententia ſequuntur praxes aliquot abſurdæ: Una eſt quòd pauperes poſſint clam ſurripere clericis qui non dant ſuperflua, quia nimirum quilibet poteſt accipere ſua à nolente ſolvere. Secundum eſt ſimile, quòd debeat illis in judicio concedi actio contra eoſdem clericos. Sed reſpondeo utentes hoc & præcedenti argumento, aliter rem volvere animo quàm ego, non enim cogito ego pauperes eſſe dominos ſuperfluorum, quia tunc clerici non poſſent illis eleemoſynam facere de ſuperfluis illis, ſed tantùm reſtitutionem. Cenſeo ergo duntaxat clericos non facere ſuperflua ſua, neque poſſe, ſed ea cedere in pios uſus, puta Eccleſiæ, Xenodochii, redemptionis, & alias cauſas inter quas computari poteſt illa pauperum: Quùm ergo alii æquum jus habeant ac pauperes, non licet his vim aut dolum facere ut vendicent ſibi quæ ad alios ſpectant: quanquam nec ulſius jus hic eſt clarum, quùm negotium adhuc ſtet ſub opinione: Ex quo patet ad ſecundum.

Confirmantur practicè prædicta.

IN fine hujus materiæ placet huic ſimul & præcedenti Actioni firmum aggerem obducere, muniendo primam rationem ſupra, & oſtendendo mentem fundatorum fuiſſe ut bona Eccleſiis collata in earum uſus cederent, & neque ipſis clericis aut monachis licitum eſſe ea in prophanos uſus etiam ſuorum vertere, neque poteſtati ulli externæ ea invadere & aliis applicare. In annalibus Hannoniæ legimus, ut B. Aja Hidulphi Comitis uxor hæreditatem ſuam Eccleſiæ Montenſi conſecravit & liberè donavit. Quæ quùm pinguis eſſet, quippe tot prædiis & pagis dives, aliorum avaritiam accendit; unde ſanctâ defunctâ. conſanguinei ejus Eccleſiæ litem moverunt. Quumque hinc inde ſcirent negotium pēdere à Sanctæ voluntate, ipſam conſuluerunt. Ipſa autem, etſi tot annis abſens & emortua planè reſpondit, ſeſe liberè & integrè contuliſſe poſſeſſiones Eccleſiæ, & adhuc ratam habere conceſſionem. Quid quæritur? An aliud reſponſuros alios ſanctos, alios fundatores putamus? An vellet Eccleſiæ proventibus clericorum cognatos diteſcere quæ noluit ſuos? Hæc clero: Pro monachis jam proferam unum ex multis inſtrumentum, quo aliquod eorum monaſterium fundatum eſt, ſine dubio enim alia ſimilia ſunt ſimiliter inſtituta:

erit autem

* * *

INSTRU-

INSTRUMENTUM SEU TESTAMENTUM
GERALDI COMITIS
FUNDATORIS MONASTERIORUM PULTARIENSIS ET VIZELICENSIS.

EGo Gerardus & uxor, &c. *conſtruximus monaſterium ex largitione atque oblatione facultatũ noſtrarum, quidquid ad ſuſtentationem Deo famulantium, quidquid ad religionis cultum neceſſarium extat*, &c. *ut ibi venerabile orationis domicilium*, &c. *ibique contulimus villas has*, &c. *tantum nobis dum manemus in vita carnis uſufructuario reſervato. Itaque quidquid præfato monaſterio virorum religioſâ oblatione collatum eſt, ſolis eorum ſtipendiis & neceſſariis ſumptibus qui illic domino ſerviunt, jugi præſentis teſtamenti firmitate permaneat illibatum.* Et infra ſubdit: *Hoc verò monaſterium cum omnibus ſibi collatis B. B. Apoſtolis apud Romã ſubdimus, & ſanctis Pontificibus illius um ad regendum, ordinandum, (non tamen ut beneficiaria poteſtate cuiquam dandi aut alienandi licentia ſit,) perpetuò commiſimus*, &c. Et ſi cui fortè hoc parum ſit, audiat quid *Childebertus Gallorum Rex* pro monaſterio *S. Germani à pratis Pariſiis* à ſe fundato, in quo hæc ſcribo: *Præcipimus*, inquit, *ut nulla potens perſona inquietare audeat famlos Dei, ſed omnia ſecurè poſſideant, teneantque per infinitas temporum ſucceſſiones*, &c. Ecce Principes, ecce etiam Pontifices ipſos prohiberi ab hujuſmodi prædiis ac proventibus occupandis & alienandis. Quæ quùm cogito, miſeret me noſtrorum temporũ, in quibus priorum ſpiritus planè expiravit: quando enim illi proventus Eccleſiis fundabunt qui ereptum eunt fundatos? Adhuc amplius ut idem inculcem tam corrupto ævo, non pigebit alienum laborem ſubnectere:

APPENDIX.

Ex Wilhel Wendrockio Salisburgenſe.

8. *NIhil Patribus, Conciliis, & antiquis Scholaſticis certius quàm eccleſiaſticos non eſſe dominos redituum ſuorum, ſed tantùm diſpenſatores. Vnde Comitolus Ieſuita*: ab antiquis *inquit* magiſtris & melioribus authoribus ſuperioris atque adeo noſtræ ætatis in controverſiam nunquam vocatum fuit, num ii quibus Eccleſiaſtica beneficia mandata ſunt, ſint bonorum fructuumque domini. *Adeo certum erat non eſſe. Hoc ne quis primis temporibus viguiſſe tantùm exiſtimet, poſtremum quoque Concilium Generale ex hac ſententia decernit bona Epiſcopi, (quod idem ad miniſtros inferiores pertinet,) eſſe Dei, & proinde vetat ne ea in conſanguineos effundant.* Et tamen *ibidem inquit Comitolus*, authores quidam recentiores, quorum dux eſt Dominicus Soto, novam & periculoſam opinionem poſt mille & quingentos annos in Chriſtianã Remp. invehere conati ſunt, eos à quibus beneficia Eccleſiaſtica obtinẽtur, fructuum quos illa pariunt verè eſſe dominos. *Hæc ille Ieſuita; at ſodales ejus deinceps in Soti ſententiam univerſi penè confluxerunt: & in iis Vaſquez. Hinc ſequitur illos qui bona Eccleſiæ in canes aut conſanguineos effundunt, à reſtitutione eſſe liberos, adeoque attritionis beneficio, quod ſemper in promptu eſt, cum confeſſione ad gratiam redire poſſe. Hoc quantum ad omnem licentiam aditum aperiat, facilè omnes intelligent.*

De reddit. Eccleſ. c. 1. dub. 1. num. 27.

Nec modo Vaſqueſius bona Eccleſiæ Eccleſiaſticorum propria facit, ſed cum illis ſaltem ſuperfluorum largitionem præceptam negare non audeat, hoc onus penſionariis eximit. Nullum *inquit* video authorem obligantem penſionarios ex charitate ad uberiores vel alias eleemoſynas quàm alios ſeculares; *qui ad eroganda ſuperflua ex Vaſqueſio non obligantur, niſi in extremis & gravibus neceſſitatibus & cum iis exceptionibus quas refert Monaltius.*

Cæterùm quod ait nullum à ſe viſum authorem qui penſionarios ad majores eleemoſynas obligaret quàm ſeculares, ut verum ſit, aliam cauſam habet & propoſito Vaſqueſii planè contrariam. Nam quia ut manifeſtum eſt penſionariorum bona verè Eccleſiæ & pauperum bona ſunt, ideo vulgo ſcriptores ea ab aliis non ſegregant: quùm nihil habeant penſiones præcipuum niſi quod recentior ſit earum uſus, quodque niſi gravi cauſa excuſante, ſpeciem ſimoniæ præ ſe ferant, & abuſibus magis pateant.

Ex iſtis principiis reliqui, quorum mirum ad ampliandas corruptelas (quas illi favores vocant,) ingenium eſt, varias conſequutiones derivârunt, quibus ſacerdotalis & Eccleſiaſtici muneris ſanctitas turpiſſimis ſordibus inquinatur. Docet Hurtado de Mendoza non peccare Epiſcopum qui tertiam partem redituum pauperibus largiens in levibus neceſſitatibus reliqua abundè cum conſanguineis communicet. Pone (*inquit*) Epiſcopum habentem annuos reditus 30. mille, hic ſi decem mille in opera pia diſtribuat, nullus meritò cenſebit illum avarum aut crudelem, nec poterit jure ſcandaliſari, quod Epiſcopus de aliis 20. mille ſe alat & efficiat quod libuerit, dum non ſit in uſus profanos, licèt ea abundè communicet cum conſanguineis. Hoc abſque ullo ſcrupulo fieri poteſt.

Aſſerit Sanchez *in patrimonii locum habenda quæ pro adminiſtrandis Sacramentis, audiendis confeſſionibus clericis dantur, adeoque hæc bona tametſi ſuperfluant non eſſe neceſſario in pauperes eroganda; idque etiã locum habere, etſi ad illa munera ratione officii obligarentur: Quod breviter* Eſcovarius *ſic complexus eſt*: Lucrantur clerici ratione alicujus miniſterii, v. g. pro miſſis dicendis, concionibus, comitandis defunctis, adminiſtrandis Sacramentis, &c. teneuturne de iis ut de ſuperfluis eleemoſynam facere? Ex Sanchez doctrina aſſero non teneri etiamſi ad illa miniſteria ratione officii obligarentur, quia quaſi patrimonialia bona reputãtur: *Quaſi quidquam ex his mercedis loco ſperare ſacerdotes poſſint, aut aliud miniſtris Evangelii Paulus accipere permittat quam alimenta & victum ex altari.*

Idem Sanches *turpiſſimum avaritiæ genus in clericis approbat*: An quando Clerici parcè vivendo non expendunt de reditibus eccleſiaſticis quantũ arbitrio boni viri eſt neceſſarium ad decentiam ſui ſtatus, illam quantitatem quam parcè vivendo ſibi detrahunt, poſſint diſtribuere ſicut bona patrimonialia, vel teneantur pauperib⁹ largiri ſicut ſuperflua? Duplex eſt ſententia, prima dicit teneri largiri pauperibus, &c. ſecunda oppoſitum tenet: ſit concluſio: Probabilius eſt ea quæ Clerici fraudantes genium ſuum corraſerint, poſſe ſicut bona patrimonialia diſpendere, &c. *Et brevius Eſcovarius*: Debetne Clericus id quod detrahit ex neceſſariis ad ſtatus decentiam vivendo parcius pauperibus dare ſicut ſuperfluum? Non debere cum Molina aſſero, quia bona ſunt quaſi patrimoniali ſuſtentationi debita. *Si non ſatis eſt his: ſanctiſſima miniſteria avaritiæ labe polluere, niſi etiam virtutes ipſas inficiant, & ſacerdotes doceant non jam propter Chriſtum parcè & frugaliter vivere, ſed ad conſanguineos locupletandos.*

Pluribus iſtas corruptelas inſequi alienum eſt ab hoc loco, nec ſum neſcius tolerabiles illas bene multis viſum iri; adeo Eccleſiaſticus ſpiritus in pleriſque extinctus eſt. Sed tamen omnes quos aliqua divini miniſterii cura & bonos tangit, mecum hac in parte ſentient, mecum hanc Eccleſiæ injuriam dolebunt, & contempto obloquentium numero præclara hæc Auguſtini verba mecum uſurpabunt. Væ peccatis hominum quod ſola inuſitata exhorreſcimus; uſitata verò, pro quibus abluendis filii Dei ſanguis effuſus eſt, quamlibet magna ſint, & omnino contra ſe claudi faciunt regnum Dei, ſæpe videndo tolerare, ſæpè tolerando nonnulla etiam facere cogimur. Hæc ille piè ſatis, ſi demas acrimoniam in digniſſimos Patres, doctrinæ laude inſignes.

ACTIO IV.

De emolumentis Poſſeſſionis.

Breviarium.

N. 1. *Poſſeſſio naturalis & civilis, quæ?* 2. *Octo privilegia poſſeſſionis.*

1. Definitio poſſeſſionis à me ſupra tradita eſt in prolegomenis hujus materiæ. Diviſio ejus in naturalem & civilem; atque alia cò tendentia videri poſſunt apud Juriſtas, & ex ipſis Recent. hic, quæ quùm ſint arbitraria, & à placitis hominum pendentia, à me nolo expectari. Id autem quàm meritò conſtituerim, vel hinc ipſum patet, nempe poſſeſſio naturalis eſt quæ corpore ſimul & animo retinetur, quod fit quùm quis occupat rem ut ſuam. Civilis autem eſt quæ ſolo animo retinetur; quāvis enim à principio ut incipias poſſidere requiratur adminiculum etiam corporis, tamen poſtea ut retineas poſſeſſionem, ſufficit animus. Et nihilominus quidam hæc omnia variant: nam poſſeſſio civilis ab aliquibus accipitur illa quæ eſt quoad dominium directum; naturalis autem illa qua res poſſidetur ſecundùm uſum fructus. In gratiam tamen & pacem conſcientiarum, ſubdam aliqua quæ ipſas ſubinde poſſint liberare anxietate. Sunt autem privilegia poſſeſſionis.

2. Primum, quod poſſeſſio ſi ſit bonæ fidei, parit præſcriptionem, id eſt, efficit ut res quæ non eſt tua elapſo certo tempore fiat tua, & ſimul omnes fructus percepti.

2m. Quòd ſi oboriatur dubium de vero rei domino, & adhibitâ diligenti inquiſitione non comperiatur, res debet manere apud eouſque poſſidentem.

3m. Quod in judicio parit præſumptionem dominii, unde poſſeſſor non debet probare rem eſſe ſuam, ſed alter qui eam repetit: & adhuc

4. Quod ſi probatio actoris ſit obſcura, judicandum eſt pro poſſeſſore.

5m. Cuilibet licet ædificatum in fundo à ſe poſſeſſo tanquam rem propriam deſtruere, etiamſi ab alio factum ſit.

6m. Poteſt poſſeſſor armis poſſeſſionem ſuam defendere, imo etiam ereptam armis recuperare, modo id continuo faciat, non verò ex intervallo.

7m. Vix jam in uſu eſt, quod ſi dominus rei expellat poſſeſſorem à poſſeſſione, amittit dominium, & applicatur expulſo: Si non ſit dominus, tenetur reddere poſſeſſionem expulſo, & inſuper æſtimationem eius.

8m. Et ultimum: Si res ſubtracta erat defuncto qui illam tempore mortis poſſideat, adjudicanda eſt eius poſſeſſio hæredi, poſtquam adiverit hæreditatem: Vide Covarruv. lib. 3. variar.

De ipſa in ſe materiâ

Conſulantur in primis Pontifices quos in decurſu citavi, Greg. IX. Innoc. IV. *&c. Maximè autem* Nicol. III. *in 6. tit. de verb. ſignif. Exiit &* Joan. XXII. *in Extrav. ad Conditor.* Item *Privileg. min. verbo Paupertas.* Bartol *l.* 17 *ff de adquirend. poſſeſſ.* S Thom. *q.* 28. 1. 2. 2æ. *art.* 1. Subtilis *ubi ſupra in utroque themate.* Alenſ. 3. *p. q.* 36. Richard. 4. *diſt.* 45 *q.* 1. Henric. *Quodl.* 8. *q.* 27. Franciſ. Sarm *de redit. Eccleſ. p.* 1. *cap.* 2. *&c* Martin. Navar. *comment.* 2. *de Regular. & q.* 1. *de reditib.* Ludov. Molin. *diſp.* 6. *Tom.* 1. *de Iuſt.* Gabr. Vaſq. 1. 2. *Tom.* 2. *diſp.* 169. *& in opuſc. de reditib.* Leon. Leſſ. *lib.* 2. *Iuſtit. cap.* 4. Sanchez. Eſcovar. Mendoza. *ubi ſupra citantur, & alii Recent. Ante omnes autem noſter acutiſſimus* Ockam *in opere* 90. *dierum.* Turrecrem. *lib.* 2. *de Eccleſ cap.* 112. Joan. Malder. *tract.* 1. *Iuſt. & Iur. cap.* 3. *&c.* Franciſc. Amic. Paulus Layman. *& alii moderni, commentatores etiam* Ariſt. *in Ethic.* Aquinatis *ſupra & noſtri Subtil. citati, nominatim noſtras* Hiquæus 4. *diſt.* 15. *Et* Joan. Lugo *Tom.* 1. *diſp p.* 2. 3. *&* 4.

APOLO-

Digitized by Google

APOLOGIA TERTIA
De diviſione bonorum.

ACTIO I.
Quid naturæ lex de dominiis ſtatuerit, ſive, quo Jure introducta ſit eorum diviſio?

ACTIO II.
Promiſſio quæ? & quomodo transferat rerum dominium?

ACTIO III.
De Donatione.

ACTIO IV.
De ſponſionibus & ludis ut transferant rerum dominia.

Scot. 4. *diſt*. 15. *quæſt*. 2. *num*. 3.

DE primo ſit prima concluſio: Lege naturæ vel divina non ſunt diſtincta rerum dominia pro ſtatu innocentiæ, imo tunc omnia ſunt communia. Probatur per illud Decret. diſt. 8. cap. 1. *Iure naturæ ſunt omnia communia omnibus*, & ad hoc adducit Auguſtin. dicentem: *Quo iure defendis villas Eccleſiæ, divino an humano? Vnde quiſquam poſſidet quod poſſidet? nonne humana voluntate?* &c. Secunda concluſio eſt quod illud præceptum legis naturæ de habendo omnia communia revocatum eſt poſt lapſum, & rationabiliter propter eadem duo.

Idem *ibid. num*. 11.

EX hoc patet quid requiratur ad juſtam donationem, quia liberalis translatio ex parte donantis, & voluntas recipiendi ex parte illius cui fit donatio, & libertas ex parte amborum, hujus donandi, & illius recipiendi, hoc eſt quod nulla lege ſuperiori prohibeatur iſte vel ille, nec per actum alterius à quo dependeant in iſta translatione. Et propter defectum ſecundi non poteſt quis donare pecuniam Fratri minori, quia ille non vult eſſe dominus: propter defectum tertii non poteſt monachus, &c.

ACTIO I.
Quid naturæ lex de dominiis ſtatuerit? ſive: Quo jure introducta ſit eorum diviſio?

Breviarium.

N. 1. *Apparatus ad reſolutionem de mente Scoti.*
2. *Puncta aliquot ab authore diſpoſita: 1m. Ius naturæ an hic allegandum?*
3. *Secundum: Status naturæ an hic plures diſtinguendi?*
4, 5. *Prima communitas rerum non eſt inducta jure naturæ, ſed divino.*
6. *Scotus expoſitus & defenſus circa communitatem & diviſionem rerum.*
7. *Alius modus ejuſdem approbandi.*
8. *Objectio contra aſſertum num. 2. ſolvitur: Communitas rerum duplex.*
9. *Objicitur contra dict. num. 4. & reſpondetur: Diviſio rerum facta eſt jure Gentium, tum etiam Civili.*
10. *Revocatur huc ratio ſuprà poſita num. 3. in fine, & ſolvitur: Furtum quomodo contra jus naturæ?*

1. HIc, (ferè dicam,) omnium primò occurrit defendendus Scotus, ac proinde ſubtilitas, à Recent. qui ex textu ejus in primo themate, ob voculam illam *præceptum*, avidè amplexi ſunt occaſionem carpendi ipſum. At enim ille probè intellectus prodit acumen ſuum, ut in decurſu patebit: Etenim in hac materia, aliqua ſupponit tantum, alia affirmat: ſupponit ſtatum hominis condendi unum ex duobus fuiſſe, puta vel cum donis gratiæ, vel in puris naturalibus, atque ita hominem à principio non potuiſſe condi ſicut hodie naſcitur cum peccato.

Ex quibus videas primò ſtatum naturæ de facto conditæ minus propriè vocari ſtatum innocentiæ; non quòd talis non fuerit, (quia de facto *fecit Deus hominem rectum*,) ſed quid ſtatus etiam puræ naturæ fuiſſet ſtatus innocentiæ, quin, ut dixi, non potuerit homo condi nocens, ſive cum peccato. Abſtraho nunc ab ea Janſenii & Lovanienſium quorundam Theologia, de eo quod potuerit aut non homo condi cum imperfectionibus quas modo habet, puta cum fomite concupiſcentiæ, & rebellione unius partis contra aliam; quæ quæſtio alium locum vendicat. Hic ex meo adferam, quod ſentio ad mentem Subtilis.

2. Eſt autem: non fuiſſe adferendum aut citandum jus naturæ, quod nullum eſt. Hujus ratio incluſa eſt in ipſa; dico enim non eſſe diſtinguendum jus naturæ ab aliis circa rerum diviſionem, quia natura nullum jus tulit, ſive nullam legem ſuper hoc, ſed tradidit mundum homini, hoc eſt humano generi communiter, planè ſicut olim Romani deducebant Colonias, aut hodie Hiſpaniarum Rex in Indiis ob earum vaſtitatem traderet unam provinciam habitandam uni, vel alteri nationi ex Europæis, puta noſtratibus Hybernis quando jam ex ſua pro fide Catholica profligantur.

3. Cenſeo ſecundò non eſſe diſtinguendum de ſtatibus puræ naturæ & peccati quoad ius naturæ. Cauſa, quia pura natura in nullo differt à natura peccatrice quod ad propoſitum faciat: Etenim, ut infra ſtatim, ideo expedit diviſio bonorum, quia aliàs homines viverent inquietè propter eorum pravas affectiones; at verò omnes affectiones pravæ quæ in natura lapſa ſunt, fuiſſent in pura, rebellio concupiſcentiæ, impetus iræ, ſitis avaritiæ, &c. Non enim putandum eſt hominem à peccato tanquam à principio accepiſſe hæc, quæ ſibi permiſſus ſine ullo peccato haberet. Verum eſt cum de facto non fuiſſe ſubiiciendum his neceſſitatibus niſi peccaſſet, eò quòd iuſtitia originalis frenabat tam indomitas paſſiones; peccatum tamen non induxit ullam tanquam vera cauſa, ſed tanquam removens prohibens, eò quòd abſtulerit (demeritoriè) iuſtitiam originalem quæ eas frenabat, plane ſicut agger, aut tabulatum coërcet flumen ne inundet civitatem, quod faciet ſi agger auferatur, & nihilominus tunc agger aut eius ablatio non erit poſitiva cauſa inundationis, ſed tantùm removens prohibens.

Tertiò tamen diſtinguendum eſſe de ſtatu naturæ integræ ſive conditæ cum ſupernaturalibus donis, & ſtatu naturæ lapſæ; ſive puræ naturæ quod pro nunc eodem redit: Nam in ſtatu naturæ integræ expediret communitas bonorum, in ſtatu naturæ lapſæ non. Addo quartò & dico, quòd etiam in ſtatu naturæ integræ potuiſſet inſtitui diviſio bonorum ſicut de facto eſt. Quintò addo in ipſa natura peccatrice non fuiſſe ſtatim introductum continuum diſcrimen, ſive continuam diſtinctionem bonorum, ſed aliquando poſt illud viguiſſe primam illam communitatem, & adhuc nihilominus credo dominia antecedenter fuiſſe diſtincta: Ultimum ſit, in ſtatu naturæ integræ communitatem debuiſſe introduci iure gentium, vel alio, non verò iure naturæ. Hic multa dixi, ſed hactenus non multa probavi, aliter quàm authoritate Doctoris, quæ omnia hæc in eo fundata reddit probabilia, quamvis duæ primæ cenſuræ ſeu concluſiones aliquam ſui rationem reddiderint.

Probo ergo tertiam ratione ipſius Subtilis, loc. thematis citat. *Quia ſcilicet tunc fuiſſet utile ad converſationem pacificam, & ad ſufficientem ſuſtentationem & uſum, quia nullus tunc uſurpaſſet plus quam fuiſſet ſibi neceſſarium: Sed propter oppoſitum utriuſque utile fuiſſet poſt peccatum dominia eſſe diſtincta, quia mali non habuiſſent pacem cum bonis, ſed abſtuliſſent fortiores ultra neceſſarium copioſum theſaurum, &c.*

Quartum illud de eo quod in ſtatu innocentiæ ſive iuſtitię originalis poſſet eſſe diſtinctio dominiorum, ſuadetur, quia etiam cum diſtinctione dominiorum ſtaret pax, quum etiam hodie in ſtatu corruptæ ſtet, licet aliquando violetur, quia pauci caſus reſpectu totius Reip. ſunt nullus, ſicut tubera montium non impediūt globoſitatem terræ. Præterea etiam ius naturæ, ut iam monui, non vetuit tunc fieri diviſionem, quia neque tale ullum fuit, ſed natura permiſit illos quod magis expedire videretur, de illis ſtatuere, adeoque nihil obſtat.

Quintum illud notanter dixit non fuiſſe introductum continuum diſcrimen dominiorum ſtatim à peccato, nam aliquod introductum fuiſſe inde colliges, quòd primi qui geniti ſunt in genere humano, ſcilicet Cain & Abel, habuerint ſeparata peculia, quia *Cain ædificavit ſibi civitatem*, & obtulit de fructibus terræ Domino, Abel autem de fœtibus gregis ſui. Quod autem non habuerint continuum dominium inter ſe diviſum etiam poſt peccatum, patet, quia poſt diluvium D. Deus iterum aſſignavit mundum illis paucis, plane ſicut à principio duobus. *Egredimini ſuper terram, creſcite & multiplicamini ſuper eam*: Et iterum ſequenti: *Creſcite & multiplicamini, & replete terram*, &c. *Omnes piſces maris manus veſtræ traditi ſunt, &c.* Ubi vides dominium terræ & aquæ illis octo traditum indiſtinctum, planè ſicut in principio, ita ut ſi quæ fuerit inter eos diviſio bonorum facta, ceſſaret.

Gen. 4.

Gen. 8.

Ex quibus antecedentibus ſequitur ultimum illud, quod ſi etiam in ſtatu naturæ integræ, & adhuc iuſtis dividenda fuiſſent bona, id deberet fieri iure gentium, vel alio puta divino aut civili, &c. quia nimirum natura non miſcuit ſe, nec deſcendit ad diviſionem, ſed reliquit omnia omnibus, id eſt æqualiter uni ac alteri. Sed contra hoc obiici poteſt ratio: furtum eſt contra legem naturæ; ſive, natura prohibuit furtum, ergo natura non ſtatuit communitatem, nam furtum non poteſt contingere, niſi ubi eſt diviſio dominiorū, eſt enim ablatio rei alienæ; in communitate autem non daretur res aliena, quia quælibet eſſet cuiuslibet, qui ergo prohibuit furtum, ſuppoſuit proprietatem. Sed natura non potuit ſupponere proprietatem inductam alio iure quam ſuo, quia non datur ius prius illo naturæ, ergo ſuppoſuit inductam iure ſuo. Huic tamen rationi nolo per omnia fidi, donec eam ſolvero infra num.... ubi recurret contra ius divinum quo dicam inſtitutam eſſe communitatem.

4. Atque hæc ego ad methodum Doct. & communis Juriſprudentiæ ut vocant: Si autem mihi liceret ſententiam ferre, & ulli eam liberet audire, eſt iſta; quod quidem omnia in principio orbis relicta ſunt communia, at non iure naturæ, ſed divino poſitivo. Cauſa, quia dominium orbis erat apud

Digitized by Google

apud Deum, non vero apud aliquam naturam quam Adverſarii concipiunt quaſi priorem Deo, adeoque res quælibet Mundi primum illum dominum habuerunt quem voluit Deus, cujuslibet enim eſt ſtatuere de ſuâ re, cuius eam eſſe velit. Explicabo vim argumenti, & illius exceptivæ, quia apud Theologos & Juriſperitos Chriſtianos jus naturæ eſt primum, & prius poſitivo divino, unde illud derogat huic quando ambo concurrunt: atqui nemo poteſt diſponere de rebus Mundi ante Deum, neque jus ferre, adeoque jam illud jus naturæ quod tantopere buccinant hic authores nihil eſt niſi ipſorum cogitatio.

Fateor, ſi Mundus fuiſſet, ut Ethnici aliqui, maximè poetæ crediderunt, tum verò egregiè ſuo loco ſederet horum Ethica, aut Juriſ huius prudẽtia: Nempe ſi imaginaremur Mundum fuiſſe ab æterno infectum atque improductum, & ſimiliter homines in eo, infinito proceſſu, unum ab alio genitum ita ut non daretur primus ab externo aliquo efficiente productus, tum enim vero pulchrè intraret omnis hæc Metaphyſica de jure naturæ, & primitate eius ad alia quæcunque: Sicut enim res à naturâ haberent eſſe ita deberent regi; at modo quum nihil horum ſit ſed oppoſitum omnium, & primus productor tam hominum quam terræ ſit externus, puta Deus, primum jus circa terram hominibus impendendam debet eſſe divinum.

5. Atque hinc apparet repellendam eorum imaginationem qui volunt naturam à principio tuliſſe legem quæ juberet omnia eſſe communia: Deinde autem admiſſo ab homine peccato eam revocaſſe. Primum enim pugnat jam dictis num. 2. quia illa nullam legem tulit preſsè & propriè loquendo. Iterum etiam quia nullam potuit ferre ut conſtat ex dictis num. non erat ipſius diſponere de rebus ſed Dei qui revera erat omnium dominus. Si res eſſent incerti domini, aut nullius; vel, ſi Mundus ex ſe haberet eſſe tunc obſervandus eſſet ductus naturæ: at modo quùm ab aliquo determinato efficiente acceperint eſſe tam res quam poſſeſſores earum, non eſt attendendum quid dictet idolum illud naturæ, ſed quid velit is qui dominium habet; ſicut licet de facto jus naturæ ſit primum & maximum, tamen circa chlamydem Petri non eſt conſulendum jus naturæ, ſed voluntas ipſius Petri.

Suadeo jam ſecundam partem, quia, ut cuique patet, jus naturæ eſt immobile & perpetuum nec abrogari poteſt: quia aut à ſe abrogaretur, aut ab alio jure; non à ſe, alias non ferretur nec eſſet, quum abrogatione fieret ne eſſet, & univerſaliter nihil ſibi ipſi nocet, neque deſtruit ſe. Non etiam alio jure, quia alia omnia ſunt infirmiora illo, & quandocunque occurrunt ei, cedunt etiam divinum poſitivum, &c. Præterea aut natura dictat ut omnia ſint communia in quocunque ſtatu, aut tantum in ſtatu innocentiæ: ſi primum, ſequitur omnes de facto peccare contra jus ipſum naturæ qui habent proprium, quod eſt hæreſis ab Eccleſiâ damnata, & quod ma[illegible] eſt à Deo & Chriſto D. in veteri ac novo teſtamento: ſecundum autem ſi dicatur, ſequitur authorem illius opinionis ineptè dixiſſe quod lex illa fuerit revocata pro ſtatu lapſus, nam lex illa nihil dictabat de ſtatu lapſus, quo modo ergò potuit revocari, aut irritari quoad ſtatum lapſus; nullo ſane; quod ita verum eſt, ut non potueritne

quidem obſervari quoad illum ſtatum, quia om-
ninò non procedebat de illo.

Scotus accuratè expenſus.

6. SEd opponet quiſpiam, (nec ſine color
non defendi hic interim Scotum ſed oſte
di, quippe qui his planè adverſa habet; qu
enim clarius illis; *Illud præceptum legis naturæ*
habendo omnia communia, revocatum eſt poſt lapſu
&c. ut ſupra in themate: neque enim aufert, ſ
prodit difficultatem Cavellus qui per præce
tum hic intelligit conſilium, vel permiſſum, & p
revocatum eſſe, ceſſare, quùm hoc ſit voces con
pagibus ſuis avulſas, aliò transferre, nihil eni
minus eſt præceptum quam conſilium.

Aliter ergò expediendus eſt Doctor ut i
telligatur, quod egregiè fecit Hiquæus noſtras
dictum locum: atque ut pateat fieri potuiſ
& Scotum non ſolum verè, ſed utcunque etia
propriè loquutum, duo faciam; unum eſt oſte
dere præceptum naturæ accipi poſſe abſque
gore arctæ obligationis, & indiſpenſabilis ut
nat; alterum erit id à Scoto factum. Primu
quidem quia ipſa lex ita exponit hæc vocabul
ut patet ex gloſſa in *Cap. Ius naturale, diſt. 2. c. 7.*
idipſum alio nomine vocatur *æquitas natural*
Eamque expoſitionem adverſarii admittunt e
ponentes Canonem illum, *Per iniquitatem* q
eſt S. Clement. Pap. Denique S. Thomas
utitur iſtis vocibus 2. 2. quæſt. 66. art. 2. Itaq
lex naturæ commodè accipitur ut ſit dictame
natura nobis inditum de aliquo faciendo vel
mittendo, licet non omne tale liget; & eiuſm
di fuit illud quod inter nos vertitur, ut omnia
ſent communia in ſtatu naturæ integræ.

Jam verò Scotum his vocibus eo ſenſu
ſum, neque ſemper intellexiſſe per eas rigida
obligationem aut præceptum, non poteſt d
bium eſſe ulli in eius ſcriptis verſato; nam hac ip
diſt. quæſt. 3. n. 6. dicit *talionem eſſe de lege naturæ*
ve *ut homicida moriatur*, *quia* ſcilicet *hoc non ſolu*
competit legi Moſaicæ, ſed etiam naturali; & tam
pœna talionis nihil minus eſt quam præceptu
naturæ, vel indiſpenſabile, alioqui non poſſe
principes remittere pœnam mortis, imò nec ip
Deus. Et adhuc nihilominus multò apertius
illud diſt. 17. q. 1. *Illud eſt verum de jure natur*
cuius veritas eſt nota ex terminis, & tale eſt principiu
in lege naturæ: & infra: *extendendo quandoque dicit*
illud eſſe de lege naturæ quod eſt verum practicum: co
ſonum principiis & concluſionibus legis naturæ: atq
ita Scotus dicendo communitatem rerum ol
fuiſſe præceptum legis naturæ, non aliud vol
quam quod natura illud dictaret & quaſi pr
nuntiaret obſervandum; ſicut arbitri partiu
qui tamen non poſſunt imperare aut legem fe
re; & alias docti rudibus reſpondent. Et d
nique ne quid hic ſit ſcrupuli ſuperſtes, cedo i
ſum Scotum pro ſe loquentem: Etenim hoc e
dem loco in Reportatis, quæ non aliud ſu
quam compendium quoddam Oxonienſis,
habet. *Declaro unde eſt dominium diſtinctum, in ſt*
enim innocentiæ non fuit dominium diſtinctum,
fuit etiam in ſtatu legis naturæ meræ ut ponitur in C
none diſtinct. 8. cap. 1. & ab Auguſt. de jure do
niorum &c. Iſtud patet quia tunc congruum fuit qu
dominium fuiſſet indiſtinctum, quia tunc fuiſſet utile
converſationem pacificam & ſufficientem ſuſtentat

tem & uſum, quia nullus tunc uſurpaſſet plusquam fuſſet ſibi neceſſarium. Sed propter oppoſitum utriuſque utile fuit poſt peccatum dominia eſſe diſtincta &c. Ex quibus liquidum eſt quid Scoto fuerit præceptum aut Lex naturæ; quod quum Recent. aliqui nollent intelligere aut expectare declarandum, ſtatim in ipſum conjurarunt obiicientes non aliud quam à me poſitum eſt ſupra: num. 5.

7. Si cui autem iſta minus ſatisfaciant, defendat cum Hiquæo noſtro propriè dictum præceptum, propter ſequentia: Primum eſt quia lex illa naturæ & dictamen practicum licet non fuerit (ut hactenus oſtenſum eſt) in omni rigore præceptum graviter obligans, tamen id dandum videtur naturæ legis quod aliquo modo ligaret, ſic ut tranſgreſſio non foret quid indifferens merè ſed malum: Eo autem poſito videtur littera Doctoris poſſe propriè intelligi; quia nimirum ſtatus innocentiæ non erat capax peccati venialis ut plures Theologi judicarunt, atque ita proprietas quæcunque in illo ſtatu erat mortale, adeoque: certum eſt enim quod mortale non ſit niſi contra propriè dictum præceptum ſecundum quia in ſtatu innocentiæ non fuiſſet ſervitus; at vero poſita proprietate & diſtinctione dominiorum neceſſariò ſequeretur ſervitus ut ille ibi deducit, meritò conſulendus. Mihi non libet alienos labores deſcribere, & proinde probo aliter intentum: Quia nimirum in eo etiam ſtatu tenebantur occaſiones peccatorum vitare, accerſere enim illas eſt peccare, quia *qui amat periculum peribit in illo*: at vero appropriatio rerum uni, clarum eſt quod ſit occaſio peccati alteri; hinc enim concupiſcentia, hinc avaritia, & alia plurima mala, nota nimis, ut furta, rapinæ, &c. unde Ovidius vocat:

Opes, irritamenta malorum

Adeoque ſub præcepto erat vitare appropriationem ſive diſtinctionē dominiorum. Confirmo: tam tunc quam nunc præcepto vetitum eſt ſuſcitare motus fomitis in ſe ſive libidinem, ergò & motus avaritiæ, quia ſunt ſimiles quaſi ſorores; illa eſt *concupiſcentia carnis*, hæc eſt *concupiſcentia oculorum*. Denique ſic quia probabiliſſimè fuit præceptum homini retinere fœlicitatem in qua conditus eſt, nam oppoſitum erat homicidium, eo quod fœlicitas illa continebat immortalitatem: certum eſt autem quod poſt diviſionem dominiorum non ſtaret illa fœlicitas, ut nec hodie ſtat, quia quando quis vellet uti re alterius, cogeretur invitus carere, quod certè eſt miſeria.

Sed (inquies) etſi per hæc defendatur *præceptum* illud apud Scotum, adhuc eſt indefenſa *revocatio* eius ut ſuprà poſitæ n. 5. Reſpondeo phraſin Scoti eſſe cohærentem ſibi: In re quidem revocatio hic idem eſt quod ceſſatio; ſed non fruſtra Doctor. uſus eſt τὸ revocatio; quia præceptum tanquam onus quoddam conjunctum fuit & ſequebatur ad ſtatum illum veluti feudum. Quia ergò privilegium illud iſtius fœlicitatis fuit poſtea à Deo revocatum, meritò dicitur etiam revocatum eſſe præceptum.

Proſequutio ulterior materiæ.

SEd contra prioribus numeris dicta ſic obiici poteſt: ubi Deus nihil decernit in dominiis, negotium decidendum eſt jure naturæ, tunc enim res habendæ ſunt pro derelictis; at verò ſecundum nos Deus nihil hic decrevit, nullius poſſeſſiones definivit, ergo totum tranſigendum eſt jure & dictamine naturæ. Confirmo ex jam dictis, nam ſi terra & homines eſſent à ſe ipſis attendendum eſſet jus & dictamen naturæ; atqui de facto res non quidem ita, ſed ſimiliter ſe habet, nam Deus reliquit mundum hominibus ipſis fruendum ac dividendum, planè ac ſi eſſet inventus aut occupatus ſorte ab ipſis, ergò. Reſpondeo negando omnia hæc ſubſumpta, nempe Deum hic nihil decreviſſe, decrevit enim ut omnia eſſent communia, quod eſt aliquid decernere.

Inſtabis: ſi ita ſit, tum nemini licebit quidquam proprium habere, non enim poteſt ullum jus derogare divino. Huic enodando, advocanda eſt aliqua Metaphyſica, & diſtinguendum de communitate, alia eſt enim poſitiva, alia negativa: hæc eſt quæ non quidem habet determinationem ad proprietatem aliquam poſſeſſionis; ſed poteſt eam habere, & poteſt non habere: Illa autem affixa eſt immobiliter ipſi in ſe communitati ita ut non poſſit admittere appropriationem: ſic dicimus & verè animam ut ſic, & animal ſimiliter non eſſe rationale (alias omne animal eſſet tale,) adeoque eſſe irrationale, ſed non poſitivè, alioqui implicaret dari animal rationale, eſt ergò irrationale negativè, id eſt, ex ſe non habens rationalitatem, neque etiam excludens eam: ſed patiens utriuſque; ita hic, divino jure ac voluntate omnia Mundi ſunt communia hominibus, id eſt nulli appropriata, non tamen talia ne poſſint appropriari.

9. Dic ergò diviſionem factam eſſe jure gentium in primis, tum verò etiam jure civili: quod autem quidam addunt aliquam eſſe factam jure divino, non eſſe adeo propriè dictum. Hoc & amplius eſt Scoti hac diſt. 15. *conceſſa licentia appropriandi & diſtinguendi communia, non fiebat actualis diſtinctio per legem naturæ nec per divinam: Per divinam non, ut probatur per illud Auguſt. ſuperius adductum: Quo jure? per legem naturæ non, quia non apparet quod illa determinet ad oppoſita ipſa autem determinavit in natura humana hoc quod omnia eſſent communia.*

Objici tamen poteſt tam his quam ſupra proximè dictis: *Quod nullius eſt occupanti conceditur*: quæ eſt propoſitio *lib. 2. Inſtit. de rer. diviſ.* relata in §. *Feræ beſtiæ* hæc inquam eſt de lege naturæ, ipſa autem eſt quædam diviſio rerum; ergò jam aliqua diviſio eſt de lege naturæ. Reſpondeo tamen cum Doct. citato, n. 6. quod quamvis id ſit probabile, quia illa poſt naturalem apprehenſionem de hoc quod eſt res eſſe dividendas ſtatim occurrit tanquam probabilis & manifeſta, tamen rationabilius eſt dicere quod ipſa non ſit de legē naturæ ſed poſitiva, nam etiam videtur quod mutari in aliquo poſſit, ut videmus aliquo modo factum circa inventorem theſauri.

Cœterum directa ratio concluſionis eſt, quia in hoc aliquando totus Mundus (in quo ſunt omnes gentes) convenit, nam primi homines diviſerunt inter ſe partes orbis ut patet ex hiſtoriâ Geneſis, & ita, (ut accuratè Subtilis) vel Noë diſtinxit filiis ſuis terras quas ſinguli occuparent, vel ipſi communi concordia inter ſe diviſerunt, ſicut legitur Gen. 13. de Abraham & Loth, quia Abraham dedit electionem ipſi Loth quam partem vellet eligere, & ipſe reliquam acciperet. Imò ipſum vis fere ab hoc incipit: Jus gentium eſt ſedium occupatio. Neque dubitari poteſt de civili quum per ipſum multa conſtituta ſint de rerum dominiis.

Probo

Digitized by Google

Probo ergò partem illam de jure divino explicando eam; nec enim nego totum quod alii aſſerunt: Concedo Palæſtinam à Deo ereptam eſſe Chananæis, datam Judæis; dico David à Deo factum regem, & monilia Ægyptiorum collata divinitus Iudæis; ſed nego Deum interim uſum eſſe per omnia ſuo divino jure; quia qui auferret aliquid horum, verbi gratia furaretur monile Iudæo, non aliter peccaret, id eſt non alio ſpecie peccato quam ſi furaretur ab alio qui ſimile quid pretio comparavit. Et qui nollet obedire David, non aliter peccaret quam qui nollet alteri legitimè electo obedire, quanquam is humana tantum authoritate eſſet inauguratus.

Dices, illa monilia de voluntate & potentiâ Dei ordinaria pertinebant ad Ægyptios, ergò Deus non potuit ea transferre ad Iudæos niſi utendo potentia & jure ſuo abſoluto ac extraordinario, quod eſt intentum. Poſſem primò reſpondere, non fuiſſe neceſſariam hic illam potentiam Dei abſolutam, quia ipſi Iudæi poterant ea ſibi vendicare in ſtipendium laboris quo ſervierunt Ægyptiis ſi noluerunt ſolvere. Secundò dico admiſſo quod D. Deus uſus ſit potentia extraordinaria in dando illa monilia Iudæis, tamen hos poſtea poſſediſſe ea jure ordinario.

10. In fine hic obiiciam rationem ſupra poſitam contra jus naturæ: Furtum eſt contra jus divinum, ut patet ex decalogo qui totus eſt à Deo latus ut lex; ſed furtum non poteſt contingere niſi ubi eſt proprietas (eſt enim ablatio rei alienæ, adeoque alicuius quæ non ſit furantis ſed alterius) ergò jam Deus inſtituit proprietatem, & diviſionem dominiorum, vel certè ſuppoſuit eam alio jure jam inſtitutam (quod non rectè diceretur ſecundum nos ob ſupra poſita de jure naturæ) alioquin fruſtra prohibuiſſet furtum, aut mentionem eius feciſſet, quia eſſet de ſuppoſito non ſupponente. Reſpondeo huic ſimul & eidem rationi ſupra poſitæ de jure naturæ, veriſſimum eſſe quod talis lex cuiuſcunque ſit ſupponat furtum, ut bene deducit argumentum; & conſequenter proprietatem, at non abſolutè futuram, & multò minus à Legiſlatore inſtitutam, ſed poſſibilem; eſt enim ſenſus: Nullo caſu, tametſi fieret diviſio bonorum, auferas quæ alterum contingunt. Confirmo, quia non eſt opus ut proximus habeat ancillam aut aſinum, & tamen in decalogo, nono & decimo præceptis vetatur concupiſcentia ancillæ & aſini. Confirmo adhuc efficacius quia lex naturæ nunquam deſinit obligare, & conſequenter etiam Beatos ligat, & tamen in beatitudine ſine dubio non erit proprietas bonorum.

* * *

ACTIO II.

Promiſſio quæ? & quomodo transferat dominium?

Breviarium.

N. 1. *Ad quid teneatur dubitans quid promiſerit?*
2. *Promiſſio certo facta ad quid obliget?*
3. *Objectiones aliquot mota & ſoluta. Promiſſio in forma ſtipulationis: item reciproca hinc inde quid addat ſimplici.*
4. *Adhuc alia: promiſſio facta Deo an? & quomodo habeat acceptationem? ubi de profeſſione religioſâ.*
5. *Promiſſio intuitu pravi operis facta ante opus patratum non ligat, poſt patratum ligat.*
6. *Promiſſio facta de opere quod ſit contra juſtitiam, an liget?*

1. Quid promiſſio? jam in prologemenis eſt poſitum; quotuplex? ſufficit ſcire aliam eſſe gratuitam, aliam oneroſam; omitto unam ſimplicem, & aliam juramento firmatam, quia ambo notiſſima ſunt. Quæro autem an teneatur ad promiſſum implendum qui dubitat quo animo verbis promiſſoriis eſt uſus, animo obligandi ſe, an aliuſmodi aliquo duntaxat? Communis reſponſio eſt negativa: aliquis tamen Recens reſpondit nuper affirmativè: Mea eſt eſſe mediandum ita ut in foro poli ille ſit liber ab onere præſtandi quæ promiſit dubiè: in foro tamen fori poſſit haberi contra eum actio, atque ita ſtandum eſſe promiſſioni, & pro promiſſario. Moveor, quia primæ parti favet regula juris quod in dubiis melior eſt conditio poſſidentis; non ergò ille debet ſpoliari libertate ſua aut re promiſsâ qui utramque poſſidet, in favorem eius qui neutrum poſſidet, quùm ille ſit par ei quoad jus in utrumque. Confirmo; demus enim quod Deus videat ipſum revera non habuiſſe animum obligandi ſe, eo quod re vera eum non habuerit, tum fieret ei injuria ſi ferretur ſententia contra ipſum quia invitus privaretur ſuo jure quod eſt ſummè cavendum judici etiam ſpeculativo.

Dices rationem reſilire contra me; demus enim Deum videre quod habuerit animum obligandi ſe, quia revera habuit, fiet injuria promiſſario (eo quod privetur re ſua) ſi feratur ſententia contra ipſum. Reſpondeo non fiet; vel ſi fiat, non fiet par alteri, quia promittens habet jus in re & ad rem, promiſſarius autem neutrum, ſaltem non utrumque. Alteram partem probo, quia in hoc foro res non eſt dubia ſed certa, nam forum hoc non judicat niſi de ſignis ſenſibilibus quæ hic adhibita ſunt planè ſicut adhibentur ab habente intentionem.

2. Quæſito, quomodo obliget promiſſio utroque modo facta, id eſt verbis & animo, an graviter aut mortaliter, an leviter & ad peccatum veniale tantum pronus ſum ad poſtremum hoc, quo ita imminuam onera animarum, ſive ſcrupulos & perplexitates, atq; etiam obligationes & pericula peccandi quæ hodie in Chriſtia-

quam gratia, noluit tamen, ut patet ex facto ipſius, ex quo colligere licet eum non ſemper velle quod magis bonum eſt; atque ita non licet judicare quod hoc aut illud, ſive hæc aut illa promiſſio ſit accepta Deo eo quod ſit de majori bono. Confirmor in hoc meo ſenſu ex praxi Eccleſiæ quæ in quibuſdam promiſſis Deo factis quando vult ea eſſe rata & irrevocabilia ſubſtituit hominem qui loco Dei acceptet promiſſionem, ſic enim facit in profeſſione Religioſorum qui univerſaliter vota emittunt in manibus prælati; hic autem vices Dei gerit, & illo modo acceptat ea, quod ſignum eſt etiam quoad Deum opus eſſe externa aliqua acceptatione per ipſum vel alium ejus nomine facta.

Jam ad ſuperius dubium Reſpondeo nonnihil ultra communem ſenſum ſcilicet promiſſionem internam ab homine homini factam non ſolum non eſſe obligatoriam, ſed nec promiſſionem quidem, quod mirum eſt authores non notaſſe. Cauſa eſt quia promiſſio eſt dictio & loquutio; at vero per cogitationes, & verba merè interna non poſſumus homines invicem alloqui pro hoc ſtatu ergo nec promittere: Confirmo, quia licet clamarem donec raucus fierem dirigendo verba mea ad lapidem aut ligna non dicerer loqui illis, quia verba mea reſpectu eorum non ſunt ſigna; at vero reſpectu hominum pro nunc cogitationes & verba mentis æque ſunt non ſignificativa, ergo æque inepta ad loquutionem & conſequenter ad promiſſionem, quæ quum certa ſint, non erit opus deſcendere ad probandum quod promiſſio ejuſmodi non ſit obligatoria, quùm ne quidem ſit promiſſio, adeoque tranſibo ad expediendum ultimum.

5. An promiſſio pravi operis liget, quod alii minus honeſte quærunt ſic; an promiſſio ob turpem cauſam liget? non enim eſt turpitudo in quolibet opere pravo, quum plurima ita non ſint pudenda, ut ſoleant etiam jactari; difficultas autem præſens eſt de omni opere, adeoque non ſatis exprimitur communi illo titulo: At enim hoc eſt verbale, eoque admiſſo non habeo cur à communi reſolutione recedam quoad ſubſtantiam: ſed cenſeo promiſſionem ejuſmodi non ligare ante opus pravum patratum, poſt patratum ligare: Ratio primi eſt quod promiſſio ſit reſpectivum quid & reciprocum quod in promiſſore non generat obligationem niſi promiſſarius viciſſim obligetur ad onus quod viciſſim ei à promittente imponitur, nemo autem poſſit obligari ad peccandum, atque ita nec promiſſarius ad illud onus, puta ad homicidium; ſi autem promiſſarius non obligatur ad ſuam partem, neque promiſſor ad ſuam, quia iſti ut dixi ſunt correlativa quæ ſecundum Ariſtotelem ſimul intereunt.

Ratio ſecundæ partis eſt quia patrato maleficio deficit ratio illa allegata, & obligatio antea conditionata tranſit in abſolutam impleto opere, adeoque. Redibo ad probandam hanc partem quùm prius explicavero me in præcedenti, puto enim promiſſionem factam intuitu operis quod humano jure pravum eſt, aliquando obligare, niſi etiam ſemper, adeoque concluſionem poſitam accipiendam eſſe de operibus quæ jure ſuperiori prava ſunt. Praxis explicabit hanc theoriam; jubetur monachus à ſuo abbate talem viam non tranſire, accedit autem alius qui vult uti illius operâ in tali loco, dico eum poſſe paciſci cum monacho ut talem locum adeat, & promiſſionem ac pactum tenere, etiamſi promittens & paciſcens ſciat id monacho eſſe vetitum: Cauſa; quia id quod cadit ſub pacto eſt ſola ſubſtantia operis, hæc autem non eſt mala. Inſtabis; idem poteſt dici de aliis, puta concubitu & homicidio, quæ etiam abſolute poſſunt licite fieri, nam bello juſto poſſem occidere talem, & poſſes frui tali fæminâ ſi fuiſſet tua. Reſpondeo tamen negando illatum: Diſparitas autem eſt quod malitia hujus poteſt eſſe ignota paciſcenti; quotus enim ſecularis novit negotia monachorum? ſed etiam poteſt tolli ante actum; poteſt enim monachus petere diſpenſationem præcepti ab Abbate, & impetrare.

Addo dictis de pacto pravi operis, ſi ullo modo iniri poſſit, vel poſtquam patratum eſt, ſolvi, poſſe illud charius vendi quam opus licitum, & poſt patrationem ejus poſſe exigi & accipi amplius in ejus compenſationem. Ad hoc ſingulare moveor ratione communi; etenim dicunt authores periculum vitæ, jacturam honoris & ſimilia eſſe pretio æſtimabilia ac proinde poſſe & debere compenſari: at vero in opere mortaliter malo eſt reatus pœnæ æternæ, qui certè eſt æſtimabilis ſi quid aliud ſit, item eſt obligatio ad confeſſionem ſacramentalem, & pænitentiam acceptandam; quæ omnia ſunt æſtimabilia, & ſequuntur ad opus illud ultra rationem peccati.

Objicies: ille non potuit dare id de quo agitur, ſive locare operam ſuam tunc, ergo alter non tenetur ei ſolvere, ſcit enim eum dare quæ ſua non ſunt. Antecedens patet, quia eſt vetitum & peccatum quod nemo poteſt patrare. Huic tamen reſpondendum eſt opus eſſe quidem peccatum, at non contra juſtitiam, & proinde poſſe parere titulum juſtitiæ. Vetitum & peccatum eſt vendere in die feſto; ſi tamen vendidero adquiram titulum juſtitiæ in pretium mercis. Puto tamen hic à me non eſſe allatam paritatem, ad hanc enim habendam deberet vendi ipſa venditio id eſt labor hominis quod non fit, ſed venditur merx: unde opportuna inſtantia eſt de laborante in die feſto, qui quidem male facit laborando, & nihilominus adquirit *jus* in mercedem laboris, quia labor ille non eſt contra juſtitiam, ſed contra obedientiam aut religionem.

6. Sed inquiet aliquis; ergo jam cenſes non ligare promiſſionem factã ob opus quod fit contra juſtitiam Reſpondeo aliqui promiſcue cenſent de juſtitia & cæteris, ego non item: Cenſeo opus factum male malitiâ injuſtitiæ non exigere ex juſtitia præmium promiſſum, bene tamen ex fidelitate; aut ſi exigat ex juſtitiâ, non tamen deberi ei cui fuit promiſſum ſed alteri: Doctrina practice eluceſcet: pactus eſt aliquis cum alterius conjuge ut pretio miſceretur ei, dico non deberi fæminæ pretium ex juſtitia ſed ex fidelitate, vel ſi quid debeatur refundendum eſſe marito adulteræ, non ipſi: quod iterum alia praxi illuſtrabo; Petrus furatus eſt chlamydem Paulo quam mihi pretio accommodat, dico non teneri me ex juſtitia reddere pretiũ mutatæ chlamydis Petro, ſed ut maxime ex fidelitate; ex juſtitia autem ſi quid debetur eſſe Pauli: ſimile eſt enim illud de adultera, quæ quum uſum ſui corporis alteri conceſſit dedit uſum rei alienæ, *mulier* enim *poteſtatem ſui corporis non habet, ſed vir*, unde pretium huius uſuræ pertinet ad maritum ſi ullum ſit ex juſtitia debitum

Digitized by Google

bitum: ex fidelitate autem certum eſt deberi adulteræ, quia huic fides data aut obſtricta eſt.

Inſtabo nihilominus contra probationem factam, atque etiam contra reſolutionem: licet vir habeat poteſtatem corporis ſuæ conjugis, non tamen ad alienum uſum ſed ad proprium, ergo pretium hujus ei non debetur: præterea etiam quum adulter revera fruitus ſit illa fœmina non videtur rationabile quin ille viciſſim aliquid reale debeat ei rependere. Propter hæc puto caſum non eſſe per omnia ſimilem illi furti aut furis, ſed multo magis hic poſſe concedi obligationem juſtitiæ in promittente adulteræ quam in promittente furi.

Adhuc nihilominus objicies: videtur enim durum quod injuſtitia pariat ius, quum ergo adulterium ſit injuria non videtur poſſe adquirere adulteræ jus, ſive titulum juſtitiæ in quidquam. Si dixiſſem adquirere, ad objectionem reſponderem adulterium non eſſe ſtrictam injuriam, quia nec vir habet ſtrictum & plenum dominium & plenum corporis ſuæ uxoris, non enim poteſt illud vendere aut locare, &c. quæ alii viderint.

ACTIO III.

De Donatione.

Breviarium.

N. 1. *Conditiones à Iuriſtis requiſita ad donationem, reiiciuntur.*

2. *Poteſt dari reciproca donatio: Preces non impediunt donationem.*

3. *Donum ex ſe eſſe irrevocabile: leges aliquæ de hoc illegitimæ. Adductus Seneca.*

4. *Objectio ex Bibliis, ſoluta. Deus an revocet ſua dona ob ingratitudinem creaturæ?*

5. *An? & quomodo error irritet donum?*

1. Quid ſit donatio? jam dixi in prolegomenis; quia tamen hic examinanda eſt definitio, etiam repetenda erit: eſt igitur donatio, datio liberalis, ſive largitio illimitata ex liberalitate facta: ita enim habetur *ff. de donat. l. 1.* ubi etiam tria ad eam requiruntur, ut notant illius juris interpretes: primum eſt ut quis velit rem dono datam ſtatim fieri accipientis: 2. ut non velit ullo modo illam ad ſe reverti: 3. ut ob nullam cauſam donet quam ut liberalitatem & munificentiam exerceat: ita illi, non item ego.

In 2. enim definitione neque ultimam partem, neque ultimam gloſſam ejus recipio, ut ſcilicet fiat ex mera liberalitate, non ob aliam ullam cauſam, nam donationes quam maxime tales, id eſt minime revocabiles ſunt illæ quæ fiunt Eccleſiis ſecundum hos ipſos Rabbi, & tamen certum eſt quod illæ fiant ex pietate: ſubinde etiam fiunt ex aliis bonis motivis præter liberalitatem, ut dubitari poſſit num liceat donum ob nullam aliam cauſam, quam ut quis munificentiam exerceat? nam hic timeri poteſt vanitas & jactantia, certe autem non videtur virtutis excludere alias virtutes.

Secunda etiam particula neſcias quomodo conſtet horum judicum doctrinæ, quod ſcilicet donator non velit rem dono datam ullo modo ad ſe reverti: nam quum eorum jura decernant ut multis caſibus revertatur, quomodo ad donum neceſſaria erit hæc voluntas? an ad donandum legitime neceſſe eſt legibus obviare? denique ipſum primum non eſt omnino immune exceptione, nam & apud hos doctores & ex natura rei poteſt dari ac fieri donatio conditionata; at vero conditio non permittit rem ſtatim fieri donatarii, ſive accipientis ſed ſuſpendit jus ejus, ergo jam non eſt verum quod primo aſſumpſerunt illi ſcilicet ad rationem doni opus eſſe ut quis velit donum ſtatim fieri donatarii, ſive accipientis.

Stet ergo prima deſcriptio, quæ optima & minima eſt, nam linea recta eſt breviſſima. Reſolvam tamen nonnulla adhuc dubia de naturâ doni & donationis.

2. Primum, an poſſit eſſe reciproca donatio? ſive an datio profecta à donatario ad donantem, ſit vere donatio, aut donum, quod aliter quæri poteſt, an gratitudo impediat donum? Et Reſpondeo negative contra quoſdam. Cauſa: quia adhuc datio eſt liberalis, non enim eſt devincta accipienti, quia prius donum non obligavit hunc ad quidpiam, alioqui non eſſet donum ſed pretium alterius. Explico & confirmo, quia adhuc eſt libera quùm in arbitrio ejus ſitum ſit reddere aut non reddere.

Pergo & probo à ſimili, ſi non etiam ſit ipſum: poſſumus enim donare ex pietate; ſic damus Eccleſiis, & Eccleſiaſticis, damus etiam ex miſericordia pauperibus, &c. hic autem quærendus eſt adverſarius, cur gratitudo impediat liberalitatem, pietas, miſericordia, &c. non impediant?

Quærentibus, ſi dem petenti quidquam ob illius preces an cenſeat donare? Reſpondeo male reſponderi affirmative univerſaliter: quia nimirum licet communiter ita fiat, tamen ab hac veritate poſſunt dari exceptiones aliquot paucis notatæ. Una eſt ſi dem ob importunitatem precum & precantis, tum enim datio non eſt plene libera ſed partim coacta & quædam commutatio; facio id enim ad redimendam vexationem; propter quod multa quæ videntur eleëmoſynæ, non ſunt tales: & hujus generis videtur fuiſſe illa Apoſtolorum qui rogaverunt Dominum pro ſalute Matth. 15. *Dimitte illam quia clamat poſt nos.* Iterum contingit rem petenti datam non eſſe eleëmoſynam quando is qui petit eſt notabilis dignitatis ſupra eum quem orat: ut ſi Princeps aliquis orat judicem pro cauſa alicujus amici, tum enim ex prece principis fit tantus honor judici

Digitized by Google

dici aut advocato ut non videatur donata ſententiâ ſed empta.

Redeundo jam ad ſuperius quæſitum, dubitari poteſt utrum ſit donum id quod eo fine do ut habeam donatarium mihi obligatum? ad quod contra quoſdam reſpondeo affirmativè: Ratio eſt vicina ſuperiori, quia quum ille ad nihil obligetur, ego recipio, adeoque gratis do munus. Simile eſt ſi dem ut ſit mihi gratus, nam quum gratitudo non impediat liberalitatem in dante, non eſt cur impediat in accipiente.

3. His præmiſſis tranſeo ad magis Ethicam materiam; an donatio ſit revocabilis? ad quod in promptu eſt communis reſponſio affirmativa juris & Juriſtarum qui quaſi practice id hic dicunt, nam dicendo faciunt; nec enim alia ratio reddi poteſt pro revocabilitate donationis, benè autem pro conſtantiâ & irrevocabilitate ejus. Unde dico donationem jure naturali & vera re eſſe irrevocabilem; ſpecialiter autem non ſuffi cere ingratitudinem donatarii & conſequenter leges civiles hic præjudicare naturali, atque utilitati privatorum. Hæc forte offendet legiſtas: ſed immerito, quia non negat civiles leges Reip. utiles eſſe. Sed quidquid de hoc ſit; probo ipſam proprie, quia ingratitudo non eſt culpa, ergo non debet ingratus proinde pati pœnam. Conſequentia eſt evidens: antecedens etiam ſatis verum, quia nemo tenetur eſſe gratus, adeoque non peccat ingratus; omne enim peccatum eſt defectus aut receſſus à regula, vel ab implendo id ad quod quis tenetur. Antecedens principale ſuadeo, quia donum fuit illatum liberè, id eſt ſine onere, unde donator ad nihil adſtrinxit donatarium, quod ita verum eſt ut, ſi id faceret, tum datum ab eo deſineret eſſe donum, & fieret commutatiò reciproca hinc indè. Et vero quis hæc admittere, imo exigere deberet magis, quàm Juriſtæ apud quos tria ad donum requiruntur, ex quibus tertium eſt ut ob nullum alium finem detur quam ut donator meram munificentiam exerceat? ſed in hoc genere nemo valentior, nemo elegantior, L. Seneca quem proinde deſcribere hic libet de beneficiis & ingratitudine philoſo-
Senec. de benefic. lib. 3. c. 7. phantem. *Rationes mihi multa occurrunt propter quas crimen hoc in leges cadere non debuit: primum omnium, pars optima beneficii periit ſi actio datur: hoc enim ſpecioſum eſt quod dedimus vel perdituri; quod totum permiſimus accipientum arbitrio: ſi appello, ſi ad judicem voco, incipit non beneficium eſſe ſed creditum. Deinde quùm res honeſtiſſima ſit referre gratium deſinit eſſe honeſta ſi neceſſaria eſt. Ita duas res quibus in vita humana nihil pulchrius corrumpimus gratum animum & beneficium. Quid enim aut in hoc magnificum eſt ſi beneficium non dat ſed commodat? aut in illo qui reddat non quia vult ſed quia neceſſe eſt? non eſt glorioſa res eſſe gratum, niſi tutum, eſt fuiſſe ingratum.*

Dicet aliquis, Ingratitudo jure expreſſa eſt culpa, ſcilicet injicere impias manus. Reſpondeo ſit puniatur proinde, ſed pœnis abſtrahentibus a dono, nam bona per donum adquiſita non ſunt magis obnoxiâ huic pœnæ quam alia.

Matth. 18 4. Objicio tamen adhuc poteſt huic Stoico, & multo magis mihi Evangelium in quo aperte traditur quod ipſo Dei judicio dona revocantur ob offenſum donatorem nam quum Rex dimiſiſſet 10000. talenta ſupplici, poſtea exegit ab eo totum irritatus. Reſpondeo tamen totum hoc deſtruere, concluſionem poſitam de naturâ doni in ſe ſpectatâ, quam ipſe legislator fatetur ſibi relictam eſſe talem: ſi autem humana authoritas poteſt legem ſtatuere qua irritetur donatio ob ingratitudinem quanto magis divina. Reſpondeo ſecundo, videri parobolam illam comminatoriam duntaxat; re enim vera Deus non exigit pœnas remiſſas, neque præterita & dimiſſa peccata redeunt per novum, quod Theologi paſſim fatentur. Denique caſus eſt diverſus, nam ut aſſumit arguens ille offendit regem ſive Deum, ingratus autem non offendit donatorem qua talis, non enim ingratitudo eſt offenſa, aut læſio ullius, ut ſupra.

Jam pro lectoris commodo moneo arbitrariis his legibus rem ita eſſe diſpoſitam, ut ſi quis quidpiam puta librum uni primò & poſtea alteri donaverit, atque etiam tradiderit eidem, eum fieri illius apud quem eſt, non ejus cui primo donatus fuit, lege ita diſponente ut dominium non transferatur ſine traditione, idque ob bonum pacis: habet tamen in eo caſu primus donatarius actionem perſonalem contra donatorem; & jus aliquod ad rem, licet non in re.

5. Quæſito, an error irritet donationem? Reſpondeo errorem ſe ipſo nullam irritare, benè tamen ratione conſenſus qui ſcientiæ aut opinioni donantis ſemper accommodatur, unde nihil ſpeciale de dono eſt, ſed totum commune cuilibet contractui, negotium enim in eo eſt quod donator ſit ſimpliciter volens. Hinc docent communiter quod ſi cauſa donationis non ſubſiſtit, ipſa irrita eſt & nulla: quod ſanè mirum eſt ab iis dici qui antea dixerunt nullam poſſe eſſe cauſam doni, niſi liberum & liberale arbitrium. Sed ut dixi, ſive ſit donatio, ſive contractus ſi donator ſit deceptus, dans ob cauſam quæ revera non eſt, irritatur actio, quia ille eſt ſimpliciter involuntarius quum voluntas innitatur cauſæ, atque ita ſubductâ illâ, cadat: reverâ autem ſubducta eſt quia non ſubſiſtit, adeoque nec voluntas, &c. quæ authores communiter hic tradunt, quia nimirum talis voluntas eſt conditionata virtualiter; ac ſi dicam: dono tibi hanc rem, quia taliter prodes Reip. idem fere eſt ac ſi dicam: dono tibi ſi taliter proſis, unus tamen ſcrupulus ſubit mihi contra ipſorum traditionem in hac materiâ, quia nimirum dicunt regulam non valere quando error eſt circa ſubſtantiam rei, ac non tantum circa qualitatem; ut ſi quis ducat talem in uxorem propter ejus nobilitatem quam credit magnam: etſi non adſit nobilitas dicunt adhuc ſtare ductum, quia error eſt circà qualitatem: contrà quod ſoleo apud me movere iſtam rationem quam hic lectori propino: nobilitas ibi licet phyſicè ſit qualitas, tamen in ratione objecti eſt ſubſtantia; & ipſa ſubſtantia eſt quaſi materiale cujus forma in ratione voliti eſt nobilitas, ergo jam volitio & eſſe voluntarium ſequuntur & metienda ſunt nobilitate, non è contra. Explico negotium exemplo: emit quis lagenam aquæ ſpadanæ propter virtutem medicam quam habet curandi flatus hypocondriacos: certe ſi quis vendat huic lagenam aqua illa plenam ſed vi curativâ vacuam; non fecit pretium ſuum, neque contractum validum, quia licet vis illa curativa fuerit qualitas phyſica, tamen moraliter in ratione voliti fuit quaſi ratio formalis rei. Redeo ad rationem licet authoritati innixam: nam qui furatur ob adulterium magis eſt adulter quam fur, quia voluntas ejus fertur in furtum propter adulterium, adeoque magis,

ergo

ergo qui vult ſubſtantiam propter qualitatem, v.g. nobilitatem, magis vult nobilitatem; atque ita ſi illa non ſubſiſtat, neque voluntas contrahendi quæ magis innitebatur ei quam ſubſtantiæ.

Dices non poſſe ullam qualitatem eſſe hic ſubſtantiam, quia natura contractus eſt ut per eum detur & accipiatur perſona ſivè homo, & quicunque ducit uxorem eam ducit ad talem & talem finem, alios enim fines poſſet habere ab illâ ut ancillâ, vel aliter ei conjunctâ, ergo principalis finis & objectum matrimonii eſt perſona ipſa non aliud, adeoque bene dicunt juriſtæ. Reſpondeo aliud eſt finis operis, aliud finis operantis ut notum eſt, & in hac ipſa materia patet, nam in uſu matrimonii finis operis eſt generatio prolis, finis operantis non ſemper, quod ita verum eſt, ut multi nolint naſci ſibi prolem: at vero ad valorem matrimonii & cujuſcunque contractus attendendus eſt animus & finis contrahentis qui nullis legibus ſuppleri poteſt; quis enim eſt qui mihi faciat uxorem quam nolo? hæc hactenus ſuccincte pro loco qui nonnihil extraneus eſt, ſit ergo.

ACTIO IV.

De ſponſionibus & ludis ut transferant dominia.

Breviarium.

N. 1. *An liceat quidquam ſorti committere? Expoſita loca* Act. 1. *&* 1. Reg.

2. *Probationes partis affirmativæ: adductus locus* Proverb. 16.

3. *De requiſitis ad ludum? S. Bonaventura ſequendus.*

4. *An poßit lucrari qui non poteſt, perdere? Reſpondetur negative.*

5. *Sed denique præfertur reſponſio affirmativa aliquando.*

1. Ludos & ſponſiones hodie ita nemo neſcit ut omnes exerceant non obſtantibus tot Canonum interdictis atque etiam digeſtis, nam & laicis & clericis plerique ſunt interdicti: quam opportune nunc temporum, declarat uſus qui totus eſt in oppoſitum.

Quia vero leges vetant illos ludos in quibus plus dominatur fortuna quam induſtria, libet expendere an turâ conſcientiâ poſſit quidpiam committi fortunæ? Et cenſeo affirmandum. Moveor quia id ſæpe factum Dei inſtinctu, imò præcepto Joſ. 7. 1. Reg. & in novo teſtamento, Act. 1. licet hic locus non videatur evidens pro concluſione; ibi enim negotium, ſcilicet electio S. Matthiæ, tranſactum videtur per vota: quia ubi nos legimus, *annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis*; in Græco habetur, *ſuffragiis additus eſt*. Sed & duæ illæ aliæ inſtantiæ videntur pati exceptiones, ibi enim ipſe Deus providit quis exiret per ſortem, ſcilicet Achan ad ſupplicium & Saul ad regnum. Sed reſpondeo ita videri ex textu & nihilominus verè adhibitam eſſe vere ſortem, quæ licet reſpectu Dei fuerit fatum & providentia, tamen reſpectu hominum fuit fortuna. Neque vero laboramus penuriâ exemplorum: Levit. 16. ſtatuitur ſors mittenda de duobus hircis quiſnâ cedere debeat capro emiſſario: *nunquid de capris, nunquid de hircis cura eſt Deo?* &, ſi fuiſſet aliàs, quid hic referret quod ex duobus omnino paribus unus ei cederet in ſortem? vide 1. *Paralip.* 25. & 2. *Eſdr.* 11. &c.

2. Ratio etiam hujus jam inſinuari cœpit, quia nimirum fortuna non eſt quod vulgus concipit, quaſi numen quoddam rebus præfectum: ſed eſt ipſa diſpoſitio cauſarum naturalium: nihil enim eſt quod non habeat cauſam naturalem, niſi forte habeat ſupernaturalem & miraculoſam: Imo, ſi velimus hic liberius philoſophari, quod maxime videtur diſtingui à ſorte incidet in eam, ſcilicet ſucceſſio, nam Princeps qui ſucceſſione imperat, puta filius regis ſorte factus eſt princeps, quum nullâ parentum aut Reip. induſtriâ fieri potuerit ut ille præ alio naſceretur.

Adhuc amplius idipſum, quia (ut jam inſinuavi) ipſæ ſortes licet reſpectu noſtri ſint fortuitæ: tamen reſpectu Dei ſunt diſpoſitæ & prævitæ, quod qui negat audiat Eccleſiaſten; *ſortes mittuntur in ſinum ſed à Domino temperantur*: ecce exitum ſortium quodammodo divinum. Prov. 16.

Ultimo ad hominem arguo contra adverſarios; hi enim ſortem in ſe rejiciunt, in alio recipiunt, docent enim illi & omnino exigunt, ut qui ludunt ſint utrimque ancipites, nemo autem certus de ſucceſſu; nam qui planè pleneque certus eſt de ſua parte, dicunt eum malâ fide concurrere alteri qui incertus & pendulus eſt inter ſpem & metum, quia nimirum inter tales diſpoſitiones non eſt æqualitas: ecce quomodo ſors & fortuitum quid debet concurrere ubique, etiam ſecundum adverſarios ipſos qui eam alio vultu introductam recipiunt. Videri poſſunt quodlibeta mea ex quibus unum de hoc argumento excurrit.

Objici tamen poteſt. ſi ita ſit, & ſortes à Domino temperantur, tum electio quæque & rerum diſtributio ad ſortes remittenda eſt, non autem ſuffragiis definienda id autem falſum & abſurdum eſt nam ab electionibus ſortes relegandas eſſe docet S. Auguſtin. Reſpondeo id utcunque verum ſit non falſificare aſſertum noſtrum, quod liceat aliquando uti ſorte, & committere rem fortunæ: argumento enim ſatis eſt quod non committantur ei electiones: quod merito cautum eſt eo quod electiones poſſunt ſuffragiis terminari; alia autem quæ non ſunt hujus generis nec humanâ prudentiâ poſſunt decidi ideo tuto committuntur ſorti quia vix aliter poſſunt definiri, notavit hoc & præterea aliud Beda quod eſt rem etiam quæ ipſorum hominum judiciis definiri poteſt committi poſſe ſorti quando com-

Act. 6. do committens ſcit moraliter ſortes à Domino temperandas id eſt Deum ſuam voluntatem
Act. 1. velle etiam per fortuitas ſortes ſignificare: ſic Apoſtoli in principio Eccleſiæ ſeptem diaconos quodam delectu conſtituerunt: antequam Spiritum S. tam ubertim accepiſſent; poſt hujus tamen deſcenſum electionem Apoſtoli Matthiæ non delectu ſed ſortibus feciſſe, quippe quas ſcirent ipſo Spiritu S. & nequaquam ſolita temeritate regendas ſed cujuſcunque ſit hæc nota non eſt fundata in textu biblico ipſa ſed oppoſitum; nam electio diaconorum facta eſt poſt acceptum Spiritum Sanctum, electio Matthiæ ante ſi ſcriptura ſervet ordinem in recenſendo illa enim diaconorum recenſetur cap. 6. illa S. Matthiæ, primo, quum tamen deſcenſus Spiritus Sancti recenſeatur cap. 2. Itaque non eſt dubium quin ſponſiones quas Itali vocant *Scomeſſe* liceant, & alii ſimiles ludi in quibus à fortuna ſperandum ac timendum eſt.

3. Quæram ergo cum S Bonaventura an qui ludo vetito aliquid perdidit teneatur ſolvere? & qui lucratus eſt an non teneatur ad reſtitutionem? quas quæſtiones fruſtra quidam ſeorſim examinant quaſi haberent aliam & aliam difficultaté quum eadem ſit ratio dubitandi de utroque. Et quidem Sanctus ad ſecundum quæſitum reſpondet affirmative, conſequenter reſponſurus ad primum negative, in quo communiter à Recent. rejicitur, ſed majori animo quam fundamento aut ratione, quam puto inter utroſque diviſam: Itaque Reſpondeo diſtinguendum eſſe, ſive attendendum tenorem legum: ſi enim illæ vetent duntaxat actum, ſequendi ſunt illi, quod etiam ipſorum rationes convincunt: ſi autem lucrum & contractum irritent, Sancto ſubſcribendum eſt, atque ita ad ferendam ſententiam conſulendum eſſe tenorem legis quam hic ex parte ſubjicio, & fuſe deſcripſit Leſſius ex *L. Alearum 2. C. de aleatoribus, nulli liceat in publicis vel privatis domibus*, &c. *Ludere*, &c. & *ſi contra factum fuerit, nulla ſequatur damnatio*, id eſt nemo perdat, quod erat aliis terminis decernere ne victus teneatur ſolvere; atque ita lex irritat modum & inſtrumentum ipſum lucrandi: ſicut ergo lex invalidat pupillos, minorennes, & ſimiles ad paciſcendum, donandum; & alienandum omnino dominium; ita videtur eg ſſe cum luſionibus maxime alearum; nec refert quod addat ut *ſolutum competentibus actionibus repetatur*, quaſi non plus decernat quam ut is qui perdidit, & ſolvit poſſit in judicio habere actionem contra victorem; dico hoc non obſtare, nam lex pluribus modis providit indemnitati perdentis, & irritationi ludi, primò decernendo ne is amitteret dominium ſuorum quæ ludo commiſit: ſecundo ut ſi forte reipſa poſſeſſionem amitteret, poſſet eam in judicio repetere; quo quid amplius facere potuit?

Si tamen lex ſit ſolum prohibens, & alias non irritet actum, cenſendum eſt cum aliis, quia nimirum non ſufficit ludum eſſe prohibitum ut eo nihil adquiri poſſit: quid magis vetitum quam labor in die feſto, quam fornicatio quæ nullo jure aut caſu legitimari poteſt? & tamen adquiſita per iſta fiunt adquirentis. Et quia vera legis ſententia anceps eſt, & præbet fundamentum utrique parti, monendus eſt lector ut ſine ſcrupulo retineat quæ his luſibus accepit, quia hi canones deſuetudine, imo contrario uſu jam dudum vi amiſerunt, plane ſicut ferrum alias acutum & ap tum ſectioni, puta pugio aut enſis, longo ſitu rubiginis contractu redditur ineptum ad ſecan dum.

4. Quæſitum, an poſſit lucrari qui non po teſt perdere? exiſtimo ſatisfaciendum diſtinctio ne: aut enim agitur de ſponſione (vulgo Italic *ſcommeſſe*) aut de ludo, puta pilæ, chartarum aleatum: ubi iterum eſt diſtinguendum, au enim impotentia perdendi oritur ex habilitat ejus, puta quia nimis peritus eſt ejuſmodi ludi quàm alter ſit eo leviter imbutus; aut oritur e inhabilitate ejus, puta quia non habet quod per dat: & tum Reſpondeo priorem impotentiam quæ laudi vertitur non impedire quo minus licit ſuum faciat quod adquirit; ſecundam autem be nè. Ratio primi quia virtus & ſcientia nulli de bent eſſe præjudicio, ut nec natura quando nobi lior aut perfectior eſt; hic autem nihil eſt quo noceat niſi iſta, adeoque.

* Dices non ſervari hinc inde æqualitatem quæ requiritur ad contractum. Reſpondeo ve rum eſt; ſed nullius vitio omittitur niſi ludentis aut enim colludens huic ſcit eum eſſe notabilite peritiorem ſe, aut non ſcit: ſi ſcit & perdat, impu tet ſuæ temeritati quod auſus fuerit concurrer potentiori: ſi neſciat, imputet ſuæ imprudentiæ quod non examinaverit ſtatum & circumſtantia contractus. Dices, tenetur alter ei ſignificar exceſſum illum, nam & mercator tenetur ſignifi care emptori vitium ſuæ mercis. Reſpondeo ne gando aſſertum & aſſumptum in probationem ejus; nam neque venditor tenetur ſemper vitium ſuæ mercis manifeſtare, ſufficit quod eam trada emptori explorandam; v.g. ſi vendat pannum tineis morſum & foratum, licet foramina ſin delicata non tenetur alteri prodere ea, ſufficit ipſum pannum porrigat ei attrectandum & vi dendum: Aliquando tamen contingit eum te neri, ut ſuo loco, ſed nego conſequentiam inde huc traductam, nam ſcientia ludendi non eſt merx, neque hinc inde paritas, quia in venditio nis contractu quæritur æqualitas rei & pretii, in ludo autem æqualitas jacturæ & lucri quæ hacte nus habetur, niſi obſtet forte ſecundum illud de impotentiâ ſolvendi ex inopia, quod in reſolu tione data verius exiſtimavi. Cauſa autem eſt quæ jam cœpit adferri, quia in eo caſu non poni tur æqualitas jacturæ & lucri, ſive periculi & uti litatis, eſt enim tunc certitudo non lucrandi, pe riculum autem perdendi, quum deberet eſſe ſpe utilitatis ſicut eſt periculum jacturæ. Præterea quod pauper hic accipit à divite colluſore, eripi invito, quia non ſolum non eſt volens perdere ſed nec ludere niſi ex errore, quum tamen erro impediat voluntarium, ſi enim ſciret ſe non poſſ lucrari: ſanè non luderet.

5. His tamen non obſtantibus ſtudio nova veritatis exiſtimo probabile quod non poten perdere poſſit lucrari, (& loquor de impotenti ex inopiâ,) ſive id fiat ſponſione ſive ludo; caſu autem eſt quando utrinque tales partes ludunt, & dives perdit, nam tunc perinde eſt victo quod vi ctor habuerit peculium, ac quod non habuerit nam licet haberet, alter nihilominus perderet. Quæ dicta volo abſtrahendo à nobilitate quæ eſt virtualiter in victo ad ludendum, ita ut hæc ver tas ſit uſui potius ad faciendam conſcientiam ti

inendi acquiſitum ludo quam ad ludendum. ſed contra reſolutionem de aliâ impotentiâ perdendi ortâ ex peritiâ ludi

Objiciet aliquis: quando error dat cauſam contractui, hic irritus eſt & nullus, quod non eſt opus novis juribus ſuadere, quum ſit antiquiſſimi juris naturæ, ſaltem prope ipſum accedat: tunc autem id contingit, quia ſi victus aut vincendus ſciret tantam inæqualitatem ſcientiæ in victore non iniret contractum luſus. Reſpondeo illud jus, ſive ſit naturæ, ſive artis intelligendum eſſe de errore qui ſuperari poſſit, & in quo contrahens aut colludens partem habeat: hic autem nihil tale contingit, nam non tenetur ullus alteri ſuam ſcientiam aut etiam neſcientiam manifeſtare quia non ſemper honeſte id fieri poteſt: quum duo hoſpites concurrunt in diverſorio & ludere volunt, certe videretur jactantia ſi quis diceret ſe valde peritum.

Plura de his

S. Bonaventura 4, *diſt.* 15, *n.* 67, S. Thom. *ibidem & 2, 2, q.* 163, *Videndi etiam Canones L.1. de allat &* Can. 41, *Apoſtol.* Alenſ. 4, *p. q.* 86, *in 3.* Adrian. 4, *tract. de Reſtit.* Cajet. 22, *q.* 25, Caſtro *lib.* 1, *de lege pœnali.* Covarr. *ad legem Peccatum*, Decius *Conſil.* 115, Dom. Sot. *lib.* 4, *de Iuſt. q.* 5, *art.* 2, Moll. *diſp.* 516, Franciſ. Garzia *de contract. p.* 2, *c.* 19, Navar. *in manu c.* 20, Franc. Toll. *l.* 5, *ſum c,* 27, Carbo *q.* 41 *& ſeqq.* Leon. Leſſ *lib.* 2, *c.* 26. *de Iuſt.* Greg Valent. *hic q.* 7 *p* 5, Adam. Tann. *ibid. diſp* 4, *q.* 6, Rebell. *p.* 2, *lib.* 12, Azor *Tom.* 2, *lib.* 5, *cap.* 25, *vid.* Joan. Lugo, *Tom. &* 1. *Iuſtit. diſp.* 2.

APOLOGIA QVARTA

De objecto dominii?

ACTIO I.

Utrum cujuſque vita cadat ſub ipſius dominio? idemque de partibus ipſius ac membris?

ACTIO II.

Utrum cujuſque fama cadat ſub ipſius dominio?

ACTIO III.

Utrum homo in hominis dominio eſſe poſſit?

ACTIO IV.

De dominio hominis in cætera bona tam ſpiritualia quam corporalia.

Scotus 4. *diſt.* 26. *qu. unic. num.* 10.

NUllus poteſt rem alterius domini alteri obligare, niſi de conſenſu vel approbatione illius cujus eſt; ſed corpus cujuſcunque eſt Dei jure creationis, ergo nullus poteſt transferre illud in dominium alterius, niſi in quantum Deus approbat, ergo ſi translatio eſt honeſta ad iſtum finem ut patet ex prima & ſecunda concluſione principali ſequitur, quod congruum eſt Deum iſtam translationem corporum approbare: ſed diceretur hic quod licet homo ex ratione tenetur Deo in omnibus quæ poteſt, Deus tamen, non tantum exigit ab homine, ſed dimittit eum libertati ſuæ, ſolummodo exigit ut ſervet præcepta decalogi. Unde poteſt quis ſe vendere in ſervum, licet de hoc non inveniatur ſpecialis approbatio divinâ in ſcriptura, in quâ venditione ita transfert poteſtatem ſui corporis in alium, &c. & tota ratio eſt, quia in quibus Deus non obligat ſibi hominem vel ſua, relinquit ea voluntati hominis.

Idem *diſt.* 36. *ejuſdem quæſt.* 1. *num.* 2.

ISta autem ſervitus de qua loquimur, ſecundum quam dominus poteſt vendere ſervum ſicut pecudem, de quâ loquitur Philoſophus 1 Politic. quod ſervus non poteſt exercere actus virtutis pro eo quod oportet eum ad præceptum domini exercere actus ſerviles, non eſt inducta niſi aliqua lege poſitiva, ſed an juſtâ? Reſpondeo ſicut dictum eſt diſt. 15. quomodo inceperunt primo dominia, eſſe juſta; ita dico quod iſta vilis ſervitus non poteſt eſſe juſte inducta niſi dupliciter: uno modo quia aliquis voluntate ſe ſubjecit tali ſervituti, licet talis ſubjectio eſſet fatua, imo forte contra legem naturæ, quod homo libertatem ſuam à ſe abdicet; poſtquam tamen facta eſt, neceſſe eſt ſervare, quia hoc eſt juſtum, alio modo ſi quis juſte dominans communitati, videns aliquos ita vitioſos quod libertas eorum nocet eis & Reip. poteſt juſte punire pœna ſervitutis, ſicut & juſte poſſet eos occidere, &c.

ACTIO I.

Digitized by Google

ACTIO I.

Vtrum cujuſque vita cadat ſub ipſius dominio? idemque de partibus ejus aut membris?

Breviatium.

N. 1. *Iure naturæ quiſque eſt dominus ſuæ vitæ.*
2. *Ratio in oppoſitum: ſolvitur.*
Alia objectio. Cur non poſſit quis occidere ſe?
4. *Scriptura an oppoſitum hujus doceat?*
5. *Homo tenetur ſe conſervare: ſed non debito juſtitiæ.*

1. HOc eſt difficultatem ponere ſub titulo de objecto dominii; alias enim poni à quibuſdam ſolet, tanquam agerent de ſubjecto ejus. Sed quidquid ſit de nomine, res eſt gravis, & in quâ antiquitas ſibi conſequenter ſubſcripſit in parte negativâ: nihilominus veritatis, ſaltem proprietatis gratiâ & ingenii exercendi,

Dico jure naturæ quemque eſſe dominum ſuæ vitæ proprie & preſſe loquendo. Hæc pauciſſimos patronos habet: vidit tamen veritatem ejus *Martinus Ledeſma*; & ego proprietatem ejus probo; quia quoad veritatem fortaſſe magna ſui parte conveniet cum communi.

Prima probatio ſit ad homines, id eſt adverſarios meos: etenim ex modo quo vident hominem, & mundum de facto conditum colligunt jure naturæ, ſive ex diſpoſitione authoris ejus, ut ſupra explicavi, omnia ſubeſſe homini, idque in communi, nulli uni facta appropriatione quia veſtigium ejus non invenitur in monumentis mundi conditi, neque in verbis aut factis Dei, atqui omnia hæc redeunt de homine ipſo, ut patet applicanti; Deus enim qui ſecundum hos potuit & quidem ſolus dare aut adimere dominium vitæ humanæ, nulli illud aſſignavit, nulli ademit: ergo niſi illi errent in colligendo, dominium vitæ hominis erit in ipſo.

Accedat ſecundo ſcriptura quæ non obſcure indicat id ipſum: quid enim ad propoſitum deeſt loco illi Eccl. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit in manu conſilii ſui.* Item ibidem: *ante hominem vita & mors, bonum & malum:* Hæc enim quid impedit, quo minus intelligantur ad propoſitum hujus loci? nam quod *mors & vita*, hic ſit phyſica non vero moralis, patere poteſt ex eo quod ibidem ſtatim ſubditur: *bonum & malum*, quæ ſunt vita & mors moralis, ut proinde priora illa puta *vita & mors* accipienda ſint phyſice; quorſum enim idem bis ibidem?

Tertio ratio, quia qui occidit hominem peccat peccato injuſtitiæ: atqui non poteſt explicari cui fiat injuria niſi dicatur ipſe homo habere dominium vitæ ſuæ, ergo dicendum eſt quod habet. Major eſt omnium vere, hinc enim in decalogo tria illa ponuntur homicidium, adulterium, furtum quæ ſunt tria genera injuriarum, & præ omnibus primo loco homicidium. Minor vexat adverſarios, qui quum ſe per omnia circumtuliſſent, non invenerunt cui injuria diceretur commode facta. Quum enim tentaſſent aſſignare Rempublicam, repulſi ſunt, quia Reſp. reſpicit privatos cives juſtitia legali duntaxat, non vero propria re commutativa: at vero nemo neſcit juſtitiam legalem non ſufficere ad faciendam injuriam: unde jam communiter conſtiterunt in Deo, volentes injuriam occiſi hominis illi fieri. Sed niſi erro; etiam ab hac latebra excludam illos, imo jam id feci ſupra hac fere ratione, quia nimirum per offenſas noſtrûm mutuas non offenditur ſimiliter Deus: ſi furatus ſum librum Joanni, non feci injuriam Deo, quia nec furtum, non enim abſtuli Deo librum, quia tam bene eſt in dominio D. Dei quum apud me manet, atque quum manet apud Joannem. Jam applicando diſcurſum huc etſi non ad plenum, dico eum non feciſſe homicidium reſpectu D. Dei, quia homo ille non periit Deo, ſed in dominio ejus eſt paulo minus quam prius: etenim *homo eſt anima rationalis & caro* ſeu corpus, ut docet ex Athanaſio Eccleſia; at vero Deo ſuperſunt anima rationalis & caro, & utrumque in ipſius dominio atque etiam domo eſt; ſolum deeſt unio utriuſque, cujus defectum vel ablationem non facere homicidium oſtendo, quia qui chlamydem aliquam ex duobus vel pluribus ſegmentis panni confectam diſſuit, & relinquit ſegmenta diſſuta ubi invenit, non cenſetur furatus chlamydem, ad hoc enim opus eſſet ut materiam ipſam auferret, ergo qui aufert ſolam unionem animæ ac corporis, & relinquit utramque partem in domo vel territorio ejus qui totum poſſidebat, non cenſetur facere homicidium illi, atque adeo vertant ſe quo volent, adverſ. non invenient ſubjectum injuriæ paſſivæ niſi ipſum hominem, adeoque dicenda eſt injuria illi facta ac proinde fateri neceſſe eſt ipſum habuiſſe dominium vitæ ſuæ. Contra nihilominus eſt non contemnenda ratio quam ſic

Objicio: dominium ſupponit eum qui debet eſſe dominus, vita autem non ſupponit hominem, ergo non poteſt vita cadere ſub dominio viventis. Confirmant quoniam dominium fundatur in libero arbitrio, adeoque liberum arbitrium, arbitrium eſt prius dominio, ſed liberum arbitrium non eſt prius vitâ, nec fundamentum eius, ergo. Huic ego etſi non reſpondeam, tamen oſtendam adverſarios non poſſe fidere, quippe quibus etiam ſit ſolvendum: dicunt illi hominem eſſe uſufructuarium & cuſtodem ſuæ vitæ; at vero contra hoc redit illa Metaphyſica, nam uſus & fructus ſupponit eum cui quidpiam poſſit eſſe utile, & depoſitum vel res cuſtodienda, ſupponit eum apud quem eſt res cuſtodienda, ſupponit ſuum cuſtodem, nemo

nemo autem poteſt ſupponere ſe ipſum, ergo jam nemo poteſt eſſe uſufructuarius aut cuſtos ſui. Proſequar difficultatem, ſive oſtendam eam eſſe communem illis nobiſcum; ſummum enim quod movet adverſarios ad oppoſitum eſt, quia vident nullo caſu licitum eſſe homini occidere ſe ipſum, atqui licet homini occidere ſe ipſum divina authoritate: unde ſic arguo; cui ergo licet occidere, habet verum dominium ejus: atqui licet homini ſe occidere divina authoritate ſecundum ipſos: ſubſumo; ſed non poteſt fieri divina authoritate ut ullus ſit prior ſe ipſo, ergo hæc prioritas non eſt neceſſaria ad dominium.

Tertiò jam oppono his exemplum morale: quum Celeſtinus Papa exauthoravit ſe depoſito Pontificatu opto mihi aſſignari illam differentiam perſonarum. Scilicet agentis & paſſi, & adhuc formo rationem: qui deponit aliquem officio eſt illo major, nam id non poteſt æqualis, multo minus impar: atqui nemo eſt major Pontifice, ergo nemo poteſt eum deponere, & tamen ipſemet depoſuit ſe: cur ergo non poſſit inveniri hic in uno illa diſtinctio ſufficiens ad actionem moralem? quoad phyſicam actionem certum eſt quod inveniatur, nam multi phyſice occidunt ſe ipſos. cur non ergo ad moralem quæ eſt minor? atque hæc ſufficiant pro enervanda illâ ratione.

Addo ipſe iſtam, nemo poteſt exercere juſtitiam commutativam niſi in rem cujus habet dominium; exercet autem in ſe quia vendit ſe, item commutat pro alio, ergo: non auſim tamen fidere iſti; quia nec abſolute vendit ſe neque abſolute commutat, non enim dat emptori facultatem ſe occidendi, aut etiam membris truncandi, ut facit qui vendit ei jumenta: libentius utor iſtâ; quoniam ſi homo fuiſſet à ſe, non autem ab alio factus, haberet ſui dominium ſicut ſupra dixi de dominio mundi, atqui de facto ita ſibi permiſſus eſt, & illi mundus, tanquam talia eſſent hinc inde, non enim ullam reſtrictionem legimus dominiorum, adeoque. Certè argumenta & indicia quæ probant mundum illius eſſe probant & ipſummet.

3. Objiciunt, ſi ita ſit, licebit homini ſe occidere, quod certum eſt eſſe falſum; patet autem ſequi, quia hoc ſecum adfert dominium, ut patet in ovibus & bobus quorum homo eſt dominus. Reſpondeo non certè id colligi, quia impotentia ſe occidendi poteſt aliunde oriri quam ex defectu dominii, imo quaſi debet, quia occidere eſt uſus dominii, non autem ipſum, ergo negatio ejus non eſt negatio dominii ſed uſus.

Sed inſtant: Impotentia occidendi ſe non eſt per accidens, ſed vere per ſe, cujus ſignum & probatio eſt, quia quæ per accidens, & defectu uſus non licent, per ſe licent, & in aliquo ſaltem caſu; ut patet in bonis impuberum & pupillorum; at vero in nullo caſu licet ſe occidere, ergo hæc impotentia non eſt per accidens & defectu uſus. Reſpondeo ut demus totum, inde non haberi quod occidens ſe careat jure, aut peccet contra juſtitiam; ad hoc enim ut illicite fiat, ſufficit quod ſit contra obedientiam aliam virtutem. Deinde quando dicitur quod nemini liceat ſe occidere, intelligendum cenſeo proximè, ut idem ſit phyſice agens & patiens, quod credo à naturâ vetitum, & adhuc non infert defectum dominii, quia quoad hoc poſſet committere alteri actionem phyſicam, id autem non poſſet facere ſine dominio: ſed de hoc infra. Interim

4. Objiciunt illi ſecundò illud Decalogi: ***non occides***, ubi univerſaliter prohibetur occiſio, Reſpondere poſſem verum id eſſe, & quod proinde ſit illicitum, ſed jure divino poſitivo: niſi contra hoc faceret quod communiter & verè dicitur Decalogus eſſe de lege naturæ; unde ultimate dico illum locum procedere de cæde alterius, non de cæde ſui: Et ſuadeo, quia ſecundum omnes reliqua præcepta, à quarto deinceps dirigunt hominem in ordine ad proximum, & procedunt in materia juſtitiæ, hoc autem eſt quintum, adeoque.

Tertiò adferunt alias ſcripturas: *Tu es domine qui vitæ & mortis habes poteſtatem. Ego occidam & ego vivere faciam, &c.* in quibus dominium vitæ ſpecialiter attribuitur Deo. Reſpondeo attribui ei dominium vitæ & mortis conjunctim, id eſt utriuſque, non autem ſingulorum, ipſe enim ſolus poteſt occidere, & occiſos animare: inde fruſtra allegavit hunc locum Leſſius addendo τὸ *ſolus*, quod in ſapientia non habetur, quia etiam cum illo additamento patitur expoſitionem. Sap. 16. Deut. 32.

5. Duo addo ex me: unum eſt hominem teneri lege naturali ad ſervandam vitam, neque poſſe eam prodigere, ſed charitatis non juſtitiæ. Nempe natura quum videret quodlibet inclinatiſſimum eſſe ad ſui amorem: noluit multiplicare præcepta, aut reſervare ſibi jura rerum, ſed quemque commiſit ſibi, ratus eum apud ſe tutum fore, propter ingentem amorem quem indidit ei erga ſe ipſum. Alterum eſt, adverſarios proprie loqui, quidquid ſit, an verè: Re enim verâ ac propriâ jus quod quiſque habet in ſuam vitam non recte dicitur dominium, quum hoc non ſolum ſit ad alterum, ſed etiam ad inferiorem, nemo autem ſibi inferior eſt.

* * *

ACTIO II.

Digitized by Google

ACTIO II.

Vtrum cujuſque fama cadat ſub eius dominium?

Breviarium.

N. 1. *Fama à ſe procurata quiſque eſt dominus.*
2. *Aliunde accepta, aut congenita non item.*
3. *Nobile argumentum in probationem num. 2.*
4. *Objectio practica ex geſtis Sanctorum.*

1. POſtquam reſolvi affirmativè de vitâ, non poteſt à me aliud expectari quam ut dicam famam cadere ſub cujuſque dominium: Puto nihilominus poſſe hic diſtingui non ſolum inter famam & honorem, ſed etiam de ipſa fama, ſed aliter ac alii faciunt. Quædam enim eſt neceſſaria nobis, ut eſſe, aut potius cenſeri Chriſtianos, idque ut par eſt, & quiſque eſſe debet: Alia eſt ſupererogationis, ut eſſe ſingulariter pium, vel dotatum virtutibus abſtinentiæ, humilitatis &c. hujus ſecundæ dico quemque eſſe dominum; quia ipſe eam ſibi adquiſivit, & proinde poteſt de illâ ſicut de bonis caſtrenſibus aut quaſi caſtrenſibus diſponere. Confirmo ipſe, D. Deus ab omnibus dicitur ſumme dominus omnium creatorum eo quod ipſe eas ad eſſe perduxerit quum antea nihil eſſent, ergò quiſquis alicui dat eſſe vel haberi, ipſe vel maximè de eo diſponere poteſt. Urgeo, nam ſi per impoſſibile daretur alius Deus quantumcunque eſſet perfectus in potentia & cæteris attributis, tamen non eſſet dominus huius Mundi quia illum non produxit, ergò jam produxiſſe aliquid aut eſſe cauſam eius eſt ſufficiens titulus dominii.

2. Et hæ quidem rationes apud omnes valent, nam & aliquæ ab aliquibus adferuntur; propter quod Dicendum illis incumbit, quod famam quam ſibi quis non procuravit ſed à majoribus transfuſam accepit; non poteſt quis pro ſuo libitu prodigere, nec illius dominium habet. Patet ab oppoſito; atque etiam ratione ſic ducta, quia bona immobilia materialia quæ per ſucceſſionem in ſuâ familiâ quis accepit, nô poteſt alienare, ſed tenetur reſervare poſteris, cur non ergò famam? quum ſapientia moneat *melius*, id eſt majus bonum *eſſe nomen* id eſt famam *quam divitias*. Prov. 22. Itaque judico famam nobilitatis non poſſe pro cuiuſque libidine abiici, maximè ſi magna ſit; Et confirmo, quia ille non poteſt præjudicare filiis, at vero negando vel abiiciendo ſuam nobilitatem præjudicaret inſigniter, quia illi naſcerentur plebei, impedirentur ab officiis publicis, à connubiis honeſtis &c. Idem ferè cenſeo de eo quod eſt eſſe Chriſtianum, atque etiam de implendis neceſſario obſervandis ad hanc profeſſionem? Primum horum nemo audebit negare, omnes enim uno ore cenſent quemque debere fateri, nec poſſe etiam metu mortis diffiteri ſeu negare ſe Catholicum aut Chriſtianum.

Quod autem non poſſit ſibi procurare nomen mali Chriſtiani ſive gignere opinionem in aliis quod talis ſit, quod eſt abjicere famam ſuæ honeſtatis, ſuadeo applicando rationem eorum quibuſcum ago; nam bonum Chriſtianum ipſe non ſe fecit, ſed talis à puero & à baptiſmo fuit: non ergo hoc eſt bonum caſtrenſe aut quaſi caſtrenſe, nam quilibet à principio ſui & à natur habet innocentiam ſicut quælibet fœmina quantumcunque poſtea impudica, naſcitur virgo; ergo illi volunt duci ſua ratione habent hoc ſateri.

3. Sed & ego arctius eos ſtringam invicto argumento quod utcunque coegit me ne tam faci le crederem hominem eſſe dominum ſuæ famæ eſt autem iſtud: Poteſt quis licitè multa alias illicita facere & pati ne famæ damnum patiatur non poſſet autem ullum ſi ipſe foret dominus ſuæ famæ, adeoque verè non eſt. Utraque præmiſſ eget probatione, quam ſic adhibeo incipiendo prima: Qui enim non poteſt præmittere confeſſionem communioni abſque infamiâ, poteſt communicare ſine ullâ præmiſſâ confeſſione, & tamen confeſſio eſt neceſſariò præmittend communioni etiam jure divino. Qui non poteſt reſtituere alienam famam ſine detrimento ſuæ, ſi ſit notabiliter impar illi ac majoris dignitatis excuſatur à reſtitutione, & tamen reſtitutio ablat eſt juris naturalis, nedum divini: idemque evenit in ſexcentis aliis caſibus ad famæ conſervationem, dimidiatur enim confeſſio, datur locus æquivocationi & cætera quæ ſeipſis practicè oſtendunt evidentem veritatem Majoris. Minor autem probatur ad hunc modum: quicunque accedit ad communionem v. g. tenetur omnem poſſibilem diligentiam adhibere ne indignè aut imparatus accedat, adeoque ne ſine prævia confeſſione ſi ſit ſibi conſcius peccati, ille autem poteſt diligentiam talem adhibere quæ efficiat ne accedat ſine confeſſione, quod oſtendo, quia poſſet confiteri ſacramentaliter ſi vellet renuntiare famæ; atqui ſecundum ſe poteſt id velle, ergo tenetur. Sed ſi id faciat non erit neceſſe violare Eccleſiaſticas aut divinas leges de non communicando niſi poſt confeſſionem & abſolutionem, de reſtituendo, ergo talis non eſt diſpenſatus in illis legibus, nec liber ab earum obſervantia, ſed tenetur omnes & ſingulas implere; atqui revera non tenetur ſecundum Doctores communiter, imò omnes omninò etiam illos qui nobis in hac parte adverſantur, ergò. Breviter ſic: ſi quilibet eſſet dominus ſuæ famæ & poſſet prodigere eam quando vellet, aut occaſio afferetur, non eſſet diſpenſatum enim eo in ulla difficultate aut lege divina vel naturali ne famæ jacturam incurreret: atqui diſpenſatum eſt in multis, ergò non eſt dominus. Qui ductus rationis plus ſatis probabilē, niſi etiam demonſtratam reddit eorum ſenſum qui famam ponunt extra jus eam habentis, ut omninò animosè nimis ſcripſerit Malderus quod *communis ſententia & indubitate vera facit quemcunque dominum ſui honoris & famæ*, quum etiã D. Th. *in utramque partem citetur*, ut addidit aliquis Recent

 4. Ob

4. Obiici poſſunt Sancti; in primis Matthæus Evangeliſta, hic enim apertè litteris commiſit ſe fuiſſe telonarium, quod munus apud illam gentem fuit ſummæ infamiæ, S. etiam Auguſtinus non ſemel, nec ſtrictim ut ille ſed juſtum opus edidit de ſuis exceſſibus, &c. qui proinde videntur habuiſſe dominium famæ ſuæ, nam abſque eo non licitè hæc feciſſent. Reſpondeo S. Matth. de ſe ſcripſiſſe quod publicum erat & ipſo tacente ſciendum. S. autem Auguſt. videtur in oppoſita opinione fuiſſe.

ACTIO III.

Vtrum homo in hominis dominio eſſe poſſit?

Breviarium.

N. 1. *Expenditur & reprobatur doctrina communis Canoniſtarum.*

2. *Sententia Iuſtiniani Auguſti reprobata: ſervitus an contra naturam?*

3. *In ſtatu juſtitiæ originalis an potuerit eſſe ſervitus?*

4. *Seria & ſimplex doctrina de ſervitute notatus Ariſtoteles.*

1. HIc breviter dicam quæ ſentio ſine ſtrepitu argumentorum. Et quidem nunc ſæculi ac Scriptorum communiter uno omnes impetu ruunt in partem affirmativam; quia, (inquiunt) Scriptura paſſim de ſervis dictat, & jubet obedire dominis ſuis, ut patet Eccl. *Diſciplina & opus ſervo*: & in novo teſtamento *Servi ſubditi eſtote in omni timore Domini*, & alibi: ſed non reputo probationem efficacem: nam etiam Dominus Matt. 22. Juſſit reddi vectigal Cæſari Tyberio qui tunc imperabat: ſcimus autem Imperatores Romanos non valde verum jus habuiſſe in Judæos, & multo minus in alias omnes gentes: quo enim jure illi Hiſpanias ceperunt; quo Jul. Cæſ. Gallis Bellũ indixit? num duo paſtores potuerunt poſteros ſuos facere dominos orbis terrarum, & tamen æquũ erat obedire illis dum imperabant: ita dici poteſt de ſervis quod debeant obedire dominis, quamvis iſti verum dominium non habeant, aut ſaltem à principio non habuerint.

2. Iterum dico non rectè dictum à Iuſtiniano, aut quiſquis fuit author Legis Civilis, quod ſervitus ſit contra naturam, aut jus eius: id enim ſine fundamento dictum eſt niſi explicetur ac mitigetur explicatione. Cauſa huius jam ſupra poſita eſt in quæſtione de diviſione dominiorum, & jure quo introducta illa eſt; ibi enim oſtendimus diviſionem dominiorum, & proprietatem quorundam non eſſe contra jus naturæ & certè ſi eſſet, nullo alio jure legitimari poſſet, quùm nullum poſſit præjudicare naturali.

Itaque ſervitus non eſt contra naturam, ſed præter ipſam; Natura enim, aut potius author naturæ Deus ſicut reliquit mundum univerſum hominibus ſi vellent & prout vellent dividendum, ita multò magis reliquit ipſoſmet ſibi, ut quod vellent de ſe facerent. Unde tertiò non nimis approbo eorum Theologiam qui dicunt ſervitutem inductam eſſe per peccatum, ita ut ſine ipſo non foret, aut non haberet locum propter dignitatem ſtatus innocentiæ: nam in primis natura de ſe non habet, & multo minus exigit ſtatum innocentiæ, (loquor interim cum illis theologicè de eo quem habuerunt de facto primi homines) quùm per accidens fuerit ortus ille ſtatus, puta ex liberà & contingenti benignitate Dei; aliàs enim nihil minus debebatur naturæ hominis quam illa fœlicitas juſtitiæ originalis, adeoque non rectè affigitur naturæ ut ſic quod eſt affixum ſtatui innocentiæ. Deinde ſtatus puræ naturæ, ſive homo relictus in puris naturalibus poſſet habere ſervitutem; & omnino haberet, quum hodie illa habeatur apud infideles qui putant ſe conditos in ſtatu puræ naturæ: atqui ſtatus puræ naturæ non dicit peccatum; alioquin non eſſet natura pura, ſed lapſa.

3. Tertia probatio huius minus eſt probabilis, quod ſcilicet in ſtatu juſtitiæ originalis poſſet eſſe ſervitus aliqua; tamen ſuadetur utcunque à ſimili, quia nimirum Deus ſicut reliquit homini libertatem in illo ſtatu, ita reliquit ei communitatem aliorum bonorum, ut poſſideret ea ſive conjunctim ſive diviſim, in communi vel proprio: at vero videtur certum quod in illo ſtatu poſſet eſſe proprietas, ſicut etiam potuit eſſe communitas, ergò ſimiliter cenſeri poſſet quod ibi potuerit eſſe ſervitus volente aliquo renunciare ſuæ libertati, ſicut potuit renunciare communitati aliorum bonorum, & eſſe contentus parte. Fateor hoc eſſe minus probabile in praxi, tamen ſpeculativè cogitari, & prætendi poſſet ad illum ſtatum ſufficere ſi nemo alteri ſervire deberet, licet quilibet poſſe, ſi quem ſubiret genius ille ſerviendi, ſicut in triremibus contingit ut multi damnati ad eos, poſtquam annos latæ in eos ſententiæ expleverint, nolint abire. Certè divina Scriptura meminit ſimilis caſus de facto, ſcilicet hominis præferentis ſervitutem libertati Exod. 21. *Quod ſi dixerit ſervus: diligo dominum meum non egrediar liber* &c. in quibus præter æternitatem ſervitutis imponitur ei ut patiatur aures ſibi ſubulâ perforari: quo alluſit deinde pſal. 39. *Aures autem perfeciſti*, aliàs *perforaſti mihi*, quod de Chriſto D. videtur ſcriptum.

4. Cæterùm ad ulteriorem ſcitum huius materiæ, notabo breviter quaſi hiſtoricè aliqua de ſervitute; duplex enim eſt, una voluntatis, altera neceſſitatis; ut quum quis bello juſto capitur, aut in pœnam, pro morte mulctatur ſervitute. Et de priori tenendum quod nunquam transferat dominium ſive abſolutum jus, ſed utile duntaxat; ſecundum tamen transfert utrumque. Probatio primæ partis quia nemo dat quod non habet; at verò ipſe homo, (loquor in communi

Eth

Ethicâ) non habet abſolutum dominium ſui ipſius, nec enim poteſt ſe ipſum occidere, ergo vendendo ſe in ſervum non tribuit tale dominium emptori. Secundæ autem eſt quia bello juſto captus eſt reus mortis, & potuit à victore gladio transfigi; quod ergo ſervetur eſt gratia quæ non præjudicat juri. Hinc colliges eos qui ab huiuſmodi victoribus venduntur poſſe ab omnibus emptoribus occidi, quia nimirum ad eos tranſeunt cum jure quod in ipſos habuerunt venditores; hi autem habuerunt jus vitæ & mortis.

Prov. ult. Ita alii: Scotus autem cui *Lex Clementiæ in lingua* mitius de his cenſuit: *Non apparet* (inquiens) *manifeſtè juſtitia hic* &c. in quibus cenſet victorem 4. d. 36. q. 1. n. 3. non poſſe occidere captum bello niſi pertinacem & adhuc rebellem: ſed apparet eſſe pietas potius quam abſolutum judicium eius: ut conſulenti textum conſtabit, unde ultimum hoc in praxi ſequendum videt, ſpeculative primum.

Dices quando ſemel facti ſunt ſervi jam evaſerunt alterum ſupplicium quod in hoc videtur commutatum: ergò illud non poteſt ab eis exigi. Reſpondeo: id non eſt factum per tranſactionem inter partes, quum capti nihil potuerint deponere ex ſuo; Si tamen victores id eis promiſerint, non poterunt mulctari morte; ſed impotentia eſt fidelitatis non juſtitiæ, niſi leges intervenerint & contrarium ſtatuant. Illud tamen adverto quod quamvis major ſive durior ſit ſervitus bello captorum quam eorum qui ſe vendiderunt, tamen qui ſe vendiderunt fugere non poſſunt, quod tamen negari non poteſt iis qui bello capti ſunt.

Illud autem omninò abjurandum eſt quod Ariſtoteles ait quoſdam naturali ſervitute premi, eos ſcilicet qui naturali hebetudine inepti ſunt ad imperandum, quodque alii illos non ſecus ac beſtias venari, ita juſto bello petere poſſint: nam naturâ nemo eſt ſervus, neque ulla ſervitus ſed libertas eſt naturalis, & quod ipſe cogitat eſt aptitudo ad ſervitutem non ipſa: & quantumcunque à naturâ deſerti ſunt & gravati feritate, non proinde perdunt jus ſuarum poſſeſſionum: niſi fortè tam rudes ſint & omninò efferati, ut beſtiis viciniores ſint, quomodo in genere ipſo ſentientium eſt quoddam inde dictum plantanimal, plantæ non minus habens quam animalis: Certè quum Hiſpani Indias occupaſſent, invenerunt ibi incolas tam inhumanos & cultus expertes ut dubitare cœperint an poſſent eis impendi Eccleſiæ Sacramenta.

ACTIO IV.

De dominio hominis in cætera bona tam ſpiritus quam corporis.

Breviarium.

N. 1. *Credibile quod cœli mobiles ad hominem pertineant.*

2. *Rationes in oppoſitum: Num homo poſſit vendere ullum elementum?*

3. *Homo eſt dominus affectionum corporalium, puta pulchritudinis, & quomodo?*

4. *Item habituum adquiſitorum. Quid de ſanitate, & actibus liberis dicendum?*

5. *Etiam bonorum omnium ſpiritualiũ eſt dominus.*

1. Cenſeo primò non falſò dictum iri quod Cœli mobiles ad hominem pertineãt. Moveor primò quia D. Deus Mundum hunc condidit tanquam domicilium homini; cœli autem ſunt huius domus tectum? Et ne quis putet ſe allegorias audire, non autem veritatem naturalem quaſi hæc domus non egeat tecto, dico replicam eſſe in oppoſitum quia Mundus elementaris magis eget cœlo quam domus ulla tecto, ut infra: Interim Confirmo inceptum, quia qui tenetur domum dare alicui, debet eam dare cum feneſtris: atqui corpora cæleſtia ſunt huius Mundi feneſtræ, ergo

Probo etiam idipſum iterum efficacius, quia qui cœlos deſtrueret (ſupponamus enim aliquem poſſe) faceret homini injuriam, ergò homo habet jus & proprium dominium cœlorum; conſequentia eſt evidens, iſte enim eſt verus character juris, quod ſcilicet violatio eius faciat injuriam: Antecedens autem probo, quia talis cogeret hominem fame mori, imò etiam directè morte ipsâ mori, quia quum generationes horum inferiorum pendeant ex motu cœlorum, tunc nulla res de novo naſceretur non frumentum, non vinum, non linum, &c. imò inter alia ipſe homo deſineret generari, & ita genus humanum extingueretur.

2. Obiicies, ſi daretur emptor adhuc homo non poſſet vendere cœlos, ergò non eſt eorum dominus, nam & iſte eſt character dominii poſſe alienare mercem. Reſpondeo neque terram vendere poteſt, aut alia elementa, & tamen nemo negabit eum eſſe dominum univerſæ terræ, quidni ergò ſimiliter ſit cœlorum non obſtante illâ exceptione: Caſus utriuſque tam arguentis quam reſpondentis eſt ſi fierent duo Mundi, & homines unius Mundi, puta alterius, venirent ad noſtrum ut eum ab habitoribus eius pretio emerent, num poſſent eum illis dare, quod vix credo, quia Mundus videtur feudum quoddam D. Dei ſui traditum homini puta Adamo ut eum poſteris ſuis concedere poſſet, aliis non poſſet; certè autem tam magnum patrimonium non videtur poſſe alienari.

Obiicies ſecundò: Ineptum & ridiculum videtur quod quis habeat dominium loci quem nunquam ingredi, nec attrectare aut reparare, nec inde audire vel per litteras poſſit: tale eſt cœlum reſpectu hominis infinitis ferè paraſangis ab eo diſtans, ut eum videatur eripuiſſe illi præſcriptio

Digitized by Google

ſcriptio tam loci quam temporis. Reſpondeo: omnia hæc currunt de aliis, quorum tamen dominium cenſetur homini datum: Fundum Oceani, ſuperiores aëris regiones, ne dicam ignem in concavo lunæ quis intravit aut attrectavit? & tamen ſunt aliquid ex quadrigâ elementorum quam homini conceſſam tradunt Adverſarii, & eorum quoad hoc paritatem videtur innuiſſe Eccleſiaſticus ſtatim à principio: *Altitudinem cœli, & latitudinem terræ & profundum abyſſi quis dimenſus eſt.*

Dicet aliquis cum Recenti cœlos homini ſervire, ſicut agri paterni filiofamilias ex diſpoſitione patris, quum interim tamen dominium pertineat ad patrem, ergo. Reſpondeo: dicat qui volet; ſed quiſquis dixerit tenetur idipſum multò magis dicere de terrâ in quam ſimilitudo magis quadrat. Itaq; in præſenti videri poſſem plus probare quam aſſerere, quanquam Scriptura id aſſerat, ſaltem ſic, ut poſſit illa hoc modo exponi. Quid enim excipi poteſt ab illa univerſitate: *Omnia ſubjeciſti* &c. & iterum. *Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum?*.

Una tamen mihi ſubit objectio quæ aſſenſum tot rationum retardet, eſtque iſta, quam videor ex primâ Confirmatione ſupra colligere; Si enim cœli & eorum influxus pertinent ad hominem ob jam allegata, ſequitur angelos pertinere ad eum; quia ſine ipſorum motu cœli homini non prodeſſent. Reſpondeo hic fortaſſis locum habet quod Recens ſuprà dixit, cœlos reſpectu hominis eſſe quaſi agrum cujus cultores ab alio ſolvi, ſive ſtipendium accipere debent. Certè ſi ego tenear alicui dare agrum cultum non proinde teneor dare ei cultores in poſſeſſionem: & hæc hactenus.

3. Jam deſcendendo de cœlis, cenſeo hominẽ eſſe dominum affectionum corporalium, puta pulchritudinis, (idque in omni ſententiâ, non meâ tantum tum ſuprà Act. 1. num 1) non tamen abſolutè & in omni caſu. Ratio primæ partis poteſt ſumi ex loco jam citato, atque etiam hac ipsâ Act. nam qui deſtrueret pulchritudinem hominis faceret ei injuriam, & teneretur ad reſtitutionem in æquivalenti, id eſt ad compenſationem: Iterum iſta, quia non tenetur homo ſervare omnia accidentia quæ natura ei dedit alias teneretur conari ipſam etiam deformitatem retinere. Excepi tamen, quia uxor non poteſt deponere pulchritudinem niſi volente marito qui fortaſſis propter illam voluit eam habere uxorem: Nec filia minorennis, quia fortaſſis parentes utentur pulchritudine illâ tanquam dote ad eam locandam.

4. Ad hæc, homo eſt habituum ſuorum dominus, v.g doctrinæ & ſimilium, ſed non abſolutè, ut cenſent communiter authores. Cauſam & caſum do; contingere enim poteſt ut aliqui adoleſcentem quempiam habilem ad ſtudia, vel ad tale opificium applicent, ut ipſi deinde ab illo alantur; eo autem caſu juvenis non eſt plenè dominus peritiæ adquiſitæ ſive practicæ ſive ſpeculativæ, quod contra negantes ſic adſtruo: In contractu ſocietatis, nulla pars eſt plene dominus lucri, ſed dividendum eſt ex æquo inter partes quarum una deponit pecuniam aut merces, altera induſtriam; hic autem eſt inſtar talis; nam amici vel cognati adoleſcentis depoſuerunt ſumptus ſtudiorum, v.g. ſcholæ, victus, &c. adoleſcens autem ingenium & induſtriam, adeoque: Si autem nihil tale contingat, ſtandum eſt communi ſententiæ.

De ſanitate idem ſentiendum eſt quod de vitâ proportione ſervatâ, nam morbus eſt mors incepta: De actibus liberis eſt certum, & quaſi ex terminis notum, alias non eſſent ei liberi quum non poſſit ponere & deponere eos pro libitu. Si ergò poteſt, ut certum eſt, jam habet eorum dominium: Neque ille ſolus, ſed & angeli qui nullius ferè rei præterea domini ſunt, & dæmones ſive damnati: Nam, ut dixi, id includitur in libertate quam habet eliciens reſpectu eorum; ſicut enim Deus eſt Mundi dominus idque ſtricto jure, quia ipſe eum produxit, ita agentia alia reſpectu actuum qui ab ipſis ſimiliter pendent.

Dices; actus eliciti contra juſtitiam non poſſunt pertinere ad elicientem; at verò multi tales ab homine fiunt, v. g. furtum, adulterium, &c. Aſſumptum ſuadetur quia non poteſt dari jus contra juſtitiam; atqui ille ex juſtitia tenetur non habere tales actus, ergo non ſunt illius ex juſtitiâ adeoque non eſt dominus actuum. Hoc argumentum lubens relinquam ſolvendum juris-noſtri peritis, & pergam.

5. Dico ultimo hominem eſſe verè dominum bonorum ſpiritualium, tam actuum quam habituum. De actibus jam eſt dictum; De habitibus ſuadebo aſſertum quum explicavero me ipſum: eſt autem non eſſe hic diſtinguendum de gratiis gratum facientibus, & gratiis gratis datis. Jam ergò oſtendo illud de habitibus: quia homo eſt dominus habituum adquiſitorum, ergo etiam infuſorum ac ſupernaturalium: Conſequentia primâ facie eſt improbabilis, ſed ſuadeo ipſam quia licet habitus ſupernaturales non poſſint à nobis produci, poſſunt tamen à noſtris productionibus exigi; Deus enim ſic ſe gerit in iſtis ac ſi eſſent naturales, unde gignuntur ſtatim poſitis actibus non ſecus ac ſi eſſent naturales Ratio explicatione & inſtantiâ probatur; nam anima rationalis certum eſt quod non poſſit à nobis produci, quia tamen poteſt exigi à quibuſdam noſtrâ operâ productis, ſcilicet diſpoſitionibus organorum, proinde cadit ſub jus parentum perinde ac ſi ab illis produceretur, &c.

Altera probatio ſit iſta, quia ſi habitus ſupernaturales, puta gratia ſanctificans non eſſet noſtri juris ac dominii, ſequeretur quemlibet hominem quolibet peccato bis peccare; id autem eſt certiſſimè falſum, quod ſcilicet non poſſit homo ſemel tantum peccare: ſed probatur ſequi, quia peccans, v.g. ſe inebrians, ſemel peccaret peccato ebrietatis aut intemperantiæ, & iterum peccato injuſtitiæ, eo quod deleverit habitum ſupernaturalem gratiæ ſanctificantis. Ratio eſt efficax, ſed non univerſalis, non enim currit niſi de eo qui quùm juſtus eſſet ſe inebriavit: ſed hoc ipſum eſt nimis, adeoque.

Tertia iſta à priori, quia Gratia eſt gratia, id eſt quid gratis ac dono datum, hoc autem involvit ipſam eſſe in dominio accipientis, ergo. Major ex terminis patet, adeo ut fere ſit identica Logicè, Theologicè etiam eſt certa Rom. 3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius*, unde etiam illa, & habens eam dicitur *creari*, id eſt ex nihilo produci, phraſi Scripturæ, quia nimirum illa datur nobis ſine eo quod quidquam pretii ex parte noſtra ponamus; Hinc patet quàm malè. Ephes. 2.

Obji-

Objiciat aliquis qui excipit gratias gratis datas, puta prophetiam, genera linguarum, &c. Iſta ſine ulla induſtria hominis à Deo fiunt; Item, non poteſt quis uti illis quòm vult ipſe, ſed tantùm quando vult Deus, id autem eſt ſignum non habiti dominii, nam dominus poteſt uti re ſua quando illi libet. Reſpondeo, ſi primum illud valeret, nullum unquam donum eſſet in dominio donatarii. Secundum autem ideo non obeſt, quia non ſemper quis ea dona habet; nemo autem cogitavit aſſerere quòd quilpiam ſit dominus rei quam non habet: ſufficit ergo quod poſſit non uti illis quando ea habet, imo & habita reſpuere.

***

Videndi adhuc de iſtis

ARiſt. 5. *Ethic. cap.* 10. *&* 1. *Politic.* 1. S. Auguſt. *l.* 19. *Civit.* S. Greg. *lib.* 21. *moral.* Gratian. *diſt.* 54. D. Thom. 2*a*.2*a*. *q.* 64. S. Anton. 2. *part. tit.* 2. Navar. *in Enchyrid.* c. 18. Cajet. *hic. q.* 73. *& in ſum. verb. homicidium.* Victor. Delect. *de homicidio.* Sot. *lib.* 4. *de iuſt. q.* 2. Sylveſt. *verbo Detract.* Adrian. 4. *de reſtit.* Covarr. *lib.* 2. *variar.* Leſſ. *lib.* 2. *Iuſtit. c.* 4. Joan. Malder. *tract.* 1. *c.* 5.

De Injuriis.

APOLOGIA QVINTA

De cæde, & mutilatione hominis.

ACTIO I.

Utrùm liceat magiſtratui in pœnam culpæ occidere?

ACTIO II.

An ullo caſu liceat occidere innocentem?

ACTIO III.

An abſolutè liceat occidere invadentem?

ACTIO IV.

Aſſignantur & deciduntur adhuc alii caſus occidendi invaſoris.

ACTIO V.

An ulli liceat interimere ſeipſum.

Scot. 4. *diſt.* 15. *quaſt.* 4. *num.* 7

SEd quis eſt juſtus occidens? Reſponſio habetur 23. *q.* 5. *Si non licet*, & intitulatur ibi Auguſtin. de Civit. Dei: *His*, inquit, *exceptis, quos lex juſta generaliter vel Deus ſpecialiter jubet occidi, quiſquis hominem occidit, criminis reus erit.* Quæ autem lex ſit juſta? ipſe determinat de liber. arbitr. breviter: *Nulla niſi vel quæ deſcendit à lege divina ſicut concluſiones practicæ ex principiis practicis, vel quæ concordat legi divinæ, ad minus quæ non diſcordat.* Ad propoſitum lex divina abſolutè prohibuit, *non permittas hominem occidi*; & nulli licet inferiori in lege ſuperioris diſpenſare, ergo nulla lex poſitiva conſtituens hominem occidendum juſta eſt, ſi in illis caſibus ſtatuat quos Deus non excepit. Excepit autem multos, ut patet in Exodo, ſcilicet blaſphemum, homicidam, adulterum, & multos alios. Nullus ergo ſecundùm juſtam legem occidit, nec lex poſitiva juſtè infligit homicidium, ſi non excipitur ille caſus à Deo prohibente homicidium, &c.

Digitized by Google

ACTIO I.

Vtrùm liceat magiſtratui in pœnam culpæ occidere?

Breviarium.

N. 1. *Scotus hic acriter impetitus, ſed immeritò ſequela magis quàm impugnatione dignus.*

2. *Lex Exodi* 20. Non occides, *eſt generalis.*

3. *Apud Iudæos tamen habuit ſuas exceptiones.*

4. *In aliis regnis & Rebuſp. non æquè licuit magiſtratibus deeſſe ei.*

5. *Inimici Scoti conveniuntur & convincuntur ad hominem.*

6. *Objiciunt nihilominus plures, & reſpondetur ſingulis.*

7. *Objectio principalis ex D. Thoma ſolvitur: Occiſio malefactorum non eſt neceſſaria ad Reip. conſervationem.*

8. *Reditur ad improbandum homicidium, pluries: primò biblicè, tùm ex Patribus.*

9. *Tertiò, politici magiſtratus ſententia.*

10. *Authorum quorundam facilitas in permittendo homicidio notata.*

11. *Objicitur pro ipſis & reſpondetur an liceat legi Dei addere conditiones.*

12. *An Principes Chriſtiani poſſint uti exceptionibus factis in veteri lege ab illo:* Non occides.

13. *Pœnam adulterio per Moyſen inflictam revocatam eſſe à Chriſto Domino.*

1. HOc loco, ſi quo unquam, Scotus eget Advocato: *Manus omnium contra eum*: Nec quiſquam ſtylum ad ſcribendum apprehendit quo illum non figeret. Unus palam de eo dicit, *errat*, alius, *defendi nequit*, tertius, *ex falſo fundamento eliciuit falſas concluſiones*: quartus denique, quòd *ejus ſententia ſanæ fidei minus conſentanea eſt, & ideo ab omnibus rejicitur*; quod ultimum eſt quæſtio facti, & proinde ignoſcendum Maldero magis quàm Grammatica illa cui ſe miſcet. Nempe ille (ſi Deo placet,) docere nos vult divina lege non prohiberi hominis cædem, ſed homicidium, quùm tamen divina lex non modo de homicidio non loquatur, ſed nec de homine, tantùm enim ait: *Non occides.*

Sed relictis verbis & redeundo ad Scotum, optandum eſſet ne rigore ſententiæ præberet anſam jactantibus eum à ſe devictum eſſe: Tamen hactenus non modo non erravit, ſed ſaluberri-
1. mam veritatem ſolus ferè propinavit: *Os ſuum aperuit ſapientiæ, & lex clementiæ in lingua ejus*, qui judices cæde & ſanguine jam dudum cruentos, revocavit compaſſus fragilitati generis & mortalitati. Id autem ut capiatur, ſeorſim diſponenda ſunt quæ de his habet Scotus; ſunt autem quatuor hæc, primum, quòd lex illa Exodi 20. *Non occides* ſit generalis, ſecundum, quod non licet ab illa excipere niſi quæ Deus excepit concedendo ut aliqui malefactores occidantur. Tertiò dicit inter hos numeratos eſſe olim adulteros, jam non item, eò quòd Chriſtus D. in Evangelio rigorem Moſaicum temperavit eximendo adulteros lapidationi; quartum, quod de furibus habet infra Apol. 6. propria act. expedietur. Interim ordinatè procedendo

2. Dico primò, primum ejus aſſertum eſſe ſatis verum & biblicum, quippe ad literam ipſam legis. Vidit id ante Scotum Auguſtinus, & patet aliàs ex textu; eſt enim iſtud purum putum, *Non occides*, tam Exod. 20. quàm Deuter. 5. quo loco ad emphaſin ſubditur: *Hæc verba loquutus eſt Dominus nihil addens amplius*, ut ſcilicet ſciretur non eſſe expectandos tot commentarios: ſecundò ſic, quia illud *non mœchaberis*, eſt univerſale, nec patitur exceptionem; item illud: *Non furtum facies*; nunquam enim permittitur, ſed nec poteſt. Poteſt quidem quod apud alterum eſt invito illi auferri, at non quamdiu ipſius eſt, ſed tantùm translato dominio ipſius ad raptorem, ut factum eſt à Judæis quando Ægypto exiverunt: Item illud de falſo teſtimonio, & à fortiori de falſis diis, &c. Omnia hæc inquam ſunt univerſalia in littera & ſenſu, quidni ergo illud de cæde hominis *Non occides?* Nunquid cædes hominis minus malum eſt, aut vita minus bonum quàm bos, quàm aſinus, quàm uxor? quæ in hoc negotio tantò minorem culpam facit, quantò illius non rapina tantùm prohibetur ſed uſus.

Dices: Sunt multi caſus in quibus licet hominem occidere, ergo inhibitio non poteſt eſſe univerſalis. Reſpondeo, non ſunt multi, numeret enim mihi ullos præter caſum quo quis invaditur, & illum belli juſti, qui fere coincidit cum priori, nam bellum tunc eſt juſtum, quùm quis primò læſus eſt, & vult ſua recuperare; at verò hæc non tam ſunt occiſio alterius quàm defenſio ſui; cuius ſignum eſt quòd non liceat majorem vim inferre invaſori quàm poſſit repellere illatam; unde ſi poſſit ille compeſci vulnere, vel mutilatione, non debet occidi.

Inſtabis, ultra hos ſunt plures caſus legibus civilibus definiti, in quibus approbatur, imò imponitur cædes aut mors hominibus in pœnam. Reſpondeo ſic inſtanti quòd petat principium, de hoc enim agimus, hoc eſt quòd Scotus renuit concedere, ſcilicet omnes hujuſmodi leges eſſe juſtas, quùm palam dicat non omnes tam facilè potuiſſe condi, aut debere obſervari.

3. Dico iam ſecundò: In Republica Judæorum multi caſus fuerunt in quibus mors hominibus licitè infligebatur. Hæc eſt approbatio illius tertii dicti Doctoris quo aſſerit in lege veteri fuiſſe exceptiones aliquas ab illo univerſali, quas fuiſſe licitas nemo dubitabit qui credit legem illam fuiſſe divinam, & ab ipſo Deo immediatè latam: per quod probata eſt ſecunda pars concluſionis.

Pro prima autem produco ipſam in ſe legem.

I.

Qui percuſſerit hominem volens occidere, morte moriatur. Exod. 21.

II. *Qui*

II.

Ibid. *Qui percuſſerit patrem ſuum aut matrem, morte moriatur.*

III.

Ibid. *Qui furatus fuerit hominem & vendiderit eum, convictus noxæ morte moriatur.*

IV.

Ibid. *Qui maledixerit patri ſuo vel matri morte moriatur.*

V.

Levit. 21. *Qui acceperit ſororem ſuam filiam patris ſui, vel filiam matris ſuæ, & viderit turpitudinem ejus, illaque reſpexerit fratris ignominiam occidentur.*

VI.

Levit. 20. *Qui coïverit cum muliere in fluxu menſtruo, ipſaque aperuerit fontem ſanguinis ſui, interficientur ambo.*

VII.

Deut. 7. *Quum ædificaveris domum, facies murum tecti per circuitum ne effundatur ſanguis in domo tua, & ſias reus labente alio, &c.*

4. Addo his & dico, in aliis regnis aut Reſp. non æque licuiſſe magiſtratui pœnam mortis his delictis infligere, adeoque rectè à Scoto hos caſus dici exceptos. Probo, quia ex his quædam non ſunt hoc modo mortalia, id eſt quæ mortem exigant in ſupplicium, ſpectata ſubſtantia actionis quam attendere debent leges politicæ & municipales; nam incipiendo à primo, percutere hominem ligno vel ſaxo ſi ictus pervenerit ad hominem jam languidus & fractus, non eſt magna injuria, licèt animus nocendi fuerit, atque adeo non tenetur ad repaſſionem niſi parvam, quia paſſio ab eo illata fuit parva: Simile quid eſt in eo qui hominem vendit, nam libertas unius non eſt bonum æquale vitæ alterius, adeoque nec neceſſariò compenſanda per ipſam. Confirmo biblicè, quia lex ipſa æquat libertatem denti, nam ſi dominus excuſſiſſet dentem ſervo, tenebatur eum manumittere, ſive vindicare in libertatem, &c. ne cogar omnia percurrere, propter quæ Deus ipſe palam pronunciavit, quòd *dederit* Judæis *præcepta non bona.*

Exod. 21.

Ezech. 13.

Arguo etiam ſic; aut lex decalogi comprehendit hujuſmodi peccatores, & vetuit eos occidi, aut non comprehendit: ſi vetuit occidi, & præceptum illud non occidendi currit de illis, jam jure & merito dictum eſt à Doctore quod deinde illos caſus excepit ab univerſalitate, in qua fuerant comprehenſi. Si autem non vetuit, ſed voluit eos occidi, jam omnes gentes tenentur infligere his pœnam mortis, quod tamen nulla facit, atque ita quidquid velint iſti cenſores, illæ leges ſunt totidem. Confirmo & explico, nam ſi lex non comprehendit illos caſus, ſenſus legis erit iſte: Non occides niſi tales, puta maleficos, &c. atqui hoc eſt edicere ut maleficos occidas, ut patet ex logica forma propoſitionis exceptivæ, ergo.

Sed fortaſſe nobis etiam timendum eſt ab aliqua, quippe quæ verti poſſit in nos ſic: Decalogus, adeoque illud *non occides*, eſt lex naturæ, atqui nec Deus quidem poteſt excipere à lege naturali, & omnium minimè à negativa, neque diſpenſare in illa; ergo ſi fuerunt comprehenſi illi caſus in præcepto *non occides*, adhuc ibi ſunt non excepti. Confirmo ratione contra Scotum ad hominem, ipſe enim docet non poſſe legiſlatores creatos paſſim decernere pœnam mortis eò quòd inferior non poſſit diſpenſare in lege ſuperioris: at verò ab omnibus lex naturalis cenſetur prior & quaſi ſuperior lege divina poſitiva: unde quando concurrunt ſimul, divina cedit, ergo jam non potuit lex divina excipere à naturali. Ex omnibus hoc quàm maximè juvat adverſarios nam præ ſe fert ſpeciem aliquam Theologicæ veritatis. Sed ſtatim ſolvetur advertendo non ſolv leges quoties apparet: ſed poſſe fieri legitimè oppoſitum legis ſaltem materialiter. Itaque poteſt occidi licitè homo, ſi illius vita ponatur in dominio occidentis, quod Deus facere poteſt quùm ſit ipſe dominus omnium vitarum & viventium, adeoque illius lege poteſt homo occidi. Quia ergo nulla creatura ſimiliter eſt dominus omnium vitarum & viventium, proinde nulla ſimiliter poteſt ferre leges quæ omnes ejuſmodi excipiat.

5. Adhuc ſemel conveniam adverſarios ad hominem, illi enim omnes magno animo ajunt erraſſe Scotum, (atque hinc in alios errores prolapſum,) quod judicaverit præceptum illud *non occides* eſſe univerſale, & intelligendum abſque exceptione: Ego autem hic ſic arguo: ſi non eſt univerſale, jam intelligendum eſt cum exceptione, quæro ergo ex his cenſoribus quæ ſint illius exceptiones, & qui ab eo excipiantur? Hic illi hæret aqua, & vix ſe expediunt: aliqui dicunt ſenſum ejus eſſe iſtum: *Non occides innocentem*: ſed bene viderunt ipſorum aliqui falsò explicatam eſſe ita legem, ſic enim liceret cuilibet occidere ſontem quod eſt falſum, nam nec ſontem occidere licet niſi publica authoritate, nec ipſa publica authoritas id poteſt niſi ſervato juris ordine. Adeo illi authores pœnas ſolvunt deſerti Scoti & adhuc ſolvent. Alii enim quibus præiviſſe videtur S. Thomas, ſic exponunt: *Non occidas niſi ubi cauſa fuerit*: at enim Thomiſta judice, hæc forma apparet quædam petitio principii, & præterea nunquam veniendum erit ad executionem, debet enim diſputari prius utrum hoc aut illud ſit ſufficiens cauſa mortis? Itaque nihil planius, ut & nihil ſubtilius hic quàm Scoti inventum, qui non ſolùm clementiam lege ſancitam docet, ſed interim *aperuit os ſuum ſapientiæ* verè enim ſententia eius nititur veritate, ut adhuc ſemel patebit ex adverſariorum argumentis, quæ quidem omnes ſibi adſcribunt, ſed nemo melius deſcripſit quàm Soto, ex quo ego ſic

6. Obiicio: Falſum eſt præceptum *non occides* generaliter eſſe poſitum; in primis enim non prohibetur illo præcepto occidere invaſorem. aliàs quum in lege veteri id non ſit exceptum, ſecundum Scotum non liceret. Deinde ſi præceptum illud univerſale erat, cur Deus in tot caſibus contra ipſum diſpenſavit? eò magis quòd non potuerit tametſi vellet, quùm contra legem naturæ non ſit authoritas ne divina quidem poſitiva. Præterea præcepta occidendi malefactores ſupra enumeratos aut legalia erant, aut naturalia; ſi legalia, prorſus ceſſarunt, quare nequaquam modo licebit homicidas occidere, neque ullum è ſupra enumeratis ex lege Moyſis. Si autem fuerint interpretationes iuris naturalis, iam dictu & lumine ipſo naturali illi caſus excepti erant quod mirandum eſt, (inquiunt,) Scotum non advertiſſe. Ad hæc, ante legem ſcriptam Reſp. gentium ſcelera aliqua capitis ſupplicio vindicabant, & tamen id non faciebant ex eo quòd caſu illi excepti fuerint in lege Moyſis, quia nec noverant eam, neque ſi noſſent obſervare curarent quùm etiam multis id uſitatum fuerit antequam lex illa fuiſſet ſcripta. Quintò adhuc, tam natural

rale eſt ut ſontes abſcindantur quàm eſt ut innocentes ſerventur, ſed natura certiſſimè dictat innocentes ſervandos, ergo. Denique ſi Reſp. civilis jam facultaté non habet alios malefactores occidendi quàm eos qui lege veteri exceptierant, neque habet torquendi eos aliis pœnis aut generibus mortis quàm quæ ibidem deſcribuntur, id autem conſtat eſſe falſum, quippe contra theoriam & praxin Chriſtianorum, ergo.

At enim iſta non aliud agunt quàm occaſionem nobis præbere oſtendendi quàm ſolida ſit Scoti doctrina: Ad primum enim jam videor dixiſſe, nā invaſus quà talis defendit ſe, occidens autem debet cenſeri invadens: Et quia Sotus ſolutionem non æſtimat, cogo eũ ad confeſſionem: Nā invaſus quæro quid agere debeat, defendere ſe, an permittere hoſti? defendere ſe, non poteſt niſi alium occidendo, adeoque illa occiſio eſt defenſio; ſi autē permittat ſe hoſti, tum demum eſt homicida, certum eſt autem hoc eſſe illicitum, ergo certum eſt illud eſſe licitum. Secundum jam ſolutum eſt in propria ſpecie: Ad tertium dico exceptiones illas fuiſſe legales, & ad illatum contra hoc dico eſſe intempeſtum, id enim eſt quod nos contendimus non licere: certum eſt autem quod non liceat quà legalia fuerunt, quùm legalia jam ceſſaverint; itaque niſi aliud fundamentum ſubſit, erunt illicita ſicut fuerunt prius quàm exciperentur. Pro nunc autē non decerno utrùm adhuc ſit fundamentū ſufficiens principibus Chriſtianis eaſdem pœnas ſanciendi, de quo poſtea: Interim ad quartum dico potius mirandum eſſe de Soto quam de Scoto: nos enim prætendimus principes Chriſtianos non poſſe occidere malefactores paſſim, & ille oppoſitum inde probat, quia id egerunt Ethnici, quaſi Ethnici eſſent juſtiores Chriſtianis, aut quod Ethnici fecerunt, id eo ipſo foret juſtum. Quintum recurret infra in ratione S. Thomæ, cui ſoli ferè hæc mortitera juriſprudentia incumbit. Ad ultimum hic nego conſequentiam, niſi erro, legitimè, nam lex non prohibet torquere, ſed occidere. Deinde quis non videat ſicut majoris damni eſt mors quàm dolor, ita majori authoritate opus eſſe ad occidendum quam ad torquendum? Itaque non ſolùm principes, ſed quilibet herus torquere poteſt ſervum: certè autem ubi authoritas eſt inferendæ mortis & agonis, arbitrarium eſt quo inſtrumento inferatur, dumodo notabiliter majus tormentum non inferatur, v. g. laqueo, vel gladio, de quibus rectè dicas quòd quoad pœnam æquales ſunt non ſimiles, quia quod gladio in acerbitate deeſt, compenſatur in mora.

7. In fine hic objiciam & ſolvam fundamentum S. Thomæ, cui omnis hæc machina innititur: Eſt autem iſtud: Pars eſt propter totum, adeoque ob totius conſervationem poteſt abſcindi, quùm ergo ſinguli peccatores ſint pars Reip. ob ejus incolumitatem poterunt occidi. Ita ille, quem ut non abnuo probabiliter diſcurrere, ita nego cauſam viciſſe: ducta enim eſt hæc ratio à corpore phyſico, & ex illo applicata morali: unde videndum eſt quid natura faciat de partibus phyſicis in periculo totius? Ad quod reſpondeo, quòd nocet parti quàm minimè poteſt, nec niſi quantum opus eſt ad ſalutem totius; non deſtruit, neque corrumpit totaliter, ſed ſeparat tantùm à corpore: v. g. manus cancro infecta eſt, vult eam naturæ providentia abſcindi; abſcindatur, adhuc eſt manus, non proinde corrupta aut deſtructa eſt. Cur ergo Petrus peccans deſtruitur & corrumpitur ne amplius exiſtat? num natura hoc docet? nequaquam; unde formo oſtenſivè argumentum: Ad hoc ut Petrus non inficiat Remp. ſufficit eū abſcindi ab ea ne amplius ſit pars ejus, ſicut ſufficit abſcindi manum; id autem poteſt fieri ſine morte Petri, proſcriptione, exilio, &c. ergo hoc ſufficit, nec plus licet magiſtratui, quod eſt ipſa doctrina Scoti & intentum. Scio ſupereſſe hic dicenda, ſed nolo me aut Lectorem morari, quùm non omnia ſuſceperim tractanda, ſed ſubſtantiam tantum negotii quæ videtur jam dictis probata.

Proſequutio ulterior materiæ.

8. Itaque ad cædē hominis lentè feſtinandum eſt, non ſolùm judicibus in curia, ſed & Doctoribus in ſchola, ſi volunt ſapere; *benignus eſt enim ſpiritus ſapientiæ.* Et quoniam hic interim non Scotus ſolùm, ſed genus omne hominum eſt defendendum à quorundam ingeniis, inſiſtā paulò acrius propoſito, ut comendem homini humanitatem, & cædes in odium adducā, quod præſto Sap. 1.

Primò, quia probatio hujus à priori adhuc ſubſiſtit; nam Deus quum hominibus olim tradidiſſet interdictum homicidii, rationem addidit: *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo*: at verò hæc veritas deſinere non poteſt, nullo enim crimine, quantumcunque gravi fieri poteſt ne homo ſit imago *Dei*, ergo nullo etiam efficietur ut poſſit ille occidi ſine injuria prototypi, id eſt Dei, niſi fortè ipſo prototypo aſſentiēte, quæ eſt doctrina S. Auguſtini & Scoti. Geneſ. 9.

Secundo, quia Eccleſia, in qua viget ſpiritus Chriſti hoc lacte nos aluit, ut patet ex priſcis ejus decretis: in primis enim diu in Eccleſia viguit diſciplina, ut voluntarii homicidii reis ſolùm in articulo mortis communio concederetur: Unde Concilii Ancyrani decreto perpetuę pœnitentiæ addicūtur. Deinde benigniſſimè cum illis actum eſſe indicavit ſi pœnitentia illa quam per omnem vitam agere debebant ad multorū annorum numerum contraheretur. Imò, ut à voluntariis homicidiis magis homines abſterrerentur, acerrimè etiam in eos vindicavit, qui aliquod etiam imprudentes admiſiſſent, ut videri poteſt apud SS. *Baſilium*, & *Gregor. Nyſſen.* item in *Zachar.* & *Alex. II.* ſumorum Pontif. decretis. Canones Iſaaci Lingonen. ſeptem annos pœnitentiæ iis imponunt, qui pro ſui defenſione hominem occidiſſent. Ac proinde Hildebertus Epiſcopus Cenomanenſis Ivoni Epiſcopo Carnotēſi gratulatur quod presbytero qui in defenſionem vitæ ſuæ latronem interfecerat; ſacris per omnem vitam interdixiſſet.

Patres SS. iam produxi, ſed ut unum in terminis audiamus, ſit Chryſoſtomus, qui de præſenti negotio ſic cenſet: *Hoc ſic imbuti ſumus, ut quùm homicidiū vetaret Deus, non addiderit ideo vetari quia malum eſt, ſed hoc quaſi natura mentibus noſtris anticipatum prætermiſerit.* Auguſtinus de hoc ſupra in themate ſenſum ſuū nobis aperuit, dum docuit leges ipſas eſſe illegitimas *quæ ſtatuunt hominem occidendum, niſi deſcendāt à lege divina ſicut concluſiones practicæ ex principiis practicis*, &c. Sed nulla maior execratio homicidii quàm illa eiuſdem: *Puſtulæ in corpore, & veſicæ ſcaturrentes, & incendia vulnerum ex favilla fornacis, tales ſunt animæ homicidales.* Athanaſius, eas *obruteſcere* ait, id eſt depoſita humanitate in bruta converti; Dominus autem etiam in diabolos. de lib. arb. Tom. 10 frag. ſecund. Ioan. 8

9. Tertiò, quia magiſtratus civilis oppoſitā doctri-

Digitized by Google

doctrinam quæ homicidio coñivet, in cunabulis ſuffocavit: non eſt autem par Eccleſiaſticos à ſeculo unici horrore homicidii ut illi ſint viri ſanguinum, quod hi eſſe nolunt: Cùm enim Fr. Amicus quiſpiam curſum Theologicum edidiſſet Duaci impreſſum Anno Domini 1640. cui hoc dogma inſeruit: *Ergo ſaltem hunc honorem*, (puta virtute & ſapientia partum,) *poterunt Clerus ac Religioſi cum moderamine inculpatæ tutelæ etiã cum morte invaſoris defendere, quin interim lege ſaltem charitatis videntur ad illum defendendum teneri*: Supremum Concilium Brabantiæ ad inſtantiam fiſci regii, petita prius per illum & obtenta ſupradicti dogmatis condigna cenſura ab Illuſtr. Archiepiſcopo Mecklinenſi è ſacra facultate Theologica Lovanienſi, prohibuit ne ſecunda editio niſi prædicto dogmate prius expuncto in publicum emitteretur. Ad hæc, dũ præcedens doctrina apud Concilium examinaretur, alia non multò venuſtior in eodem opere eiuſdem deprehenſa eſt, his verbis expreſſa: *Non ſolùm licitum eſt defendere quæ actu poſsidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus. Quare licitum erit tam heredi quàm legatario contra injuſtè impedientem, ne vel hereditas, vel legata ſolvantur ſe defendere: ſicut & jus habenti in cathedram vel prabendã contra earum poſſeſsionem injuſtè impedientẽ, &c.* quæ ex mandato iam dicti ſupremi Concilii ad inſtantiam fiſci regii ex ſecunda editione expuncta ſunt: ut videas quàm ſano animo & compoſito ad modeſtiam Joan. Caramuel. huic liti ſubſcripſerit: *doctrinam Amici ſolam eſſe veram, & oppoſitam carere probabilitate omnes docti cenſemus.*

Longè aliud fuit iudicium graviſſimæ Uni-
m. verſitatis Lovaniẽſis de hac homicidii facilitate,
oc. quando ſub iuramento congregata ad inſtantiam Fiſcalis regii, reſpondet quæ infra dabo Act. ſequenti: Interim autem do cuiuſdam moderni nec imperiti nec impii notam opportunam admodũ huic novitati repellendæ, & perſuadendo odio homicidiorum. Nempe ille notavit non licere unquam privato ulli ullius mortem iudicio perſequi. *Etſi* (inquit,) *univerſa quis bona noſtra diripuerit, membra amputaverit, ædes incenderit, parentes necârit, noſtræ præterea vitæ inſidietur, honorem nobis ereptum eat, nos tamen necem illius poſtulantes, judices ne audient quidem. Conſtituendæ fuerunt publicæ perſonæ quæ reorum mortem Regis, aut Dei potius nomine depoſcerent*, &c. in quibus ſolemnitate publici iudicis, & prævio apparatu, non inepte ſuadet in cæde hominis concedenda lentè procedendum: Videri etiam poſſunt quæ ipſe Apol. Act. in hanc ſententiam adfero: pro nunc hactenus ex Wendrock. adducta ille epilogus concludat, quòd Eccleſia à fundendo ſanguine ita abhorret, ut altaris miniſterio ſemoveat omnes qui cædis humanæ quantumcunque iuſtæ, cauſæ complices, advocati, teſtes, & ipſi iudicio quantumvis religioſo interfuerint.

10. Quo magis mirandum eſt inveniri hoc ævo aliquos cæteroqui pios ac doctos qui homicidas plus ſemel excuſant, imo etiam laudant, & quaſi id parum eſſet, ad cædẽ aliquando invitant,
le docẽtes quòd occidere teneantur. *Victoria* palam
. docet *eum qui colaphum accepit poſſe ſtatim repercutere, etiam gladio, etiamſi invaſor non eſſet ulterius progreſſurus. Leſsius*: non ſolùm deſcribit hanc doctrinam ex Victoria ſed affirmat & auget: his: *Fas eſt*
6. *viro honorato occidere invaſorem qui fuſtem vel alapam nititur impingere*, &c. *Filutius*: Idem: *Si quis detrahit falſis criminationibus apud viros honoratos, licet ex probabili opinione P. Navarri & Bannez poſſit occidi, attamen*, &c. *Herellus*: *Si quis nomini meo falſis criminationibus apud Principem, judicem vel viros honoratos detrahere nitatur, nec ulla ratione poſſem hoc damnum avertere niſi illum occultè interficiam, id licitè poſſum*: ubi vides permitti utcunque cædem etiam ante cæptam infamiã, poteſt enim quis niti aut conari facere quod non permittitur præſtare. Eſcovarus ad primum caſum, ſupra ait: *Alapa percuſſum tamdiu cenſeri honore privatum quamdiu adverſarium non interimit.* Molina: conſequenter: *Servatur moderatio inculpatæ tutelæ quamvis arma capiantur adverſus eos qui armis carent, aut etiam ſumantur validiora*, &c. Quid magis maledictum & diris devotum quàm duellum, cuius abſolutio ſummum Pontificatum in Confeſſario requirit? & tamen *Caraffa* illud nonnunquam permittit etiam militi in exercitu: *Probabile eſt*, (inquiens,) *quòd ſi miles in exercitu, vir equeſtris in aula regia, officio, dignitate, Ducis aut Principis favore ob ignaviæ ſuſpicionem excidere debeat niſi identidẽ provocanti ſe ſiſtat, non audere aliquos Doctores damnare*, &c. Adeo dilatavit ſe hæc licentia homicidii ut minus valeat humana vita quàm illa *paſſerum*, quorum *duo veneunt dipondio*; nam horum aliquis ita circumſtantias miſcuit, ut liceat pro pomo aliquatenus occidere: *Eſt quidem valde iniquum ut pro pomo vel etiam uno aureo ſervando alicui vita auferatur: Si tamen vita tibi verteretur probro niſi rem furi extorqueas, poſſes conari & ſi opus eſſet etiam occidere*, &c. Quantò ſanctius noſter Subtilis, tot cædibus ab initio aditum obſtruxit, omnem omnino recuſans ut ſupra ipſe & Auguſtinus; quanto ſuavius ex his ipſis aliquis aſſeruit: *Quòd ei qui alapam recipit, liceat inimicum ſi poteſt ibi fuſte cadere, & quòd is qui fuſte caſus, poſſit ſtatim inſequi percuſſorem & ipſum occidere, non Chriſtianum eſſe, ſed gentilitatem ſapere, ac legem Evangelicam & Decalogum deſtruere, idque etiam ſceleratis notum eſſe.* Contra hanc evidentiam

11. Obiiciunt illi rationem à me ſupra debellatam, quam tamen hic reponere placet ut reiiciam in forma quam nuper ei dedit quidam Caſuiſtarum patronus pag. 88. *Doce* inquiens, *Deum juſsiſſe, ut latronum & inſolentium vitæ parcatur; doce hanc occidendi prohibitionẽ non eſſe naturale præceptum, & nobiſcum genitum; doce ad naturalis rationis judiciũ non eſſe referendum quando licet, quando non licet proximum occidere, opus eſt adferri ejuſmodi locum in quo disertis verbis hæc prohibitio continetur; nam generali præcepto nihil aliud prohibetur quàm ut ne quis alium ſine legitima cauſa occidat.* Huic ſi per partes in forma reſpondeam: ad primã poſtulationem dico non eſſe neceſſe ut fiat, non enim Deus præcepit latronibus parci, aut imparitatẽ dari ſed ſuppliciũ ut patet Exod. cit. ubi nocturnũ furem occidendum ſtatuit ſi armat⁹ ædes invaſit, quia nimirum præſumitur latro. Secundum ſi oſtendero, favebo cauſæ adverſarii, ũde ineptè poſtulat id à me præſtari, eo etiã magis quòd ſi id à me non poſſit præſtari, (ut ille expectat reſpondendum, & apud ſe tenet,) tum multò rarius & multò minus poterit in eo diſpenſari, quod adverſarii audent, quia in lege naturæ minime omniũ diſpenſari poteſt. Vis ergo ſolutionis eſt in ultimo illo quod egregiè refutavit Notator citatus: *Vnus hic* inquit *locus ad omnia Dei præcepta delenda ſufficit*: nihil enim tam immeritò factũ cui non poſſit prætendi cauſa: *Vetat adulteriũ Deus generali lege*: non mœchaberis, *utiq; ſi fiat ſine cauſa, dicet aliquis. Vetat gnrali lege ne ſculptilia*

 adorentur,

Digitized by Google

adorentur: *huic tamen nullo negotio ſubducentur illi qui metu mortis thura idolis adolebant*, quæ enim cauſa gravior, quæ charior poteſt eſſe quàm vita? *Id enim non modo Ethnicorum ſapientiſſimis perſuaſum fuit, ut de Socrate notat Auguſtinus, non modo ab hæreticis creditum qui eo nomine ab Eccleſia damnati ſunt, ſed etiam ab ipſis traditum apud Sinas, refert Hurtado.* In Luſitania etiam nuper quùm Quæſitores fidei acriter in ſimulatos Chriſtianos animadverterent, quidam Rabbi Judæorum ſibi & quibusdam perſuaſit licere ipſis extra Chriſtianam religionem profiteri, dummodo intrò retinerent interim Judaiſmum, uſus ad hoc illo Pſalm. 43. quod Eccleſia legit interrogativè, ille autem affirmativè ſic: *Si obliti ſumus nomen Dei noſtri, & ſi expandimus noſtras ad Deum alienum, non Deus requiret iſta*, cujus legitimam cauſam aſſeruit ſtatim ſubdi ibidem illis, *ipſe enim novit abſcondita cordis.* Idem de falſo teſtimonio, idem de mendacio, de concupiſcentia tam rerum quam corporum prætendi poſſe, nemo non videt.

Itaque ſtandum eſt ſanctæ & ſimplici vetuſtati patrum noſtrorum, ex quibus adhuc ſemel cauſam Scoti promovebo. Nam illorum plures cenſuerunt quod ne quidem pro vita defendenda ab invaſore liceret cuipiam privato ullum interficere: Ita ex S S. *Cyprianus, Cyrill. Auguſtin.* Ex aliis *Lactant. Firmian. Auguſt. de Ancona. Ioan. Gerſon.* Iterum ex Sanctis *Ambroſ. Baſil. Bernard.* Iterum ex aliis *Primas. Iſaac. Lingon. Ivon. Carnotenſ.* &c. Jam hi ſancti: hi authores qui non permittunt pro vita defendēda occidere quempiam etiam injuſtum invaſorem, permiſiſſent pro alapa, pro pecunia, pro illo idolo honoris quod hodie à multis tanquam numen inanè adoratur.

At enim Adverſarii (ſi Deo placet,) hoc tam validum telum audent non ſolùm à ſe avertere, ſed in nos torquere, quod ut egunt, &c. reſervo inferius adferendum Apol. octava ubi de calumnia & fama ſuo loco agemus.

12. Interim addam duo quæ videntur à me expectari, pro Scoto plene defendendo: Unum eſt, an Principibus Chriſtianis liceat mortem infligere in caſibus lege divina diſpoſitis, puta maleficio, adulterio, parentum contumelia, &c. ſupra num. . . . & alibi in Pentateucho, Scotus enim videtur reſponſurus affirmativè, quia dicit non licere niſi in caſibus illis, adeoque cenſet licere in illis. Sed reſpondeo id mihi non eſſe nimis certum: Conjectura allata reddit illud probabile, quia reddit utcunque Scotiſticum ac Subtile. Ex altera tamen parte, quia videtur Deus exceptiones illas feciſſe Judæis, quùm fuerint præcepta judicialia, non auſim eas certò promittere nobis. Puto tamen nullibi tutius poſſe eos infligere mortem quàm in earum quibuſdam. Et circa jam allegata moneo primum dignius eſſe morte quàm ſecundum, ſed à multis perperam intelligi, reputant enim maleficos eſſe idem quod malefactores; quùm plurimum diſtent; malefactores enim ſunt paſſim peccatores quicunque, malefici autem non, ſed illi qui maleficiis ſeu pactis cum dæmone, veneficiis, incantationibus, &c. utuntur. Jam verò ipſum punctum deciſum ſuadeo, quia adulter non appropriat ſibi, nec eripit domino ablatum puta uxorem, ſed tantummodo uſum, aliquando breviſſimum ejus, unde ex una parte adulterium eſt injuria minus gravis quàm furtum, quia hoc ipſam ſubſtantiam rei eripit domino, illud non item.

Denique ex me moneo iudices cuiuſcunque fori, ut quidquid ſit de aliis peccatoribus, hæreticos ſaltem ægrè & lentè afficiant mortis ſupplicio, non quia eam non merentur præ aliis, ſed quia per cædem in hæreſi obiiciuntur periculo, aut etiam certitudini æternæ damnationis. Nec eſt ſimile de aliis malefactoribus quando ſunt obſtinati, quia horum obſtinatio, (adeoque periculum) ab ipſis provenit, poſſent enim ſe convertere, atque ita ſalvare ſi vellent; hæretici autem quia laborant errore intellectus qui non ſubeſt voluntati ſed præit, videntur tum quodāmodo neceſſitari ad pereundum, quùm tamen ſi permitterentur vivere, fortaſſis cum tempore ſe dederent, & adquieſcerent veritati, ut multis contingit. Abſit tamen ut in hoc, (vel alio ullo) meum ſenſum praxi Eccleſiæ præponam.

13. Alterum ex duobus eſt iſtud de pœna adulterii quæ quidem apud Judæos veteres fuit mors, ſed à Scoto dicitur per Chriſtum revocata, ab aliis negatur. Revera autem textus non eſt evidens pro Scoto, bene tamen ſufficiens, & adhuc ratio ſuffragatur. Primum ſuadeo producto Chriſti facto quod legitur Joan. 8. quo *Scribæ & Phariſæi adducunt ei mulierem in adulterio deprehenſam*, &c. in quibus non eſt particula revocativa legis, apparet tamen mens loquentis, quæ eſt quod ipſius iudicio adultera non mereatur mortem, ait enim: *Ego te non condemno*, vel *non condemnabo*: quid clarius? notetur enim antitheſis duorum legislatorum, ſcribæ dixerunt Moyſen præcepiſſe ut lapidarentur, (quùm tamen nihil tale legatur in Moyſe, neque Levit. 20. neque Deut. 22. ubi rem decidit:) Chriſtus renuit eam mortis damnare, ſuper qua reſponſione inquiro num ſpeculativa fuerit an practica? ſive, an Dominus reſponderit ſecundum circumſtantias tum præſentes, an ſecundùm futuras & ab ipſo ſtatuendas in ſua Eccleſia. Si loquutus eſt ſpeculativè ſecundùm circumſtantias tunc præſentes, timendum eſt ne erraverit, revera enim ſecundùm legē tunc vigentem, adultera mortem merebatur, quia ergo certum eſt quod non erraverit, omninò iudicandum eſt quòd loquutus ſit ſecundùm leges Eccleſiæ ab eo inſtituendæ, adeoque revocavit & noluit ad Eccleſiam tranſire ſupplicium mortis adulteris infligendum, nec id ineptè, quod iam ſupra aliquoties inſinuavi, ſed contra

Obiiciunt Adverſ. Chriſtum non veniſſe ut iudicem in primo adventu, nec voluiſſe lites decidere, ut patet ex ipſomet Lucæ 12. & Joan. 5. Reſpondeo, ſi ita ſit, penitus ut ibi verba ſonant, quomodo hodie non licet viris dimittere pro libitu uxores præbito eis libello repudii? Concil. Trident. docet: Dominum irritaſſe polygamiam, & reduxiſſe matrimonium ad priſtinam ſimplicitatem ac æqualitatem partium, ut ſit unius cum una: dicant autem mihi Adverſ. ubi Evangeliorum habeantur verba magnis expreſsè derogantia polygamiæ quam ſint illa quæ adulterio pœnam revocārunt? Seſſ. 24.

* * *

ACTIO II.

Digitized by Google

ACTIO II.

Vtrùm aliquo caſu liceat innocentem occidere, nec ne?

Breviarium.

N. 1. *Non licere pro Reip. ſalute innocentem tradere tyranno.*

2. *An contra hoc procedat factum Samaritanorum, 4. Reg. 10?*

3. *Rationes Adverſar. diſſolvuntur. Vbi, an innocens poßit cogi à Republica ut tradat ſe tyranno?*

4. *Poteſt innocens qui alium invadit repelli, etiam illata morte ab invaſo: Vbi, an innocens invaſus teneatur parcere peccatori invadenti?*

5. *Alii caſus de hoc deciduntur.*

1. HActenus de legibus in ſontes ferendis ad mortem, nunc de innocentis morte agamus, quam licet Scotus ex profeſſo non tractaverit, apparet tamen quid foret dicturus ſi quæreretur: qui enim negat poſſe nocentes à Rep. morte mulctari, quid de innocentibus non negaret? Sunt tamen aliqui ſic theologiſantes, ut dicant non quidem licere Reip. occidere innocentem pro ſua ſalute, etiamſi toti ab illius cæde dependeat minitante tyranno exitium niſi occidatur, poſſe tamen tradere talem tyranno.

Ego autem id nego, (nam & Scotus erat negaturus,) & probabo negandum, quùm diſſolvero ratiunculas quæ oppoſitum ſuadentsſunt autem iſtæ: Tradere non eſt occidere, ergo licet occiſio non liceat, poterit traditio licere, ſive non eſt vetita præcepto prohibente occiſionem. Antecedens inde probatur, quia poteſt tyrannus parcere tradito, & præterea ipſe innocens poteſt ſe tradere, nec tamen poteſt occidere, ergo. Ita illi, qui ſi bene ratiocinentur, poterunt innocentem beſtiis objicere, nam & illæ parcere poſſunt. Quòd autem innocens poſſit ſe tradere, ſtat quidem in principiis meis ponentis quêlibet habere dominium ſuæ vitæ; at in eorum qui hoc negant, neſcio quomodo cohæret. Reſp. non habet titulum juſtitiæ niſi legalis in innocentem, atque ita nec ſtrictum jus; ipſe etiam homo non habet, unde quid ſequitur, niſi quòd ſolus Deus poſſit innocentem tradere occiſori? Ex quo ſolves

Secundum hoc: Poteſt magiſtratus cogere civem ut ſervet legem charitatis, ſed tenetur ex charitate ipſe civis ſe offerre morti pro Rep. ergo poteſt à Rep ad hoc cogi. Reſpondeo enim minorem eſſe ei probandam, quod non facilè efficiet, quæ enim charitas obligat me dare quod non eſt meum? non teneor facere eleemoſynam ex bonis alterius. Deinde major vix eſt majoris veritatis, non enim Reſp. habet cogere niſi ad opera debita ex juſtitia, alioquin poſſet vindicare ingratos & immiſericordes, &c. quibus videmus quòd non ſe miſcet. Nec refert quòd cogat divites ad vendenda frumenta in magna caritate annonæ, &c. quia hæc tunc debentur pauperibus, quod ita verum eſt, ut creſcente annonæ caritate debeantur ipſis etiam ſine precio.

2. Quod autem adferunt ex facto Samaritanorum, qui filios Achab metu Jehu occiderunt, mirum eſt quòd non advertant contra ipſos eſſe, nam quùm palam defendant non licere ob metum tyranni occidere, quærunt an liceat vel tradere, tamen conantur excuſare Samaritanos qui perpetrârũt rem eorũ opinione inexcuſabilẽ.

Dices: ſcriptura laudat Jehu qui fuit ſuaſor cædis, ſed ſi Samaritani fuerint reprehenſibiles in cæde, certè ille non fuit laudabilis in ea ſuadenda, ergo licet aliquando non ſolùm tradere, ſed & occidere innocentem. Reſpondeo in facto Jehu duo fuerunt, & materia ſeu ſubſtantia operis, & modus, illa laudabilis fuit quùm eſſet divinitùs imperata, hic non item. Simile fuit in obſtetricibus Ægyptiorum quas Deus remuneravit ob ſervatos infantes Hebræorum, licèt id fecerint mendacio.

3. Objiciunt adhuc: Innocens poteſt renunciare innocentiæ ſuæ, tùm autem non habet quod eum excipiat. Item, ſi renuat accedere tyrannum quùm tenetur, iam fit nocens, ergo iam poterit à Rep. in pœnam delicti ei tradi. Reſpondeo, mirum eſt quid velit Malderus, & quomodo fiat renunciatio innocentiæ. Vera renunciatio eſt iuris quod quis habet ad vitã, qui etiamſi deponat innocentiam, ſed non poterit occidi niſi nocens; Illi autem dicunt hominem non eſſe dominum huius iuris; quomodo ergo ei renunciabit. Secundum illud procedit ex improprietate terminorum, fit quidem nocens ille, ſed non ad mortem; non enim magiſtratus poteſt vindicare omnia peccata, ſed ſolùm ſuis legibus contraria ſeu vetita, & quæ aliàs ſunt contra iuſtitiam.

Probo iam ego oppoſitum: ipſemet innocens fecit ſe membrum huius Reipublicæ, ergo omne ius quod in illum habet Reſp. ab illa accepit, ſed non accepit ius in vitam eius, quia nec ille dare potuit, quùm nec ipſe id haberet, ſecundùm adverſarios, ergo. Dices; fortaſſis natus eſt membrum huius. Reſpondeo, ſi etiam non ſit natus ſed factus membrum eius, tamen difficultas æquè curret, adeoque. Deinde tametſi fuerit natus, tamen potuit domicilium ſuum aliò transferre. Adhuc iterum: Ipſe innocens habet ius ſe defendendi contra tyrannum, ergo & contra quoſcunque etiam alios innocentes qui ad hoc cooperantur ut ipſum ſuperet tyrannus & occidat, ergo etiam contra Remp. ſe tradentem ius habet defenſionis, quamvis ex charitate teneatur eo non uti, atque ita Reſp. non habet ius ipſum tradendi, quia nemo utens ſuo iure facit alteri iniuriam, & non datur bellum utrinque iuſtum.

At enim illi ita diſcurrunt in oppoſitum dicunt innocentem tunc debere adire tyrannum & conſequenter poſſe ad hoc cogi à Rep. quod ſi noluerit, poſſe ab ipſa tradi, quod ipſis ſufficit. Sed hoc ultimum vix credas, nec ſcio an ipſi authores cenſeant; ſi enim tunc licet tradere tyranno occiſuro, cur non liceat occidere? Deinde tradant, aut occidant, non tradunt

inno

innocentem, jam enim recuſando itum ad tyrannum factus eſt nocens, & ſecundùm ipſos meruit mortem; at verò nunquam dubitatum fuit an reus mortis poſſit etiam carnifici tradi, nedum tyranno. Denique arguo à priori contra totum iſtum proceſſum ſic: Minus jus non poteſt præjudicare majori, nec privare habentem ipſo; atqui jus quod Reſpublica habet in hunc hominem, eſt laxum ac legale, jus ipſius in ſuam vitam eſt ſtrictum, ergo.

4. Itaque hærendum potiùs eſt in alio caſu de cæde innocentis, quando ille injuſtè invadit alium, ſed ex ignorantia, (puta quia invaſor ebrius eſt, vel quia putat invaſum eſſe proſcriptum,) aut quando quis non poteſt vitam ſuam ſervare ſine illius morte, &c. Dico autem ad hæc reſolutivè, quocunque horum modo invadat, poſſe repelli, &, ſi opus ſit, occidi. In promptu cauſa eſt, quia neque ignorantia, neque ebrietas illius abſtulit alteri jus tuendæ ſuæ vitæ: & certè indignum dictu eſt, quòd invaſus ceſſaret à repellenda vi, donec exploraret à quo, & quomodo invaderetur?

Addo tamen in caſu ebrietatis, (quæ eum non reliquit ſimpliciter innocentem, licèt reliquerit in propoſito talem, ſive in materia juſtitiæ,) ſi invaſus ſit ſecuræ conſcientiæ, & moraliter certus de ſua gratia, teneri eum ad parcendum, ut potius occidatur quàm occidat, ſed ex charitate, non ex juſtitia. Cauſa, quia invaſor hic incurrit animæ damnum, imo & damnationem, invaſus non niſi corporis ſeu vitæ corporalis; at verò tritum eſt nos teneri ad præferendam animam proximi noſtri, corpori noſtro ſeu vitæ corporali, ergo.

Sed & hic hærendum eſt, primò quia non omnis ebrietas eſt peccatum; quidam uno calice, quidam nullo inebriantur, ſed ſolis odoribus; ſecundò, & magis, quia neſcitur an mors invaſi profutura ſit alteri ad ſalutem, quia fortaſſis ille non eſt emendaturus ſe; at verò licèt abſolutè teneamur ſpiritualia alterius corporalibus noſtris præferre, non tamen eſt certum quòd teneamur ſpiritualia dubia alterius præferre corporalibus noſtris certis, quia minus bonum certum, æquale eſt majori incerto, maximè quando diſcrimen perſonarum tam notabile occurrit.

Sed non eſt cedendum iſtis, quia ſi in hac materia ſequamur eum ductum, eò denique veniemus ut cenſeamus non debere nos præferre ſalutem ſpiritualem ullius noſtræ corporali, niſi illius quem ſcimus eſſe prædeſtinatum: quo poſito nunquam occurret caſus illius Theologiæ, quam docet S. Joannes: *Debemus pro fratribus animas ponere.* Imo, (ſi quis notet,) etiamſi ſciremus hunc eſſe prædeſtinatum, tunc omnium minimè deberemus pro eo animam ponere, quia nimirum ſive ponamus, ſive non, ille ſalvabitur, quùm impoſſibile ſit prædeſtinatum perire, ego autem non teneor vitam perdere, ne alius id perdat, quod ſcio illum aliàs non amiſſurum, quamvis ego negligam juvare eum.

Itaque in praxi ſtandum eſt communi ſenſui, qui ſuaderi poteſt illâ ipsâ ratione ſic: quia certa damnatio hujus eſt majus malum quàm mors corporalis mea: Et deinde certò prodeſt ei mea mors, quoniam erui eum ex periculo, imo ab incurſu damnationis: denique, ut ſupra, certum eſt dari caſum in quo ad hæc teneamur; non daretur autem ſi valeret illa ratio. Prima tamen ratio ſupra ſequenda eſt, quia propter talem ebrietatem nemo eſt in periculo damnationis.

5. Quid ſi non poſſis mortem evadere niſi proterendo infantem non baptizatum? Reſpondent omnes tunc ſubeundam potius mortem quàm captandam evaſionem, propter illam decantatam rationem de anima præferenda. Ego tamen illa non vincor, licèt fortè opprimar multitudine ſentientium oppoſitum: Moveor, quia parvulus ille non incurrit tum illud animæ damnum, non damnatur, nec proinde ſentiet pœnam in futura vita, quùm tamen adultus ille maximam ſentiat in morte. Dices, etiam parvulus moritur & quidem violenter. Reſpondeo, ita eſt; ſed ego non teneor ad vitandam eius mortem mori: Summa rationis eſt, quòd parvulus per mortem tunc perdet tantùm beatitudinem ſupernaturalem, non verò incurrit tormenta, imo habet etiam beatitudinem aliquam etſi naturalem. Confirmo, quia non teneor mortem pati ne alius perdat ſex gradus gloriæ dummodo habeat quatuor, iſte autem parvulus non perdit ſex, ne quidem duos ſed unum, quia gloria parvulorum eſt minima.

Quid ſi invaſor interponat innocentem, ita ut ictus tuus ad ipſum pervenire non poſſit niſi per corpus innocentis? Reſpondent etiam plerumque adhuc poſſe invaſum ſe defendere, licèt debeat innocentem occidere, quia nimirum per illam interpoſitionem ipſe non amiſit ius ſuæ vitæ conſervandæ; Ita plures, non advertentes quam illis non ſufficiat probatio quæ in ipſos redit, quia nimirum innocens ſimiliter non amiſit ius vitæ ſuæ per illam interpoſitionem, adeoque occidens eum facit illi iniuriam: vel ſic: Invaſus per illam interpoſitionem non adquiſivit ius in vitam innocentis, ergo facit iniuriam quando conatur eam illi auferre. Itaque attendendum fuit aliquid ad fulciendam tam liberam aſſertionem, quod ſic præſto: Quilibet habet ius in ſe invadentem, ſed interpoſitus ille invadit alterum, ergo alter habet ius in vitam eius. Maior eſt indubitata: Minor ergo ſuadetur, quia ſine ipſius culpa, & non provocatus ab eo eſt illi cauſa mortis: Nec refert quod id inculpabiliter facit, (alioquin tolleretur caſus & non eſſet innocens,) quia ego habeo ius defendendi me ab inculpabiliter invadente, puta ab ignorante inſano, &c. quæ ex ſequentibus patebunt.

* * *

ACTIO III.

ACTIO III.

Vtrum abſolutè cuilibet liceat invadentem ſe occidere?

Breviarium.

N. 1. *Ratio dubitandi orta ex dictis Act. praced. num.4.*
2. *Reſpondetur titulo affirmativè, & probatur reſponſio.*
3. *Formantur quatuor rationes propria pro hoc.*
4. *Obiicitur nihilominus contra, & reſpondetur. Chriſtus an ſuſtulerit pœnam talionis, & eadem invaſoris. Expenſus Matt. c. 25. & Prov. 25.*
5. *Actum de Chriſto Domino & Martyribus, qui non reſtiterunt tyrannis occidentibus.*

1. Res videtur ex terminis clara, & à naturâ ipsâ definita in partem affirmativam, tamen non caret ratione dubitandi, ſaltem apud Chriſtianos, quam (ne lectorem ſuſpendam) ponam hic à principio, eſt enim iſta jam cœpta; Quia ſcilicet invaſor, quum ſit injurius, eſt in malo ſtatu animæ, & conſequenter ad æterna ſupplicia damnandus ſi in eo ſtatu moriatur; at vero quiſque tenetur pati mortem corporalem ne alter æternam mortem animæ patiatur: hæc enim eſt illa Theologia S. Joannis: *debemus pro fratribus animas ponere*; certè non pro eorum ſalute corporali, adeoque pro ſpirituali, adeoque invaſus tenetur mori tunc, & permittere ſe occidi. *1. Ioan. 3.*

Adhuc etiam res eſt perplexa; nam ſi ſuccumbat rationi poſitæ, & permittat ſe occidi, videtur violare alterum non minus urgens præceptum *Non occides*; talis enim non defendendo ſeipſum, occidit: Vides ancipitem, & adhuc ſub judice litem. *Exod. 20.*

2. Pendendum tamen eſt in partem affirmativam, quæ adeò clara videtur ut non ſit probanda; ſi quid enim à natura didicimus, eſt iſtud, neque nos ſoli ſed & alia quæque etiam, imò inanimata ipſa & metalla: nihil enim horum eſt quod non conatur ſe defendere ab invadente. Sal Agrigentinum igni injectum reſilit; Laurus horrende ſtrepit: oleum infuſos liquores aſcendit, Ligna ſecta cultros ſecantes obtundunt.

Lib. 2. Hinc etiam natura cuilibet animanti arma dedit, bobus cornua, equis ungulas, avi roſtrum, ſerpenti venenum, &c quibus omnia alias mitia utuntur; nam ut notavit *Propertius*, & cuivis experientia conſtat:

Non ſolum taurus ferit uncis cornibus hoſtem
Verum & inſtanti læſa repugnat ovis.

Secundò probant aliqui ex ſacris litteris, quia nimirum juſſu Dei, cuius erat lex ſcripta Judæorum, licebat occidere furem nocturnum, ut patet Exod. 21. quem locum D. Auguſtinus ita interpretatur, quia præſumitur quod venerit ad occidendum, atque ita faserit volentem occidere occidi. Ita pleriquę, ſed neſcio an ex fide; nam in lege non ita legitur; quod ut pateat, proferam tenorem loci: *Si effringens fur domum ſive ſuffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percuſſor non erit reus ſanguinis: quod ſi orto ſole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipſe morietur*, &c. Ubi vides pœnam mortis imponi non ei qui occidit de die furantem, ſed qui præterea ſuffodientem & infringentem: ſed denique quocunque modo exprimatur, ſignificatur invaſio & vis, adeoque probatio ſubſiſtit. Idipſum aliæ leges decernunt ſimiliter civiles ut infra. Adhuc in ſacris ſiſtendo pro hoc eodem facit locus ejuſdem 17. quando *venit Amalec, & pugnavit contra Iſrael in Raphidim: dixitque Moyſes ad Ioſue: elige viros, & egreſſus pugna contra Amalec*: Si enim occiſio invaſoris fuiſſet illicita ſicut occiſio innocentis, nequaquam præcepiſſet eam Moyſes plenus ſpiritu Dei, & multo minus factam approbaſſet Deus miraculo, quod ibidem refertur. *Quaſt. 82. in Exod.*

Sed relinquendo legem Judaicam, probata eſt res per Gentiles, tam civiles & municipales quam Canonicas: Lex duodecim Tabularum quam M. Cicer. omnibus præfert decernit quod fur nocturnus armis ſe defendens occidi poſſit, eo quod amplius ſit quam fur: quomodo autem amplius niſi quia vitæ invaſor. Idipſum aliæ leges decernunt ſimiliter Civiles & Cæſareæ, ut apparet in *L. ut vim*: ff. de *Iuſt. & Iur.* & L. 1. §. *vim vi* ff. ad *leg. Aquil.* & C. *unde vi*, & ff. de *vi armata*:

Armaque in armatos ſumere jura ſinunt.

Et ne reſponderi poſſit Leges Civiles id permittere tanquam quod impune, non quod licitè fieri poſſit, produco Canonicas & Pontificias quarum eſt conſcientiis providere. *Alex. Pap.* III. Cap. *Si vero*, 1. de *Sent. excommunic.* item *Innoc.* ſimiliter *III.* cap. *Significaſti* conſtanter & concorditer docent quod *vim vi repellere LL. omnes & omnia II. permittunt.* Poſſem aggerare plures, niſi pigeret operam perdere, quum ſit *teſtimonium perhibere de lumine*, & opinione aliqua aut fide humanâ perſuadere rem naturâ ſuâ, & omnium judicio clariſſimam. Propter quod etiam ſuperſedendum foret ratione, quùm nulla adferri poſſit hac ipsâ veritate manifeſtior: quæ enim propoſitio clarior iſtâ. *Licet cuilibet ſua defendere?* vel iſtâ. *Licitum eſt vim vi repellere?* aut, *ferientem reverberare?* &c. nam in his & ſimilibus fundantur alia rationis & juris axiomata, ut: *Lex talionis*; item *fallere fallentem*: ſive ut *frangenti fidem fides frangatur eidem.*

3. Ne tamen nihil dicamus, arguo ſic: Quiſque habet jus ſua retinendi, ergò & defendendi, eſt enim idem utrumque, quia non poteſt quis ſemper retinere niſi aliquando defendendo, eo quod ſæpè impetatur. Antecedens huius eſt intelligenti evidens, quia habet poteſtatem alienandi quanto magis retinendi. Conſequentia probata eſt identitate illâ utriuſque quam hic de novo aſſero hac ratione: In naturalibus idem utrumque eſt: ergò & in moralibus à naturâ diſpoſitis. Antecedens oſtendo unâ ſemel inſtantia; nam gravitas

Digitized by Google

tas v.g quæ eſt principium retinendi *ubi* deorſum & adquirendi illud, eſt principium defendendi ſuo modo idipſum, ſive reſiſtendi ei qui conatur locum auferre, vel mutare corpori gravi, & ſic de aliis, ergò.

Secunda ſit iſta, quia lex exigit ab invaſore pœnam mortis, & ipſe invaſus poteſt exigere ſi ſupervivat, ergò licet ei eam inferre invadenti. Antecedens conſtat ipſa divinâ lege quando decernit pœnam talionis homicidæ &c. ut Exod. 21. *Si percuſſerit quis mulierem pregnantem, & mors eius ſubſequuta fuerit, reddet animam pro anima oculum pro oculo dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, aduſtionem pro aduſtione, livorem pro livore*: Conſequentiam probo, quia reſiſtens non aliud facit, ſed idem magis tempeſtivè, quando prodeſſe poteſt, nam quando lex id facit, vix prodeſt, quia oculum quem eruit invadenti non infert invaſo; & iam duo membra Reip. læſa & ablata ſunt, id eſt duo homines, quùm permittendo defenſionem ablatum fuiſſet duntaxat unum, ſcilicet invadens.

Tertiò ſic arguo: utique enim licet inferenti bellum occurrere alio exercitu, & non unum tantum militem ſed omnes ad internecionem delere; hoc autem quid eſt niſi reſiſtere invadenti, & vim vi repellere, ergo id licitum eſt etiam per cædem non unius tantum, quod hic quæritur, ſed omnium. Antecedens nemo negare poteſt niſi male ſanus quiſpiam, Luthero ſimilis, qui palam ſcripſit non eſſe Chriſtianis licitum Turcis invadentibus reſiſtere: ſed quum videret ſe eam inſaniam Germanis perſuadere non poſſe, retractavit.

Quartò, quia adverſarii fruſtra Charibdim hanc fugiunt non occidendi permittentes ſe invadentibus, nam idem naufragium in ſua Scyllâ inveniunt, imò non idem, ſed maius, utique enim peior eſt ſui cædes quam alterius; & tamen nolens reſiſtere invaſori eſt cauſa ſuæ cædis, niſi rectiùs dicam, ſui, ergò. Denique, ut toties jam innui, reluctantur naturæ, ipſa enim indidit hunc genium rebus etiam ignobilibus ut ſe tueantur, ut impetentes impetant, ne quid impunè tentetur in earum perniciem; Hinc emanavit axioma illud phyſicum: Agens in agendo repatitur; quod veriſſimum eſſe aſſiduâ experientiâ docemur: ſic enim glacies manu apprehenſa, illam à quâ liqueſcit, calefacit; ſic tabula ſecta aciem ferri à quo dividitur obtundit; & alia ſexcenta pueris uſque & fœminis nota; & quùm veriſſima ſint incredibilem reddunt Ethicam Adverſariorum quod non liceat homini invadentem reinvadere, & referre ei damnum quod ipſi molitus eſt inferre.

4. Contra hæc tamen in primis eſt ratio ſupra poſita, deinde doctrina & exemplum Chriſti, ac præterea Patrum authoritates, Dominus enim hanc talionem videtur ab Eccleſiâ ſuſtuliſſe ſicut alias imperfectiones legis, ibi. *Qui percuſſerit te in una maxilla, prabe ei & alteram: & qui angariaverit te mille paſſus, vade cum eo alia duo*, intellige duo millia paſſuum: & apertiſſimè Paulus: *Non vos defen-*
5. *dentes*. Reſpondeo, non poſſum nec volo diffiteri
2. quin Evangelium aliquando, & Patres ſæpiſſimè faveant oppoſito, ſaltem in ſpeciem quod de Evangelio volo intellectum, nam Patres re ipsâ id ſenſerunt; ſaltem ſignificant. *Auguſt. Anſel.* & alii quos ſupra produxi. Iſtis nolo vim inferre ullis commentariis (quod pleriſque uſitatum,) neque volo inferri Chriſto D. unde in primis dico locũ non prævalere quia eſt conſilium non præceptũ; imò eſt in oppoſitum, nam quùm ſit conſilium, ſignificat oppoſitũ fieri poſſe, ſemper enim conſilium eſt de meliori bono, adeoque ſupponit bonitatem in altero; & denique alias eſſet præceptum. Prærerea poſſum retundere totum in authores provocando veluti à ſenſu litterali ad moralẽ, ut neceſſe eſt illos facere in aliis ſententiis Domini v.g. illa. *Qui non renunciat omnibus quæ poßidet non* Luc.14.
poteſt meus eſſe diſcipulus. Reſpondeo ergò ultimatè iſta ad litteram ſalubriter dici, & ſalubrius obſervari, continent enim ſuavitatem Evangelii, quæ profectò plurimos ædificat & ad ipſum trahit. Nihil autem minus agendum eſt quam ut ab his externis obſequiis conſequentia trahatur ad vitam quia arbitraria perfectio non poteſt derogare obligationi, nec Evangelium juri naturali. Ad Paulum dico ipſum optimum ſui interpretem declarare quod ſermo ei ſit de vindicta, non autem de propriè dictâ defenſione; allegat enim in probationem locum Deut. 25. qui expreſsè procedit de vindictâ: Ecce totum: *Si fieri poteſt quod ex vobis eſt cum omnibus hominibus pacem habentes*, (quomodo autem pacem cum eo habebit qui jam eſt mortuus?) *non voſmetipſos defendentes, ſed date locum iræ; ſcriptum eſt enim. mihi vindicta*: quod etiam ipſo textu Apoſtoli ſignificatur, nam ἐκδικοῦντες, propriè eſt *vindicantes*; unde & Tertullianus legit: *non voſmetipſos ulciſcentes*: Sic etiam Syrus & alii vertunt: ſic etiam noſter interpres alibi, ut libro Judith cap. 1. v. 12. viciſſim pro vindicta poſuit defenſionem. *Ad hos omnes miſit nuncios Nabuchodonoſor rex Aſſyriorum, qui omnes uno animo contradixerunt*, ſequitur: *Tunc indignatus Nabuchod. juravit quod defenderet ſe* (apparet ex textu omninò, *quod ulciſceretur.*) *ſe de omnibus regionibus his*; nam defenſioni non erat locus, quùm nationes illæ non invaſiſſent eum: unde denique non ſolum an græca ἐκδικῶ, ſed etiam Latinæ *defende*, aliquid æquivoci habet, & apud authores ſignificabat etiam vindictam: Nam: Marcel. Nonius *Serva* (inquit) *cives defende hoſtes*: quod ineptè conſule- Apud Ennium.
retur niſi defendere idem eſſet ac ulciſci, tum enim nulla eſſet antitheſis, & ſuaderet hoſtem ſervare.

Mihi tamen, ut fatear quod ſentio, ſupereſt adhuc ſcrupulus de hac Theologiâ Apoſtoli, quæ eſt etiam Salomonis, ſi enim illi prohibent vindictam, & ſuadent beneficentiam erga inimicum ibi, illis: *ſed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitiverit potum da ei*: quomodo ſubtexunt in cauſam Prov.25
horum: *hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput eius*? nonne videntur prohibendo vindictam ſuadere? ſed hoc vergit ad interpretes.

Nobis ſolvenda eſt ratio ſupra poſita de præferendo bono ſpirituali proximi noſtro temporali: ad quod dico id veriſſimè dictum, quamdiu proximus eget neglectu noſtri boni temporalis, nec aliter poteſt ſuum ſpirituale ſervare. Sic teneor adultum moribundum (ſi optet) baptizare (quidquid de infante ſit, de quo ſupra decidi) tametſi debeam proinde mori, quia ille eget meâ operâ, quùm nec ſe ipſum baptizare poſſit, nec ſine baptiſmo ſalvari. At verò quando adultus poteſt ſe ipſum juvare, ſi id nolit, non teneor inferre ei vim benefaciendo, cum tanta mea jactura: Caſus eſt noſter, adeoque; iſte enim invaſor libero arbitrio injicit ſibi neceſſitatem illam pereundi & ſemper poteſt eam retractare

5. In

5. In fine movebo adhuc aliam rationem in me: ſi enim verum eſt quod dixi quemque teneri ad defenſionem ſuæ vitæ, illo: *Non occides*: ſequitur Chriſtum D. & multos Martyres perperam egiſſe quod permiſerint ſe occidi quum potuerint ſupervivere fugiendo, defendendo, &c. Reſpondeo hoc confirmat quod ego ſupra ſtatui de dominio hominis in ſuam vitam; unde nec reſpondere teneor benè tamen adverſarii: Reſpondeo nihilominus de Chriſto D. ipſum hic extra controverſiam eſſe quùm habuerit non ſolum conſenſum Patris, ſed præceptum ſubeundi mortem: Martyres, etſi vellent, non poſſent facilè evadere mortem, quod huic loco eſt ſatis.

Exod. 20.

ACTIO IV.

Aſſignantur & deciduntur alii caſus occidendi invaſoris.

Breviarium.

N. 1. *Multa, magnaque licentia quorundam in permittenda cæde hominis.*

2. *Nominatim non licere furem occidi probatur pluries.*

3. *Nec tentantem violare fœmina cuiusvis caſtitatem.*

4. *Non eſſe licitum occidere alterius invaſorem.*

5. *Et omnium minimè licere homicidium propter impactā alapā, ob contumeliā, detractionē, &c.*

1. Hic etiam patebit quam immeritò multi deſeruerint Subtilem N. in hac materiâ; quùm enim ſemel ſtatuiſſent poſſe per hominem leges ferri de hominis morte, in plurima prolapſi ſunt, quæ denique vitam hominis ferè ad pecudum paritatem deduxerunt. Cenſent enim ob retentionem ſupellectilis, pecuniæ etiam non magnæ, famæ, pudicitiæ, ob alterius vitam quemlibet poſſe invaſorem occidere. Imò aliqui volunt præveniri poſſe invaſorem invadendo, ut ipſa defenſio ſit invaſio; accuſantem poſſe occidi; item eum qui impegit colaphum, & alios quos ſupra Act. 1. n. 10. ad nauſeam retuli, ſimiliter proinde acceptari poſſe duellum, atque alia id genus quæ ſi quis ſemel in praxim admiſerit, Remp. profectò multis cladibus turbabit.

2. Cenſeo ergo ſecurim ad radicem horum rectè poſitum iri, & ipſa excidenda, in primis non licere paſſim ob ſupellectilem vel pecuniæ ablationem furem ſtatim occidere. Sequitur ex Subtili; ſi enim ille negat licere magiſtratui furem morte mulctare, quanto minus diceret id privato licere; quod ipſum videri poſſet aliqua ratio huius, nam ad magiſtratum magis pertinet pœnam exceſſibus imponere, quod ergò illi non licet, nec privato: at enim non deeſt quod dicatur contra; nam magiſtratus quod facit eſt tantum in pœnam, quod autem facit privatus non tantum eſt in pœnam, ſed in cuſtodiam, unde meritò prætendi poteſt plus huic licere.

Sit ergò potior probatio huius ipſa Sapientia Dei, quæ quum caſum in leges ſuas retuliſſet, non dedit facultatem occidendi furis niſi nocturni; cuius ratio illa videtur eſſe quod fur diurnus videatur, tantum velle furari, nocturnus autem præſumi poſſit quod velit præterea etiam mactare, vel ſaltem timeri atque dubitari id poſſit: ita Exod. 21. citato. Poteſt tamen enervari argumentum dicendo quod ideo lex ita ſtatuerit, quia à fure nocturno nihil reperi poteſt in judicio quùm ipſe neſciatur, (ac proinde debet tum vi eripi ei,) à diurno autem poteſt quùm ſciatur quis fuerit, neque negari poteſt quin conjectura ſit rationabilis; tamen prior plus habet fundamenti, quia lex non ponit diſcrimen diei ac noctis duntaxat, ſed vis illatæ; ſtatuit enim ut ſi fuerit inventus infringens domum (quod eſt vim inferre) de nocte, poſſit liberè occidi, de die non item; ubi vides negotium conſiſtere in vi ſeu violentia à quâ provenit cædes, non verò in luce aut tenebris; & ita exponit S. Auguſtin. in Exod. citat.

Tertiò: quia non licet pro parvo damno magnum inferre, neque parvam rem tibi ſervare magnis impenſis alterius; ſtatim enim apparet injuria, quia prodit ſe inæqualitas in quâ injuſtitia conſiſtit, ſicut juſtitiâ in æqualitate: atqui incomparabiliter maius bonum eſt vita quam fortunæ, ergò non licet cum diſpendio alienæ vitæ fortunas ſuas tueri.

Ultima ſit Evangelium & SS. PP. certè enim qui vellet te auferenti parum multo plus dare, nullo modo permitteret te propter ablatam aliquid minus eidem plus auferre: in quo priuſquam pergam, moneo divites minus poſſe reſiſtere auferenti quam pauperes, & plus peccare occidendo.

Obiiciunt illi Canones: Quibus ego reſpondeo per alios, nec enim ab hac parte deſunt; quum enim Canones ex Patrum ſententiis plerumque ſint deſcripti, quomodo nulli eſſent qui hanc veritatem legitimarent? Et nihilominus notâ dignum eſt. Jus Civile plus favere vitæ hominis quam Eccleſiaſticum.

Obiiciunt etiam rationem: Quiſque habet jus ad vitam conſervandam non utcunque, ſed honeſtè pro ſuo ſtatu; at verò ad hoc neceſſaria ſunt bona fortunæ ergò. Reſpondeo: non poſſe eſſe legitimum quod huic fundamento innititur quæ eſt in ſuperbia vitæ. Nego ergo ſe habere jus ad tantas fortunas retinendas cum jacturâ vitæ pauperis; ſed potius pauper habet jus ad mediocrem ſuſtentationem cum jactura tuæ ſuperbiæ; nam lex naturæ permiſit diſtinctionem dominiorum, non tamen cum omni partium imparitate.

3. Similiter ſecundò dico non licere puellæ pro ſervandâ caſtitate opprimentem occidere. Sequi-

Sequitur ex dictis,& proinde probatur ad hominem illi enim omnia ſequentia ſuperſtruunt fundamento iſti de eo quod propter facultates liceat occidere,caſtitas autem ſit magis bonum.

Applico etiam ego alias rationes iſti veritati ; quia virginitas,de qua intelligitur controverſia,eſt tantum accidens & circumſtantia corporis humani : vita autem eſt ipſa ſubſtantia, unde opponere vitam unius virginitati alterius, eſt evidenter exigere inæqualitatem,atque ita injuriam. Dices, poteſt eſſe tanta inæqualitas perſonarum hinc inde,ut parum unius æquivaleat plurimo alterius.Reſpondeo : nolo hos caſus includi in reſolutionib. huius loci. Et nihilominus ſiſtendo in principiis cæptis, diſtinguo aſſumptum ; inæqualitas accidentalis , qualis eſt illa fortunæ & honorum , concedo ; Subſtantialis, nego : Si autem eam concederem, comprehenderet me conſequens illatum; ſicne enim commoditas hominis præferenda eſt vitæ bruti; quia nimirum homo brutum eſſentialiter excedit, homo hominem non item.

Dices ſecundò : in oppreſſione puellæ eſt periculum conſenſus in peccatum,tunc enim difficulter ille cohibetur. Reſpondeo aliqua difficultas ſuperanda eſt ob vitam hominis: Certè autem huius temporis authores non fundant legitimationem cædis in materiâ ſpirituali : ſed in mundana illa honoris quam maximè. Addo tamen his,minus licere puero in hoc genere quam puellæ, quia ille minus perdit, quum adhuc ſit puer, id eſt purus & vere virgo. Fœmina autem non ita poſtquam ſemel oppreſſa eſt naturaliter, & tamen adoleſcens quiſpiam tribunum militarem volentem vim inferre pudicitiæ ſuæ occidere auſus eſt, & ab Imperatore abſolutus.

4. Dic etiam tertiò non licere cuilibet occidere invaſorem alterius.Eſt etiam dictum contra communem ſenſum aliorum; ſed ni fallor rationabiliter; quia privatus non habet jus in vitam alterius cuiuſque ex oppreſſione tertii , ergò non poteſt illam auferre habenti : Dices, ex charitate poſſet etiam teneri ad defendendum eam. Reſpondeo verum eſt , ſed ſine præjudicio tertii. Confirmo totum,quia charitas ſine dublo inclinat ad eleëmoſynam dandam indigenti, & nihilominus ego non poſſum proinde irrumpere in domum Petri,& inde accipere vi panem aut pecuniam quam dem Paulo indigenti.Itaque *charitas* nunquam inclinat ad violandam ullam virtutem ; *non agit perperam*,adeoque nec contra juſtitiam. 1.Cor.13.

Poſt hæc nihil minus expectandum eſt à me quam ut concedam propter alapam , propter verbum aſperum aut contumelioſum licere ulli privato occidere,in quibus & ſimilibus nimium ſe hodie laxant aliqui authores,ut ſupra viſum eſt: Dic ergo nihil horum licere,neque duellum offerendum aut acceptandū propter iſta,ita ut re ipſâ ineatur. Cauſa duplex : prima,quia non eſt æqualitas hinc inde,nam vita unius opponitur honori aut dignitati alterius.quæ non ſunt paria, ſed diſparata quaſi ſubſtantia & circumſtantia. Neque dicas perſonas etiam non eſſe pares, v g. nobilem & villicum ; quia hanc replicam jam fregi.& præterea non juvat adverſarior. doctrinam; poteſt enim fieri,(& ita ſæpius contingit) ut ſint pares, v.g. duo nobiles, nec tamen adverſarii revocant doctrinam ſuam in hoc caſu.

5. Secunda,quia omnia hæc illi deducunt ex paritate furti,vel potius ab exceſſu huius , quia ſcilicet honor eſt maius bonum quam opes,adeoque ſi licet invaſorem earum occidere, quanto magis &c. ? At vero totum hoc eſt illis reſorbendum,quia ipſimet docent non poſſe furem occidi,ſi alio modo(puta in judicio)poſſint res recuperari: Hic autem id contingit,nam contumelioſus quum non fugiat,ſed perſiſtat, poteſt in judicio conveniri; eo magis quod invaſus habet contra eum teſtes ; quod ſolum negotium abſolvit, nam ſi non habeat,tum alter nihil ferè honoris ei detraxit, quia nullius bonam opinionem de ipſo imminuit; non enim ipſiuſmet , qui ſibi non eſt conſcius maculæ ut ſuppono. Denique nulla contumelia eſt quæ non poſſit vindicari per ictus,per tunſionem , per vulnera, quæ omnia ſtant citra mortem, adeoque.

ACTIO V.

Vtrum liceat ulli aliquando ſe ipſum interimere?

Breviarium.

N. 1. *Nulla authoritate fieri poſſe ut quis ſeipſum occidat. Probatio S. Auguſt. inſufficiens.*

2. *Aliorum etiam probationes infirma : nec Deo, nec Reip. nec ipſi homini fieri interim injuriam.*

3. *Incipit probari aſſertum; eo quod ſit improbabile, quippe ex terminis notum.*

4. *Obiicitur mihi ad hominem & Reſpondetur: Homo an univerſaliter dominus ſua vita?*

5. *Alia objectio. Hiſtoria notabilis de quodam ſui homicida.*

6. *Tertia : etiam ſoluta : Expenſum an liceat ſubire opera pœnalia? puta jejunia, chameunias, vigilias, &c.*

7. *Omnium maximè vetitum eſt ne quis ſit ſui carnifex. Vbi alia notata.*

8. *Quid de mutilatione ſui, & hebetatione per pharmacum?*

1. Hic videas uſu venire rem notâ dignam , ut quod certiſſimè peſſimum eſt, incertè ſit malum. Nemo enim hodie eſt qui non fidenter aſſerat cædem ſui in quolibet eſſe execrandam; & tamen vix ullus eſt qui efficaciter idem eſſe illicitam probet, ut patet ex ſupra dictis; & hic amplius conſtabit repetitis & rejectis aliorum inventis, quorum fragilitas fortaſſis in cauſa fuit cur aliqui primæ notæ ſapientes ita non damnaverint factas huiuſmodi cædes ut auſi ſint etiam ſuadere faciendas. L. Sen. primò dubitavit, *an oporteat faſtidire ſenectutis extremum*. Tum verò proximus affirmationi, *quidni* (inquit) *oporteat educere & animum*

Epiſt.58. *mum laborantem?* & denique clarum calculum adjecit dicens; *ſi mihi non vitam reliquerit, ſed ani-* Rom. 1. *mam, proſiliam ex ædificio putrido ac ruente.* Quod Serm.118. idem ante ipſum pronunciavit Gorgias Leontinus, à quo Seneca videtur ſimilitudinem illam, lib.1. Civit.c.22. etiam ſententiam ſumpſiſſe, ut videre eſt apud Stobæum: ſed enim *obſcuratum eſt inſipiens cor eorũ,* & quod illis videtur fortitudo, revera eſt timiditas, taliſque fuit in Catone, quem illi adorarunt, ut benè Auguſtinus: Ad rem:

Ante omnia ſtatuendum eſt ſuicidium adeo eſſe illicitum, ut non facilè poſſit ullâ authoritate legitimari. Eſt vox omnium Catholicorum, qui tamen vix aut ne ſic quidem eam ratione adſtruunt. Paſſim cum Auguſtino probant ex illo Exodi: *non occides*, nam quùm vetetur ibi cædes hominis, & ipſe homicida ſit homo, quid ſequitur niſi quod S. infert, ſcilicet cædem ſui eſſe vetitam. Sed nego Auguſtino cædem hominis univerſim eo dicto vetari & affirmo vetari tantum alienam, id eſt alterius ab eo qui cædem perpetrat: quod etiam ſuadebo mutuando à me ipſo rationem ſupra allegatam: quia ſecunda tabula excurrit de virtute juſtitiæ ſicut prima de religione; at vero ad ſe ipſum non eſt juſtitia ut nec injuria: ergo hoc præcepto non prohibetur ulli cædes ſui ipſius.

2. Alii ergo aſſumunt Remp. in probationem, dicunt enim ei fieri injuriam; ſed hoc ſuprà exploſum non libet hic repetere. Alii Deum, quos etiam, niſi erro, evici. Reſumantur quæ ibi diſpoſui: &, ſi quis utatur ipſo occidente in probationem tanquam ei fiat injuria, repelletur, quia implicat in adjecto ullum eſſe ſibi injurium, ſicut etiam eſſe juſtum quanquam paulo minus. Eſt quidem in aliquo horum adhuc aliquid vigoris; nam videtur negari non poſſe quin lædatur reſpectu Reip. juſtitia aliqua, etſi non ſtricta aut commutativa, ſaltem legalis, quæ læſio aliquid facit ad pravitatem. At enim evidens eſt pravitatem hujus actus inde non provenire, alioquin Reſp. poſſet efficere ne quis occidendo ſe ipſum peccaret. Deinde non facilè eruetur hæc ipſa offenſa Reip. ille enim potuit crimine auferre ſe huic Reip. potuit mutare coloniam, & alteri civitati aut etiam regno ſe inferre, vel etiam nulli, cur ergo illam aliam ſeparationem non poſſit moliri: Itaque ut dixi, res certæ veritatis eſt incertæ rationis, quod ipſum

3. Mihi erit prima probatio, (adeo non hic inopem me copia fecit, ſed inopia copioſum) quia nimirum videtur ex terminis malum quod quùm tale ſit tamen per ſequelas probari non poteſt; unde exiſtimo hoc peccatum non eſſe injuſtitiæ, ſed plus quam injuſtitiæ, & ideo non prohiberi decalogo, quia eſt prius omni obligatione decalogi; decalogus enim eſt ſumma concluſionum quæ ex principiis lumine naturæ notis ſequuntur, hoc autem videtur eſſe ipſum princi-
2.d.q.2. n.4. pium. Confirmo & deduco totum diſcurſu Subtilis, etenim ille probat peccatum angeli primum fuiſſe immoderatum amorem ſui, quia omnia quæcunque quis vult ſupponunt hunc qui ex naturâ ſuâ eſt primus, primum enim amabile cuique eſt ipſe; primum autem & ſummum quod ſibi velle debet eſt eſſe, ſive entitatem ſuam quia hæc eſt fundamentum cæterorum, ergo à contrario quod primo & ſumme nolle debet eſt non eſſe, idque docente & ducente ipſa natura: unde denique ſummè eſt contra naturam velle ſuum non eſſe, atque ita hoc velle eſt indiſpenſabile, & conſequenter nemo poteſt oppoſitum conari, quod eſt ſibi mortem inferre niſi naturâ reclamante. Confirmo adhuc ex illo. *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*, ubi menſura & exemplar dilectionis proximi ponitur dilectio ſui: atqui exemplar & menſura excedit in rectitudine menſuratum, nam propter quod unumquodque tale, illud magis tale, ergo jam dilectio ſui excedit illam proximi, atque ita non eodem præcepto, ſed majori obſtricti ſumus nobis ipſis.

Et profecto ſilentium decalogi de hoc negotio id ipſum innuit, nihil enim ille doceat de ordine hominis ad ſe, ſed totum de diſpoſitione ejus ad alterum, non quaſi hoc neglectum vellet, ſed quia ſuppoſuit ſine præcepto obſervandum, ipſâ naturâ id cuique extorquente: ſic de affectu filiorum in parentes poſuit quartum mandatum, id eſt primum ſecundæ tabulæ, de affectu autem parentum in filios nullum, quia novit parentes naturaliter propendere in filiorum amorem.

4. Objici nihilominus poteſt mihi doctrina ſupraposita Apol. Act. ubi docui quemlibet eſſe dominum ſuæ vitæ, hinc enim ſequitur quẽlibet poſſe renunciare vitæ, quùm ei libitum. Reſpondeo tamen negando conſequentiam, quia natura ſic conceſſit homini dominium illud, ut negaverit ei uſum: hic autem eſt quem nos negamus in præſenti concluſione, ſicut alterum illud conceſſimus ſuperiori. Sic Lex Civilis, condit pupillis & minorennibus dominium bonorum, ſed negat illis uſum; unde non poſſunt alienare ea interim. Præterea etiam ſi dixiſſem poſſe hominem concedere alteri ut ſe interficiat, ſatisfactum eſſet in ſimul utrique concluſioni, quia & uſum interdictum & dominium uſitatum haberemus. Puto ergo quod natura potiſſimum vetuit, eſſe, ne homo eſſet ſui carnifex, ſive ne manibus ſuis periret; atque ita reputo hoc eſſe indiſpenſabile quâcunque authoritate, quia videtur eſſe primò vetitum è naturâ, ſicut primum volitum eſt ſuum eſſe. Primum amabile, quia maximè propinquum cuivis, eſt ipſe, primum autem amatum ſeu optatum ille eſt vita, quia eſt primùm & maximum bonum. Sicut ergo non poteſt dari lex quæ vetet homini amare ſeipſum, aut præcipiat odium, & ſi daretur non poſſet obſervari, quia in iſtis eſt ſtatus voluntatis quoad proſequutionem, ita, &c.

5. Objici ſecundò poteſt recenſus ſanè notabilis inter alia paradoxa apud modernum quẽdam ex citatis, eſt autem iſte. In monaſterio N. monachus quidam N. fragilitatis ſuæ conſcius quod in eadem errata relaberetur, aliquando à peccatis abſolutus & Euchariſtiâ refectus, apprehendit etiam S. Biblia, in quibus raptim apertis, forte occurrit illud Job. *Elegit ſuſpendium anima mea, & mortem oſſa mea:* Quamobrem abiens laqueo ſe ſuſpendit: monaſterii præfectus quùm factum vidiſſet, inito conſilio, depoſitum cadaver curavit undique tonderi ne raſura monaſtica appareret, & multis ictibus perfoſſum, in profluentem jaci. Factum, & enatavit cadaver ad aliquot paſſuum millia ad oppidum quoddam aut pagum, in quo à ruſticis conſpectum, elevatum & ſepultum eſt, non ſine fœnore, nam deinde agri eorum grandine liberati ſunt qua eo uſque magnâ fructuum jactura infeſtabantur: hoc autem con-

Digitized by Google

onclusioni noſtræ obſtare inde apertum eſt quoniam quum ille poſt mortem miracula patrarit, non potuit in peccato mori, mortuus eſt autem in ſuicidio, adeoque hoc non erit peccatum. Reſpondeo neminem teneri ad reſpondendum quia hiſtoriæ fides non conſtat. Deinde dico ceſſationem grandinis potuiſſe eſſe naturalem, maxime ad paucos annos quibus duravit. Denique dici poteſt cædem illam ob ignorantiam maliitiæ, (neque enim eſt per ſe nota ut patet ex decepto Senecâ ſupra) potuiſſe eſſe venialem, & occiſum ſalvum ni quid obſtent quæ ipſe ſubdo num..... ſequenti.

6. Objicio ego ultimum hoc ex me, licet homini obſervare vitam ſuam, ergo licet abrumpere penitus & extinguere: conſequentiam probo quia extinctio vitæ de facto non eſt niſi abbreviatio ejus, nam quamvis nemo eam hoc aut illo modo tangeret, ipſamet deſineret: unde mors quoad ſubſtantiam non eſt in ullius poteſtate, ſed tantùm quoad circumſtantiam accelerationis, aut modum, atque ita pro nunc ſynonyma quædam ſunt abbreviatio vitæ & extinctio. Antecedens autem eſt certum, quia ſine dubio licet opera pœnalia facere, jejunare, humi cubare, detrahere cibo & ſomno, ac ſimilia ſatisfactoria, hæc autem non eſt dubium quin vitam abbrevient, quia ſubtrahunt fomentum calori naturali qui eſt opifex vitæ. Quo loco poſſumus uti illo medicorum axiomate: *quæ ſumpta iuvant continuata ſanant*; ſic: Quæ continuata occidunt, ſumpta detrahunt vitæ; hæc autem continuata penitus extinguunt vitam, nam inedia, v. g. eſt inevitabilis cauſa mortis, ergo jam jejunium & abſtinentia ſunt ſaltem abbreviatio vitæ, adeoque denique extinctio, & occiſio. Huic argumento cenſeo practice ſatisfactum iri magis quam ſpeculativè; etenim in oppoſitum ſunt exempla Sanctorum, quos certum eſt non fuiſſe ſui homicidas. Itaque in tuto eſt abſtinens & caſtigator corporis ſui per inediam, vigilias, flagra. Et ne quis ſcrupulus ſupeſit Germanis Lutheranis, ſciant multò magis timendum eſſe ipſis à ſuâ crapulâ & ebrietate, plures enim occidit. Speculative etiam aliunde vindicari poteſt inedia & jejunium, nam quum occiſio ſit actio, & occidere agere, qui non agit, non occidit. Et confirmari poteſt totum per tenorem legis, quæ eſt: *non occides*, & imperat negationem aut carentiam, adeoque per carentiam non poteſt illa violari.

7. Ergo conſtanter inſiſtendum eſt huic, quod nemo poſſit eſſe ſui carnifex, naturâ abhorrente actum quam maxime: unde etſi multi juſte damnentur tamen exequutio ſententiæ non poteſt committi ipſi reo: atque adeo peccant judices qui id ſtatuunt, & rei qui exequuntur; ut mirum valde ſit quod Areopagus primum fecerit, Socrates ſecundum, ſed nec alia deſunt quæ reddant difficilem hanc veritatem, quum difficile ſit naturam id imperaſſe quod vix poſſit obſervari: Certum eſt enim quempiam damnari poſſe ut veneno pereat: quomodo autem peribit niſi bibendo? deinde qui certo periturus eſt ingenti tormento, nonne poteſt redimere vexationem, mitiorem mortem occupando; ut ſi à domo flagrante deſiliat in mare, alioqui arſurus: vel tyrannum volentem eum membratim diſcerpere præveniat veniæ ſectione.

Standum nihilominus eſt concluſioni, eo magis quod nec ignorantia ipſa excuſet, quantumvis tamen Rec. paſſim adferunt ut faciant aliquos homicidas ſui ſanctos. Non excuſare ignorantiam inde videor evincere, quod ex hiſtoriis conſtet Diabolum toties tentaſſe & quidem multis machinis ut homines puta anachoritæ ſe præciparent in mortem, ferro invaderent, eo quod ipſe qui Chriſtum ſimulabat ita præcipiebat, ſtatim excepturus eos in paradiſum: quorſum enim ille tot impenſis cædem ſuaderet ſi ab ignorante aut decepto licite fieri poſſet? conandum eſt ergo ſatisfacere allatis: Et primum quidem, ſi difficile ſit, dic non poſſe à Chriſtiano judice decerni. At enim obſervantia ejus non eſt impoſſibilis: quoties enim plumbo liquefacto aliqui interfecti ſunt, nec tamen ipſi illud biberunt? Ad alterum autem dici poteſt talem non inferre ſibi mortem, ſed minus tormentum: quod ergo ab ipſo eſt, eſt tantum privativum, & omnino non mors, ſed modus ejus: ſubſtantia enim mortis aliunde eſt, atque ita ille non occidit. Quod declarari poteſt metaphyſicâ aliqua tametſi morali: ex duobus malis dicunt minus eſſe eligendum: tum autem dico ego actum electionis mali minoris qua talis licet feratur in malum non eſſe malum niſi materialiter, quia qua electio eſt formaliter fertur in carentiam, ſive in imminutionem mali: Ita hic.

8. Quæres quid de mutilatione dicendum? Reſpondeo mutilatio eſt quædam occiſio quia partem viventis interimit: quid eſt autem vivens niſi multæ partes, aut multa organa animata: Itaque qui mutilat alium peccat contra præceptum: *non occides*: qui ſeipſum, contra id quod ſupra aſſignavi homicidæ ſui. Hinc nullo, nec virtutis ipſius intuitu poteſt ſibi aut alteri fieri. Quomodo autem ad totius conſervationem fieri poſſit? Reſpondeo aliena manu facilè, propria difficile, in quo ſequenda eſt doctrina proximè aſſignata de eligente mortem mitiorem

Addo dictis eum qui alterum pharmaco dementat peccare contra hoc præceptum decalogi ſæpe repetitum. Cauſa, quia occidit, nam perimit vitam rationalem quæ digniſſima eſt. Iterum, enim qui alterum hebetat ac obtundit pharmaco vel alio, aut utcunque reddit inſenſibilem, iterum peccare contra id ipſum præceptum quia occidit animal, nam perimit vitam ſenſitivam. Tertiò denique de vita vegetativa hominis, non eſt dubium, hanc enim ipſum vulgus apprehendit hic veritam auferri, & revera eſt illa quam inſtrumenta mortifera, v. g. ferrum & venenum auferunt, unde de illa ſolum inſtituam comparationem ad alias duas cujus ablatio ſit gravior: & dico hujus vitæ, vel viventis occiſionem reduplicative ſumptam eſſe omnium leviſſimam, ac peccatum minus grave: at vero ſpecificative ſumptæ occiſionem aut ereptionem eſſe graviſſimam. Cauſa primi dicti quia ex tribus vitis vegetativa eſt infima & maximè ignobilis, ſecundi, quod ablata vegetativa auferuntur & aliæ duæ, adeoque omnes unde illa eſt ſimpliciter occiſio.

(***)

Addi

Addi poſſunt alia ex

SCoto *inprimis* 4. *d.* 15. *vbi ſupra in themate, & in Report. eodem loco*: S. Th. 2. 2. *q.* 64. *adhuc amplius ex* S. Auguſt. *epiſt.* 54. *& epiſt.* 154. *Videndus etiam* Auguſtin. *de Ancon. de poteſt Eccleſ. q* 53. Gerſ. *de Euchar.* S. Antonin. 3. *p. tit.* 4. Sylv. *verbo Bellum Villadug. tract. de irregular.* Leonar. Leſſius *hic l.* 2. *c.* 9, Victor Relect. *de homicid.* Franc. Tolet. *lib.* 5. *Sum cap.* 6. Lopes 1. *p. c.* 6. Petr. Navarr. *lib.* 2. *c.* 3 Gomeſ. *Tom.* 3. *c.* 3. *Covarruv. Relect. in Clementi ſi furioſus* 3. *p.* Dom. Sot. *lib.* 5. *de Iuſt.* Joan. Lugo *item*: Ludovic. Montal. *epiſtol. ad Provincial, & epiſt. ad eandem* Wilhelmus Wendrock *in not. ad eaſdem, &c.* Joan. Lug. *Tom.* 1. *diſp.* 10. *&* 11.

APOLOGIA SEXTA

De injuria in fortunas proximi?

ACTIO I.

De furto: quid illud?

ACTIO II.

De qualitate furti?

ACTIO III.

An Civili lege poſſit furtum pœna mortis vetari aut plecti?

ACTIO IV.

Decidit nonnulla tam Theoretica quam practica de furto.

Scotus 4. *diſt.* 15. *qu.* 3. *num.* 8.

ET, ſi objicias, ergo lex eſt injuſta quæ præcipit furem occidi; quia Deus non excepit ab illo præcepto negativo: *non occides* peccatum furti, imo manifeſte oſtendit ſe nolle excipere furem, nec velle eum plecti morte, quia infligit furi aliam pœnam. Reſpondeo quod Deus in lege Moyſi vel Evangelica non excepit explicite peccatum furti ab illo præcepto *non occides*, ut ſcilicet propter hoc peccatum liceat hominem occidere; & ideo niſi revocaverit aliqua revocatione ſpeciali quod non habetur ex ſcriptura, nec de bulla ſuper hoc deſcendente de cœlo audivimus, non video quod lex aliqua juſta poſſit ſtatuere hominem occidi pro furto ſolo: dico autem ſolo, quia ſi eſt fur, & cum hoc invaſor præſumitur homicida, quia vult occidere, & ad hoc paratus eſt ſi aliquis ſibi reſiſtat. Hoc patet per illud Exod. 22. de fure nocturno & diurno. fur nocturnus impune occiditur: qui autem intrantem de die ad furandum occidit, homicidii reus eſt: Cauſa diverſitatis eſt hæc, quia præſumitur quod qui de nocte furatur occideret ſibi reſiſtentem ſi poſſet, non autem qui de die intrat.

ACTIO I.

De furto: quid illud?

Breviatium.

N. 1. *Notata vitii definitiones tam Iuriſconſultorum quam Philoſophorum.*
2. *Aſſignatur exacta.*
3. *Diviſio furti ratione materiæ.*
4. *Diviſio ratione formæ.*
5. *An furtum certo & ſemper ſit ablatio rei?*

1. HIc committendi & comparandi veniunt Philoſophi Jureconſultis; iſti enim definiunt furtum per contrectationem, & includunt omnes ſpecies hujus generis in definitione, quod totum philoſophi reprehendunt. Sed Juriſtæ interim non adeo reprehenduntur, quia veluti alia lingua loquuntur, & habent ſuos Canones proprios in explicando: v. g. attrectatio his & illis aliud & aliud ſignificat. Ethici ergo definiunt ipſum quod ſit: Injuſta & occulta acceptio rei alienæ invito domino: melius, ſed non omnino exacte, nam peccat in principio iſtud *injuſta*, quum iterum dicendum ſit in ſequentibus, omnis enim acceptio rei invito dominio eſt injuſta; omiſerunt ergo aliqui τὸ *injuſta*, ſed adhuc aliquid vitii Juriſtici reliquerunt,

quæritur an furtum ſit reum mortis (nam de ſorte infra agemus,) ergo hic interim ſavendum eſt furto, & cenſendum quod non ſit mortale. Iterum ſic, nam ſecundum pleroſque ex Adverſar. qui dicit: volo peccare; non peccat mortaliter ſed venialiter tantum, eò quod ad peccandum non ſit opus mortalitate, ſed ſufficiat venialiter errare: Item in materiâ civili, ſi dicam: dabo tibi aliquot nummos aureos; vi hujus promiſſionis non teneor dare tibi decem aureos, & multo minus ducentos ſed ſufficit ſi dem duos, quia pluralitas aureorum ſalvatur in duobus, alioquin certe nec ducenti ſufficerent ad verificandum illud promiſſum, ſi ſcilicet non poſſit præſtari niſi per ſummum: ergo jam furtum, vel aliud quodcunque indifferenter ſe habens ad mortale & veniale, immeritò dicitur ex genere ſuo mortale, quùm ſtandum ſit infra, & potius abſolutè pronunciandum quod ex genere ſuo ſit veniale, quia nimirum ad ſalvandum genus hic, atque etiam ſpeciem ſufficit venialitas, ſive levitas peccati. Itaque ſuppoſitâ diſtinctione peccati mortalis & venialis ſatis propriè diceretur à Catholicis furtum eſſe veniale? Dico à Catholicis, quia hæreticis qui negant diſtinctionem & putant omnia eſſe mortalia, aliter reſpondendum, imo nec omnino reſpondendum: quia apud illos quæſtio non haberet locum, eſſet enim quærere an furtum eſſet peccatum? ſive, an poſſit licitè committi?

2. Dices primò commune quid ſeparatim poſitum ſtat pro famoſiori ſignificato, ergo adverſ. propriè loquuntur & furtum ſtat pro furto mortali: ſecundò, abſurdum videri ſi ex tam paucis præceptis quæ Deus voluit hominibus impoſita ullum occupetur circa venialia, & loquor de præceptis decalogi in quo hoc eſt ſextum: Reſpondeo canonem illum Logicalem currere de analogis (ut patet apud ipſos) cujuſmodi non eſt peccatum reſpectu mortalis & venialis, nec furtum reſpectu magni, & parvi, ut alia omittam, nam res non eſt digna illâ morâ. Ad ſecundum Reſpondeo nullum præceptum decalogi occupari circa ſola venialia, ne hoc quidem, abſit enim ut dicamus nullum furtum eſſe mortale. At vero vix ullum præceptum ejus eſt quod non prohibet veniale, ſingulariter in hac materia injuriæ in fortunis: nam decimum quam eſt clarum:
cap. 20. *Non concupiſces uxorem proximi tui, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec univerſa quæ illius ſunt*; quum certum ſit inter univerſa quæ illius ſunt eſſe, aliquid parvi pretii, quod ſufficit, nam τὸ *univerſa* clarum eſt quod capiendum ſit diſtributive non autem collectivè, & quod diſtributio facienda ſit copulativè, ut loquuntur Logici, non autem copulatim, ut ſenſus denique ſit; nihil concupiſces ex rebus ipſius; non autem iſte: Cave concupiſcas omnia, quaſi aliquid poſſit legitimè concupiſci, adeoque. Denique confirmor in meo ſenſu, & tenore concluſionis poſitæ, quia etiam videtur à ſapiente poſitus Proverb. 6. Quid enim eſt aliud dicere: *Non grandis eſt culpa quum quis furatus fuerit*, quam dicere quod furtum ex genere ſuo non ſit mortale, quum mortale & veniale differant ſicut magnum & parvum; nec unquam aliter explicabitur furtum mortale, vel etiam peccatum contra Deum tale niſi dicendo quod ſit magna injuria, &c.

Dices etiam ab oppoſito ex Scriptura. Zach. 5 *Omnis fur ſicut ibi ſcriptum eſt judicabitur*: quam ſententiam 70. Interp. ſic reddiderunt: *omnis fur uſque ad mortem judicabitur.* Et 1. Corinth. 6. *neque fures regnum Dei poßidebunt*; nam à regno Dei non excludit niſi peccatum mortale: unde etiam videri poteſt locus ſynonymus præcedenti, quia apud Zachariam volumen ubi *ſcriptum erat*, fuit maledictio, quæ proprie eos comprehendit qui à regno Dei excluduntur, ut patet ex formâ judicii Matth. 25. Sed breviter ad utrumque dicendum eſt, haud dubiè dari furta quæ ſint mortalia quod ſufficere hic patet ex aliis loquutionibus ſcripturæ ejuſdem tenoris: Pſalm. 5. *perdet omnes qui loquuntur mendacium*; & tamen certum eſt mendacium non eſſe ex toto genere mortale, quùm poſſit eſſe veniale, & ordinariè ſit, adeoque, ſed inſtant illi & notant nos deficere in probando; nam quod pro nobis facit eſt per accidens, furta enim parva, fiunt venialia ex levitate materiæ duntaxat in quam inciderunt. Pulchre profecto, quaſi non æquo jure mihi liceat autumare quod furta magna per accidens ſint mortalia ex gravitate materiæ in qua perpetrantur. Itaque cauſa furti quoad iſtud adhuc eſt ſalva.

3. Supereſt tamen aliquid litis de qualitate furti, & eſt comparatio ejus ad alia; quæri enim poteſt quem ordinem gravitatis habeat inter alia quæ decalogo vetantur? communiter ajunt illud minimum eſſe, & ſtatuunt ultimo loco: ita plerumque omnes, qui niſi erro, errant; manifeſtè enim minus malum eſt concupiſcere rem alterius quam occupare aut auferre, & tamen concupiſcentia vetatur nono ac decimo præcepto. At enim qui ita reſponderunt, videntur cogitaſſe de ablatione alieni omni modo factâ, tam animo quam opere, eamque comparaſſe peccatis aliis contra proximum, qualia ſunt homicidium, adulterium, &c. quo ſenſu, ſane (ſive bene) reſolverunt in aliquibus, in omnibus non æque. Et quidem hactenus dubitatum tantum fuit de fornicatione, an non ſit gravior furto? quibuſdam negantibus, aliis omnibus in adverſum verſis, & condententibus fornicationem eſſe graviorem: ſed in primis fornicatio non eſt ex iis quæ decalogo expreſſe vetantur, quùm ille tantummodo, meminerit mœchiæ, id eſt adulterii: Deinde exercitii cauſa addo, & augendæ antiquitatis, de ipſa mœchia dubitari poſſe, imo & affirmari oppoſitum ejus quod hactenus Ethici ſuppoſuerunt. Scilicet furtum eſſe illa levius.

4. Dico ergo adulterium prout eſt (ipſo etiam nomine) ad alterum, ſive in ratione injuriæ quæ decalogo prohibetur, non eſſe ex genere ſuo gravius toto genere furti. Hæc eſt nova & vix expectata; non tamen caret fundamento, licet careat authoritate: moveor autem ad illam tam credendam quam perſuadendam ea quam hic ſubdo explicatione materiæ: etenim in adulterio ſunt duæ malitiæ, una libidinis, & altera injuſtitiæ: libidinis qua adulter miſcetur non ſuæ; injuſtitiæ qua miſcetur alienæ, & facit contra jus alterius, ſcilicet viri illius adulteræ, qui per contractum matrimonialem accepit dominium & proprietatem, imo etiam poſſeſſionem corporis illius fœminæ ſcilicet ſuæ uxoris. Has autem malitias ſeorſim expendi & judicari poſſe, patet quia ſunt alia & alia non quomodocunque ſed ſpecie eſſentiali. Quo poſito locum habet concluſio, & ratione probatur, nam eo modo ſumptum adulterium, eſt ipſi furto ſimile, & in ſcriptura ſubinde eodem nomine ſignificatum,

ſt enim injuria aut injuſtitia, adeoque in eodem genere peccati & malitiæ, ſed inter paria non eſt exceſſus, ergo nec inter adulterium & furtum, imo non ſunt paria illa genera, quia nec plura ſed idem, utrumque enim eſt in genere injuſtitiæ. Deinde ſecundò, ſecludamus hoc, & comparemus illa mutuò, apparebit ſtatim adulterium eſſe minus, quia nimirum fur ſubſtantiam rei eripit, adulter tantummodo uſum; non enim neceſſe eſt adulterum rapere aut extrahere domo conjugis uxorem, adeoque.

5. Objici poſſunt ingentia damna quæ ex adulterio ſequuntur, nam ſupponitur proles non ſua alteri, qui cogitur eam totâ vitâ alere: Deinde fraudantur legitimi hæredes hæreditate quæ hoc modo ad ſpurios tranſmittitur ſi contingat iſtos eſſe majores natu, &c. huc autem nullius furti malitia pertingit, nam furtum, ut docet ipſa lex, eſt rei mobilis, hic autem transferuntur immobilia, prædia, urbes, & regna: Reſpondeo concluſionem eſſe poſitam & revera accipiendam ſeclusis circumſtantiis, & appenſo ipſo adulterio ſe ſolo in ſtaterâ, quod ſine dubio fieri poteſt & debet, quùm adulterium committi poſſit cum ſterili.

Placet ergo componere adulterium furto, pro alterâ parte, ſive qua libido eſt, quæ quæſtio ſub his terminis opportunior eſt huic loco, tamen vera recoincidit cum alia, qua examinatur an fornicatio, ſit pejor furto, nam adulterium ſecluſa injuſtitia eſt fornicatio. In hoc autem puncto ponam hincinde rationes quæ mihi oboriuntur, & pro majori parte relinquam lectori delectum. In primis enim videtur comparatio inſtitui non poſſe, ſed malitiam ſoli furto ineſſe, quia lex de illa nihil in terminis dictat, tantum enim ait: *non mœchaberis*, fornicatio autem non eſt mæchia: quæ videtur fuiſſe cauſa cur ex Chriſtianis aliqui negaverint fornicationem ſimplicem eſſe peccatum.

Video quid contra hoc excipi poſſit, & eſt, in paucis verbis Decalogi multa eſſe intelligenda, & ſub voce *mœchari* prohiberi omnem uſum libidinis extra matrimonium: ſed huic commentario obſtat ratio ſupra à me tacta, & à multis agnita, quod ſcilicet præcepta ſecundæ tabulæ ſint dictamina juſtitiæ, & prævaricationes eorum injuriæ: quod videtur etiam ipſe legiſlator pronunciare quia nimirum fert illam in favorem proximi, & ſemper ejus meminit: ait enim uxorem *proximi* tui, ancillam *proximi*, bovem ovem, &c. quæ *illius* ſunt, at vero fornicatio non neceſſario eſt injuria contra proximum, ſi enim partes conſentiant, ut paſſim fit, & contingit in accedentibus feminas publicè proſtitutas, nulla eſt injuria, qua hæc debet fieri nolenti, adeoque.

Secundò, redit huc ratio ſupra poſita de adulterio, quia fornicatio etiamſi fieret invitæ, tamen non eſt par furto, nam furtum aufert poſſeſſori ſubſtantiam rei, fornicatio uſum tantum. Tertiò quod eſt contra meliorem virtutem eſt magis vitioſum; ſed furtum eſt contra majorem & meliorem virtutem quia eſt contra juſtitiam quæ melior eſt temperantia contra quam eſt fornicatio, quia (ut inquit Apoſtolus) *qui fornicatur contra corpus ſuum peccat*. Quartò, magis malum eſt majus malum; ſed furtum eſt magis malum: ergo & majus. Propoſitio hujus videtur ex ſe probata, utique enim pejus eſt quod non poteſt ullo caſu fieri niſi peccaminoſe, quam quod poteſt ſine ullo peccato. Min. autem probatur quia furtum non poteſt fieri niſi à peccante, implicat enim injuſtitiam non eſſe malam, fornicatio autem poteſt, quod patet ex facto, nam Oſee propheta tale quid præſtitit ut patet apud ipſum capite primo.

Dices quod ibi factum eſt circa fornicationem fieri poſſe etiam circa furtum, ut ſcilicet Deus qui eſt omnium etiam corporum dominus concedat talis aut talis rei uſum, vel etiam dominium: &, ita factum etiam circa furtum multo uberius quam circa fornicationem, quia cum toto populo Iſraël diſpenſatum eſt ut vaſa Ægyptiorum ipſis nolentibus auferrent. Video nodum, ſed intereſt quod ſpoliatio Ægyptiorum proinde non fuit furtum; dicenti autem quod concubitus Oſee ſimiliter non fuerit fornicarius obſtat ipſe textus in quo expreſſe vocatur eo nomine etiam poſt diſpenſationem divinam: dicitur enim *uxor fornicationum*, & proles natæ vocantur *filii fornicationum*: adeoque.

7. His tamen non obſtantibus, pendeo ipſe in oppoſitum propter rationem quam ſuo loco reſervo, ne hic intrudam eam alieno, & loquor in foro poli, nam in foro fori videtur eſſe levior fornicatio, quia levius punitur, nullibi enim infirmitas hæc eſt ad mortem, furtum autem pluribus locis, cujus praxis juſtitiam libet ſequenti theoria examinare.

ACTIO III.

An poſſit per leges Civiles furtum pœna mortis vetari, aut plecti?

Breviarium.

N. 1. *Subtilitas Scoti benigna eſt: non poſſe ſimplex furtum morte puniri. Probatio hujus ex lege divina quam valida?*

2. *Secunda & tertia ex legibus Civill. XII. Tabularum.*

3. *Alia ex authoritate Doct. Chriſti D. inprimis.*

4. *Rationes: prima ex legibus deducta: notati abuſus qui ex oppoſito concluſionis in ſcholas irrepſerunt.*

5. *Objectiones motæ & ſolutæ: Poſſe fures coerceri aliter quam pœna mortis.*

Scoti

1. SCoti defenſor non potuit hoc punctum tacitus præterire, quàm ab omnibus fere ille hic offendatur, eo quod partem negativam viſus ſit amplecti reclamante uſu tot populorum. Sed profectò populi deberent potius Theologis ac Ethicis ſe accommodare. Quis neſcit legiſtas, (intelligo legum conditores) peccaſſe ſæpius ipſa etiam crudelitate. Demades ille Draconis leges dicebat, non atramento ſed ſanguine ſcriptas; quod tamen vix mirabitur qui Moſaycam legem ſimiliter inſupportabilem in divinis litteris legit. Hinc

a *Act.* 15. Reſpondeo ad titulum negativè, loquendo ut facimus de furto ſecundum ſe ſumpto, & non admixto aliquis ac extraneis circumſtantiis. Hæc eſt Scoti Ethica ipſa ſingularitate celebris, *digna Ioanne ſententia qui hic ſuper ſenes intellexit; aperuit os ſuum ſapientiæ, & lex clementiæ in lingua ejus*: pro quâ inprimis ſumemus ex aliis legibus argumenta.

Primò, ut pareſt, à divinâ per Moyſen, in quâ *b hæc ſunt judicia* de furto: *ſi quis furatus fuerit ovem vel bovem, & occiderit vel vendiderit, quinque boves pro uno reſtituet, & quatuor oves pro una ove*; quo canone fur punitur in facultatibus tantum, non etiam in vitâ: neque verum eſt quod ait Leſſius, ſi hæc nocte fierent licuiſſe occidere furem; non enim ille hoc in textu legit; neque eſt diſcrimen dici ac noctis in furante præcisè, ſed in infringente domum quæ fractio non eſt furtum: Hoc argumentum fortius eſt quam apparet, quia Deus per Moyſen tulit ſeveriſſimas leges Judæis, ita ut fuerint ultra 275. obligantia ad peccatum mortale, & ultra 40. ad mortem corporalem, ſive ſub pœnâ vitæ ut ajunt amittendæ; & tamen adhuc ille noluit furtum morte punire, quod ſignum eſt ſingularis crudelitatis eſſe ſi quis furem morti adjudicet.

b *Exod.* 22

c *de Orat.*

Jam tranſeundo ad Gentes primo loco tam dignitatis quam juſtitiæ occurrunt leges XII. Tabularum: de quibus eſt illud teſtimonium M. Tullii: c *Premat omnes licet bibliothecas, me hercle unus videtur* 12. *tabularum libellus ſi quis legum fontes & capita viderit, & authoritatis pondere, & obſervationis utilitate ſuperare*: Hæ autem expreſſe pronunciant diurnum furem occidi non licere niſi telo ſe defendat.

Tertio Lex Civilis Cæſarea *furem* ſimiliter nocturnum furem interfici vetat niſi mortis periculum inferat: illis: *Lege Cornelia tenetur qui furti faciendi cauſa cum telo ambulaverit.* Ita *Digeſt. l.* 48. *Tit.* 8. *ad leg. Cornel. de Sicar.* Adeatur etiam Cujacus, in tit. *digeſt. de Iuſt. & Jur. ad lib.* 3. ubi hæc legi poſſunt: *nominatim ea lex ait furem nocturnum non poſſe occidi niſi in extremo vitæ periculo, quum quis eum ſervare non poteſt quin perdat ſe*: quem caſus nemo miretur excipi: *tunc enim* (ait præclare M. Cic.) *videtur nobis gladius ab ipſis porrigi legibus.*

Adhuc amplius hærendo in lege Cæſareâ, notâ dignum eſt quod quum antiquitus pœna mortis furibus fuiſſet inflicta, poſtea viſa eſt atrox, unde cautum eſt ne ullus deinceps pro ſimplici furto capite plecteretur. *Sed novo jure*, &c. cap. de *ſervis fugit.*

Jam deſcendendo ad particulares regnorum leges, in Hiſpaniâ jus illud olim ſervabatur ne ſimplices fures ſuſpenderentur, ſed tantum ſacrilegi, ut patet. 7. *tit.* 14. *lib.* 18. & *lib.* 6. *Reg. for. tit.* 18. *qu.* 4. *Qui furatus fuerit quadraginta dipondia novies tantum ſolvat.* Nec eſt dubium antiquas Galliarum leges ſimile ſtatuiſſe, ſi vacaret penitus luſtrare: Aliarum Gentium acriores fuerunt mulctæ, ſed citra mortem: Apud Locros *d* in furto deprehenſus oculis privabatur: Bactriani *e* ſputis talem dehoneſtabant. Apud Licios *f* ſi liber furti coargueretur, ſervire cogebatur. Mahumetani *g* furem primâ & ſecundâ vice verberant, tertia manum, quarta pedem amputant. Solon *h* Salaminius Draconis legibus ob crudelitatem abrogatis, non mortis pænam furi, ſed dupli pendendi ſancivit: ita pro Scoto clamat vox gentium congregatarum.

Jam quoad authoritatem particularium Doct. ex Ethnicis Ciceronem produximus: ex Chriſtianis proferamus Auguſt. lib. Civit. 1. c. 21. & 22. & lib. ſimiliter de lib. arbit. apud Doct. in litteram S. Thomam, quia etiam is quoad hoc Scotizat, aperte enim ait *non eſſe infligendam mortis pœnam pro quolibet peccato mortali, ſed pro eo tantum quo damnum datur irreparabile*; clarum eſt autem quod furtum unius aurei, & multo minus furtum dimidii ſit damnum irreparabile, adeoque ſecundum Sanctum lex mortis lata in hujuſmodi furem eſt injuſta, eo magis quod ille non ſtatuat diſcrimen inter perdentes, ſive non diſtinguat an res auferatur à divite an à paupere: Et denique quid egemus teſtibus hujuſmodi, quum ipſe Spiritus S. palam pronunciet: *non grandis eſt culpa quum quis furatus fuerit.*

4. Ex his poſſumus rationes hujus veritatis elicere per ordinem, in primis enim quum Chriſtus D. Judaicam ſeveritatem Evangelica lege temperaverit, non videtur quod voluerit in Eccleſia ſui pœna mortis quod nec in ipſa ſynagoga morte plectebatur: Deinde quomodo credemus voluiſſe eum ut ob ablatum pallium morte puniretur is cui etiam tunicam relinquendam edixit? Alia ratio ex aliis legibus, quia quod non licet in fieri furti, multo minus licet poſt factum eo quod in fieri res nondum ſit erepta, & poſſit relinqui, poſt factum autem non ita certò quum forte ſit conſumpta; ſi ergo non licet furem furantem occidere, quanto minus furem jam furatum: Redibo adhæc iterum quum aſſignavero rationem horum à priori ſic.

In omni repaſſu ut ſit juſtus opus eſt æqualitate; atqui in morte quæ infligitur furi non eſt æqualitas ad pecuniam, puta nummum aureum qui ablatus eſt actori, ergo nulla æquitas, nulla lex juſta præſcribet mortem pro furto; præmiſſas probavi, & ideo pergo Metaphyſice ſic: Formatio hominis tot impenſis conſtitit naturæ, novem menſium continuo & delicato labore, alimento matris, &c. ut niſi ſtulta ſit non velit perdere pretium ſuæ operæ niſi majori aut ſaltem æquali lucro: atqui clarum eſt aliquot obulos non eſſe ei æquales, ergo Septimò Ethice, quia actus generationis tam charus eſt eidem naturæ, aut potius authori ejus, ut nullo prorſus caſu

Digitized by Google

ulla omnino neceſſitate velit ipſum fieri niſi intra matrimonium, ergo non eſt credibile quod fructum hujus ſementis velit tam vili vendere etiam moraliter loquendo, ut ſcilicet liceat alicui eum pro re vili extinguere.

5. Octavo à poſteriori adhuc ex legibus, nam ex mortiferâ hac licentia fures occidendi ortæ ſunt deinde in ſcholis Chriſtianorum aliæ quas vix Ethnici approbarent. Etenim aliqui hinc deducunt licere ob offenſum honorem offendentem ferire, etiam occidere, hoc ſyllogiſmo uſi: Pro ereptis opibus licitum eſt auferentem eas occidere; ſed honor charior eſt opibus, ergo licet occidere eum qui alteri honorem abſtulit. Item pro pudicitia ſervanda quando etiam Fæmina opprimitur invita: imo pro impactâ alapa; pro verbulo contumelioſo. Ad hæc, licere in his caſibus prævenire offendentem, & morte mulctare priuſquam invadat vel offendat: & denique ſi quis alterius honori cæperit detrahere apud Principem, licitum eſſe hunc falſis criminationibus onerare: quæ portenta opinionum habent hodie advocatos ſuos non alio conductos quam mortiferâ illâ lege fures occidendi, atque ita illa exterminanda eſt, illa foris & ſcholis proſcribenda. Et vero quem non miſeret Anglorum qui ob tredecim obulos ſuſpenduntur, quo pretio in quibuſdam locis vix pullus gallinaceus emeretur?

Denique Baldus qui videtur hujuſmodi ſupplicii cauſa fuiſſe, erravit in probando, & tamen non audet tantum quantum iſtæ leges: Dicit ille quod pro ſimplici, aut geminato furto non ſit mors infligenda, (quam tamen leges infligunt,) ſed triplicatum reputari latrocinium, quod falſum eſt, quia latrocinium non differt à furto quantitate, vel repetitis vicibus, ſed modo. Quod autem addit licitum eſſe pro enormi delicto leges tranſgredi, eſt indignum Doctore, etiam auditore quocunque; nam quum peccatum formaliter conſiſtat in tranſgreſſione, hæc ejus doctrina non aliud dicit quam licitum eſſe peccare. Vide Sotum: ubi hæc & plura contra Baldum.

Objiciunt Apoſtolum qui de magiſtratu loquens: *non ſine cauſa gladium portat*, atque ita magiſtratus habet poteſtatem condendi leges capitales ſeu multandi morte; ſi autem eam habet quid exerceat in fures? Reſpondeo tamen locum eſſe in oppoſitum, ſi quis advertat, ſtatim enim ſequitur, *Dei enim miniſter eſt*; ſicut ergo miniſter non habet authoritatem condendi abſolutè leges in caſibus quos decidit Princeps, & multo minus habet authoritatem condendi leges contrarias legibus Principis, ita non licet humano magiſtratui paſſim gladium ſuum exercere in hominis vitam quam ipſe Deus abſolute vetuit auferri, ut patet ex illo peremptorio decalogi: *non occides*, & ne forte dicatur illud non eſſe univerſale ſed indefinitum, audiatur ipſe alibi: *quicunque effuderit ſanguinem humanum effundetur ſanguis illius.* Quæ de bello & invaſione huc adferri poſſunt, ſupra expedita ſunt.

Objiciunt ſecundo leges: quis enim dixerit tot Reſpublicas erraſſe: Reſpondeo Adverſarii authores objectionis tenentur hoc dicere, iam enim oſtendi ego plures erraſſe: & vero an ullus approbabit illas Atticæ leges quæ etiam ſtercus bubulum ablatum morte punivit, & furti reum agebant eum qui jumentum aliorſum ageret quam quo utendum accepit? num Carinthias adhuc propius nos qui furti reos, ſtatim laqueo ſuſpendebant & poſt triduum primo de æquitate facti judicabant? adhuc etiam, an non ego oſtendi tot Reſp. oppoſitum ſtatuiſſe ſivè noluiſſe fures pœnâ mortis plectere mitiori contentas, etiam ex ipſiſmet quæ hodie eos occidunt? quo loco libet ita ratiocinari; aut Reſpondeo poſſunt in ferendis legibus errare, aut non poſſunt, ſi poſſunt, quomodo nobis objiciuntur quaſi non potuerint? ſi non poſſunt, quomodo erraverunt. Itaque evidens eſt leges pœnales non ferri à civili magiſtratu pro gravitate delicti, ſed ad prævenienda temporalia damna: unde libet hic deſcribere amplius Doctorem, qui quum notaſſet id non eſſe factum, ſubdidit: *Et forte hoc fuiſſet obſervatum ſi judices tantum diligerent juſtitiam in Rep. ſicut theſaurum in ciſta.*

At enim horum Hercules eſt iſta objectio; quia niſi mulctentur morte fures, nemo tutus erit, nemo quidpiam certò poſſidebit; invadent enim nebulones cujuſque theſaurum eò magis quo major ille eſt, unde experientia conſtat ſine ejuſmodi freno Reſp. non poſſe ſubſiſtere. Reſpondeo ſecundo ſimiliter, ſi non poſſunt ſubſiſtere quomodo ſubſtiterunt? utique enim ſubſiſtebant illæ quæ vetuerunt fures occidi. Certe teſte ipſo Soto qui Scoto hic adverſatur, ſeculo S. Thomæ non erat in uſu ſimplices fures occidi. Et quæ Reſpublica unquam obſervantior æqui quam ſpartana? & tamen in illa ingenioſi fures nulla morte plectebantur; aliquando nec ſupplicio, quod idem Ægyptiis obſervatum tradit Iſocrates. Reſpondeo etiam adhuc aliter authores legum potuiſſe ſtatuere graviſſimas pænas furi, ſed uſque ad extremam, ſive citra mortem propter jam dicta. Quod etiam rogam ipſos fateri. Etenim Reip. ſufficit ſi fures coerceantur; at verò coerceri poſſunt aliis pænis plus ſatis, quùm plurimæ ſint ipſa morte graviores, equuleus, plumbata, &c. Denique ſi exulent aut proſcribantur, Reip. proviſum eſt, certe enim non potuerunt furati non ſunt. Sed de hoc jam dixi.

(***)

ACTIO IV.

ACTIO IV.

Decidit nonnulla tam Theoretica quam practica de furto, Rapinâ, fraude, &c.

Breviarium.

N. 1. *Qui minutis furtis ſurripit multum, an ſingulis peccet mortaliter? negatur.*
2. *Rationes dubitandi de hoc; ſoluta: quando talis peccet mortaliter, difficile dictu.*
3. *Qui ſinguli parum nocuerunt, omnes autem multum, an? & quomodo peccent.*
4. Παράδοξα *aliquot hinc deducta.*
5. *An ſinguli illi poßint excommunicari?*
6. *Qui uni parum nocuit, multis autem multum, an? & quomodo peccet? ubi de falſis ponderibus.*
7. *Rurſus reditur, ad caſum num. 1. ne talis omnino peccet.*

1. PRimum ſit, an qui magnam quantitatem pluribus minutis furtis ſurripit, peccet interim mortaliter? ponamus enim decem nummos eſſe materiam mortalis, & ab eo acceptos ſingulis vicibus ſingulos nummos. Communiter quidem authores hic Thomiſant arbitrantes, ſi ab initio quis intenderit magnam illam quãtitatem, puta decem nummos abripere, tum eum peccare mortaliter quolibet furto quamlibet minuto. Sed contrarium tenendum eſt ut certum, neque aggravandi ſunt compedes peccatorum. Fateor in re fortaſſis parum intererit inter eorum opinionem & meam, ſed interim illi impropriè, ſi non etiam falſo loquuntur:

Primam partem probo, quia nullus internus animi motus, poteſt variare conditionem operis externi in ſe, neque materiæ ejus: Poteſt forte efficere ut imputetur volenti quod vult efficere, ſivè ad meritum, ſivè ad demeritum, ſed non poteſt efficere ut ipſum opus aliter ſe habeat, ergo quantumcunque animus feratur in magnam quantitatem, tamen qui aufert nummum unum, aufert tantummodo parum, nec ullius animus poteſt efficere ut ſit multum: ſicut nec poteſt efficere ut unus nũmus ſit duo, ergo adhuc externum opus ablationis, eſt parvum peccatum licet voluntas auferendi conjuncta fuerit de magno.

Addo neque neceſſe eſſe ut voluntas ipſa fuerit magna, nam quantumvis quis habeat voluntatem ſurripiendi decem nummos, ſi vadat ad crumenam alterius & videat ibi non eſſe niſi unum, non poteſt habere animum auferendi niſi unum, nec enim poteſt habere animum auferendi inde niſi quod ibi eſt. Imò etiamſi eſſent ibi decem nummi, & ipſe auferret omnes, in ablationem primi nummi non influit niſi voluntas auferendi unum; quia voluntas auferendi decem impenditur huic & aliis novem. Eſt diſcurſus Subtilibus familiaris quo toties contra Thomiſtas vicerunt non poſſe dari plures cauſas adæquatas ejuſdem effectus.

2. Dices, diſcurſum Metaphyſicè forte conſiſtere poſſe, moraliter non item, quia hic ſingula externa furta procedunt ex intentione mortiferà peccandi; quidquid autem procedit ex mortiferâ mortiferum eſt. Juvabo adverſarios Evangelio, nam, *non poteſt arbor mala bonos fructus facere*; faceret autem ſi intentio mortaliter, & graviter peccandi prorumperet in peccatum leviculum tantummodo ac veniale; nam licet ex duobus illis quæ ſunt in hoc complexo *peccatum veniale*, primum ſit malum, ſecundum tamen non eſt; ſed potius bonum, quia eſſe veniale ſivè leve in malo eſt bonum, ſicut in bono eſt ſuo modo malum. Reſpondeo tamen negando tam ſolemne principium adverſar. quod ipſi non aliter probant quam aſſerendo: Itaque minor illa indiget probatione, quam forte adhibebit hæc.

Objectio altera: exequutio malæ voluntatis eſt mala, idque reſpectivè, id eſt mortalis ſive mortifera mortiferè; ſed ſingula furta ex dictis ſunt ſingulæ exequutiones malæ mortaliter voluntatis, ergo ipſæ ſingulæ ſunt mortaliter malæ. Huic cautius reſpondendũ eſt diſtinguendo majoré exequutio voluntatis mortaliter malæ adæquata eſt mortalis concedo; quæcunque etiam partialis, & inadæquata nego: quod etiam ipſa ratio, & naturalis proportio dictat, quia nimirum nulla una exequitur illam voluntatem furandi decem, ſed prima incipit exequutionem, media proſequitur, ultima abſolvit; ita omnes exequuntur, & ſolæ omnes; nihilominus ipſe.

Objiciam pro ipſis; niſi ſingulis actibus peccaret fur, nunquam verum eſſet quod ſic peccaverit (& ſto in caſu ejus qui furatur decem nummos totidem actibus,) hoc autem eſt certiſſime falſum, & convenit inter nos tale eſſe, ergo. Sequela majoris probatur, quia nulla propoſitio de præterito eſt vera, niſi quæ habet unam de præſenti veram; illa autem non habet, niſi dicamus cum adverſariis eum in ſingulis actibus peccare, quod ſic deduco. quando furatur primum nummum non eſt verum quod peccet mortaliter ſecundum nos, quia deeſt materia; ſimiliter quando ſecundum, ob eandem rationem, & ſic de cæteris: non enim ſatisfacies ſi dicas ipſum peccare mortaliter ultimo actu eo quod tum adſit materia: nam ultimus eſt ejuſdem rationis cum aliis, nec eſt verum tunc adeſſe materiam, quia materia præcedentium jam non eſt, ſed fuit, ſicut & ipſi actus; & licet adeſſet, tamen non terminaret hunc actum, quia id eſſet contra hypotheſin, quùm ſupponamus hunc actum auferre tantum unum licet ultimum nummum. Hoc eſt quod dat ſpeciem, & nonnullam etiam veritatem aſſerto Thomiſtarum,

licet

licet non ſit ipſorum inventum: Bis tamen evadi poteſt ne noceat, ſemel ſi concedatur totum quod ille talis non peccaverit unquam mortaliter auferendo, abſolutè tamen peccat mortaliter, quia alio modo ſcilicet retinendo; nam poſtquam pervenit ad ſummam quæ ſufficit mortali, omnes illæ minutæ ſummæ ſimul retinentur, & ita ſimul imputantur ei mortaliter. Aliter dici poteſt quod etiam ſingulis ablationibus peccat mortaliter, non quod ſingulæ ablationes ſint peccata mortalia, in quo videntur Thomiſtæ aliqui hallucinati, ſed quod ſingulis ablationibus auferat paulatim illam ſummam cuius conſummata ablatio ſufficit ad mortale; ſicut faber qui domum ædificat à fundamentis, quando eſt in fabricâ unius feneſtræ interrogatus quid faciat? rectè reſpondebit ſe fabricare domum quum tamen feneſtra non ſit domus, adeoque.

3. Aliud dignum reſponſo dubium eſt an peccent mortaliter illi qui ſinguli exiguum damnum intulerunt proximo, omnes autem magnum; v.g. inciderunt milites aliquot in dolium muſti, quiſque unum ſciphum ebibit, ita ut dolium ferè fuerit exhauſtum, quomodo hic peccent ſinguli milites: & quis? aut qui milites ſint rei dolii evacuati ut proinde dominus proprietarius poſſit in judicio repetere precium ſui muſti: Equidem quoad plura hic approbo communem reſolutionem, quod ſcilicet ſi quiſpiam unus reliquos impulerit vi, imperio, aut conſilio, aut etiam exemplo, peccet graviter; ſed diſtinguendum eſſe de exemplo, ut ſi ipſe ſciverit vel dubitaverit reliquos ab eo accepturos exemplum, incipiens ebibere peccat: Si autem non ſciverit, tamen revera alii ſequuti ſunt videntes exemplum; non quidem peccet niſi leviter pro ſcipho quem ebibit, tamen teneatur ad reſtitutionem aliorum: neque eſſe quærendum an fuerit, vel non fuerit conditio ſine quâ non; ſed quamvis non fuerit ſubſiſtere reſolutionem datam: Cauſa concluſionis, ut & ipſa eſt communis, quia nimirum talis eſt cauſa notabilis damni proximo: Quæ ratio applicata probat eum qui non judicans alios accepturos exemplum cœpit auferre, *non* peccaſſe, tamen teneri ad reſtitutionem; quod enim exemplum non fuerit ei voluntarium facit ne peccaverit, quod autem fuerit realiter damnoſum proximo facit ut teneatur ad reſtitutionem; ſi enim bos eius aut equus nocuiſſet alteri, vel ipſemet in ebrietate; teneretur reparare damnum, quia alius non privatur ſuo jure propter ipſius ebrietatem, & multò minus propter ebrietatem aut inſaniam bovis qui ipſius ſit.

Dices: alii feciſſent, tametſi ille non præiviſſet exemplo, ergò ille propter exemplum non eſt reus aut debitor ullius, nam nemo debet puniri aut perdere propter actionem quæ impertinens eſt ad conſequutum damnum; illa autem eſt impertinens ut ſupponimus, nam ſive poneretur, ſive non poneretur ipſius hauſtus, alii omnes haurirent. Reſpondeo hoc eſt quod excluſi in ultimâ parte reſolutionis negans requiri quod fuerit conditio ſine quâ non: cuius cauſam do hic in ſolutionem replicæ: nego enim conſequentiam, & ad probationem nego actionem illam fuiſſe impertinentem, quia de facto fuit cauſa. Illud vero *feciſſent* abſque eo, probat quod non teneretur ad reſtitutionem, non vero quod non teneatur. Debent enim opponi ſibi correlativa propria, & juxta ipſa ferri ſententia; unde ex poſſibili aut conditionato illo non rectè ſequitur aliquid de præſenti, ſed de poſſibili tantum; ex præſenti autem præſens; unde quia realiter exemplum illud fuit de facto cauſa damni, realiter & de præſenti tenetur alter ad reſtitutionem.

4. Cæterum quoad ſingulos damnificantes extra caſum poſitum, res eſt rara & notâ digna, ut ſcilicet inferatur damnum notabile alicui, & nemo peccet mortaliter; lædatur jus unius, & nemo ſit injuſtus, patiatur quis injuriam, & nemo faciat, auferant plures alienum, & nemo teneatur ad reſtitutionem, &c. unde videntur homines poſſe impune graſſari in aliorum facultates, qui proinde ad ſummam egeſtatem devenient ſine ſpe recuperationis.

Dices, non eſſe tam vera iſta quam ſupponuntur, nam ſi lex ediceret ut quicunque decem nummos furaretur, excommunicationi ſubjaceret, tum ſi tres furarentur unam ciſtam aut veſtem cuius pretium eſſent decem nummi, tum inquam omnes tres excommunicarentur, ergò jam non eſt impune tale factum. Reſpondeo ita aliquis exiſtimaret; ſed puto oppoſitum eſſe verius, in primis quia lex currit de uno auferente, atque adeo lex non intendit perſtringere duos, & multò minus plures. Tum etiam nullus unus illam abſtulit, quia nullius unius opera aut labor ſuffeciſſet ad ciſtam aſportandam: Denique quia hoc modo ſi lex civilis exigeret ſummam decem aſſium ad furis ſuſpendium, & non plurium, tum ſi tres illam ciſtam ſimul aſportarent furtim, omnes tres eſſent mortis rei, quod licet Bayardus ſcripſerit, tamen non ſolum eſt crudele ſed incredibile, nam tum lex non exigeret niſi tres nummos & trientem ad mortem hominis, quod eſt contra hypotheſim. Itaque potius crederem in eo caſu nullum fore excommunicatum, nullum iri ſuſpenſum, quam omnes excommunicandos aut omnes ſuſpendendos.

5. Ne tamen negotium tum pernitioſum poſſit procedere, aliqui viſi ſunt ſibi nonnihil providiſſe dicentes in eo caſu Epiſcopum poſſe præcipere ſub excommunicatione ſingulis reſtitutionem eius, quod quiſque accepit vel quod idem eſt precium eius, ſtemus enim in caſu militum & dolii: Et quando objicitur quod excommunicatio non poteſt ferri pro veniali, reſtitutio autem tam tenuis rei obligat tantum ſub veniali; reſpondent excommunicationem non ligare ratione furti venialis commiſſi in omiſſione reſtitutionis, ſed ratione mortalis peccati facti contra præceptum ſuperioris in omittendâ reſtitutione. At enim iſti authores hac inventione produnt magis zelum ſuum quam ſcientiam; qui enim ita diſcurrunt, ſupponunt rem parvam præcipi poſſe ſub magno peccato: atqui hoc dicere non eſt dignum Theologo: Si enim non poteſt (probabiliter loquendo) præcipi ſic ab ipſo Deo, quanto minus ab Epiſcopo: Si autem poteſt à Deo ſic præcipi, quæro unde conſtat non eſſe de facto præceptum? cur contra præcepta aliqua Dei fiunt peccata ſolum venialia? ſi quæratur quare miles qui calicem vini, aut racemum eius è vinea furatus eſt non peccaverit mortaliter? certè alia ratio reddi non poteſt niſi quia materia eſt parva, & ita incapax tam magnæ obligationis: Cæterum

enim

Digitized by Google

enim Deus abſolutè præcipit: *Non furaberis*, neque addidit magnam materiam aut aliud: ſi ergò præcepta Dei deſinunt obligare graviter quando materia eſt levis, quanto magis illa Epiſcopi? Et denique ut demus totum id fieri poſſe, adhuc non eſt proviſum huic malo à jure Civili, illud enim remedium eſt Eccleſiaſticum: unde negotium adhuc eſt incompoſitum.

6. Pergam & invertam caſum ſic; quæro an, ſi unus quis magnum nocumentum intulerit pluribus, ſed parvum ſingulis, an inquam is graviter aut mortaliter peccaverit? v. g. aliquis minutis furtis ſurripuit à ducentis hominibus decem aureos? Et ruunt authores omnes in affirmationem, quam etiam ego ſuadeo in praxi faciendam: ſpeculativè tamen loquendo videtur ille defendi poſſe à mortali. Moveor, quia non eſt reus convictus adhuc; quia rationes illorum & reſponſiones contra eum non ſatisfaciunt: Pro fure argutum eſt ſic; non fecit notabile damnum ulli ergò non peccavit in ullum notabiliter, certum eſt autem quod ſic, nec in Deum peccavit, quia Deus hic non offenditur niſi quatenus offenditur proximus. Reſpondent accuſatores furis illum nihilominus peccaſſe, quia licet nulli privato civi fecerit, fecit tamen Reip. ſed contra ſtatim eſt quod aſſumunt falſum: Ajo ergò & probo quod talis non obfuerit Reip. quia nimirum non extulit hæc bona extra Remp. ipſe enim eſt membrum Reipubl. & conſequenter quod apud ipſum eſt, in bonis Reipubl. eſt, non minus quàm ſi fuiſſet in burſis aliorum ſed inquies; fortaſſis ille fraudavit homines diverſarum provinciarum: Reſpondeo ſaltem quando non, adhuc eſt in tuto. Reſpondeo ſecundò: ſit ita, adhuc etiam in tuto eſt, quia nulli Reip. fecit damnum, illi enim nullius Reip. ſunt. Vel ſi etiam voles illas omnes Reſpubl. facere unam magnam, fur eſt tutus, quia redit reſponſio à me data, non enim fur extulit Republ. illud lucrum, quùm apud ſe id habeat: ipſe autem eſt huius magnæ Reipubl. membrum.

Unum contra me facit, & quidem vehemens de iis qui utuntur falſis ponderibus ac menſuris in mercibus quæ venduntur in longitudine aut pondo; illi enim parum detrahunt ſingulis vicibus, ſed non parum peccant exclamante in eos Scripturâ toties: Prov. 11. *Statera doloſa abominatio eſt apud Deum* Deut. 25. *Non habebis in ſacculo diverſa pondera maius & minus* &c. S. *Abominatur enim dominus eum qui hoc facit*. quæ ratio utrobique repetita magnam Dei diſplicentiam, adeoque magnam offenſam ſignificat. Idem eſt de cauponibus qui vendunt vinum dilutum, cur autem illi atrociter peccarent ſi licitum eſſet pluribus vicibus parum detrahere. Reſpondeo reverentia Scripturæ exigit ut propter hoc concedamus alteri ſententiæ probabilitatem; & certè in praxi illa omninò tenenda eſt, maximè magiſtratui civili: Speculativè autem loquendo, nego; argumento, & ultimæ quæſtioni Reſpondeo: cauſam huius eſſe quia illi tales etiam eidem perſonæ notabile damnum inferunt redeunte eodem toties ad emendum, ſaltem illi parati ſunt inferre. Deinde inferunt damnum omnibus, atque adeo pauperibus, in his autem minor numerus, & minor quantitas fraudis requiritur.

7. In fine hic movebo unum dubium contra id quod ſuppoſui cum omnibus, ſcilicet eum qui ſtatuit materiam peccati mortalis ſenſim auferre, puta decem numos totidem vicibus, peccare mortaliter: ſi enim oſtenſum fuerit id non eſſe verum, jam amplius triumphatum eſt de Thomiſtis qui aſſerunt ablatorem ſingulis vicibus peccare: id autem videor ſic ſuadere. Velle id quod non eſt peccatum non eſt peccatum; ſive, volens illud non peccat; atqui auferre decem nummos totidem vicibus non eſt peccatum mortale, ergò nec velle ſic auferre: Major eſt evidens omni apprehendenti terminos, difficultas autem eſt in Minori, quam tamen ſic adſtruo, ille talis nulla vice ex decem peccat mortaliter, ergò nunquam: Non primâ quia deeſt materia, quùm auferat tantum unum nummum quæ non eſt niſi decima pars materiæ: non ſecundâ ſimiliter, & ſic de aliis, nam eadem eſt ratio omnium præter ultimam, de quâ etiam demonſtro, quia illa in eo differt ab aliis quod complet materiam mortalis; atqui id non eſt verum, vel ſi ſit, eſt impertinens, quia nimirum non complet materiam niſi cum aliis; at verò non eſt cum aliis, ſed ſine illis, quia aliæ iam non ſunt, ergò. Denique tota machina primæ concluſionis & probationum eius excurrit ad hoc probandum: quod ſcilicet ſingulis ablationibus non peccet mortaliter; ergò.

Standum tamen eſt ſuppoſito ibi (licet fortè argumentum jam factum difficulter evadatur ut infra) & dicendum quod peccaverit taliter à principio, alias omne furtum poſſet excuſari, & fieri ſine peccato, dummodo ſcilicet fieret per partes; Item poſſet quis quemlibet interficere dummodo id faceret repetitis ictibus minutis, ſaltem per intervalla. Ad rationem dico quod ille non peccat unâ vice ſed omnibus: & quando arguitur quod omnes vices non ſint ſimul, diſtinguo: Non ſunt in opere aut exequutione, concedo, in intentione nego: Voluntas ergo copulat ea quæ tempus & factum dividit.

Adhuc tamen videtur inſtari poſſe, quod nec voluntas copulet, ſed potius dividat illas vices, quia ideo abſtinet à volendo eas aliter, & datâ operâ eas ſic diſponit ad vitandam culpam, ergò. Reſpondeo diſpertit & dividit eas in eſſe patrati, unit autem in eſſe voliti, vult enim totam ſummam auferre, & hæc eſt prima voluntas; tum autem decernit de modo, qui eſt auferre ſeparatim, & hoc decretum non eſt peccaminoſum ut ſupra, adeoque.

Vide etiam de toto:

Authores præcedent. Apolog. citatos.

Digitized by Google

APOLOGIA SEPTIMA.

De Iuſtitia, & Injuriis: Iudicis, Rei, Teſtium, Advocati?

ACTIO I.

De Judice.

ACTIO II.

De Reo.

ACTIO III.

De Teſte, Accuſatore, Advocato.

Scotus 4. *diſt.* 15. *q.* 4. *n.* 5.

IN tertio membro dico ſimiliter quod non tenetur retractare negationem ſuam qua negavit in publico verum crimen ſibi impoſitum, quia non tenetur quocunque ſtatim in judicio confiteri ſe reum nondum convictus &c. Sed de illo qui negat tale crimen verum, ſed privatum in publico ſibi oppoſitum, nunquid peccat mortaliter? Videtur quod ſic quia mentitur, & quidem mendacio perniti oſo Reipub. quia Reſpublicæ propter eius mendacium publicum impeditur à punitione eius juſta, & perſonæ accuſanti quia per hoc notatur de calumnia. Reſpondeo: *juſte quod juſtum eſt exequeris*: non ergò Reſpublica omnia mala debet punire, ſed quæ cum hoc quod ſint punienda poteſt iſta poteſtas juſtè punire, talia autem quæ coram judice ſæculari ſufficienter poſſunt probari, & ideo non læditur Reſpublica ſi divinum judicium excedat judicium eius, ut aliqua reſerventur divino judicio, ſuper quæ non poteſt eſſe juſtum judicium Reip. quia *homo videt ea quæ patent: Deus autem intuetur cor.* 1. Reg. 16.

ACTIO I.

De Iudice.

Breviarium.

N. 1. *Requiſita ad judicium: Iuriſdictio quot modis adquiritur.*

2. *An quiſquam poſſit eſſe judex in ſua cauſa: & affirmo.*

3. *Obiicio & Reſpondeo. Diſcrimen Eccleſiaſtici judicis à civili?*

4. *An iudex ſit ſuperior legibus in iudicando? Citatus Ariſtot. 12 Ethic. 14. ubi de Lesbia regula eleganter?*

5. *An iudex in ſententia ferenda poſſit duci privata ſententia contra allegata & probata?*

6. *Nulla allegata ſufficiunt ut damnetur innocens: probatum pluries. Scientia, & conſcientia quam conveniant.*

7. *Alia adhuc rationes in favorem innocentis. Scientia iuris & facti quam ſimiles.*

8. *Fundamentum oppoſiti ſolvitur: num ſcientia iudicis debeat proportionari foro?*

9. *Alia obiectio Hiſtoria B. Conradi Franciſcani Vltima: Vſus quarundam Religionum.*

1. Dicam inprimis hic aliqua de judicio ſine ſtrepitu judiciali argumentorum. Inprimis cum Doct. citat. ad rectum judicium requiri & ſufficere quatuor: primum eſt legitima authoritas ex parte judicantis: ſecundum juſtitia ex parte rei judicatæ, ut non fiat contra ullius jus: tertium ordo juris: quartum rectus affectus ne odio aut appetitu vindictæ ſententia feratur. At enim ex his duo priora ſola ſunt ſimpliciter neceſſaria, imò fortaſſis primum ſolum; aliquando ſaltem.

Secundò moneo circa primum, juriſdictionem ſeu poteſtatem judiciariam quadrupliciter adquiri: inprimis ex officio quoad ſubditos, & vocatur ordinaria: ſecundò ex commiſſione & vocatur delegata: Tertiò propria ſubiectione litigantium, & dicitur arbitraria: quartò denique ratione loci in quo quis domicilium habet, vel in quo

quo commiſſum eſt delictum, aut contractus initus, vel res de qua lis movetur, ſita.

2. Quæro jam de præmiſſis primò, an quiſpiam in ſuâ causâ judex eſſe poſſit? ad quod communiter ita conſuevit reſponderi negativè, ut negatio ipſa jam in axioma tranſiverit, quod ſcilicet: nemo in ſua cauſa judex eſſe poſſit, ut nec teſtis, quia nimirum non poteſt eſſe judex & pars, quod ita inſitum eſt hominibus ut nolint conſanguineos partis eſſe judices, quia nimirum accedunt ad identitatem quandam cum parte.

Tenendum tamen eſt poſſe aliquando id admitti, ſed magis in Eccleſiaſticis judiciis quam in civilibus, intellige ut idem ſit judex in ſua cauſa: probatio primæ partis, quia D. Deus eſt judex verus, imò ſolus talis; ſaltem eſt eminenter, & multo magis ſolidè quam ullus creatus, & tamen plerumque agit cauſam ſuam, quia fert ſententiam de peccatis creaturarum quæ ſunt offenſæ ipſius. ipſe autem jam judicavit angelos & homines eſt judicaturus.

Ioan. 5. verſ. 22. & 27. Dices homines judicabit Chriſtus qui eſt homo, imò & quà homo: & quia homo eſt, nam *omne iudicium dedit filio Pater quia filius hominis eſt.* Reſpondeo principalem judicem mundi eſſe Deum, licet homini Chriſto ad dignificandam illam humanitatem conceſſa ſit prolatio ſententiæ, ſed demus aſſumptum abſolutè eſſe verum: adhuc eſt pro concluſione, nam ex peccatis, quæ illa die judicabuntur plurima & maxima facta ſunt contra ipſum Chriſtum. Deinde Apoſtoli, atque etiam omnes alii Evangelici pauperes eo die iudicabunt non tantum duodecim tribus Iſraël, ſed univerſum genus humanum, & tamen Apoſtoli ſunt pars duodecim tribuum, & omnes alii pauperes quicunque ſunt pars generis humani.

Inſtabis, propoſitionem eſſe accommodam, quæ faciet ſenſum quod iudicabunt tot tribus exceptis ſeipſis. Reſpondeo non poſſe tale eſſe aut ſimile, quia ab univerſitate poteſt excipi unum, maxime quando eſt alterius rationis: ſicut illud quod ſal ſapit omnia, aut

Ovid. 1. Metam. —— *quod tegit omnia cœlum.*

tectum cœlum non eſt tegendum; at vero homines omnes ſunt iudicandi; & ſancti pauperes, non ſunt unus tantum ſed multi. Demus tamen illos à ſe non eſſe judicandos propter ſpeciem aliquam huius replicæ, ſaltem alii ſunt ab eis iudicandi: ſed tum redit ratio facta de Chriſto D. quia ex cauſis de quibus homines ſunt iudicandi multa concernunt ipſos ſanctos; debent enim tyranni reſpondere de cæde martyrum; in hac autem ipſi martyres ſunt partes, ſunt ergo aliquando iudices & partes.

Tertiò, quæ eſt ratio horum à priori, niſi ita eſſet, deberet dari proceſſus in infinitus iudicum, nam ſi iudex huius civitatis habet litem cum aliquo cive, aut ipſe poteſt ferre ſententiam, aut non poteſt: ſi poteſt, vicimus; ſi non poteſt accedatur alius, & de illo quæram, an poſſit ferre ſententiam in ſua cauſa (quis enim dubitet quin hic etiam poſſit habere controverſias cum privatis?) ſi poteſt; ut ſupra: ſi non poteſt debet accedi alius, & tunc, aut ſiſtendum erit in aliquo quæ eſt concluſio poſita, aut neceſſe erit infinitos iudices haberi, quod eſt abſurdum illatum in argumento.

3. Obiicies; nemo poteſt eſſe ſe ipſo ſuperior, nec ſibi ipſi; iudex autem eſt ſuperior eo in quem ſententiam fert, ergo nemo poteſt eſſe ſibi ipſi iudex: Reſpondeo non unicus eſt modus iudicandi; unus enim eſt quando quis damnatur ad pænam & cogitur ſuſtinere eam: alius quando ſolum decernitur ipſum in rem controverſam ius habere; ex quibus una ſententia eſt ſpeculativa tantum, alia etiam practica, quia facit quod pronunciat. Jam ad propoſitum, idem non poteſt eſſe ſui iudex priori modo qui includit vim coactivam; ſecundo autem modo poteſt, non enim ad hoc requiritur authoritas id eſt ſuperioritas in, ſive ſupra iudicatum.

Dixi autem in concluſione, id verius eſſe, aut facilius contingere in iudicio Eccleſiaſtico quam in civili: Cauſam dicti do, quia naturale ius, itemque illud gentium, & privatus quiſque ideo horrent partem adverſam, & eius propinquos eſſe iudicem ſuum ac ipſius, quia ſcilicet timeri poteſt, atque etiam præſumi quod contra ius inclinandus ſit ad favendum commodis ſuis & ſuorum: at vero iudex Eccleſiaſticus, puta ſummus Pontifex non poteſt timeri in hoc genere, quia nimirum habet aſſiſtentem ſibi Spiritum Sanctum, qui non permittit eum aut amore aut odio in tranſverſum ferri, aut declinare à veritate. Sic Eugen. IV. merito definivit Romanum Pontificem, id eſt ſeipſum, eſſe univerſalem paſtorem totius Chriſtianæ Eccleſiæ, & ita ſuperiorem omnibus Epiſcopis. Noſtro etiam ſeculo Innoc. X. definivit S. Paulum non fuiſſe parem S. Petro in Pontificatu, adeoque ſucceſſorem Petri, hoc eſt ſeipſum plenè eſſe Pontificem, & ſolum. Quanquam fatear priorem definitionem Eugenii minus patere exceptioni, facta eſt enim in pleno Concilio, ubi etiam partes ſive alii epiſcopi convenerunt, & cum ipſo quodammodo tulerunt ſententiam, ut patet ex tenore definitionis, quod in altera non æque obſervatum eſt, neque tempus permittebat.

4. Jam de aliis quærenti, maxime tertio & ſecundo, an iudex debeat iudicare ſecundum leges ſcriptas? credo reſpondendum quadam materiæ diviſione, non tamen ut communiter fit diſtinguendo de iudice ſupremo & inferiori, quaſi ille ſolutus ſit legibus hic autem obſtrictus: ſed in primis expendendam eſſe authoritatem ipſius etiam ſupremi, quæ tanta eſt quantam eſſe voluit Reſp. à qua is ſibi eſt præfectus: ſi enim voluit eam eſſe ſine limite, tum is non tenetur ſecundum leges ſcriptas ubique iudicare; & talis videtur eſſe Imperator, quem Lex.... dicit eſſe *abſolutum legibus*, *Auguſta* non item, ſed *ab Auguſto liberari*; unde patet Imperatorem poſſe in caſu aliquem rigori legis eximere, quia id fecit cum Imperatrice. Alios Principes adſtrinxit Reſp. ut ſecundum has & has leges debeant regere, & tunc non eſt dubium quin illi ipſis ſtare teneantur.

Itaque nullus principatus æque certo legibus exemptus eſt ſicut Pontificius, intelligo autem in ſpiritualibus, nam hic nulli humanæ legi tenetur, nec quoad ſe, nec quoad alios etiam reos, in iudicando, &c. cuius cauſa & diſparitas eſt quia illius authoritas non eſt humana ſed divina; non enim ille ſicut alii Principes accepit authoritatem à Rep. adeoque à Rep. non poteſt eius authoritas arctari legibus aut definiri; cuius oppoſitum eſt cauſa contrarii in aliis. Addo tamen

men ipſos alios tam ſupremos quam non tales ſed ſubordinatos poſſe aliquando citrà & ultrà leges ferre ſententiam, id eſt decernere diverſum ab eo quod lex decrevit. Pro hoc perſuadendo revocandum eſt in memoriam, & locum hunc quod ſupra ſtatim in principio huius tractatus dixi de æquo & bono, ut differat à jure vel iuſtitia, aut etiam coincidat cum illis, licet à vulgo hic omnia miſceantur. Sed omnium errorem hic correxit Ariſtoteles aurea illa doctrina ſuper hoc quam tradit 5. Ethic. Nicomach. & omnino expedit addiſci, propter quod hic eam ad lectoris utilitatem deſcribam. Ait ergo ille *quum æquum & bonum iuris cuiuſdam æquum ſit, melius ius quoddam eſt, neque tamen quaſi diverſum aliquod genus eſt ipſo iure melius. Ius igitur & æquum & bonum idem eſt, quum enim utraque honeſta ſint, æquum & bonum honeſtius meliusque eſt. Dubitatio autem hæc oritur, quia æquum & bonum ius eſt non ſecundum legem, ſed legitimi iuris correctio: Cuius rei cauſa eſt quod lex in univerſum omnis ſtatuitur, nec fieri poteſt ut rectè de quibuſdam in univerſum definiatur, in quibus enim neceſſe eſt ut in univerſum dicatur, rectè autem id non poteſt, lex id ſumit quod ut plurimum fit, non ignorans ſanè quod peccatur, & nihilominus tamen rectè ſe habet, quippe cum peccatum in lege minimè ſit, neque in legiſlatore, ſed in rei ipſius naturâ conſiſtat, ſtatim enim rerum agendarum materia eiuſmodi eſt: quando igitur lex in univerſum dixerit, & præter univerſale, & poſtea quidpiam contigerit rectè ſe habet ſi qua legiſlator omiſit, abſoluteque ac ſimpliciter loquendo peccavit, corrigatur defectus, id quod legiſlator etiam ipſe ſi adeſſet, dixiſſet, & ſi ſeiviſſet, ita praſcribentem leges inſtituiſſet. Idcirco ius quidem eſt, & melius quodam iure, non eo tamen quod abſolutè eſt & ſimpliciter, ſed eo quod ex abſolute loquendo peccat, eſtque ea æqui & boni natura ut legis qua parte deſi it ob univerſale, emendatio ſit. Idem enim eſt in cauſa, ut etiam non omnia ſecundum legem ſint, propterea quod ut de quibuſdam lex ſanciatur, fieri nullo modo poteſt, quapropter decreto opus eſt, indefiniti enim indefinita etiam eſſe regula debet, ſicut ædificationis Lesbiæ plumbea norma quæ ad lapidis figuram tranſmutatur, neque immobilis manet, ſic decretum ad res ipſas accommodatur, &c.* Ita ille eleganter, judices monens, ut in caſu legibus quaſi Lesbiâ normâ utantur, imo non legibus tunc, ſed æquo bonoque: quod ut intelligatur, ſciendum eſt quod quùm alii fabri paſſim ſoleant ſtructuras ſuas ad normam exigere, Lesbii plumbeam normam habent ita flexilem ac mutabilem, ut eam fabricæ accommodent aliquando, non ſemper fabri eam ipſi. Sic ergo ſolo æquo ſemper uti, videri poteſt iniquum, unde æquo bonoq; utendum, quia ut jam monui, & proverbio teritur, *ſummum ius ſumma iniuria eſt.*

5. Quærenti etiam an judex in judicando poſſit uti privatâ ſcientiâ etiam certâ contra allegata & probata? Reſpondeo non poſſe tantum, ſed etiam debere in cauſa criminali, & aliquando etiam in civili. In qua reſolutione gaudeo illos mecum concurrere, qui alias faciles conſentiunt ad cædem hominis tolerandam: Caſus autem criminalis eſt quando innocens quiſpiam per calumniam accuſatur ad mortem, & convincitur numero teſtium; judex autem apud ſe ſcit cauſam eſſe calumniam, & teſtes mentitos; teneo enim quod nullo modo liceat ei innocentem damnare ad mortem, aut etiam magnam mutilationem: & ſi fortè ille ferat ſententiam in contrarium, ſed carnificem non poſſe eam exequi, ſi ſimiliter ſciat innocentiam ejus: hanc tamen impotentiam, non eſſe æque certam ac priorem. Hic punctus non populariter, ſed accurate eſt tractandus, quoniam ab altera etiam parte ſunt & rationum momenta, & Doctorum authoritates. Incipiam tamen à meis, & in primis

Profero divinam. Exod. 23. quo loco abſolute prohibetur cædes innocentis: ſed quia adverſarii volunt intelligi prohibitionem factam eſſe privato, non autem publicæ perſonæ qualis eſt judex, exploremus veritatem textus qui eſt iſte: *non ſuſcipies vocem mendacii*; à quibus verbis incipit caput cui titulus aut argumentum eſt: *Leges præfixa iudicibus*: & ſequitur; *non ſequeris turbam ad faciendum malum*: quid enim adverſarii noſtri docent niſi oppoſitum hujus, ſcilicet *ſuſcipere vocem mendacii*? volunt enim judicem debere duci teſtimoniis quæ ipſe probè ſcit eſſe *voces mendacii*: item, *ſequi turbam* teſtium *ad faciendum malum*, id eſt ad cædem innocentis; nam ſi turba teſtium ſufficeret ut illa aut aliud non eſſet malum fruſtra, imò falsò inhiberetur ei ſequi turbam ad faciendum malum, quia id eſſe non poſſet.

Humana etiam authoritate commendari hæc pars poteſt, quia ipſi Juriſtæ qui ſumme deferunt legibus, à nobis ſunt, *Hoſtien.* item *Panormit.* & *Celderin.* in cap. *Paſtoral.* Hugo ſuper legem *Prætoria*, &c. Theologos quidem fatendum eſt eſſe hinc inde, ut quæque pars practicè tuta ſit, ſed noſtra paulò magis, pro quà

28. de offic. deleg. ff. de Iur. om. iud. S. Thom. 2. 2. q. 67. Caiet. ib. Becan. Leſſius.

6. Formo ſic rationem in primis à paritate, nunquam poteſt quis cognoſcere fæminam non ſuam quamvis nimbus teſtium, & ſi poſſet fieri etiam infinitas ad id perſuadendum accederet, intelligo ad perſuadendum quod ſit illius, quamdiu ille apud ſe certus eſt quod revera non ſit ſua: ergo ſimiliter quamdiu conſtat tibi certo quod hic non ſit reus, non potes eum ut talem tractare, condemnando ad mortem, quamvis teſtes non tot quin plures accedant ad id ſuadendum, detur enim diſparitas. Item non potes in uxorem ducere eam quam apud te certo & fixe tenes eſſe à te genitam licet centum externa teſtimonia jurent eam tibi eſſe extraneam; & ſimilia, quorum omnium cauſa eſt eadem tenè: quia nimirum cognoſcere non ſuam eſt intrinſecè malum, ducere filiam ſimiliter, & retinere alienum ſcienter invito domino, &c. ſunt ſeipſis mala ut non poſſint exuere malitiam per ulla externa: atqui occidere ſcienter innocentem eſt intrinſece malum, eſt enim ſumma & prima injuria quæ fieri poteſt homini, unde & inter peccata injuſtitiæ contra proximum primo loco ponitur in decalogo.

Nicol. Lyran. in c. 23 Exod. Adr. quodl. 6. Pet. Navar. Argel.

Secundo ſic arguo: Cauſam præjudicatam à judice ſuperiore non poteſt judicare judex inferior in oppoſitum ſaltem; &, ſi judicet ſententia ejus non tenet; ſed innocentem non eſſe occidendum lex naturæ, atque ejus legiſlator decernit, ergo non poteſt ulla ſolemnitate aut ceremoniis iuris humani legitimè ferri ſenten-

ſententia in nocentem. Confirmo & explico ſic: Non poteſt auferri huic jus in ſuam vitam quamdiu relinquitur ei innocentia; ſed calumniæ omnes aliorum & teſtimonia quantumcunque multiplicata, dummodo falſa, relinquunt homini innocentiam, ergo non poſſunt auferre illi jus in ſuam vitam, atque ita quiſquis eam aufert, violat primum & maximum jus proximi.

Tertiò ſic arguo: Nunquam licet agere contra conſcientiam, tametſi ſexcenti teſtes accedant; at verò agere contra ſcientiam propriam eſt agere contra conſcientiam, illa enim eſt quæ facit conſcientiam hominis, non verò aliena dicta, aut ſtrepitus judicialis, ergo nunquam licet contra ipſam agere, quia eſt malum indiſpenſabile etiam ab ipſo D. Deo: patet autem quòd judex ille tum agat contra ſcientiam propriam, eſt enim hypotheſis, adeoque contra conſcientiam ex deductis. Hic videre eſt anguſtias adverſariorum, ad quas deducti ſunt ab oppoſito; quidam enim dicunt non licere privatæ perſonæ agere contra conſcientiam, licere tamen publicæ, ſcilicet judici, ut defendant innocentem poſſe occidi; proinde ex ipſis Thomiſtis nonnullus ridet eos, & conatur alia reſponſione refellere argumentum. Dicit ergo, nec malè Sotus iudicem illum tum agere contra conſcientiam ſpeculativam, non agere contra practicam; agit enim contra iſtam: *Hic eſt innocens*, non agit contra iſtam: *Hic non eſt occidendus*. Sed contra eſt quod in quocunque foro, ſive privato ſive publico, ex illo antecedente; *Hic eſt innocens*, ſequitur conſequens: *Hic non eſt occidendus*: neque unquam inferetur conſequens: *Hic eſt occidendus*; niſi ex iſto antecedente: *Hic eſt nocens*. Quæro ergo quod conſequens habet ille apud ſe in foro interno ex illo antecedenti; *Hic eſt innocens?* certè non aliud quàm iſtud, *Non eſt occidendus*, adeoque qui iubet occidi facit contra dictamen conſcientiæ, (hæc enim dictat non eſſe occidendum,) quod fuit hactenus probandum. Dices, poſſe eum habere utrumque dictamen probabiliter, nam duæ contrariæ poſſunt eſſe probabiles apud eundem ſimul, v. g. acceptum in extrema neceſſitate eſſe, & non eſſe reſtituendum. Reſpondeo, verum eſt, ſed ſi una contradictoria ſit illi evidens, alia tantùm probabilis, non poteſt illa probabilis cenſeri conſcientia eius, ſed iudicandum eſt quòd ille pro conſcientia habeat illam quæ eſt evidens, quia ut iam monui, conſcientia non eſt aliud quàm ſcientia, id eſt iudicium de veritate rei, unde neque homo poteſt deponere conſcientiam, quia non poteſt deponere aſſenſum de veritate ſibi apparente, aliàs enim ſi quid aliud eſſet, poſſet quis eam deponere.

7. Pergamus in probatione hac ſcientiæ; nam ad inferendum hoc conſequens, iſte eſt occidendus, duæ ſcientiæ requiruntur, una iuris, altera facti; opus enim eſt ut lex dicat reum talis criminis eſſe occidendum, & præterea alia argumenta facti perſuadeant iſtam; hic eſt reus talis criminis, utramque etiam ſcientiam habere iudex debet; Tum ſic: ſed in prima non poteſt duci iudicio aut teſtimonio aliorum; ſi enim duo, tres, aut etiam tredecim accedant qui dicant legem hoc non decernere, ipſe nec poteſt ſtare eorum teſtimoniis aut arbitriis contra evidentiam quam ipſe habet, ergo nec ſi accedant teſtes contra aliam evidentiam quam habet de innocentia huius, quæ enim diſparitas niſi voluntas adverſarii?

Sit ultimum iſtud quamvis alterius: ſi lex aliqua ſtatueret ut qui falſis teſtibus convictus eſt, occidatur, aut cauſa cedat, tametſi ſit innocens, & iudex probè ſciat eum eſſe talem, certè lex eſſet iniuſta: quomodo ergo non eſt iniuſta exequutio talis legis? nam theoria & edictum proinde iniuſta eſt, quia obiectum eius eſt tale: aufer eam obiecto, & ſimul legi abſtuliſti: Atqui opinio Adverſ. eſt inſtar talis legis, imò peior, quia immediatè dictat, exequutionem eſſe faciendam, ergo.

8. Fundamentum adverſariorum iam tritum, ſed non malum eſt, quia nimirum ſcientia debet accommodari ſententiæ, & foro in quo illa ferenda eſt, atque ita ad forum publicum impertinens eſt ſcientia privata, unde debet eſſe publica, quod fuit probandum. Angebo ipſe difficultatem, ſi prius ſolvero inſtantiam; nam Dei iudicium erit publicum & ſubinde tale eſt, ipſe tamen non utitur alia ſcientia quàm ſua interna ſine ſtrepitu teſtium & accuſatorum, atque ita maior illa non eſt ex terminis nota & certa.

Placet tamen probare illam aliunde; etenim in foro conſcientiæ quia ſecretum eſt ſola ſ. creta ſcientia, eſt uſui, & non tenetur ſacerdos contra externam ſuam ſcientiam uti interna quam accepit à pœnitente, ergo iam verum eſt talem in creatis axioma illud adverſariorum, quod etiam applicatur propoſito arctius ſic: ſi quis accuſet ſe ſacerdoti de eo quod non fecit, tenetur ſacerdos procedere ſecundùm audita, licet ipſe aliunde ſciat rem aliter ſe habere, hoc autem eſt damnare innocentem, nam fert ſententiam in eum, & imponit ei pœnam, ergo. Probo autem hoc ad hominem, quia dicenti quòd non commiſit, tenetur ſacerdos credere, ergo etiam dicenti quod commiſit quæ non commiſit, quod eſt damnare innocentem. Hoc aliquam ſpeciem dat oppoſito: ſed enim ipſum etiam quale quantum eſt, debet regulari per doctrinam noſtræ concluſionis: Dico ergo omnia eſſe vera quouſque veniatur ad evidentiam, unde nego ſacerdotem poſſe damnare alicuius criminis ullum ſe accuſantem eius quod ipſi ſacerdoti conſtat evidenter eum non patraſſe: Et, ſi pœnitens non adferat aliam materiam, non poterit abſolutionem impendere ei; ſi v. g. quis dicat ſe occidiſſe eum ſacerdos videt coram ſe in Eccleſia. Hinc aditus aperitur, ad ſolvendum hoc quod ſimiliter

9. Obiici ultimò poteſt ex hiſtoria B. Conradi qui quidem iam tum adhuc verè & plane pleneque fuit ſecularis, bene nobilis, poſtea autem tertii Ordinis noſtri, & inter venandum iuſſit accendi vepres, inter quas feræ latebant, ſed graſſante plus votis incendio multæ ædes, & multorum facultates igne conſumptæ ſunt. Totius autem damni confeſſio vi tormentorum, (ut ſolet) expreſſa eſt pauperi cuidam de plebe, &c. ut in vita ſancti; Hic interim nos ſupponamus Conradum fuiſſe iudicem Placentinum, certe is delata ad ipſum cauſa potuit damnare confitentem, quid enim deeſt ad ſententiam, quando habet reum confitentem? & tamen ille tum damnaret innocentem, ergo. Reſpondeo, con-

concedendo totum, quia non militat contra me quùm ſit alius ſtatus rerum; hic enim habemus, ut ait arguens, confitentem reum, ideoque cedentem ſuo juri, ibi non item, ſed volentem experiri beneficium ſuæ innocentiæ.

Inſtari tamen poteſt hunc non cedere ſuo juri plene, non enim eſt plenè voluntarius, ſed ſicut navita qui metu mortis abjicit merces; vel ſicut accipiens ad uſuram, &c. qui abſolutè potius nolunt quod faciunt, ita enim ille metu tormentorum. Propter hoc non auſim nimis liberè concedere damnationem hujus judici, multò tamen liberius quàm alterius qui nollet mori, qui non fatetur impoſitum, &c. alias rationes dubitandi leges apud Recent.

Quærenti an judex aliàs poſſit uti privata ſcientia ſola ad damnandum, &c. an verò debeat expectare accuſatorem & teſtes, & quo numero? Breviter reſpondeo ad primum, eum id facere non poſſe. Cauſa, quia neceſſitas teſtium non eſt ex jure civili ſive municipali, ſed ex jure naturæ, aut certe ex jure gentium, unde non eſt liberum cujuſlibet territorii principi in ea diſpenſare. Major patet, quia apud omnes gentes eſt in uſu, niſi fortè ubi graſſatur tyrannis: ſecunda, quia juris naturæ eſt ſua cuique defenſio; at hoc modo tollitur reo defenſio, ergo violatur jus naturæ.

10. Objicitur id fieri in quibuſdam Religionibus quæ non ſunt damnandæ, maximè quòd eorum leges videantur à ſede Apoſtolica approbatæ. Reſpondeo has eſſe ſimiles iis, vel etiam ex ipſis contra quas magna pars mundi murmurat: ſecundò dico leges illas eſſe legitimas ſaltem ſuppoſita multorum Theologia, ut ſupra Apolog. 4. Act. 2. neceſſe paritatem in propoſito, quia ibi ſinguli religioſi perſonaliter in ſua profeſſione renunciant ſuæ famæ, & iuri quod habent ad eius defenſionem, hic autem non; ſed authores adverſi intelligunt quòd Reſp. transferat in Principem ius, in famas, facultates, &c. civium quod non poteſt eſſe ſane intellectum; etenim Reſp. & primates, puta pauci ſenatores eius non videntur tota multitudo civium, & multò minus ii qui nondum nati ſunt: itaque hæc res tranſigenda eſt actione perſonali, non civili aut democratica.

Neque id tantum puto impoſitum principi ut utatur externis argumentis, ſive teſtibus præter ſe, ſed etiam puto imperatum eſſe numerum teſtium ut ad minus ſint duo. Moveor in primis lege illa divina: *In ore duorum vel trium teſtium peribit qui interficietur.* Deut. 17 Ubi notandum eſt legem feciſſe diſiunctionem inter duos, ſed aſcendendo non deſcendendo, puta volendo plures, non permittendo pauciores, unde ſubdit: *Nemo occidatur uno dicente contra ſe teſtimonium.* Et quamvis lex illa fuerit iudicialis, atque ita non liget hodie Chriſtianos, apparet tamen res niti naturali æquitate, quia id ipſum Chriſtus D. in Evangelio confirmavit. Et quidquid de his ſit, ratio id perſuadet valenter, nemo enim damnari poteſt, vel privari poſſeſſione, quamdiu adhuc eſt æqualis iuris cum ſuo competitore ad rem controverſam, ſed habito ſolùm uno teſte contra reum, reus eſt æqualis iuris cum competitore, nam competitor, ſive accuſator affirmat eum cecidiſſe iure ob tale crimen, alter id negat, atque ut contingit quod etiam opportuna loquatur, ita non ineptè Julianus Apoſtata cuidam accuſatori, nec potenti probare, quùm defectu probationis ſubderet: Quis nocens eſſe poterit ſi negaſſe ſufficerit: reſpondit Auguſtus: Et quis innocens eſſe poterit ſi ſufficiat accuſare?

* * *

ACTIO II.

De Reo.

Breviarium.

N. 1. *An juridicè interrogatus teneatur verum fateri, necne?*
2. *An damnatus per allegata & probata tenetur obtemperare pœnam ſubeundo?*
3. *An alii poſſint eum ad fugam juvare, conſilio, & auxilio? &c.*
4. *Num poſſit eſſe exequutor ſententiæ in ſeipſum?*
5. *Damnatus ad famem an poſſit veſci?*
6. *Non poteſt ad ſui defenſionem uti præſidio calumniæ.*
7. *Impetitus calumnia non poteſt accuſatorem alia calumnia referire.*
8. *An calumnia auferri poſſit malitia iniuſtitiæ relicta illa mendacii?*
9. *Argumenta Rec. in oppoſitum, diſſolvuntur.*
10. *Calumniator an perdat jus in ſuam famam?*

Quia de his vix quidpiam eſt quod ingenia acumine exerceat, aut campum præbeat ſubtilitati, ſuperſedeo litibus, & veritatem ſua etiam nuditate elegantem, ſimpliciter aperiam ne quis me integritati materiæ defuiſſe conqueratur, ſignificatis, & reſolutis dubiis quæ huc ſpectant: Itaque

Dubitatur

Digitized by Google

Dubitatur primò de Reo, an à judice interrogatus teneatur veritatem fateri?

1. AD quod non puto diſtinguendum ut fieri ſolet de juridicè & non iuridicè interrogato, ſi materia ſit gravis, puta periculum mortis aut mutilationis magnæ ex confeſſione criminis: ſed utrobique reſolvendum eſt negativè in favorem Rei: quia lex humana qualis eſt illa de ſervato aut non ſervato ordine iuris non poteſt obligare, cum tanto damno. Itaque Reus eludere poteſt iudicem ambigua reſponſione qui modus ſupponitur licitus quoties interrogatus non tenetur reſpondere.

Duo tantùm mihi ſubeunt admonenda de aliorum authorum tam theoria quàm ſpeculatione: unum eſt quùm hæc doctrina iam tranſeat per populum Chriſtianum, mirum eſt cur iudices ſperent ſe aliquid profecturos interogatione Rei, quandoquidem illo negante non poſſunt formare ſibi dictamen quod non perpetraverit crimen. Propter quod ei alia ſuaderem omittendas eiuſmodi interrogationes, & multò magis poſtulationes iuramenti, quia tametſi non liceret iurare, ſciunt iudices quòd iurabunt in favorem ſuum, & ita exigere iuramentum eſt quoddam quaſi cogere eos ad peiurandum: Alterum eſt iterum de iuramento cur offeratur illis qui cenſentur poſſe æquivocare? ſi enim in ſimplici negatione poſſunt æquivocare ſine mendacio, cur non poſſunt in iuramento ſine periurio?

An condemnatus per allegata & probata teneatur obtemperare pœnam ſubeundo?

2. HOc loco locus, imo & neceſſitas eſt diſtinctionis ſupra reiectæ de ſervato, aut non ſervato ordine iuris: Reſpondendum eſt ergo, quòd, ſi Reus re ipſâ & materialiter iniuſtè damnatus ſit, atque etiam formaliter iniuſtè, id eſt non ſervato ordine iuris, non tenetur parere ſententiæ, ſed poteſt exequutioni eius reſiſtere, quia nimirum invaditur iniuſtè, planè ſicut à ſicario aut latrone invaderetur. Quando autem ſententia eſt realiter iniuſta, formaliter autem iuſta, quia ſcilicet lata ſecundùm allegata & probata, poteſt quidem Reus ſubterfugere exequutionem, ſed non poteſt vim inferre miniſtris iuſtitiæ tentantibus eam, niſi fortè in caſu criminali & ſupplicio mortis. Cauſa, quia illi habent ius exequendi ſententiam, adeoque reſiſtens eſſet iniurius.

Dici tamen poteſt contra exceptionē, quòd ſi vera ſit, dabitur bellum utrinque iuſtum quod implicat. Reſpondeo non implicare ex ignorantia, tum autem ſupponimus iudicē ex ignorantia iudicaſſe deceptum allegatis & probatis. Ad hæc ſive iuſta ſive iniuſta ſit ſententia, poteſt Reus fugere, carcerem & vincula rumpere: deinde tamen tenetur ad ſumptus & reparationem omnium, ſcilicet carceris & vinculorum; nec ruptura carceris ei conceditur niſi poſt ſententiam iam latam, aut in morali certitudine illius ferendæ,
quæ etiam debet adeſſe de evaſione antequa
carcerem & vincula tentet. Hāc ſtatuo tanqua
practicè tutam ad ſolamen miſerorum, quia
multis tenetur qui poſſunt reddere opinione
probabilem; nam ſpeculativè videtur falſa, qu
fugiendo violat alterius ius ſcilicet Reip. cu
eſt vita ipſius; ipſe enim per admiſſum crimen,
per ſententiam iuſtè in eum latam amiſit ius
vitam ſuam, & Reſp. illud adquiſivit.

Fateor dici poſſet quòd ius Reip. hic n
eſt ſtrictum aut commutativum, ſed legale: T
men verius eſt oppoſitum; cui enim addici
quidpiam per iudicis ſententiam, ille verum i
& proprietatem adquirit in illam rem. Po
autem hac veritate, iterum contra ipſam facit r
ptura carceris; ſi enim iniuſtè fugit, multò ma
iniuſtè rumpit carcerē, quia quidquid ſit de i
Reip. in vitam illius certiſſimè illa habet propri
tatem & dominium carceris. Tertiò facit qu
adhuc tertiò privat Rempub. iure ſuo, quia ap
riendo carcerem præbet viam aliis carceratis
reis ut aufugiant, ſicut aperiendo caveam cen
tur ſpoliare dominum caveæ aviculis quæ in
avolarunt, vel etiam beſtiis, ut leonibus & ur
Credo tamen quòd huius criminis non ſit pla
reus, quia abitus illorum non provenit plene
ipſo, ſed partim etiam ab ipſis, imò totaliter ta
quam à cauſa; ipſe autem fuit tantùm condi
removens prohibens ſicut inundatio loci eſt p
ne ab ipſa aqua, auferens autem aggerem quo i
continebatur, eſt removens prohibēs non cau

3. Ex quibus habes quid reſpondendum
quærenti an quiſquam poſſit conſulere Reo f
gam? adiuvare eum ad ipſam præbendo inſtr
menta, vel ipſum etiam reum perfodiendo m
rum, &c. pendet enim horum reſolutio ex p
tentia ſeu habilitate rei ad iſta, quod enim lic
fit ab aliquo, poteſt ab altero licitè ei ſuaderi,
iuvari, &c. Excipiunt quidam hic miniſtros iu
tiæ, quos ego etiam puto excipiendos, at n
tam ſcrupuloſe: non enim iudico miniſtros a
ſtinere teneri à ſuadenda fuga, bene tamen
coagenda ſeu coefficienda; unde non ſolùm n
licerit miniſtro perfodere murum, ſed nec f
ramenta ad hoc porrigere: Cauſa, quia ope
illius conductæ ſunt, non autem verba
Rep. alioquin prodeat aliquis contractus hui
modi formæ: In veritate, quæ eſt ſpeculativa
ab oppoſito ſtat, nihil horum licet.

An poſſit eſſe exequutor ſenten tiæ, aut cooperator ad exequutionem ejus?

4. SUper hoc certum eſto negative reſpo
dendum eſſe, quod magis eluceſcet in p
ticulari: Dico ergo damnatum ut veneno pere
non poſſe illud haurire aut ebibere; quò ma
mirandum eſt Socratem hauſiſſe cicutam, & a
do, proinde neminem poſſe ad talem morte
damnari. Secundum hoc probatum erit in pr
cedenti, non enim poteſt præcipi quod n
poteſt præſtari, *rationabile obſequium noſtrum.*

Primi autem vix eſt quærenda ratio; h
enim eſt illud primum & magnum mandatu
naturæ: *Non occides*, non illud decalogi, ſed ali
multò anterius & multò arctius, eſt enim p
mum quod natura exigit à nobis, loquendo
præceptis negativis, non nocere nobis, nemin

Digitized by Google

ſibi ipſi, & omnium minimè ut nos non deſtruamus: Illud enim decalogi eſt ad alterum, quùm violatio ejus ſit injuſtitia, hoc autem non: Illud decalogi poſitum (utique ordinate quia à Deo) poſt præceptum de honorandis parentibus, hoc autem eſt prius & majus illo; prius enim & magis debet homo ſibi ipſi conſulere quàm ullis parentibus, aut filiis: Itaque non poteſt dari caſus in quo quiſpiam ſit carnifex ſui, eſtque primò & intrinſecè malum. Confirmo, non poteſt dari lex quæ præcipiat filio cædem patris, tametſi pater foret reus mortis propter horrorē quem omnes gentes apprehendunt in actu, ſicut neque poteſt dari quæ præcipiat ut quis ducat in uxorem ſuam filiam, quantò minus ut ſe ipſum. Quæ probationes tam propè accedētes principia ipſa primò prima rationis mihi ſuadent plurima alia quæ in his ſuppliciis reorum fiunt, rectius omittenda, v. g. ne quis accommodet laqueum ſuo collo, ne gradus ſcalæ aſcendat, & ſimilia quæ expediret per lictores fieri.

5. Dices, damnatus ut fame pereat poteſt præſenti cibo abſtinere, ſecundùm pleroſque hoc autem eſt ſe occidere, ergo. Reſpondeo, antecedens quidem eſſe aſſertum à multis, ſed à nullis probatum. Tamen eſto tale, nego conſequentiam, illud enim non eſt occidere, quùm ſit omnino non agere, ſed ceſſare ab actione. Inſtari tamen poteſt non ineptè contra, ſic omne præceptum negativum, habet aliquod affirmativum ſe prius, nam negatio non eſt primò in rebus, ſed habitus aut poſitivum oppoſitum: at verò omittere cibi ſumptionem licet non ſit contra negativum præceptum non occidendi, aut non odiendi, eſt tamen contra affirmativum amandi & conſervandi ſe ipſum, ergo. Reſpondeo hoc probare eſſe improbabile aliorum aſſertum, licet aliquid pro ipſo dici poſſit ex ſupra poſitis concluſ... n.... Quærenti jam an alius poſſit tali reo cibum offerre? Puto affirmandum, quia illi non eſt poſitum præceptum occidendi hujus, aut non ſervandi, quùm ſententia lata complectatur reum ſolum, ut patet ex tenore ejus. Secundò, quia præbere cibum non eſt alere aut conſervare quùm poſſit adhuc mori.

An poſſit ad defenſionem ſui uti præſidio calumniæ contra ſui accuſatorem, nec ne?

6. PUnctus eſt dignus longiori examine quàm quod à me in tranſitu poteſt ei impendi: propter quod authores quidam malè apud alios audiunt. Mihi autem vix credibilia videntur quæ de illis in hac materia circumferuntur: nam quùm dubitetur, & diſputetur acriter hinc inde an liceat calumniam calumnia repellere? maxima authorum parte negante, (ut revera negandum eſt,) dicuntur tamen aliqui cenſere quòd calumniæ uſus licitus ſit etiam contra non calumniantem: Lovanii Anno 1645. quidā publicæ defenſioni expoſuerunt hanc theſin: *Non niſi veniale eſt detrahentis authoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere*. ubi vides nullam fieri mentionem aut diſcrimen verè & falsò detrahentis. Breviter ad rem:

Cenſeo in primis non omnem uſum realis calumniæ eſſe illicitum, etiam in judicio. Probabo explicando; ſi enim quis accuſet me indebito modo, & contra ordinem juris, poſſum negare factum, quod eſt ipſum accuſare quodammodo falſi & mendacii; at verò quod ille mentiatur, revera eſt calumnia, nam ego potius mentior, & ille verum dicit ut ſuppono, adeoque. Major eſt omnium & meritò, (nominatim eſt ſubtilitas N. D. ſupra in themate producti, à quo videntur alii eam mutuaſſe,) quia quod publicum non eſt aut non publicè probatum in illo foro eſt infectum. Simile eſt ſi quis dicat ſpectata ratione naturali animam hominis eſſe mortalem; ille enim adverſario multa negabit quæ fide creduntur, & nihilominus ille non eſt infidelis, quia ſtat tantùm in ſerie & ſphæra rationis naturalis, quâ conſultâ, illæ propoſitiones erunt negandæ.

7. Cenſeo ſecundò, etiam imponenti falſum crimen non poſſe aliud ſimile imponi ſine peccato. Eſt ipſorum etiam authorum qui cenſentur patroni calumniæ: Et patet ratione, quia eſt mendacium, hoc autem eſt indiſpenſabile, adeoque non poteſt fieri ſine peccato.

Cenſeo tertiò, quamvis quis imponat Petro falſum crimen, tamen non poſſe Petrum aliud ſimile imponere ei etiam ſine injuſtitia, ac non ſolum ſine mendacio, in iſtis duobus caſibus, primò ſi auditores non ſint judices ſed vulgus: ſecundò ſi etiam ſint judices, ſed crimen imponendum non imminuit illius fidem in atteſtando. Probatur, quia cauſa quæ ſola permittit læſionem alterius in ſama, eſt, ne alius ab ipſo lædatur, quod fieret demendo ei fidem ut ei non crederetur, ſed ſpargendo crimen de illo in vulgus hoc purè efficitur, fortè enim vulgus non audivit de prima impoſtura, ergo. Neque apud judicem efficitur niſi in quibuſdam criminibus quę reddunt inteſtabilem, alia enim non demunt ei fidem. Confirmo, quia læſio famæ alterius non licet, ſicut nec læſio corporis niſi per modum defenſionis; at verò alia crimina ob ecta accuſatori non defendunt reum, ſed offendunt duntaxat accuſantem, ergo.

8. Cenſeo tertiò, licet ratiunculæ aliquæ adornari poſſint pro denfendendo calumniæ authore ab injuſtitia quando alia priore impetitus eſt, tamen non eſſe illis fidendum, quippe paralogiſmis, & nihil minus ad praxin deducendum quàm hujus veritatis oppoſitum, quod eſt calumniam legitimare. Prima & optima probatio hujus eſt aperta vox Dei: *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium*: quo loco ut ſciatur Ex
vetari calumnia univerſim, notandum eſt eundem eſſe tenorem huius de calumnia, & alterius de homicidio: *Non occides*, de quo Auguſtin. ſupra docuit non eſſe faciendam exceptionem niſi ab ipſo Deo: iam vero (ut feſtivè Subtilis,) *id non habetur in Scriptura, nec de bulla ſuper hoc deſcendente de cælo audivimus*. I.
Ad hæc, quid clarius illo Pauli: *Maledici regnum Dei non poſſidebunt*, quod etiam abſolutè prolatum eſt, & ita intellexit antiquitas, quę proinde calumniam omnibus interdixit non utcunque, ſed impoſitione acrium pœnarum. *Concil. Arelat. de his qui falsò accuſant fratres*, inquit: *Placuit uſque ad exitum non communicare. Carthag. 4. Epiſcopus accuſatores fratrum excommunicet. Arelaten. 2.* repetit diras primi ſupra, addens: *Sicut magna ſynodus ante conſtituit*. Videri poteſt *Matiſcon. Duziacen.* & *Epaonen*. quod ſingulariter ſtatuit ut *Clericus* calumniæ *convictus capitalis criminis reus cenſeatur*.

Digitized by Google

cenſeatur. Videri etiam poteſt *Adrian. Papa*, & alii Eccleſiæ rectores, quorum nemo unquam excepit ut faciunt moderni, neque diſtinxit hic de malitia injuriæ ſeparabili ab illa mendacii: propter quæ conquieſcere poſſumus hic tanquam re moraliter demonſtrata, quia in materia morum; *Mandatum lucerna eſt, & lex lux*: Ratio autem à priori quæ ſit, opportunius adferetur in ſolutione objection. Interim unam hic ponam practicam & à poſteriori, quia ſi ſemel aperiatur porta calumniis hoc modo: Nemo erit ſecurus de ſua fama inter Chriſtianos, etiam Religioſos; quilibet alterum accuſabit fandi atque nefandi nullo obice coërcitus, ſi vel auram aliquam alius acceperit quod ei aliquando detraxerit: & ita factum in gynæceo Imperatricis nuper teſtatur Cara: puellis mutuò ſe vellicantibus occaſione hujus doctrinæ. Simile eſt quod ſupra dixi de homicidio, atque etiam infra tangam, ſed prius pro ipſis.

9. Objiciam (ſi Deo placet,) eandem Dei legem; nam & ibi dicitur: *Non occides*, & tamen licet occidere tentantem alicujus occiſionem, quidni ergo liceat infamare eum qui tentat infamare? patet enim paritas. Reſpondeo tamen hoc nihil nocere, eſt enim ipſum quod ſupra prima concluſione conceſſi, cujus cauſa eſt illa quæ patet paritas, nam occidere invaſorem non licet niſi defendendo, nec quidquam mali ei inferre, atque ita ſola defenſio licita eſt, quæ etiam hic licet: Poſſum enim liberè dicere, quòd calumniator errat, quod falſum aſſerit, quod mentitur, &c. quæ certè ſunt aliqua calumnia in eum, qui revera non mentitur, & tamen licent, quia ſunt defenſio mei; alia autem crimina paſſim imponere ei non poſſum: ſed contra

Objiciam adhuc pro ipſis: Quùm quis me invadit, poſſum eum ferire in brachio ut imminuam ei vires, & efficiam ne poſſit me ferire, ergo quùm quis me vult in fama lædere, poſſum eum viciſſim referire, ut ipſe jam infamis non habeat fidem, nec conſequenter poſſit famam meam imminuere, alioquin detur diſparitas: Ego autem adfero paritatem, quia licet iiſdem armis hinc inde uti, id autem fit hic. Nec refert ſi dicas quod fit huic injuria, eo quòd mendacium illud ſit pernicioſum, ac non tantum officioſum; nam etiam ictus ille impactus invaſori in brachio aliàs eſſet injurius, jam tamen non eſt, adeoque à ſimili. Confirmo ex divina lege talionis: *Oculum pro oculo, dentem pro dente, aduſtionem pro aduſtione, livorem pro livore*; nam quidni ſimiliter, *pudorem pro pudore*, ſive, *calumniam pro calumnia?* Confirmo iterum ex lege humana... *Frangenti fidem fides frangatur eidem*; quidni ergo *calumnians recalumnietur*, ut ita loquar?

Exod. 21.

10. Hæc ego pro illis, ipſi autem ut plurimum adferunt unam ratiunculam, quam author Apologiæ Caſuiſtarum his verbis expreſſit: *Oſtendunt Ianſeniſtæ eum qui injuſtè famam alterius læſit, retinere jus in ſuam*: Et in formam argumenti reducta ſic ſonat: Calumniator non habet jus in ſuam famam, ergo infamando eum non fit ei injuria: ſi autem non fit injuria, ſequitur calumniam eatenus malam eſſe quatenus falſa eſt, ſed

falſitas ſive mendacium ſine injuſtitia eſt tantùm
veniale peccatum, ergo tunc calumnia veniali
erit. At enim hoc facilè ſuperatur, ſive ſolutio
in forma exhibenda ſit, ſive in materia ad me
thodum Apologiſtæ; ſtatim enim occurritur e
negatione, non enim calumniator perdidit jus i
omnia per calumniam, quia non in facultates
non in ſanitatem, neque in omnem famam, qui
non in eam cujus ablatio nihil juvat calumnia
tum: Quorum omnium ratio eſt, quia calu
mniari calumniantem non licet niſi per modum
defenſionis; at verò non omnis calumnia juva
ad defenſionem, neque omnis infamia, ſed i
certo genere, adeoque in aliis ſicut eſt inutili
ita eſt illicita. Per quod verto in oppoſitum al
quas probationes ex dictis, nam nunquam lici
fuit pœna talionis quæ auferret oculũ pro dent
ergo ſimiliter.

Propter quæ graviſſima Univerſitas Lov
nienſ. adverſam aſſertionem iſtam, ſcilicet: *Pr
babile eſt non peccare mortaliter qui imponit falſu
crimen, ut ſuam juſtitiam & honorem defendat; & ,
non ſit probabile, vix ulla opinio erit probabilis in Theo
logia*, hac creta notavit: *Nec umbram quidem præſ.
probabilitatis, ſed cumulum complet temeritatis, ſp
tioſam calumniatoribus portam aperiens.* Nam, ut e
gregiè Petrus Arodius: *Si in bello vix probantur i
ſidiæ, in judicio valebunt?* Certè ſi redirent tempo
in quibus illo eodem authore *Ignis pœna calumni*
iſtæ novitates momento diſparerent. Hanc ta
men cenſuram reprobandam ſuſcepit Jo. Caram
Probo (aiens) *eſſe probabile non peccare mortaliter q
imponit falſum teſtimonium alicui ut ſuam juſtitiam
honorem defendat, quia illud eſt probabile quod aſſeritu
à viris doctis probiſque, & hæc doctrina habet vigin
aut plures*: ita quemadmodum pumiliones er
gunt ſe ſubere naturæ defectum factitia quant
tate compenſantes, ita inquam hæc doctrina i
ternam probabilitatem externa compenſavi
Et, ut iam monui, doctrina de legitimatione h
micidii huc refertur alio vultu, in qua quantu
Caram. profecerit quiſque ex ipſo colliget de
ſic ſcribente: *Legiſti hanc doctrinam, & inquiris,
homo religioſus qui fragilitati cedens fœminam vil
cognovit, quæ honori ducens ſe proſtituiſſe tanto viro r
enarrat, & eundem infamat, poſſit illam occidere?*
interpoſita parte affirmativa ſubdit: *Doctri
quidem eſt probabilis, ſed qua poſſit uti Religioſus,
pellicem occidere ne ſe infamaret?* At enim iſtæ ta
exoticæ novitates, non aliud magis proba
quàm ſolidam vetuſtatem Scoti; enimve
omnia hæc paradoxa initium ſumpſerunt ab e
quod aliqui ſibi perſuaſerint furem occidi poſſ
ſive mortem inferri pro facultatibus conſerva
dis: tum enim illi ſtatim argumentantur h
modo. Licet occidere pro conſervatione fac
tatum: Atqui honor eſt charior facultatibus, ergo, &c. quæ omnia ſupra abundè refutavi, unde nunc erit

* * *

ACTIO

ACTIO III.

De Accuſatore, Teſte, Advocato.

Breviarium.

N. 1. *Numerus teſtium quis? Obligatio ad teſtandum quanta.*

2. *Falſus teſtis an teneatur ad reparanda damna quæ proveniunt accuſato?*

3. *An admonitio debeat præcedere accuſationem, & quam?*

4. *Falſi impoſitor an de jure pœna talionis plectendus?*

5. *Talio aliquando eſt citra debitam pœnam: ſed meritò retinenda.*

6. *An advocatus poſſit cauſæ dubiæ vel etiam injuſtæ patrocinari?*

1. Vix aliquid ſupereſt ſcribendum quod mereatur legi, præter poſitiva legum inſtituta plane arbitraria, & ita libera, ut ſi volvero hodie illa chartis inſerere, cras fortaſſis cogar ea expungere. Quoad teſtes jam dixi & repeto non poſſe illos eſſe pauciores duobus ut feratur ſententia in quempiam, idque cautum eſſe non ſolùm Moſayca lege, ſed Evangelica, & naturali.

Ad teſtandum video authores facile obligare homines, ſed non video obligationis rationem, in cauſa criminali præſertim, imo probo non eſſe, quia in æquali ſtatu favendum eſt potius reo quàm actori; atqui ante acceſſum teſtium æqualis eſt ſtatus actoris & rei, quia ſi ille affirmat, iſte negat, ergo pendendum eſt in id quod reum iuvet, & eſt non teſtificari contra eum. Nec eſt quòd opponatur locus Levit. 5. *Niſi induaverit, portabit iniquitatem ſuam;* quæ phraſis ordinariè ſignificat habituale peccatũ remanens ex actuali commiſſo, & quidem gravi, nam lex fuit iudicialis, adeoque in morte Chriſti extincta.

2 Item communiter liberant teſtem à ſarciendo damno quod intulit falſo teſtimonio, ſi id ignoranter, inadvertenter, vel ex oblivione fecit. Sed ego iam ſupra oſtendi huius libertatis falſitatem, quia etiam falſo fundamento nititur; non enim requiritur culpa ad obligationem reſtitutionis, ſed ſufficit damnum fuiſſe illatum, & læſum ius alterius, alioquin ſi ebrius furetur, non tenetur reſtituere, vel ſi opprimat vi virginem, non tenetur dotare: Et denique iniqua eſſet lex divina quę huiuſmodi damnorum reparationem imponit hominibus quorum iumenta aliorum bona imminuunt, num enim in iumentis culpas deprehendere volunt?

De falſo teſtimonio ſcienter præſtito oppoſitum omnes iudicamus, ita ſeriò ut teſtificans in eodem genere damnum ſubire teneatur, ac proinde morti ſe obiicere retractando, ut eripiat innocentem à morte, ſi ad eam damnetur; talis enim, ut rectè Malderus, non tam eripit innocentem à morte, (quod cum propriæ vitæ periculo non tenetur,) quam deſinit invadere & occidere, quod certè tenetur.

Habent tamen authores hic doctrinam omnibus ferè communem, quòd quando plures concurrunt ad damnum, omnes & ſinguli tenentur in ſolidum ad reparationem, quæ res in propoſito locum habet, ſed multò magis in ſequenti puncto de talione; ſi enim decem homines teſtati ſunt falſum, omnes & ſinguli ſunt rei talionis; at verò iniuſtum videtur decem homines perire pro iniuria unius: imo id videtur contra tenorem legis, & mentem legiſlatoris, quia nimirum ab his decernitur ut teſtis ſive accuſator falſus ſubeat eandem pœnam quam reus; at verò reus non ſubiret niſi ſimplicem pœnam, & nullatenus decuplam, quod amplius confirmo, quia decuplum reſpectu ſimpli non eſt talio, ſed taliones, & quid novem partibus excedens menſuram lege decretam, adeoque omnino iniuſta. Aliquid huius tetigi ſupra in negotio furis, & utrinque relinquo totum Lectori expendendum. Hic autem redeundo ad cædem innocentis dico quòd qui potuit innocentem falsò ab alio accuſatum liberare à morte ſuo teſtimonio, ſi legitimè interrogatus id non fecerit, peccat graviſſimè, ſed contra charitatem, non æquè contra iuſtitiam, adeoque non tenetur damnorum. Ratio ſecundæ partis eſt prima, non enim eſt rentio damnorum ſive obligatio reſtitutionis, niſi quando peccatur contra iuſtitiam, ut apud omnes conſtat: Quod autem ille non peccaverit contra iuſtitiam quæ fuit altera pars, ſic oſtenditur, quia nimirum ille non tenetur hic teſtari, (intellige ſeclusâ charitate) niſi qui iudex id præcipit; atqui ad præceptum iudicis non conſurgit obligatio niſi obedientiæ, ergo; notum eſt enim quòd obedientia aut eius actus non ſit actus iuſtitiæ verè, ſed tantùm laxè & remotè, ſive partis poteſtativæ eius, ut loquitur S. Thom. Confirmo, quia iuſtitia quæ verſatur inter Rép. & cives eſt legalis, quæ non eſt rigidè talis aut commutativa quæ inducat reſtitutionem.

Quia tamen miſerendum eſt miſeri ubique etiam in ſcholis, non eſt improbabile mihi talem teneri etiam ex iuſtitia ad ferendum teſtimonium veritati, ſive iñocentiæ rei in eo caſu; idque etiam ſecluſo iudicis præcepto. Moveor, quia extrema neceſſitas dat moribundo ius in aliena: Si fame pereo, poſſum alimenta quæ hactenus alterius ſunt, ſumere, quia iam ſunt mea, & ultima neceſſitas fecit mihi ius in ipſa: Idem de veſtimento ſi frigore peream, & alter non ita egeat, &c. Cur autem adquiro ius tunc, & natura id mihi dedit in bona proxime tunc, non dedit autem in eius actiones? quæ cauſa? quæ ratio huius? nulla ſane.

Sed inquies, tunc opprimar argumento ſupra à me poſito ex cõmuni Theologia de onere reſtitutionis, quòd tunc incumberet illi teſti: de facto autẽ non incũbit: Propter hoc exiſtimo doctrinã illam Ethicorũ de onere reſtitutionis ſequente ad peccatũ iniuſtitię ſane accipiendũ eſſe, & propriè

ut

Digitized by Google

ut locum habeat quando pars altera ſtipendio conducta eſt ab aliâ, & aliquid accepit, ratione cuius tenetur operam ſuam hic locare tanquam mercem quandam emptam illo pretio: alias non item. Quod dupliciter ſuadebo mitigando invi-
Pſal. 84. diam huius doctrinæ in quâ valde ſalutariter *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi*: Primò quia etiam alii fatentur onus reſtitutionis non conſurgere niſi ad propriam ac perfectam juſtitiam: at verò illa in qua non eſt commutatio non eſt propria & rigida Juſtitia, adeoque. Secundò quia fatebor eam ſive illud aut aliud pœnale æquivalens ei conſurgere in Dei tribunali, vel etiam illo naturæ, à quibus reſpectivè oritur hæc obligatio. Inſtabis, ſi in Dei tribunali, aut etiam illo naturæ tenentur, jam non ſunt ſecuri niſi realiter reſtituant: Nego tamen ſequelam, quia nec Deus nec natura ſuis legibus hæc comprehendunt; quæ ut ſane intelligas revoca huc ſupra dicta Apolog. Act. n. jam prodeat interim.

Accuſator.

3. IUverit fortè ſcire quod Accuſatio propriè hic ſit, Delatio rei de crimine ad vindictam publicam libello facto; videturque differre à denunciatione, quod hæc non obliget ad probationem · de quo præter arbitraria legum duo videntur ſcitu aut quæſitu digna; unum, an accuſationem debeat præcedere admonitio accuſandi? alterum: an deficientem in probatione, ex æquo & jure comprehendat pœna talionis? Quoad primum, diſtinguunt plerique de accuſatione ſeu denuntiatione Evangelicâ: & alterâ Judiciali: de una affirmantes, de aliâ negantes; (ut ſemper ſolent qui diſtinguunt,) quaſi verò Chriſtus D. de Evangelicâ loquutus fuerit, quùm Evangelium tunc non fuerit in Mundo; & quamvis fuiſſet, tamen denuntiatio tum primum cœperit eſſe aliquid eius; aut Chriſtus D. non potuerit condere Eccleſiæ ſuæ leges judiciales ſicut Moyſes Synagogæ, & arctatus fuerit ad partem aliquam regiminis ut non potuerit jus condere niſi Canonicum: Apage ignorantiam, quum Dominus non fuerit caput & legiſer Eccleſiaſticis tantum, ſed omnibus, etiam laicis. Imò tempo-
Act. 25. re Chriſti Domini non fuit differentia Clerici &
Matt. 27. Laici qualis hodie, ut haberent hinc inde noſtri
Marc. 15. diverſa fora, quia Paulus Apoſtolus Cæſarem appellavit, & ipſe Dominus judicatus eſt à Pilato; quorum judicum neuter fuit Eccleſiaſticus.

Tenendum eſt ergò ante accuſationem ullius novo jure Chriſti & vetuſtiſſimo naturæ præmittendam eſſe admonitionem. Videbis totum Matth. 18. Et ſanè pro ipsâ videtur facere
Pſal. 18. quod contra ipſam adfertur, ex text. C. *Qualiter.* 2. *de accuſat.* ibi: *Sicut accuſationem legitima debet præcedere inſcriptio, & ſic denuntiationem charitativa admonitio, & inquiſitionem clamoſa enumeratio prævenire.* Et quamvis judicia Domini ſint juſtificata in ſemetipſis, & adhuc prius illa naturæ, tamen etiam huius eſt in rebus ratio; quia contra rationem eſt procedere ad remedia cauſtica ac mutilationem ſi poſſit plaga curari per fomenta: Et aliter facta accuſatio prodit odium, & libidinem vindictæ in accuſante quæ ſunt intrinſecè mala, &c. quæ videtur cogitaſſe Durand. quùm

deſertâ illâ diſtinctione ſtatuit abſolutam
cluſionem mecum. Quanquam ego nolim
eſſe abſolutus quin patiat aliquas excep
nihil enim tam ſolidè ſancitum quin ſub
fine evaneſcat, ut ſi crimen ſit tale quod
emendato reo ſupplicium mereatur, ad
plum aliorum, non debet differri acc
per admonitionem interponendam &c.
Malder. & Becan. hic.

4. De talione dixi aliquid quoad circu
tiam; nunc duo in ſubſtantia pœnam fui
ſtam & correſpondentem culpæ, intelli
lumniæ ſive accuſationi falſæ: idemque eſt
ſatione vel teſtificatione veri quidem cri
ſed ſecreti quod non poſſit probari. Prim
batio huius eſt lex divina quæ acutiſſimam
nem ſtatuit: Deut. 19. Proxima, Lex XII.
lar. Tum Canonicum Damaſi Pap. qui fal
minibus impetitus talione mulctavit calun
tes ut patet ex. Rationem huius aſſignat
Sotus; quia (inquit) accuſator conſtituitu
reo adverſa; judex autem medius inter amb
det juſtitiæ adminiſtratori ſed æqualitas j
id exigere apparet ut periculum quod qui
per incuriam creat, in ipſum recidat. Valea
batio quantum poteſt; certè Minor petit p
pium, quod tamen ſic ſuaderi poteſt: J
exigit æqualitatem, imò ponit eam inter p
non poneret autem niſi impoſitor criminis
lis eſſet accuſato in pœnis qui ſimilis eſt ei i
pa: Confirmo quia quilibet poteſt tueri ſe
libus armis, & ſimiliter repercutere ferie
ergo appetitus ad pœnam pro tali, vel tal
mine poteſt eandem in caput appetentis
quere. Confirmo adhuc quia, ut bene S
jacula in ſolidum torta reſiliunt, intellige in
lantem; atqui in hoc caſu innocens eſt qu
lidum cui calumniator non potuit nocere,
dignum eſt ut ictus ab eo reſiliat in authore
in eo operetur quod feciſſet apud alterum
do eum pervadere potuiſſet: ſed

Objicitur contra: Juſtum quidem e
occidens occidatur; at verò tentans tantu
cidere, aut tentans mutilare debet infrà
& eſſe contentus mitiori pœnâ. Propter hc
tus citatus cenſet talionem non eſſe adeo ju
ſed nimis ſeveram: Ego autem addo tali
aliquando eſſe nimis ſuavem; ſed interi
ſpondeo huic haberi ab ipſo quantum ſati
nam non exigitur niſi ut accuſator ponatur i
riculo proximo mortis, & affigatur ei de me
eius, vel cujuſcunque pœnæ; tum vero judi
ferre ſententiam; nam & calumniator non
fecit; ſententiam non fecit ut judex, cæden
fecit ut carnifex; at verò patet hoc ſuffic
mortem eius, vel ad aliam mulctam.

Dices ſecundò: ſaltem iam non lic
lio, nam à Chriſto abrogata eſt Matth. 5
Reſpondeo ita viſum quibuſdam ex quibu
ſeri poteſt S. Hieronymus: ſed omnium
oppoſitum verius eſt & patet conſulenti te
Agimus hic de pœnâ per ſententiam judicis
genda; Chriſtus autem huic negotio non
cuit loco citato, ſed tantum ſuaſit actori
geret à Reo talionem, volens Eccleſiæ ſuæ
tum manſuetudinis commendare; id auter
gè aliud eſt, & aliud dicere quod, ſi fortè
exigat, non poſſit à judice ei reddi, quo
aſſerimus & Chriſtus non vetuit.

Digitized by Google

5. Dixi talionem eſſe aliquando citra debitum aut condignum, quod videtur contra communem ſenſum aliorum qui putant potius eſſe ultra: Moveor autem ego inde; quia ſi perſona plebeia accuſet Magnatem criminis, quod ſpectatâ dignitate Rei ſufficeret puniri exilio quando probaret, & in probando deficeret, non eſt mulctandus ſolo exilio accuſator; ſed graviori ſupplicio vel verberibus tundendus, cum infamiâ, vel ad triremes damnandus.

Cæterum ego ipſe illis accedo qui ſpectatâ rei naturâ, quod aiunt, purè purè, in talionis pœna rigorem aliquem deprehendunt: Certè enim potius eſt ultra quam citra condignum in cauſa accuſatoris & teſtis qui non nocuerunt niſi verbaliter Reo: ſed hoc noſtro ævo quo calumniæ excuſantur, ac tantum non ſuadentur, quo novi aliqui contra omnem antiquitatem, injuriam facto detrahunt,

Reiſque ad aſtra liberam pandunt viam:

Optandum eſſet talionem ſicut fornacem Babilonis accui *ſeptuplum quam ſuccendi conſueverat.*

De Advocatis.

6. VNum videtur eſſe quod mereatur decidi; an ſcilicet poſſint injuſtæ cauſæ, vel etiam dubiæ patrocinari? Et verò ad primum reſpondent omnes negativè, ad ſecundum multi.

Teneo tamen ad utrumque reſponderi poſſe affirmativè in cauſa civili; ſi enim de criminali agatur, nunquam poterit injuſtæ favere, imò neque in dubia actori, Reo autem ſemper: Moveor ad primum: quid enim vetat advocatum aliquem experiendæ peritiæ ergò cauſam difficilem, imò impoſſibilem, id eſt injuſtam ſuſcipere dummodo ipſe deinde damna, victo reſarciat, quod poteſt ſive ex ſuo peculio, ſive ſimili induſtriâ cogendo judicem ad revocandam ſententiam. Illud de dubia cauſa miror ulli eſſe dubium: Si enim non liceret Advocato in cauſa dubia tam rei quam actoris partes ſuſcipere tacerent tribunalia, juriſprudentia periret, certè autem advocati otio & inopia deficerent; quis enim eſt qui contra evidentem juſtitiam agat, quùm lis ſit præjudicata, & judex vi juris ac juſtitiæ rapiatur ad ſententiam pro innocente ferendam: atque ita ſola cauſa dubia relicta eſt Advocatis promovenda.

Objici tamen poteſt; ille cuius cauſa eſt minus probabilis non poteſt alteri bellum inferre, ergo nec judicium aut litem contra eum movere, quia hoc etiam eſt quoddam bellare ac contendere. Confirmo; quando juſtitia belli eſt dubia non licet extraneo militare, ſed advocatus eſt extraneus cauſæ, quidquid ſit de ipſo actore aut reo, ergò non poteſt juvare ullum ex his in tali lite, Reſpondeo tamen negando conſequentiam utrobique, cuius cauſa eſt diſparitas quæ intercedit bello & liti, non enim ſunt paria, quia bellum ſimile eſt exequutioni ſententiæ, non verò liti, & lis ſimilis eſt non bello ſed conſultationi præviæ: nihilominus

Objici ſecundò poteſt: Quando rationes ſunt hinc inde æquales, favendum eſt reo; ſed non faveretur ei ultra actorem ſi liceret etiam actori habere advocatum, ergò non licet. Adhuc tertiò: ſi cauſa actoris eſt dubia, periculum eſt & poſſibile eſt ſubeſſe ei falſum ſive injuſtitiam: at verò periculum injuſtitiæ eſt malum in hoc genere: quia periculũ peccati eſt peccatum. Denique ſic arguo quartò contra caſum quo advocatus ſuſciperet ut poteſt partem minus probabilem ſive minus juris habentem in rem controverſam: Agere contra partem magis probabilem ſive magis fundatam eſt agere contra jus, eſt enim agere contra id in quo hæc excedit cauſam minus juſtam, ſive partem minus probabilem, hoc autem eſt aliquod jus, ergò. Iſtæ ratiunculæ nonnihil ſuadent oppoſitum: ſed evadi omnes poſſunt facilè præter ultimam, ut *infra:* Ad primam enim dicam legem illam latam eſſe judicibus ut ferant ſententiam pro reo, non autem advocatis aut teſtibus &c. qui omnes ſequi poſſunt ſuas voluntates & utilitates, non obſtante reatu aut innocentia ullius. Ad alterum Reſpondeo illud eſſe poſſibile, ſed non eſſe periculum quamdiu non apparet, non enim tenemur timere aut cavere omnia. Confirmo quia ſi ſic philoſophemur, non poterit quis ſuſcipere defendendam partem magis probabilem, quia eſt etiam probabilis, quamdiu autem retinet probabilitatem ſemper retinet formidinem de oppoſito. Ultimò autem concedendum eſt quod ſi conſtet hunc habere plus juris, non poteſt Advocatus contra eum agere, eo quod ſic ageret contra jus; at enim in propoſito non eſt jus conſtans, ſed opinativum duntaxat, adeoque.

Super his accedendi.

IN *primis* D. Thom. 2. 2. *q.* 6. *& q.* 67. Lyran. noſter *in Exod.* 23 Panormit. *in Cap. Paſtoralis,* Petr. Navar. *lib.* 2. *de Reſtit. Sa. verbo* judex. Covar. *lib.* 1. *var.* Alenſ. noſter 3. *p. q.* 40. Richard, *quodlib.* 3. *q.* 23. S. Antonin. 3. *p. tit.* 9. Major. 4. *diſt* 33. *q.* 4. *&c.* Greg. à Valent. *hic cum* D. Tho. *q.* 11. Cajetan. *ſimiliter, &* Bannez *&c.* Tanner. *diſp.* 4. Juſt. *q.* 4. Victor. Relect *de homicid.* Gabr. Vaſqu. 1. 2. *diſp.* 173. Caſtr. *lib.* 2. *de leg. pœnal.* Domin. Soto *lib.* 5. *de Iuſt.* Martin. Navar. *in Manual. c.* 25. Azor. *tom.* 1. *lib.* 2. Leon. Leſſ. *item lib.* 2. *de Iuſtit.* Aragon. *q.* 63. Joan. Lug. *Tom.* 2. *de Iuſtit. diſputionib.* 39. 40. *&* 41.

APO-

Digitized by Google

APOLOGIA VLTIMA.

De Reſtitutione.

ACTIO I.

An? & quomodo damnum ſpirituale illatum alteri obliget auferentem ad reſtitutionem?

ACTIO II.

De reſtitutione ſequente ad homicidium & mutilationem.

ACTIO III.

Ad quid obliget ſtuprum, & ſimilia?

ACTIO IV.

De Reſtitutione Adulterantium.

ACTIO V.

Reſtitutio famæ quando & quomodo facienda?

Scotus 4. *diſt.* 15. *q.* 3. *n.* 3.

ALiquis poteſt alium indirectè damnificare inducendo eum ad peccatum & actus vitioſos qu bus virtutes corrumpuntur & vitia generantur; & iſta inductio poteſt eſſe multiplex, ſcili conſulendo, perſuadendo, rogando, &c. De iſto dico quod tenetur modo ſibi poſſibili reſtitue damnum, ſcilicet inducendo eum efficaciter ad pœnitentiam & actus virtuoſos; &, ſi ſola induct non ſufficiat, quia facilius eſt pervertere quam convertere, tenetur & per ſe orando, & per o tiones aliorum procuratas impetrare ſibi converſionem & per alios perſuaſores efficaces, dum t men illis non prodat peccatum occultum illius alterius. Ex hoc patet quantum periculum eſt aliu ſollicitare & inducere ad peccatum, quia vir poteſt digne reſtituere, &c. ratio huius ſatis pate quia quùm virtutum bona ſint maxima ſecundum Aug. 1. Ret. plus damnificat, qui in illis damni cat quam qui in quibuſcunque aliis &c.

Idem *ibid. qu.* 2. *nu.* 38.

AD iſta mala diffamationis & mortis, vel ſaltem odii, vel diſcordiæ, quæ ſunt valde probabil & videntur ut in pluribus eventura non debet ſe mulier exponere propter incertum bonu hæreditatis reſtituendæ. Et præter hoc; in terris ubi primogenitus eſt hæres, pater ſi crederet ux ri, non poſſet à ſpurio auferre hæreditatem niſi in foro publico probaret eum talem, & hunc porteret mulierem diffamari non tantum apud maritum, ſed apud totam patriam, &c.

ACTIO I.

An? & quomodo damnum ſpirituale illatum alteri obliget ablatorem ad reſtitutionem?

Breviarium.

N. 1. *Qui induxit ad peccandum, ad quid teneatur inducto?*

2. *Non eſt liber ex condonatione inducti:*

3. *Rationes aliqua in oppoſitum huius mota, & ſoluta. Quomodo accipienda regula Iuris:* Principali abſoluto *&c.*

4. *Theologi ordinariè diminuti in expendendis exceſſibus circa ingreſſum religionis.*

5. *Prima pars reſolutionis: De abſtrahentibu alumnos à religione.*

6. *Secunda, & Scotiſtica, peccare injuria qui ab ſtrabit profeſſum ad apoſtaſiam.*

7. *Qui inducit ineptam ad religionem profiten dam tenetur ad damna religioni: &c.*

Digitized by Google

1. HActenus apparuit quam ſuavis Scotus, qui qua potuit obſtitit homicidis & hominibus, & legibus eorum; nunc apparebit quam pius. Quæſitum an is qui alium ad peccandum induxit, teneatur ad eximendum eum peccato, & reſtitutionem alicuius pro damno ſpirituali? Ad quod alii communiter reſpondent teneri eum reſtituere alterum ſuæ libertati vim fraudemque tollendo, & ad nihil amplius ex juſtitiâ. Scotus autem imponi ei non ſolum ut reſtituat libertatem, ſed etiam damnum ſpirituale illatum, quem in hoc ſequuntur doctiſſimi plerique veteres ac moderni: unde ita dicendum & faciendum

Probo efficaciter à paritate, nam ſi iſtis modis, puta vi, metu, aut fraude temporale quid puta pecunias proximo abſtuliſſes, tenereris ex juſtitiâ eas reddere, imò & damnum illatum toto illo tempore, & multo magis lucrum interim ceſſans, cur ergò non teneris de jure reddere ſpirituale ſic ablatum. Hic expecto quoſcunque ad diſparitatem; Fateor enim quod eam ego non videam: Unde pergo alia inſtantiâ; ſi occidiſſes aut vulneraſſes tenereris ad omne damnum ſaltem reparabile & poſſibile tibi, quod addo propter quorundam ſenſum qui putant in homicidio non dari obligationem ejuſmodi, nec (niſi minus) in mutilatione. Probo etiam ratione à priori, quia minari aut vim inferre eſt contra juſtitiam; ſimiliter decipere aliquem circa neceſſaria vitæ aut corporalis aut ſpiritualis, ſicut enim quilibet habet jus ne ab alio lædatur in corpore ita etiam habet ne in animâ lædatur invitus errore &c. At verò tritum & notum eſt eum qui privat quempiam aliquo teneri ad reſtitutionem, ergò. Sed videamus quibus armis inſtructi aliqui tantæ evidentiæ repugnant.

2. Objiciunt autem: nemo tenetur ex juſtitia ad ſarcienda damna ei qui cenſetur illa condonare: ſed is qui à te inductus eſt in peccatum poſtquam ſcit ſe eſſe in peccato, & poſſe ope di divinâ reſurgere, & tamen non vult, cenſetur tibi damnum ſpirituale condonare, nam vult in eo permanere & amiſſam gratiam velut ante oculos poſitam non vult recuperare. Confirmo exemplo, quia ſi res ablata Petro eſſet ante oculos eius, ita ut poſſit eam facilè recuperare, ſed nollet, cenſeretur eam habere pro derelictâ, & reſtitutionem condonare, ergò ſimiliter. Propter hoc Malderus concluſionem noſtram prius poſitam aliâ contrariâ revocavit, non veritus in eâdem chartâ contradicere: Et aliàs fundamentum hoc quod omnibus adverſariis eſt commune, licet appareat primo aſpectu, tamen ſi penitus inſpiciatur, invenietur minus habens: Quod ut appareat verè dictum, inducam hanc formam in aliam materiam: Impediviſti mechanicum aliquem à labore, & conſequenter à denario diurno, ille autem ex ſua libertate craſtina ſequenti non vult laborare, an ideo tu abſolutus es à reddendo ſtipendio heſternæ diei? nequaquam; & tamen illa ratio recurrit tota in iſtum caſum, poteſtque ibi pulchrè ſedere: Ecce quomodo: poſſet ille hodie denarium diurnum habere & non vult, ergò cenſetur ei qui abſtulit condonare; nihil minus, quia alius eſt denarius quem tu abſtuliſti, & alius quem ipſe omittit. Similiter poſſet ille gratiam Dei habere, & non vult, dico quod non ideo cenſetur eam tibi condonare, quia ſibi parcit, non tibi. Sibi parcit eo quod nolit laborem pœnitentiæ ſuſcipere confitendo, jejunando &c. at verò gratiam quam quietus poſſidebat, & ſine omni labore nullo modo cenſetur condonare. Tu tuâ fraude vel vi abſtuliſti ei gratiam quam ſine ulla difficultate poſſidebat. unde nullatenus cenſetur eam tibi ignoſcere ſi ipſe nolit laborare pro nova: unde paritas eſſet potior ſi poneretur caſus quod abſtuleris mechanico illi per vim aut metum denarium diurnum quem in burſâ habebat, hic enim nullatenus cenſetur condonare ſi nolit laborare pro alio: unde nego argumento Minorem, & Confirmo paritate (ſed & aliter ei reſpondebo) non enim eſt verum gratiam Dei amiſſam per peccatum eſſe ſimilem pileo Petri ablato ei, & deinde in viâ publicâ invento; nam non æque facilè recuperatur gratia ac pileus è publico elevatur; ſed peccator volens eam recuperare:

Multa tulit, fecitque prius, ſudavit & alſit. Horat. de art. poet.

Ex quibus pergo ad confirmandam rationem cœptam; nam ſi ille homo à Te inductus non peccaſſet, & ſubiſſet laborem illius pœnitentiæ confitendo ſacramentaliter, dolendo, & ſatisfaciendo jejuniis vel eleemoſynis &c. Longe majorem gratiam haberet, quam modo habebit, demus enim quod antea habuerit ſex gradus; ſi non peccaſſet, poſt illa opera haberet duodecim, jam verò habet ſex tantummodo, quia ſemper ſtat quod per ſe perdidit ſex, adeoque teneris illos ei reddere. Hic interim abſtraho à benignitate Dei, & illa Theologiâ quæ pœnitenti refert totam gratiam deperditam, de quo ſuo loco. Et omninò clarior eſt res in caſu fabri ſupra quem non tangit iſta Theologia, iſte enim ſine dubio plus habere poſſet poſt laborem ſecundæ diei ſi non amiſiſſet illum primæ.

Pergo in probando & oſtendo clarè non ſufficere quod illi dicunt, ut auferatur vis; nam ablatio vis fertur in futurum, neque adhibet remedium præterito: ergò non ſufficit ei qui intulit damnum per vim quod deinde eam vim tollat: Quod etiam confirmo & probo à priori, nam ille vim paſſus habet jus ad ſuam libertatem non ſolum pro futuro, ſed etiam pro præterito, ergò: Et revera ſemper recurrit exemplum Mechanici, nam ſi intuliſti ei vim uno die, non ſufficit relaxare eam altero, ſed debes compenſare damnum prioris violentiæ: Ex quo jam aditus eſt apertus ad ſuadendum hunc Scoticiſmum, nam negotium non conſiſtit ut aliqui putant in amiſſione gratiæ, ſed præterea per peccatum incurrit ingentem ſummam pœnarum quæ non ſtatim tolluntur reddita gratia horum omnium cauſa, & quidem injuſta eſt ille per vim & metum, ergo tenetur impetrare ei remiſſionem earum, ſaltem cooperari ad eam & nullatenus ſufficit tollere vim.

3. Pergam etiam objicere pro ipſis: is qui fuit principalis & directa cauſa damni ſpiritualis non tenetur ex juſtitiâ, nempe is qui fecit opus malum, eo quod is qui paſſus eſt cenſeatur condonare, nempe idem ipſe ſibi: ergò nec is qui eſt cauſa remota, nam quando ignoſcitur principali, intelligitur remiſſio facta minus prin-

principalibus: Reſpondeo tamen, (ultra quod non fit comparatio ſui apud aliquem cum ullo alio) non poſſe regulam hic procedere, quia non ſunt ſimiles principalis & alii; nam regula procedit de inferentibus injuriam, at vero peccans non infert ſibi injuriam, adeoque. Confirmo quia in noſtro caſu contingere poteſt ut principalis omnino non peccet, neque incurrat pœnam, utrumque tamen faciat coactor vel conſultor, ergo non eſt metiendus minus principalis principaliore? Ratio antecedentis quia coacto vel decepto opus non eſt voluntarium, coactori, & conſultori eſt; &, ſi opus externum habeat annexam cenſuram, incurrit eam conſultor, non incurrit operator.

Objiciam ergo acriùs: ad impoſſibile nemo tenetur; ſed conſultori & coactori impoſſibile eſt reddere ei divinam gratiam quam perdidit ipſe peccando, ergo ad hoc non tenetur. Confirmo; quando damnum eſt irreparabile non tenetur damnificans ad illud reparandum, v.g. ſi mutilavi membro; ſed hic damnum eſt irreparabile per inducentem vi, aut metu: ergo. Reſpondeo nemo exiſtimare debet Scotum aut ſuos tam parum præſentes ſibi, ut putarent hominem peccatorum teneri ad id quod ſolus Deus poteſt: ſicut ergo conſultor aut coactor non potuit ſe ipſo conſenſum peccatis in opus pravum, ita non debet ſe ipſo ponere gratiam perditam, ſed agere de hoc apud Deum ſicut egit de merito ejus apud hominem. Confirmatio infra ſolvetur Apol. de homicidio & mutilatione quoad reſtitutionem, nam quantum ad hoc ſunt ſimiles, ut ibi.

4. Poſt hæc, magno ſtrepitu hic diſputatur; ad quid teneatur qui aliquem à Religione abſtraxit ſive profitendâ, ſive profeſſâ? item ſuſceptâ aut non ſuſceptâ: hoc eſt novitium jam ingreſſum religionem, vel merum ſecularem adhuc ingreſſurum? quod priuſquam reſolvam, miror neminem movere difficultatem de obligatione ejus qui alicui ſuaſit, aut etiam perſuaſit, vi, fraude, &c. ingreſſum Religionis cui ineptus eſt? nam non minus, nec rarius hoc modo hodie peccatur: utrumque ſolvam, & incipiendo à primo

5. Dico eum qui avertit ingreſſurum religionem ab ejus ingreſſu, ad nihil teneri religioni ex juſtitiâ, imo nec eum qui jam ingreſſum abduxit, etiam profeſſum: ſed in quocumque horum caſu teneri ex charitate, etiam ex æquo & bono, ad aliquid in compenſationem: tertiam hanc partem pono propter Subtilem qui in hoc abſolute pendet, alias enim diſtinguerem de eo qui religioni aptus eſt, & qui non. Ratio omnium eſt, quia non offenditur verum jus in ullo caſu ex his, non enim habet Religio jus in novitium & multo minus in eum qui nondum ad noviriatum admiſſus eſt. De profeſſo autem dubitari poteſt, & teneri cum multis idipſum, quia nimirum profeſſus tenetur ex voto, aut promiſſione; hæc autem non inducunt obligationem juſtitiæ, ſed tantum fidelitatis aut veracitatis, ad ſummum religionis, adeoque. Sed quia Subtilis aliter hæc intellexit,

6. Dicendum erit in ablatione profeſſi fieri veram injuriam religioni. Probatio prima hujus erit ſolutio rationis poſitæ in oppoſitum, de que tamen videri poſſunt. *Quodlibeta mea tom.* 1. negandum enim erit profeſſum teneri ſola promiſſione, nam profeſſio religionis non eſt inſtar ſponſalium de futuro, ſed inſtar matrimonii quod eſt contractus de præſenti, fit enim in illâ ſicut in matrimonio quædam mutua & reciproca traditio perſonarum hinc inde, nam & profitens ſiſtit ſe in loco & ſuperior nomine religionis eum admittit & incorporat ipſi religioni: ſed pro majori Subtilis ſequela

Probo idipſum ſecundo: quilibet habet jus in ſua membra, unde ſi quis aliquod abſcindat facit injuriam corpori: atqui ſinguli religioſi ſunt membra religionis, ergo abſcindens unum facit injuriam corpori religionis; eſt enim quædam mutilatio ejus. Major non videtur egere probatione; ſi tamen petatur, cedo eam ſic: quilibet habet jus conſervandi ſe; atqui ipſum totum, nihil eſt niſi ſuæ partes; v. g. homo non eſt aliud niſi caput, collum, pectus, femur, pedes, intellige animata omnia, ergo quilibet habet jus ad quodlibet horum retinendum, atque ita patitur injuriam in avulſione cujuſlibet horum, adeoque religio, eſt enim quædam mutilatio ejus.

Dices non poſſe eſſe paritatem corporis moralis & phyſici, nam quælibet Reſp. eſt ſimiliter corpus morale, & tamen mutari poſſunt cives ſine injuria ejus, imo ipſi cives poſſunt ſe transferre alio. Reſpondeo non ita certò poſſe quando tem. ſunt cives conſcripti. Deinde religio aliter eſt corpus, & aliter Reſp. partes enim hujus videntur ſimiles membris non animatis, illius autem membris animatis, quia quùm aluntur à religione, videntur animari ab ipſa.

Objicies in mutilatione nemo tenetur ad reſtitutionem: hoc ſecundum me eſt mutilatio quædam religionis, ergo non tenetur ad reſtitutionem, teneretur autem ſi peccaretur interim contra juſtitiam. Reſp. non auſim æquare hanc abſtractionem religioſi mutilationi, nam in mutilatione non ſolum fit imminutio corporis ſed deformitas: ex quo patet ad rationem, cauſa enim cur non teneatur quis ad reſtitutionem ob mutilationem eſt ratio irreparabilis jacturæ, quia ſcilicet cicatrix & deformitas non poteſt tolli, at vero in religione, vel non eſt deformitas, vel poteſt tolli.

7. Dico jam tertio, qui vi aut fraude inducit ad profitendum in aliqua Religione ineptum, tenetur damni, idque ex juſtitia ipſi religioni. Cauſa, quia cogit eam alere membrum inutile. Tenetur etiam ad honorem ſi forte ille talis ſit ſcandaloſus ex cujus perverſitate religio diffametur. At vero quoad ipſum intrantem, ſi ſit fœmina, anathemate involuitur ſic inducens puellam, ut patet jure novo Concil. Trident. ſeſſ. 25. Deinde tenetur ipſam ſuæ libertati reſtituere etiam profeſſam, (quantò magis ante profeſſionem?) cauſa omnium una quia injuſte eripuit ei libertatem ipſam: ſed de his plura apud

Caſuiſtas & Canoniſtas:

nobis ſit,

Digitized by Google

ACTIO II.

De reſtitutione ſequente ad homicidium, & mutilationem.

Breviarium.

N. 1. *Præmiſſa aliqua quaſi præcognita reſolutioni.*
2. *Ratione mutilationis deberi mutilato compenſationem: probatur ſæpius.*
3. *Cæteris ſalvis, homicidam ex natura rei non eſſe debitorem reſtitutionis.*
4. *Licet etiam adeſſet creditor, tamen homicida non teneretur ad ſolutionem pecuniariam.*
5. *Notata hic aliquot leges.*
6. *Obiecta aliqua: & ſoluta ex Scoto ad hominem.*
7. *Si occiſor paſſus ſit pœnam talionis; non tenetur ad amplius.*
8. *Ratio dubitandi de iſto: ſolvitur.*

1. Poſt ſpiritualia animæ, in bonis corporis primum eſt vita, de qua, ante reſolutionem Doctoris noſtri ex aliis nonnulla ſunt præmonenda: Primum eſt in hoc negotio attendi malitiam operis externi duntaxat; non vero interni, unde licet quis interno actu homicidii vel ſolo graviter peccaverit, tamen ad reſtitutionem non tenetur. Propter quod ab omni reſtitutione liber eſt qui bello juſte occidit hominem, licet interim præ odio hujus & vindictà eum occiderit. Item non ſolum libera eſt pars illa cui altera condonavit, ſed utraque pars eſt libera ſi ante mutuam invaſionem conventum ſic inter eos ne quis quidquam alteri debeat, ſed quilibet fortunam ſuam experiatur: ex quibus ſimiles caſus reſolvi poſſunt: nunc ad principale punctum in quo lis eſt Doctori cum aliis.

2. Dico primo ratione mutilitati corporis & membri abſciſſi deberi mutilato compenſationem. Hæc eſt famoſa Doct. qui ſemper propendet ad pietatem, & favendum oppreſſo, propter quod ſequuti ſunt eum magno numero authores. neque tamen deſunt qui in hoc ei obſiſtant, ſed ex illis non eſt Aquinas, imo hac vice numerari ille poteſt inter Subtiles, habet enim ſimillima iis quæ Scotus ſuper hoc: *quando ablatum non poteſt reſtitui per æquale debet fieri compenſatio, puta quum alicui abſtuliſti membrum, debes ei recompenſare vel in pecunia, vel in aliquo honore conſiderata conditione utriuſque perſonæ ſecundum arbitrium boni viri.*

Prima probatio hujus duci ſolet ex lege Exod. 21. *ſi percuſſerit quiſpiam oculum ſervi ſui aut ancillæ, & luſcos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit.* dentem quoque, &c. ubi vides pro amiſſione membri obligari invaſorem ad compenſationem, ut ſcilicet cedat juri quod antea habuit in opera læſi. Sed quia locus patitur expoſitiones hinc inde diſtrahentes ipſum, non utar eo pro concluſione; utar tamen ad improbandum probationem Adverſ. dicunt enim mutilantem non debere quidquam pendere pro vulnere, quia damnum nō poteſt æſtimari, quum nihil ſit comparabile vitæ aut partibus ejus; id autem ex hoc loco legis patet eſſe falſum, quia lex compenſat mutilationem libertate. Quamvis autem lex illa non arctet nos ad ſui obſervantiam arctat tamen ad credendum quod fieri poſſint quæ fieri mandavit legiſlator quùm fuerit Deus.

Arguo ergo ex me ſic iterum ad homines: ſecundum pleroſque Adverſar. honor eſt utcunque æqualis vitæ, hinc enim dicunt illi (etſi abſurde) poſſe hominem occidere invaſorem honoris ſicut invaſorem vitæ: & abſtrahendo ab eorum erroribus certum eſt apud viros nobiles eum æquari imò & præponi vitæ quam toties exponunt ad illius defenſionem quum vel minimum eum lædi contingit; ergo jam datur aliquid legitimè compatabile vitæ: quæ ratio, abſtrahendo à quocunque ſenſu Adverſariorum habet ſuam vim, nemo enim eſt qui non dicat quod ſi quis civem mutilavit auricula, vel naſo, huic abunde compenſavit injuriam & cicatricem ſi ex privato fecit eum urbis magiſtratum, & multo magis ſi eum fecit provinciæ præſidem, &c. adeoque jam mutilatio & cicatrix recipiunt compenſationem.

Sit tertium argumentum contra eoſdem: ſi vita non poteſt ullo alio æſtimari, nihil tenemur parentibus reddere: atqui id eſt falſum, quia plurima tenemur reddere, honorem, alimoniam, operas noſtras: patet autem ſequela: quia tentio ſive obligatio noſtra erga parentes eſt ratione vitæ acceptæ ab ipſis, ſi ergo ratione vitæ ſive in toto, ſive in parte non poſſumus obligari, ſequitur, &c. vel ſic, ſi ergo tenemur parentibus in aliquo, ſequitur vitam poſſe compenſari alio, & multo magis partem ejus ablatam in aure, naſo, &c. Reſpondent aliqui argumentum non ſufficere probationi, quia illud debitum erga parentes eſt pietatis: nos autem agimus de debito juſtitiæ. Sed contra eſt quod etiam reſponſio non ſufficiat evaſioni, nam caſus parentum evidenter oſtendit vitam eſſe æſtimabilem & poſſe, imò debere recipere compenſationem, at vero illi ideo putant non dari hic debitum ullius ex juſtitia, quia vita non recipit compenſationem; unde ſi crederent illi poſſe eam compenſari, ſtatim admitterent debitum & compenſationem iuſtitiæ, ut patet in aliis iniuriis, v. g. iumentum alterius occidiſti.

3. Nihilo tamen minus, niſi obſtet Subtilis (quod vix credas) putem pro vita occiſi homicidam non eſſe debitorem ullius reſtitutionis. Hanc libenter audient qui ſe tenent Thomiſtas; at enim vix ipſos iuvar, quia aliis ventis ac motivis ferimur hinc inde. Moveor ego, quæro enim cuinam ſit debitor talis? ipſi defuncto? non, quia non eſt, & præterea ſi eſſet, non tranſirent ad eum debita & ſolutiones noſtræ hic, quum

quum ſit in alio mundo cum quo non eſt nobis commercium: Filiis? non, quia filii non habent jus & proprietatem patris, ſed potius pater filiorum; filii enim erant ipſius, non ipſe filiorum, intelligo civiliter per poſſeſſionem, alias enim clarum eſt quod hinc inde ſint ad invicem relative: Et quod de his dixi, dictum eſto de filiabus, & fratribus ac ſororibus, ut jam ſola ſuperſit uxor, oſtendam tamen nec ipſi factam eſſe ſtricte injuriam, quia neque uxor habebat proprie dominium viri, ita ut vir fuerit in poſſeſſione ejus, non enim potuit illa virum vendere, nec alteri donare &c. quæ ſunt characteres poſſeſſionis. Secundo ſic ad idem: uxor qualecunque jus habet in corpus viri non habet illud æternum, ſed uſque ad terminum quendam qui eſt articulus mortis, ſic enim contrahunt in matrimonio; accipio te in meam uſque ad mortem: quod viciſſim reſpondet viro mulier: at vero hæc promiſſio jam impleta eſt, quia reverâ fuit ipſius uſque ad illud punctum, deinceps autem illa non habet quidquam poſtulare, ergo. Confirmo rationem exemplo, nam qui habet cenſum vitalitium 1000. aureorum annuatim, ſi cõtingat ipſum occidi decennio, v. g. ante articulum mortis naturalis, non habet jus in quidquam illius cenſus, neque occiſor tenetur ei, aut ejus hæredibus numerare 1000. & multo minus 10000. eo quod quæcunque mors cenſum ilium extinguit, ſicut extinguit ipſam vitam: ſed ſimiliter eſt ut quiſque videt; eſt enim matrimonium quoddam vinculum vitalitium, ergo.

4. Addo videri etiam probabile quod quamvis eſſet aliquis cui poſſet fieri ſolutio tamen non tenetur homicida pecuniis compenſare damnum vitæ ereptæ occiſo. Per hanc & præcedentem eò fere devenimus ut vix diſcrepemus à Thomiſtis, quùm alias plures eorum ſint nobiſcum, nam etiam Soto Scoto ſubſcribit. Cauſa, quia ad impoſſibile nemo tenetur, at vero impoſſibile eſt compenſare vitam pretio pecuniario, quia quantumcunque creſcat, non æquabit illam: ſi enim quæratur quis an velit accipere 10000. imò & 10000000. aureorum vel etiam talentorum pro vitâ, ſivè ut patiatur ſe occidi? dicet quod nolit, neque poteſt aliud reſpondere niſi ſtulte, quia ablata vita auferuntur ei pecuniæ, & quidquid habet, ergo.

Dices, ſi ita ſit, ſequitur quod is qui alteri lethale vulnus inflixit, aut etiam plura talia non teneatur ad ſumptus ipſius curandi apud medicos & pharmacopolas, quod tamen, omnes, & inter illos, nos etiam tenemus eſſe falſum: patet autem ſequi, quia quum vulnera ſint mortifera non poterunt curari. Reſpondeo tamen teneri, non quidem ad reparandam vitam, quod ſupponimus fieri non poſſe, ſed ad mitigandos dolores, ad protrahendam ipſam vitam, & ad tentandam etiam curationem quæ ſæpe contingit quando vulnera creduntur mortifera: & omnium ratio notanda eſt iſta, qui à nimirum ille vulneratus habuit jus non ſolum in vitam ſed etiam in ſanitatem, quæ eſt carentia morbi ac dolorum; quum ergo alter per inius abſtulerit ei hanc ſanitatem, tenetur ex juſtitia quantum poteſt illam ei reſtituere. Præterea etiam hic habetur creditor cui ſatisfiat, ſcilicet ipſe læſus, quod non contingit quando mortuus eſt; & propterea poſui concluſionem de mutilato aut cicatricoſo, quia tales

adhuc ſunt ſuperſtites, mortuus autem non, quo confirmo reſolutionem datam, quia li ſanctiſſimè cenſuerit Scotus orandum eſſe ho cidæ pro animâ occiſi, & hanc eſſe principal compenſationem quæ poteſt præſtari, tamen conſtet occiſum in peccato obiiſſe, puta quia hæreticus, excommunicatus, aut concubinar &c. non tenetur alter orare pro eo, quia fru id faceret, eo quod nunquam impetraret ei niam: ergo ſimiliter, ſi hic non aſſequitur au ſum ablatum, ſcilicet vitam, aut aliquid ſi vel æquale, quid ſequitur niſi, &c.

5. Ex his intelliges Canones legum aliqu qui pro oppoſito videntur militare; dicunt en quod *liberi hominis corpus nullam recipit æſtima nem*: quod quid erat dicere niſi reſolutionem j poſitam confirmare de eo quod vita talis non compenſabilis pretio aut pecunia? ſed, ne di mulem difficultatem, fatendum mihi eſt leg illam, *ult. ff. de his qui effuderint*, non eſſe plene pro me, potiùs plenè contra ſaltem quo concluſionem præcedentem; procedit enim recte de vulnerato vel mutilato & expreſſe a *Cicatricum aut deformitatis nulla fit æſtimatio*, q *liberum corpus nullam recipit æſtimationem*. Reſp deo tamen legem fere dicere idipſum quod e ſcilicet cicatrices directe non eſſe pretio æſti biles, in quibus utique comprehendit membr mutilationes *quibus inutilis factus eſt*, ut lex ipſa quitur, & de his ſtatuit ut judex computet *me des medicis præſtitas*, *cæteraque impendia*, pecu haud dubiè; atque ita quando ſtatim poſtea cit corpus non eſſe æſtimabile, intelligit pre pecuniario, quod etiam ego dixi; neque a tam pertinax hic ſum quin concedam oppo probabilitatem: nihilominus

6. Obiiciunt adhuc illi ex ex ipſo Sco hæres homicidæ non tenetur compenſare da num vitæ aut injuriam illatam, ut ipſe Sc concedit, ergo nec occiſor; ſi enim hic tenere ex juſtitiâ ex ſuis bonis id facere quidni hære ex iiſdem, quùm alia debita illius incurrant, quod ſuccedât in obligationibus ſicut ſucced in iure. Reſpondeo hoc & ſimilia quæ omn ſunt eiuſdem farinæ, tunc oberunt Scoto qu Adverſarii probaverint ſecundum ipſum vit eſſe compenſandam pecuniis, quod nondum factum. Itaque de onere homicidæ in hoc p cto tenendum eſt eum revera obligari ad reſt tionem vitæ quia iniuſte abſtulit eam, quod tem non teneatur ad hoc conari, cauſa eſt, quod deſit ei onus aut debitum huius, ſed deeſt facultas; unde propriiſſime loquitur D & eſt ſimile in eo qui multa debita contraxit, inde autem redactus eſt ad paupertatem; enim non poteſt cogi ad ſolutionem quia poteſt ſolvere, interim tamen non deſinit de re; cuius ſignum eſt quod ſi deinde conti eum venire ad pinguiorem fortunam, abſo debet ſolvere, & tamen fortuna præciſe non vexit ipſi tale debitum, verum erit ergo q præceſſit.

Propter quæ ſecundò cenſendum eſt, q ſi daretur medicus aut medicina quæ anim mortuos, ille eâ deberet accerſere, & ſi opus expendere omnes facultates; ac proinde unicus eſt ſupernaturalis ſcilicet Deus, ten eum accedere pro mortuo & orare, non reſ tationem eius in corpore quam ſcit non ſequ

Digitized by Google

im, ſed bene in animâ & vitâ alterius ſeculi ſpiri-iali, quod ultimum eſt ipſiſſima doctrina Sco-, cum quo adhuc

7. Dico, ſi occiſor ſolverit pœnam talio-is, certum videri debet quod ad nihil teneatur pſe aut hæredes ratione vitæ ablatæ, probabile tiam quod ad nihil damni conſequentis causâ. Hæc quod primam partem videtur certa Doct. uoad ſecundam dubia. Supponit autem hæc ecunda pars damna illata per illam cædem eſſe eparanda homicidæ, v.g. alendam uxorem, c filios, & ſi quid mortuo incumbebat ut paren-es, &c. de quibus non inſtituam hic tractatum, uùm res non ſit magnopere diſputanda, quia ingulæ provinciæ ſuis legibus id ſtatuunt quod on permittent ob Ethicas probabilitates viola-i. Videantur Mald, Leſſ. Laym. & ante omnes . Thom. & interpretes N. Doct. hic

Prima pars hujus ex Doct. omnibus placet, quia videtur crudele plus exigere; quam ratio-em ſic extendo; juſtitia in omnibus omnem & olam æqualitatem exigit, ſivè partium parita-em, at vero per talionem poſita eſt paritas pat-ium hinc inde, quia ſi occiſus vitam amiſit, ami-it etiam occiſor, ſimilis per omnia priori: Et quid egemus ratione teſte hic, quum ipſa voca-ula id convincant, talio enim à taleitate dicta eſt, quod talia patiatur qualia fecit.

Pro eodem etiam merito trahitur argu-mentum ex lege & Judaiſmo, quia quum illa fue-rit aſperrima & potius ultra quam citra neceſſita-tem in pœnis, quod illa non exegit videtur non fuiſſe debitum de jure, alias certe exigeretur: at vero quando illa præcipit talionem, nihil præ-terea imponit Exod. 21. & Lev. 24. *Oculum pro oculo, dentem pro dente, livorem pro livore*, nihil amplius: de damnis, de medicis, nec verbum. Pars ſequens plus habet controverſiæ tam ex ra-tione quàm ex authoritate, Ethicis hinc inde diviſis: quidam enim oppoſitum nobis habent quorum fundamentum diſpono hic breviter, ut ſolvam, eſt autem iſtud: quia nimirum pœna hujus non reſarcit damna aliorum. Confirmant: quia fur licet coactus ſit reddere, deinde nihi-lominus ſuſpenditur, ergo ſimiliter. Sto nihi-lominus in reſolutione poſitâ ex Doct. ad quam confirmandam repetam & adhuc acuam ratio-nem in oppoſitum adductam, quæ eſt quod ni-mirum illi quos occiſus alebat, puta uxor, filii, parentes, &c. patientur: Et non vident au-thores hanc Ethicam recurrere in ipſos ut per-ſuadeat eis concluſionem; nam etiam illi quos alebat homicida patientur, uxor, filii, parentes: ecce iterum talio-nem, adeoque.

ACTIO III.

Ad quid obliget ſtuprum? ubi de aliis libidinibus?

Breviarium.

N. 1. *Apparatus ad reſolutionem.*

2. *Qui virginem invitam defloravit, tenetur ad virginitatem (qua poteſt) reſtituendam.*

3. *Quidquid de hoc ſit ob phyſicam difficultatem, idem oppreſſor virginis ad plus tenetur quam qui corruptam oppreſſit.*

4. *Idem virginis oppreſſor, tenetur parentibus puellæ de vi atque etiam de contumelia.*

5. *Non tenetur oppreſſor virginis quidquam illi in præcium pudicitiæ numerare.*

6. *Nec ipſa nec alia proſtituta tenentur pretium impudicitiæ reſtituere?*

7. *Objectio: An peccatum poſſit vendi?*

1. INtelligo per ſtuprum deflo-rationem virginis, quam defl. pro nunc abſtractam volo à violentâ & volunta-ria, nam utroque modo il-lud accipi poteſt, & ſolet. Et verò hic nolo miſceri quæſtiones materia op-portunas, loco importunas, puta, an ſtuprum addat malitiam ſpecie diſtinctam fornicationi? quod intelligendum eſt in materia luxuriæ? an item aliam ſpecie diſtinctam in materia juſtitiæ? & ſimilia quæ directè ſpectant ad materiam de temperantia, huc autem ſola reſtitutio, de qua

Dico primo, eum qui virginem invitam defloravit teneri ad reddendam virginitatem quam abſtulit, ſuo modo ſive quà poteſt: non deerit (credo equidem) cui paradoxum vide-bitur hoc thema, ſed non eſt ratione deſtitutum licet ſit authoritate, quam vix habet, hactenus omnibus oppoſitum, tanquam natura notum, ſuſtinentibus. Ego autem pro prima parte vix habeo probare aſſertum, conſtat enim jus virgi-nis eſſe violatum, adeoque eſſe reparandum: Et denique hic non eſt aliquid novi, ſed caſus ſimi-lis ſuperiori, de eo qui vitam, aut membrum ab-ſtulit, cujus proinde reſtituendi non debitum ei deeſt ſed facultas: atque ita hæc Ethica quæſtio facta eſt phyſica, num poſſit virginitas reparari? ſupponunt quidem negativam reſponſionem eſ-ſe veriſſimam; quod & inculcavit illis amplius authoritas S. Hieronymi qui hoc ipſi etiam om-nipotentiæ Dei negavit cætera concedens.

2. Sed ſalvo ipſius & ſimilium judicio, pu-to reſpondendum affirmativè, etiam ad phyſi-cum illud ſane intellectum Etenim virginitas corporis (de hac enim ſola loquimur,) duo di-cit, & integritatem clauſtri, & hoc quod eſt non eſſe ſubactam, ſive non habuiſſe concubitum cum viro. Et vero quoad ſecundum hoc, non poſſum negare id eſſe irrevocabile; quod enim factum eſt infectum fieri nequit: at vero quoad primum illud, in quo à vulgo etiam ſapientum conſtituitur virginitas, nullus dubito quin repa-rari poſſit, & aliquando contingat, quod in Italia meo tempore ſcio tentatum, nec dubitare debeo perfectum. Cauſa breviter (non enim lubet in lubrico hærere,) eſt iſta: quia virginitatis hujus violatio conſiſtit in ruptura ſignaculi virginalis, adeoque

Videndi interpretes I. Mt. chabar. I

adeoque reparatio ejus conſiſtet in integritate ejuſdem: Jam vero quid impedit quò minus illud integretur, ſicut aliæ ſciſſuræ, & vulnera in carne hominis & univerſim cujuſvis animalis, imo etiam arboris obducunt cicatricem & coaleſcunt? unde non inſulſe dixit me præſente quidam hodie eminentiſſimus aliquas ex ſuis conterraneis eſſe plus ſemel virgines: hæc hactenus, quæ tamen ſic intelligo ut corruptor virginis ea faciat, ſumptu ſuo non operâ.

3. Addo & dico eundem violentum ad aliam & majorem reſtitutionem teneri quam qui corruptam opprimeret etiam violenter. Idemque dicendum de viro, ſi poſſet pati talem violentiam in agendo: Cauſa totius, quia plus eripitur ſic oppreſſis ſcilicet virginitas, quæ eſt quid pretio æſtimabile in omni foro tam politico quam poli, nam & virgines habituræ ſunt ſingulare præmium in cœlo, quod Theologi vocant aureolam & in humanis plus æſtimantur cæteris paribus virgines, majorem dotem meliorem virum accipiunt, quanquam ultima hæc in fæminis tantum praxim habeant.

4. Addo adhuc, & dico eundem violatorem virginis, ſi hæc tenera ſit & adhuc ſub cuſtodiâ parentum, teneri parentibus puellæ de vi, itemque de contumelia, quia utramque irrogat in tali defloratione filiæ, imo etiam in non tali ſivè in non violenta ſed facta cum ipſius puellæ conſenſu. Iſta ſecunda pars plus habet difficultatis, patebit tamen ex probatione primæ, quia puella non poteſt renunciare iuri parentum, licet poſſit renunciare ſuo. Dixi autem illum teneri vi, quia eam intulit parentibus quum non ſolum puella ſit adhuc quid conjunctum ipſis, (unde nec dominium ullius habere poteſt diſtinctum ab illo parentum,) ſed inde maxime quia parentes ſunt cuſtodes ejus à natura conſtituti. Sicut ergo facit injuriam depoſitario qui eo invito aufert depoſitum, & tenetur de vi, ita ſimiliter.

De contumelia, eſt etiam certa, imo hæc habet id amplius quod quò magis puella conſentit, eo magis creſcit contumelia: unde quoad hoc magis peccat qui blanditiis quam qui vi inducit virginem ad complexum. Cauſa totius eſt, quia reputatur maxima macula familiæ ſi quis puella nobili abutatur ante matrimonium, & adhuc major ſi volentem ſtupret, quia tunc illa agit meretricem.

Objicies primò, parentes non habent jus in corpus puellæ, ergo non ſit illis injuria in violatione ejus. Antecedens inde patet quia ſi haberent non valerent nuptiæ ſine eorum conſenſu; valent autem, ergo. Reſpondeo diſtinguendo aſſumptum, ius proprietatis, concedo, ius depoſiti, nego. Sicut ergo fit injuria ei apud quem res eſt depoſita ſi ei violenter eripiatur, licet ille non ſit dominus proprietatis, ita hic parentibus: quod exemplum oſtendit etiam conſentiente puella fieri injuriam parentibus, quia licet dominus proprietatis talem rem mihi concedat, ſive quoad dominium ſivè quoad uſum, tamen facio injuriam depoſitario ſi eripiam rem illi invito.

Objic. 2. Ipſa puella non tenetur parentibus reſtituere quidpiam ſi volens violata eſt, ergo nec corruptor ejus, quia hic non peccat in illos niſi ipſa mediante; quùm autem primarius abſolvitur, cenſentur abſoluti ſequentes. Hoc nituntur Adverſarii Rec. quorum tamen aliquis teſtimonium huic veritati quaſi coactus tulit: *ſi* *Ad. Tanner. idipſum Val.*

tamen flagitium innoteſcat, tenetur uterque par
bus puella aut tutoribus ſub quorum poteſtate læſa
ſtebat pro læſo honore facere ſatisfactionem: &c.
enim? niſi puella: & corruptor. Tenen
eſt ergo fixe quod puella tunc in parentes pe
propter quod ab illis vapulat, & horrende
nitur, & quidem digne omnium omnino
ciis: non enim eſt tota ſui juris quoad iſta
etiam Ethnicus ille notavit

Virginitas non tota tua eſt, ex parte parentum
Tertia pars data patri, pars data tertia ma
Tertia ſola tua eſt,

Unde de in forma argumento reſpondeo p
lud Recentis: *tenetur uterque*, puella autem
cuſatur quodammodo per impotentiam,
non habet unde; neque certum eſt quod aſ
tur de corruptore, quod ſcilicet mediate ta
læſerit, nam uterque ſimul cooperati ſunt
datur prioritas niſi imaginaria in iſto neg
unde vocantur & ſunt complices & conj
&c. Sicut ergo ſi quis fugiat à tutore cui tra
eſt ſervandus, tenetur ſe illi ſiſtere, ita puel
jus quoad hoc cuſtos eſt pater, non arbit
aut legibus deputatus ſed ab ipſa natura.

5. His puto addi poſſe, quod ex natu
corruptor non tenetur ei quidquam in pre
pudicitiæ numerare. Cauſa, quia hæc eſt i
mabilis, & nulla pecunia redimi, aut comp
poteſt, ſicut ſupra ex canonibus legum dictu
de cicatricibus, nam hoc negotium etiam
tricem facit: non puto tamen eam eſſe ad
tem legis, quia hæc loquitur de cicatrice q
fert deformitatem, quod non facit ruptura
quum non appareat, loquendo de phyſica d
mitate; bene tamen infert moralem, quia
repugnat honori ac honeſtati puellæ: unde
ſumus legem illam ad nos trahere, *quia li*
corpus nullam recipit æſtimationem & cenſere
hujuſmodi cicatricis nulla ſit æſtimatio.

6. Jam vero quia ſumus in materia re
tionis, & decidere habemus, utrum puell
paſſa poſſit retinere, an vero debeat re
quod in pretium ſtupri accepit? libet oblect
lectori ſubdere hic bilem aliquam cujuſdam
Recentis; & moneo controverti etiam de
rum libidinum pretio, fornicationis, adul
&c. Quidam enim Recens omnes hos pr
cuè à reſtitutione abſolvit, & quoſcunque i
genere quamvis enormiter errantes, docet
quodlibet peccatum ſivè quod in committendo, ſiv
in omittendo conſiſtit, non hactenus ut Deum off
ſed propter voluptatem vel laborem pretium mer
notavit Comitolus, qui id ut *turpe*, *& ma*
falſum inſectatur; & *merito* quidem, (ait
Quid enim indignius Chriſtiano & theologo qua
piſſimas voluptates & ſceleratiſſimos actus utiles il
pellare quos æterno dignos ſupplicio faciunt? E
dum dicant utile eſſe viatori, argento & veſte ſ
quod ſic levior domum redeat, & propterea ſpolia
borem jure ipſi à latrone vendi poſſe. Deinde parti
criminum, quæ modò conſiderantur ut crimina, n
voluptuaria & utilia, tota flagitioſa & improba
enim modo interni actus in criminibus, ſed ipſi ex
habendi ſunt, non modo enim hominem occide
ſceleratum eſt, ſed & occidere. Hinc verè & g
Ariſtoteles: voluptates quæ improbas actio
quuntur, & ipſæ improbæ ſunt; *nec divelli*
poteſt re ipſa improbitas, ſed ſola quadam anim
ſione, quod qui utendi poſſit ſufficere arbitratur

Digitized by Google

idem oportet ut ait Comitolus eodem loco, ſacramenta vendi poſſe quatenus entia. Omnino quæ cum re quam vendere ſit nefas in divulſo nexu conjuncta ſunt, nec ipſa vendi poſſunt: ſic ſacerdotia quamvis aliquid habeant temporale, tamen quia parte quadam ſpirituali conſtant, pretio prorſus ſubjici nequeunt: ſed ſi propter dignitatem vendi non poſſunt res ſpirituales, propter indignitatem vendi crimina non poſſunt, ergo nec quæ à criminibus ſegregare nequeas. Quod ſequuta etiam Ethnicæ leges, eiuſmodi pacta irrita pronunciant. L. Generaliter 26. Tit. de verb. ſignif. *Stipulationes turpes nullius ſunt momenti, veluti ſi quis homicidium ſe facturum promittat.* Hæc ille animoſe, & pie, quanquam interim per omnia victoriam magis quam veritatem ſit aſſequutus.

Tenendum enim eſt neque fœminam fornicantem teneri ad reddendum quod accepit in pretium, & multo minus virum; neque puellam virginem debere pretium ſtupri reddere niſi forte parentibus ex parte, nullatenus autem corruptori: ſimiliter conjugatam ſi proſtituat ſe pretio non teneri ad reddendum illud adultero, aut alteri quam marito. Hanc intelligi volo ſtando in terminis juris naturalis, nam quoad poſitivum tam civile quam Canonicum, ſuſpendo ſententiam adhuc.

Probo; id pro quo diſpenſatur pretium, eſt eo dignum licet conjungatur cum alio indigno, eſt enim materiale operis, ſive hoc ſit agere ſive pati, ergo benè poterit pretium remanere apud illum qui dat. Confirmo, quia alias non poneretur æqualitas, nam una pars poſuit ſuum, ergo quod altera non ponat, potius videtur lædere juſtitiam ſeu æqualitatem. Addam duas inſtantias practicas hujus; una eſt librorum, qui (nunc ſæculi præſertim) ſcribuntur eâ copiâ & ineptiâ ut vix mereantur legi, ac proinde emptor ſæpe eos

Deferat in vicum vendentem thus & odores

Quò ibi involuant pulveres & grana aſportanda. In illis enim quantumcunque forma & compoſitio libri ſit inutilis, tamen materia ſemper eſt uſui, hoc eſt ipſa charitas ita hic, labor aut patientia fœminæ in actu turpi eſt pretio æſtimabilis, licet formale actionis ſit indignum omni pretio.

Altera inſtantia eſt magis vicina propoſito de calice conſecrato, nemini enim dubium eſt quin liceat eum vendere; quùm tamen certiſſimum ſit quod conſecrationem non liceat vendere; ſed ſit aperta ſymonia ſi quis calicem conſecratum pluris emat aut vendat quam non conſecratum, unde jam evidens eſt quod quoad contractus, materia poſſit præſcindere ab aliis adjunctis, & ipſa ſola æſtimari: ſi ergo res conſecrata poteſt ſubire contractum ſine conſecratione, quidni res execrata ſive peccaminoſa ſine execratione? ſed hinc ſurgit.

7. Objectio: Beneficium Eccleſiaſticum dicit aliquid plenè planèque materiale, ſcilicet prædium aut agrum, & tamen non poteſt vendi, ergo non ſufficit haberi materiale in re ſaciâ ut poſſit emi aut vendi, nec ſimiliter in re execrata, aut peccaminoſa: Reſpondeo ut maxime ſumus his pares, nam inſtantia calicis à me allata non minus concedenda eſt adverſario, quam iſta mihi. Reſpondeo ſecundò, beneficium Eccleſiaſticum non eſſe prædium aut agrum, ſed jus percipiendi fructus ex illo, quod quia eſt ſpirituale, propterea, &c. Dico denique neque poſitivis legibus obſtringi hunc ad reſtitutionem ſuadeo, quia aliquæ poſitivæ concedunt quibuſdam horum actionem in judicio, puta meretricibus: ut ſignificat Covarruv. ad regulam *Peccatum p.* 2. §. 1. n. 2. & videtur lex ipſa pronunciare illo quaſi axiomate: *turpiter facit mulier quod ſit meretrix; non turpiter accipit quia eſt meretrix* atqui eadem eſt ratio de aliis, virginibus, &c. ergo. Secundò non eſt credibile quod poſitivæ leges voluerint extinguere naturale: at vero naturali jure hæc pretia ſunt accipientium poſt contractum factum, & exhibitum id quod exponitur veniale, puta uſuram corporis, ergo. Et quia quæſtio eſt facti, placet unum canonē legis proferre, eſt autem l. 3. ff. de Conduct. *ubi dantis & accipientis turpitudo verſatur, non poſſe repeti dicimus.*

***

ACTIO IV.

ACTIO IV.

De reſtitutione adulterantium?

Breviarium.

N. 1. *Adulterium eſt plura peccata etiam in ratione injuſtitia.*

2. *Aliquid deberi marito adultera à macho pro iniuria tam reali quam perſonali.*

3. *Objectiones aliqua ſoluta. Ignorantia laſi non impedit iniuriam.*

4. *Vterque adulter & parens tenetur prolem, tametſi ſpuriam alere, idque ex juſtitia, ' ac tantum ex charitate.*

5. *Adultera an teneatur ſe prodere ne legitimus
tat hereditatem?*

6. *Rejectis invalidis rationibus Recent. probatu
negativa pluries.*

7. *Adultera liberatur ab onere ſe prodendi etia
periculum infamia.*

1. PONO titulum in plurali; quia aliæ & aliæ ſunt difficultates de viro, & de fæmina: Et quidem quoad reſtitutionem pretii accepti ob uſuram corporis, jam dixi non eſſe reſtituendum adultero qui dedit, ſed poſſe ab accipiente teneri ſaltem in uſus mariti, quia illius erat uſura corporis quam uxor dedit adultero, de quo recolenda ſunt ſupradicta. Jam vero ad negotium hoc adulterii plenius capiendum, moneo in actu adulterii tres injuſtitias committi ab adultero, totidem à fæmina adulterante, modo adulterium ſit mutuum & utraque pars conjugata: vir enim facit injuriam marito adulteræ itemque ſuæ uxori; fæmina etiam facit injuriam ſuo marito, & uxori adulterantis; &, (ſi edatur proles) uterque injuriam facit legitimis filiis adulteræ atq; etiam ſui mariti. Præterea ſi quæ pars vim aut metum alteri incuſſit, adhuc eſt alia injuria inter ipſos adulterantes; uti ſi vir fæminam vi oppreſſit.

2. His poſitis primum quod in controverſiam venit, eſt; an? & quid reſtituere teneatur una pars alterius conjugi, v. g. adulter marito adulteræ? de quo multorum ſat communis reſponſio eſt quod nihil, ſi res tranſacta ſit inſcio marito. Id autem ego etſi probabile judicem, non tamen teneo eſſe certum, ſed oppoſitum, ſi non verius, ſaltem tutius eſſe. Moveor quia duo facit adulter marito adulteræ, unum eſt damnum in perſonâ uxoris, quia abuſu ejus deterius reddidit corpus illius; alterum in ſuâ, quia injuriam perſonalem & contumeliam paſſus pro qua cognita poſſet merito iraſci, & vindictam repetere. De utroque moveo hanc rationem, quia nimirum injuria & reſtitutio ſunt correlativa, ſtatim enim ſe ſequuntur quia primum infert ſecundum, idque ex ipſorum Ethnicorum principiis & quaſi fundamentis, unde facere injuriam, nec obligari ad reſtitutionem apud ipſos erit ac ſi quis quæreret filium qui non haberet patrem. Jam ad ſingula pergendo, de injuriâ reali ſic arguo: ſi quis equum aut mulam tuam te inſcio ſubigeret per aliquod tempus, aut uteretur pro itinere aliquo, certè teneretur damni, nec ideo excuſaretur à reſtitutione quia tu id neſcires, quidni ergo ſimiliter qui ſubigit uxorem? nunquid uxor vilior eſt jumento?

Reſpondent illi obiiciendo legem illa
pra à me poſitam, quod *liberi hominis corpus n*
recipit æſtimationem. Sed quid ſi contingat fa
nam adulterantem non eſſe liberam, ſed ſerv
tunc cauſa cadunt, nam lex non facit nec
nunciat illius corpus non recipere æſtima
nem: Imo alia facit quod recipiat, nam q
æquet mancipium jumento, & iumenti co
recipiat æſtimationem, ut iam dixi de equo
quitur ſervæ corpus recipere, atque ita illo
doctrinam non eſſe univerſaliter veram.

De ſecundâ illâ perſonali ſimiliter arg
nam ille abuſus uxoris propter ignorantiam
riti, & ſecretum quo peractum eſt, aut de
eſſe iniuria, aut non, ſi non deſinat eſſe, ne
deſinet exigere compenſationem; ſi autem
ſinet eſſe iniuria deſinet eſſe adulterium q
eſt falſum, nec poteſt expectari. Dices, ſ
ſciret & conſentiret, deſineret eſſe iniuria, e
iam ratio iniuriæ poteſt ſeparari ab adult
Reſpondeo non poteſt, quia adulterium e
tialiter habet malitiam iniuſtitiæ quum ſpe
ad ſecundam tabulam decalogi, quæ tota e
materia iuſtitiæ, & per hoc illud differt à
plici fornicatione: neque vero coniux ullo c
ſenſu efficere poteſt, ut concubitus cum ſu
tantum ſimplex fornicatio. Itaque credide
probabiliter coniuges non poſſe cedere
viri hic. Et quidquid de hoc ſit, confirmo a
tum, quia ſcientia cuiuſvis non facit rem
quod non eſt, ergo ſi poſita ſcientia m
uſus uxoris illius eſt iniuria, etiam ſine
erit.

3. Obiiciunt: Iniuriæ ab omni damn
paratæ non debetur ex iuſtitia niſi ſatisfactio
ſigna doloris, veniæ petitionem, &c. quæ
cum non habent quando iniuria ignoratur
go. Reſpondeo iam dixi nolle me negare pro
bilitatem oppoſitæ & communi, tamen perg
do in iam cœptis, & trutinando negotium
gis metaphyſicè, negarem aſſumptum argu
ti, imò ſuppoſitum, quod ſcilicet detur ini
ab omni damno ſeparata: omnis illa damnifi
quia ponit inæqualitatem, omnis enim ini
eſt in bonis naturæ, fortunæ, aut famæ;
autem debet eſſe in huiuſmodi bonis niſi q
imminuit aliquod illorum, atque ita infert da
num? confirmo, quia iniuria eſt inius, id
violatio iuris, & ablatio alicuius in quod
ha

habet jus; atqui omnis talis infert damnum, ergo. Omitto alia in illâ ſolutione, ut quod ſufficiat petitio veniæ, nam illa humiliatio eſt quædam reſtitutio honoris: Tutius ergo & verius erit quod dixi pro concluſione tametſi in praxi oppoſitum ſit tutum.

Hinc pergendo, & transferendo reſolutionem per alia capita, cenſendum erit quod adulterans cum alterius uxore injuſtus eſt ſuæ, & adultera, ſi ſit uxor, ſuo marito. Ratio quia uxor propria habet jus in illum actum, & operam illam viri, imo habet jus ne ab alio ullo fiat. Quod quia ſupradixi, addo hic, teneri adulterum ſuæ uxori, duorum, ſcilicet damni & contumeliæ, ſive injuriæ perſonalis & realis, quæ ſufficiat de his dixiſſe quia res eſt lubrica, & inter ipſas partes fuſius tractanda.

Objici tamen poſſunt ſupra proximè dicta &c. Reſpondeo iſta quidem hic locum habere, ſed quaſi violenter & ex accidenti, quia nimirum reſtitutio hic debita difficulter exprimi poteſt & difficilius præſtari. Unde denique repetere hic cogor quod dudum dixi, caſus enim eſt inſtar illius in quo quis debitis gravatus incidit in egeſtatem, ille enim non tenetur ſolvere creditoribus, non quia non debet, ſed quia non poteſt.

4. Dico jam 3. tam adulter quam ſtuprator, ſequuto partu tenetur prolem alere, idque ex juſtitiâ, vel etiam amplius, ac non tantum ex charitate vel humanitate; ut volunt quidam qui per hæc & ſimilia laxant libidinibus frena quæ expediret reſtringi. Moveor, quia qui imponit cuipiam munus aliquod tenetur ſuppeditare neceſſaria illi exequendo; patet autem poſuit prolem in eſſe ac vitâ, adeoque tenetur conferre ei neceſſaria ad vitam. Confirmo, quia alias natura deficeret in neceſſariis, nam quum infans & puer non poſſint ſeipſos alere, neceſſe eſt alium ad hoc inſtitui; quis autem erit iſte niſi parens? ergo. Pergo, & probo ſecundo, quia obligatio alendæ prolis ſequitur ſaltem legitimos parentes, ut omnes concedunt; at vero non ſequitur eos ut legitimos præciſe, ergo ut parentes, atque ita omnes omnino parentes. Vis eſt in minori, quam ſic ſuadeo: obligatio alendæ prolis eſt naturalis, legitimatio parentum per ſacramentum matrimonii eſt juris poſitivi, ergo illa non oritur ab hac, ſicut nullum majus à minori, neque prius à poſteriori.

Dici tamen poteſt ad hoc, matrimonium in eſſe Sacramenti eſſe juris poſitivi quum à Chriſto cæperit, at vero in eſſe contractus eſſe juris naturalis. Reſpondeo, ſit; non poteſt eſſe par obligationi naturali alendæ prolis, quùm hæc ſit quaſi primò prima; prima enim obligatio eſt alendi & ſervandi ſe ipſum; proxima ſervandæ prolis, quia hæc eſt proxima perſona: neque aliter eſſe poteſt, ut videtur demonſtrari hac Metaphyſica; nam alimentum prolis & ipſius conſervatio pertinet ad vitam vegetativam; contractus autem quicunque ad rationalem; ſicut ergo vita vegetativa prior eſt ſenſitivâ & rationali, ita obligatio pertinens ad vitam vegetativam prior eſt illa quæ reſpondet vitæ rationali. Nec refert diſcurſum procedere de his vitis in eodem ſuppoſito: quia filius maximè parvulus & adhuc minorennis non eſt omnino & per omnia aliud ſuppoſitum à patre, nam pater ductu naturæ ſervat ſe quodammodo in filio, & per generationem quandam æternitatem ſpeciei habet: quum non poſſit habere illam individui.

Tertiò probo idipſum potentius Theologico argumento: obligatio parentum ad prolem & prolis ad parentem ſine dubio eſt reciproca & mutua, ſuntque ſimul naturâ ſicut univerſaliter correlativa; at vero obligatio prolis ad parentem non dependet à legitimatione ejus, quin illud. *Honora patrem & matrem* obligat omnes, etiam illegitimos, ergo ſimiliter obligatio parentum erga proles non determinatur ad legitimas, ſed extenditur ad quaſcunque. Hæc tamen ita dicta nolo de patribus ut non comprehendant matres ſive fæminas adulterantes, quin etiam illæ cooperentur ad alendam prolem propter eaſdem rationes quæ fortius militant in fæminâ, quia proles ad ipſam aliquo modo plus pertinet, nam *partus ſequitur ventrem*. Quod ita intelligo ut mater teneatur juxta leges prolem alere primo triennio ſed ſequentibus quouſque proles apta ſit ſibi providere: Et confirmo totum, quia patrini, ſive ſuſceptores filiorum ex baptiſmo tenentur fidem Chriſtianam, & alia ad ſalutem animæ pertinentia ipſis procurare, quia nimirum quoad animum ſunt parentes prolis; quomodo ergo illi qui ſunt quoad corpus parentes non tenebuntur providere neceſſaria vitæ corporis etiam abſolute; quia jura Civilia non poſſunt præjudicare juri naturali, neque arctare illud ad triennium aut quadriennium.

Exod. 20. Deut. 5.

5. At enim authores non hoc maxime diſputant, ſed caſum quo ex adulterio naſcatur prima proles, quæ proinde præripit hæreditatem legitimæ ſequenti; quid agendum adulteris, & dubitatur maxime de matre, an ſcilicet teneatur ſignificare marito & filio quid factum, ne ipſius culpâ verus hæres privetur ſuo patrimonio? In quo caſu mirari non deſino quid venerit in mentem quibuſdam qui ſe vexant diſtinguendo, an fæmina ſuppoſuerit prolem marito, & an vir adulter cooperatus ſit ei ad ita ſupponendam eam? tum enim dicunt fæminam atque etiam virum adulteros teneri ad compenſandam legitimo filio hæreditatem: quid enim? & quæ eſt iſta ſuppoſitio? aut quomodo poteſt caveri à fæmina quæ in domo mariti debet parere; &, ſi conetur occultè prolem eniti, ſeipſam prodet, quod omnes negant eſſe faciendum. Itaque dimiſſa hac inutili diligentiâ & diſtinctione horum,

D. Sot. L. Leſs.

Dici ſolet primò quod ſi fæmina non poſſit factum ſignificare niſi cum periculo vitæ, eam ad id ſignificandum non teneri: Hæc eſt vox omnium, nominatim Subtilis, quem in hoc alii, Rec. præſertim ſequuntur, & rationes aſſignant: prima, quia vita nullo pretio eſt æſtimabilis, adeoque propter rei pecuniariæ reſtitutionem nemo tenetur vitam exponere. Secunda: quia in vitæ periculo ceſſat diſtinctio domininiorum, ita ut licite re alienâ tanquam tuâ uti poſſis, nec tenearis eam reſtituere quamdiu periculum durat: ut, ſi in fugâ, alienum equum conſcendiſti. Equidem propter Scotum meum

meum qui ubique à cæde abhorret, & hanc partem tradit, cogor ad eam aſſerendam; ita enim is expreſsè ibi : *Ad iſta mala diffamationis, mortis, vel ſaltem odii, vel diſcordia quæ ſunt valde probabilia, & videntur ut in pluribus eventura, non debet ſe mulier exponere propter incertum bonum hæreditatis reſtituendæ.* Cæterum rationibus illis non cogor; quùm enim dicitur in prima, quod vita nullo pretio ſit æſtimabilis, ſive quod ſit omnibus aliis præferenda; ut verum ſit, debet intelligi reſpectu eiuſdem, non autem ſi capiantur plures hinc inde : Ego quidem debeo præferre meam vitam omnibus theſauris; ſed apud alium non tanti valet, alter mavult ſuum patrimonium quam meam vitam. Jam verò Theologus aut Ethicus hic ſedet tertius tanquam judex, & videndum qua parte propendeat : ſi ducatur prima ratione, inclinabitur ad favendum fœminæ, quod non debet; cur enim feret ſententiam ſecundum ratioes militantes pro ipsâ, & non feret ſecundum rationes militantes pro filio?

Et revera mirum eſt in hanc partem ita ruere Recentior. qui aliàs viliſſimi æſtimant vitam hominis, & eam putant auferri poſſe pro uno vel altero aureo, aliquando pro uno aſſe, pro pomo, pro impacta alapa &c. qui approbant leges ſuſpendiarias &, homicidas furum. Scotus autem benè & conſequenter potuit hoc dicere, quia nimirum alias docuit furtum & ablationem temporalium bonorum non eſſe cauſam ſufficientem ad inferendam homini mortem. Item, ſi ſecunda ratio valet, tum ſi mihi imminet mors niſi uſurpem regnum aliquod & eripiam regi, licebit id facere, quod falſiſſimum eſt, & tamen verum foret ſi in periculo mortis ceſſaret diſtinctio dominiorum.

6. Alia ergo præſidia quærenda ſunt ad defendendam hanc veritatem, quando neceſſe eſt eam ſequi, ex quibus primo loco numeranda ſunt illa per quæ ſupra probavimus pro bonorum fortunæ ablatione non rectè auferri vitam, neque legem ferri poſſe quæ paſſim & ſine delectu ſimplicem furem occidat. Secunda ſit iſta; quia ipſe filius non deberet permittere matrem mori pro facultatibus retinendis, ſed potius perdere illas quam matrem; tenetur eam ex ſuis alere & mortem prohibere, quomodo ergò non tenetur ei à morte liberandæ fortunas impendere, proinde enim eſt quo modo eas impendat ei à morte eruendæ; ſive ſcilicet emendo neceſſaria, ſive abſtinendo illis poſſidendis Quo loco uti poſſumus authoritate S. Hieronymi, qui illud Decalogi, atque adeo naturæ præceptum *Honora patrem tuum & matrem* intelligit non de reverentia & ſalutatione, aut ceſſione loci, ſed de impenſione facultatum : unde poſſumus ſic arguere; ob nullum patrimonium poſſumus inhonorare parentes, & ſine dubio magis ad hoc tenemur quam ad eſſe divites; atqui honor ille eſt conſervatio eorum in vitâ, ergò nullum patrimonium poterit nobis eſſe cauſa cur permittamus eos mori.

Lib. 2. Com. in cap. 15. Matth.

Tertiam rationem reſervo concluſioni ſequenti, quia etiam pro eâ militat: Interim, proponam lectori iſtam primarii Rec. quod ſoli legitimi filii ſuccedant & non ſpurii, legibus humanis eſt introductum; at vero leges humanæ
non obligant, ſed ceſſant imminente vitæ
culo. Ita ille qui ad rem non facit, quia il
quo agimus non eſt omninò filius neque l
mus neque ſpurius illius patris cuius hære
tem eſt accepturus, agimus enim de filio q
Petrus genuit ex uxore Pauli, hæreditas a
quam accepturum eum ſupponimus, e
Pauli, ratio autem currit tanquam ille acc
rus eſſet patrimonium Petri, huius eſt enim
rius, non vero Pauli.

Obiectiones ex jure petitæ videri p
motæ & ſolutæ apud Malderum; Ego ratio
obiiciam ſic contra; nam ſecundogenitus l
verum jus ad illam hæreditatem, quia coram
habet, & Deus videt eum id habere, fit e
in jus ab eo qui privat eum hæreditate,
autem mater, ergò mater facit ei injuria
vero potius eſt expendenda vita quam fac
injuria. Reſpondeo hoc argumentum pr
quod mater non debeat adulterari, non
quod debeat prodere adulterium iam fac
nam committendo adulterium concepit pr
quæ alteri præripit hæreditatem, non aute
cendo, quia etiamſi ſe proderet, fortè n
ſtitueret hæreditatem; abſtinendo autem a
ulterando relinqueret eam illi. Deinde non
cedo tam facilè ſecundogenitum habere j
hæreditatem, quia illud habet alter. Dic
ter habet ex errore vulgi reputantis eum pr
timo; at verò quod tantum eſt ex errore,
eſt, aliàs error non erraret; unde poſſum
ſumere rationem ſupra factam, & devot
T. Kempenſis ſententiam : *Tantum quiſq*
quantum eſt coram Deo, uti dicebat humilis S.
ciſcus. Ille ergò habet jus quem Deus videt
habere; atqui Deus videt ſecundo-genitu
lud habere, ergò revera habet. Reſpo
primo extra formam, quod Deus videt e
veritas : *huic deberetur hæreditas*: vel iſta;
beret jus in hæreditatem, non autem, *debet*
habet. Reſpondeo ſecundò in forma cui
audite, Deum hic ſe habere ſicut judex in
innocentis qui gravatur falſis teſtimoniis,
reſpectu illius judex habet duo dictamina,
eſt ſpeculativum iſtud: hic non meretur mo
alterum practicum iſtud; hic eſt occidend
tellige propter allegata & probata contra i
ita hic, ut patet applicanti.

7. Dicendum adhuc quod adultera n
neatur ſe prodere tametſi deſit periculum
tis. Pono hanc aliter ac alii, qui idipſum
runt ſi (inquiunt) ſit periculum infamiæ
verò aliqua poſſit haberi adultera & non e
famis. Itaque quia non poteſt factum fate
fiat infamis, nego eam debere fateri. E
bo in primis argumento mihi proprio, qui
eſt domina ſuæ famæ, adeoque non debe
nec poteſt illam exponere, eſſet enim ac ſi q
debita ſolveret ex alterius pecunia.

Probo iterum argumento quo etian
cedens concluſio probatur: nemo enim r
debitum inferioris ſolvere rebus ordinis
rioris; fama autem eſt ordinis ſuperioris a
tates, ergò nemo cum detrimento ſuæ fa
las reddere tenetur. Maior huius videtu
patere, eſſet enim dare pretioſum pro vil
nemo tenetur ſpiritualia exponere licet
reſtituere regnum, quia ſpiritualia ſunt a

Digitized by Google

ta; & vero ex omnibus bonis nullum eſt vicinius vitæ quam fama.

Propter quæ non erit abs re, ſi ſuadeamus hanc partem, ne quid Scoti maneat indefenſum: Igitur pro illa faciunt in primis argumenta quæ contra ſequentem concluſionem producentur. Tum etiam iſtud: potius debet quis mori quam auferre alteri famam, ergò etiam quam non reſtituere, quia non redditio eſt continuata ablatio. Præterea fama eſt quædam æterna vita nam poſt mortem ſupereſt; vita autem corporalis & temporalis eſt exiguæ moræ, ergò non debet tam facilè præponi vita famæ, quod totum ante me pronuntiavit Sapiens illis: *Bona vitæ numerus dierum, bonum autem nomen permanebit in æternum.* Tertiò quia ſi recipienda eſſet regula qua ducuntur Adverſ. quod ſcilicet nemo teneatur ſolvere debita inferioris ordinis per res ſuperioris ordinis, ſequeretur quod pecuniæ vel facultates non deberent reſtitui cum detrimento famæ, id autem cenſetur falſum adeoque; patet enim ſequi quia fama eſt bonum præſtantius pecuniis.

3. Quia tamen Scotus apertè rem non decidit, & alias abhorret ab opinionibus homicidis; ut abundè patet ſupradictis ex ipſo circa illud: *Non occides*, ego hic ipſum obſervans non occidam, ſed ſtatuam reſolutionem abſolutè oppoſitam, quæ eſt non teneri ad reſtitutionem famæ eum qui proinde deberet mori. Cauſa, quia hic quam maximè locum & exercitium habet regula illa lumine naturæ nota quod res inferioris ordinis non debet reddi cum damno reddentis in rebus ſuperioris ordinis, nam in ordinibus illis ſupremum eſt vita. Et quia aliqui Adverſar. regulam negant, quippe quâ ſtante non poſſunt cauſam ſuam tueri, placet illam defendere: Si enim quæratur cur non liceat gratiam Dei dimittere ut reſtituam vel ſatisfaciam alteri? non poteſt alia ratio reddi quam iſta regula, quod ſcilicet gratia ſit ſuperioris ordinis. Secundò quia nemo unquam condemnabit furem unius aurei, ſi eum non poteſt reddere niſi dimittendo gemmam quæ valet mille, & hic tamen non eſt exceſſus formalis, ſed materialis tantum intra eundem ordinem ſecundum magis, & minus, adeoque. Tertiò denique quia nemo tenetur libertatem ſuam dimittere ut reddat pecunias: Si non habeam quod reddam, non teneor me ipſum vendere in ſervum ut pretio mei ſatisfaciam Joanni creditori; & tamen ipſa libertas longe eſt infra vitam.

4. Obiici tamen poteſt, ſi ita ſit, tum poterit contingere injuria ſine obligatione reſtitutionis; conſequens eſt quaſi primo falſum in hac materiâ quùm oppoſitum eius ſit axioma illius, quod ſcilicet ad veram injuriam ſequatur obligatio reſtitutionis: quod etiam à priori probari inde poteſt, quia nemo poteſt ſpoliari ſuo, jure invitus, hic autem ſpoliatur, adeoque. Item, juſtitia exigit & ponit æqualitatem inter partes: hic autem eſt aperta inæqualitas, ergò injuſtitia. Reſpondeo omnia hæc eſſe legitima & vera per ſe loquendo, peraccidens tamen contingere poteſt oppoſitum ratione impoſſibilitatis, ſicut etiam in commutationibus debitor non habens quod reddat excuſatur. Dices, hic nihil minus eſſe quam impoſſibilitatem quùm ſit etiam plus quam poſſibilitas quia poteſt reddere plus quam debet. Reſpondeo eſſe ſimile non vero id ipſ[um] eſt autem hic impoſſibilitas non ad ſatisfac[iendum] dum creditori, ſed ad hoc quod eſt teneri.

Obiici poſſunt etiam rationes poſitæ [in] præcedenti concluſione: quibus ordinatè [re]ſpondeo ad primam conceſſo antecedenti [ne]gando conſequent. Cauſa, quia auferre fam[am] alicui ſemper & intrinſecè eſt malum; non [red]dere autem nequaquam; quia aliquando de[bet] eſſe tale, & ipſa definit eſſe debita in circ[um]ſtantiis quibuſdam, ex quibus hæc eſt una. [Ad] ſecundum. Reſpondeo quantumcunque rh[eto]ricemur vitam eſſe utiliorem quam famam, [quia] illa eſt phyſicum quid & fundamentum [om]nium; hæc tantummodo morale: Ad tert[ium] probandum & non ſupponendum fuit argu[mentum] quod fur teneatur reſtituere pecunias cum de[tri]mento famæ.

5. Abſolvo quæſtionem expendendo q[uo]rundam ſenſum de hoc; eſt autem quod quan[quam] nemo teneatur exponere vitam ſuam pro fa[ma] alterius ob jam dictas poſſit tamen; non q[uia] fama pluris æſtimetur quam vita, ſed quod [vir]tum ſit pro virtute periclitari: quod equid[em] non facilè auſim approbare; quæro enim q[uæ]nam ſit illa virtus quæ tunc exercetur? Juſtitia non poteſt, quia hæc non poteſt dari niſi ubi debitum; Fatentur autem Recentior. non [eſſe] debitum id agendi. Charitas certè non erit, [quæ] enim magis fertur in bonum ſuppoſiti habe[ntis] & exercentis eam cæteris paribus, quanto m[agis] hic ubi cætera ſunt imparia.

Confirmo; quia lex Charitatis eſt iſta: [Di]liges proximum tuum ſicut te ipſum; tum aut[em] diligeres eum ſupra te ipſum: Videant iam R[e]centior. utrum factum aſſignare velint, fide[i] Spei, an Temperantiæ &c. quæ ad rem non [fa]ciunt.

6. De ipſa autem fama dicendum quod [e]periculum aut jactura non abſolvit detractor[em] à reddenda aliena. Cauſa poteſt trahi ex jam [di]ctis, quia hic deſinit axioma hactenus uſ[ita]tum, quod bona inferioris ordinis non [ſunt] compenſanda bonis ſuperioris ordinis; & in[ci]pit aliud, quod ſcilicet in pari cauſâ melior [eſt] conditio innocentis.

Quæſito an infamator teneatur repa[rare] damnum ex infamia reſultans? reſpondent [au]thores communiter affirmativè. Dom. aut[em] Sotus primùm cæpit tam liberam aſſirmat[ionem] reſtringere. Si liceat alteri idipſum, dic[it] infamatorem per calumniam, ſive falſi cri[mi]nis impoſitionem teneri ad totum damnu[m] per veri autem, ad nullum, in quo differ[t à] Soto, qui concedit talem infamatorem te[neri] ad damnum reparandum, non totum tan[quam] ſimpliciter: ſed arbitrio prudentis viri.

7. Probo ergò in primis partem illam q[uæ] communis eſt mihi cum Soto: quia ſi ſic in[fa]matus incurrit pœnam, verbi gratia mulct[am] pecuniariam detecto crimine quod perpetra[vit] non incurrit illam quia detectum illud, ſed q[uia] perpetratum eſt; non enim judex fert ſe[n]tentiam inquiens quia hoc de ſe au[di]tum eſt, ſed quia à te perpetratum; at ve[ro] perpetratio non eſt à revelante, ſed ab ipſo re[o]. Confirmo, quia teſtes in vero judicio non tene[ntur]

: damni; & tamen notificant judici. Itaque relatio non eſt cauſa damni: ſed conditio, ut nt ſine qua non. Inſtabis; in moralibus hæc ıt ſynonyma, licet in phyſicis diſtinguantur, ıe qui ignem applicat eſt reus incendii, licet io ipſius ſcilicet applicatio, ſit tantum condi-ı, cauſa autem ſit ipſe ignis: ita Recent. quibus men nego conſequentiam, & aſſigno latam ſparitatem, quia nimirum homo non poteſt ter eſſe cauſa incendii quam ut applicans, pot autem eſſe infamationis ſcilicet directa, quod ipſi Adverſ. dicunt contingere in eo qui imınit falſum crimen.

Ad meum autem ſenſum qui abſolutè net obligationem, moveor, quia ad reſtitutionem :mo tenetur niſi qui eſt iniuſta cauſa damni; at :rò revelator criminis non omnis eſt talis; eſt ıidem prava & pernitioſa, quia interim malè ɉit, ſed contra charitatem, non contra juſtitiam, leoque nullam incurrit reſtituendi obligatio-:m. Ex quibus habes poſſe etiam veri criminis velatione peccati contra juſtitiam, ſi ſcilicet velans conductus ſit ad ſilentium, ut ſæpè fit, & t ordinarium in tutoribus juvenum ſive pluri-us, ſive uno, Hiſpanicè *ajo*, hic enim accipit ſti-:ndium ut ſanitati & famæ commiſſi ſibi adoſcentis conſulat.

8. Quæſito; An ablata fama ſi in ſe reddi neueat, debeat pretio compenſari? variè DD. reſpondent: neque Subtilis rem expreſsè decidit; :d tamen quo inclinet apparet ex illis: *Dico quod lex talionis in omnibus his*, ſcilicet mutilatione & occiſione *ſtatueretur, juſta eſſet, quia non eſt facile ut ro damno tali illato homini fiat recompenſatio æqualis er bona aliqua fortuna, quia non æquivalent*: vult enim non poſſe fieri compenſationem in partibus vitæ ablatis per bona fortunæ: at vero fama eſt proxima vitæ, & bona fortunæ ei comparata *non æquivalent*.

Reſpondendum eſt ergò quæſtioni negativè; idque propter rationem Subtilis primo: deinde ob iſtam; quia juſtitia primo tendit ad reſtituendum ablatum etiam in individuo; unde ſi abſtuli Petro librum, non ſufficit quod emam ei alium, ſed teneor ipſum reddere ſi Petrus exigat; quanto magis in ſpecie: ſi autem non poſſim alterutrum, aut ſimile facere, juſtitia non habet mecum agere, nec ego cum ipſa, quia non poſſum reparare jus læſum quod fuit ad hoc, non ad alia. Confirmo, nam ſi non poſſum reddere pecunias alicui, non teneor eum honorare, vel laudare, eo quod hæc ſint diſparata, ſicut in phyſicis dimenſiones quarum una non compenſat alteram v.g. longitudo craſſitudinem, aut pondus.

Ultimo obiicio contra concluſionem ſimul & rationem Scoti: Qui non poteſt totum tenetur ad partem ſi poteſt; jam vero pecunia licet non ſit tantum bonum quantum fama, tamen eſt aliquod. Reſpondeo hoc præventum eſt in proximè dictis; verum enim eſt intra eundem ordinem, falſum in diverſo; quia nimirum pecunia v.g. nihil famæ adfert, ne parum quidem, ſicut nec pondus adfert numerum, quùm poſſit in infinitum creſcere abſque eo quod veniatur vel ad dualitatem. Alia quæ de fama ſuperſunt, minores ſunt atque ita referri poſſunt ad modernos quibus vacat hec lentius proſequi: Mihi materia hic deſinet, in nomine Patris ac Filii & Spiritus Sancti.

Augebunt hic dicta ſi conſulantur.

S. Thom. 2. 2. q. 61. *ubi* Cajet. Salon. Aragon. noſter Subtil. 4. *d.* 15. *per totam, maximè locis citat. in* . *Themat. ſupra.* Hiquæus *nos tres in dicta loca* Scoti, *aliique eius Commentatores, item in diſtinct. 21. eiuſlem libri 4. ſent. & in Report. iiſdem locis.* S. Antonin. 2. *p. tit.* 3. Richard. Palud. Gabr. *locis Magiſtri citat.* Major. 3. *d.* 15. Adrian. 4. *de Reſtit.* Rebell. *lib. 5. q. 1.* Azor. *Tom. 3. lib. 5.* Salon. & Arag. *hic q 61* Carbo. *q. 4. de reſtit.* Covar. *lib. 12.* Lopez 1. *p. c.* 47. Angles *de Reſtit.* Soto *l. 4. de Iuſt. & Iur.* Adam Tanner. *diſp. 4, de Iuſt. Dub. 3. 4. 5. &c.* Mar. Navar. Manual. *c. 16. &c.* Petrus etiam Navar. *cap....* Binsfeld. *in cap. 1. de iniuriis* Layman. Sayr. *lib. 11.* Leon. Leſſ. *lib. 2. de Iuſt. cap. 9. 10. &c.* Fumus *Verbo Reſtit.* Cajet. *opuſc. 31.* Caſtro *lib. 2. de poteſt. Leg. Videantur Canoniſtæ in Cap.* officii.
Mediua C. *de reſtit.* Franciſc. Victoria *ſimiliter.* Tolet. *lib. 5. ſum.*
Cordub. *lib. 1. q. 33.* Joan. Malder. *hic tract. 3. c. 3.*
4. *&c.* Joan. Lugo *Tom. 1. diſp. 9. & 10.*

400.125

INDEX APO-

Digitized by Google

INDEX APOLOGIARVM SELECTARVM.

De Iuſtitia & Iure.

APOLOGIA I.

De Natura utriuſque.

Actio 1. Quid Jus? fol.374
Actio 2. Quid Juſtitia? 356
Actio 3. Explicat adhuc amplius Juſtitiam. 357
Actio 4. Comparatio Juſtitiæ ad alias virtutes. 359
Actio 5. Expenditur eadem in ordine ad paſſiones. 362
Actio 6. Aſſignat diviſiones Juris. 363
Actio 7. De diviſione Juſtitiæ in Commutativam & Diſtributivam. 364
Actio 8. Quid Injuria? &, An poſſit fieri volenti? ibid.

APOLOGIA II.

De Dominio, Vſu, & Proprietate.

Actio 1. An in uſu conſumptibilibus dominium ſeparari poſſit ab uſu? 367
Actio 2. An Eccleſiaſtici Regulares habeant rerum illis, aut eorum domibus conceſſarum dominium, necne? 371
Actio 3. Utrum Clerici beneficiorum, aut fructuum quos ex illis percipiunt? 374
Actio 4. De emolumentis Poſſeſſionis. 378

APOLOGIA III.

De Diviſione Bonorum.

Actio 1. Quid Naturæ lex de dominiis ſtatuerit? ſive: Quo jure introducta ſit eorum diviſio? 379
Actio 2. Promiſſio quæ? & quomodo transferat rerum dominium? 383
Actio 3. De Donatione. 386
Actio 4. De Sponſionibus & Ludis; ut transferant dominia? 388

APOLOGIA IV.

De Objecto Dominii.

Actio 1. Utrum cujuſque vita cadat ſub ipſius dominio.
Idemque de partibus eius, ac membris 391
Actio 2. Utrum cujuſque fama cadat ſub ipſius dominio? 393
Actio 3. Utrum homo in hominis dominio eſſe poſſit? 394

Actio 4. De dominio hominis in cæte
tam ſpiritus quàm corporis.

APOLOGIA V.

De Cæde & mutilatione hominis.

Actio 1. Utrum liceat Magiſtratui in
culpæ occidere.
Actio 2. An ullo caſu liceat occidere i
tem?
Actio 3. An abſolutè liceat occidere i
tem.
Actio 4. Aſſignantur & deciduntur ac
caſus occidendi invaſoris.
Actio 5. An ulli liceat interimere ſem
408

APOLOGIA VI.

De Injuria in fortunas proximi.

Actio 1. De Furto: Quid illud?
Actio 2. De Qualitate furti.
Actio 3 An furtum per civiles leges pc
na mortis plectit?
Actio 4. Decidit nonnulla tam Th
quam practica de furto.

APOLOGIA VII.

De Iuſtitia & Injuriis.

Iudicis, Rei, Teſtium, Advocati.

Actio 1. De Judice.
Actio 2. De Reo.
Actio 3. De Teſte, Accuſatore, Ad
428

APOLOGIA VIII.

De Reſtitutione.

Actio 1. An? & quomodo damnum ſp
illatum alteri obliget ad re
nem?
Actio 2. De reſtitutione ſequente ad
dium & mutilationem.
Actio 3. Ad quid obliget ſtuprum, &
436
Actio 4. De reſtitutione adulterantium
Actio 5. & Ultima Reſtitutio famæ q
& quomodo facienda?

Digitized by Google

[IN]DEX RERVM NOTABILIVM REPERTARVM IN APOLOGIIS SELECTIS,

Primus Numerus Apologiam, Secundus Actionem, Tertius Paragraphum indicat.

A.

Ablator.

[A]blator violat jus non tamen dominium, ap.6, act.1. n.1.

Abſtractor.

[Abſtr]actor alumni à Religione ad quid teneatur religioni ex juſtitia, ap. ult. act.5.n.6.

Accuſatio.

[Accu]ſatio quid ſit, ap.7. act.3.n.3.

Adulter.

[Adul]ter quid debeat dare marito adulteræ, ap. ult. act.4.n.2. Adulter & ſtuprator ſecuto partu tenetur prolem alere ex juſtitia, ibid. n.4. Adultera non tenetur ſe prodere etiam abſente periculo mortis, ap. ult. act.4.n.7.

Adulterium.

[Adu]lterii pœna per Moyſen inflicta, eſt à Chriſto ſecundum Scotum revocata, ap.5.act.1 n.13. Adulterium in ratione injuriæ quæ Decalogo prohibetur non eſt ex genere ſuo gravius toto genere furti, ap.6. act.2.n.4. Adulterii damna, ap.6.act.2.n.5. Adulterium qua libido eſt, comparatur in malitia furto, ibid.

Animal.

[An]imal non occiditur directè ob defectum alimenti, ap.0.act.4. n.4.

Aequum.

[Ae]quum aliud eſt quam bonum, ap.1.act.1.n.2.

Ariſtoteles.

[Ar]iſtoteles & Cicero deprædicant juſtitiam, ap.1 [act].4. n.[.]

C.

Cades.

[C]Ædes quibuſdam temerè permittitur, ap.5. act.1.n.10.

Calumnia.

Calumniæ realis uſus omnis non eſt illicitus etiam in judicio, ap.7. act.2.n.6.

Cauſa.

Cauſa injuſta vel dubia an poſſit patrocinari, ap.7.act.3.n.6.

Charitas.

Chritas quid ſit, ap.1.act.2. n.4.

Chriſtus.

Chriſtus an ſuſtulerit pœnam talionis, ap.5.act.3. num.4.

Clerici.

Clerici non ſunt domini fructuum ex beneficiis acceptorum, ap.2. act.3.n.1. Clericorum beneficia quare dentur à fundatoribus, ap.2.act.3.n.6.

Cœli.

Cœli mobiles ſpectant ad hominem, ap.4.act.4. num.1.

Condemnatus.

Condemnatus per allegata & probata an teneatur obedire ſuſtinendo pœnam, ap.7.act.2. num.2.

Crimen.

Crimen falſum à primo non poteſt imponi alteri ſine peccato, licet alter impoſuerit primo, ap.7. act.2.n.7.

D.

Damnum.

DAmnum magnum inferre pluribus, ſed parvum ſingulis an peccetur mortaliter, ap.6. act.4.n.6.

Decalogus.

Decalogi quintum præceptum reſpicit proximum tantum, ap.4.act.1.n.4.

Deflorare.

Deflorans virginem invitam tenetur ad reddendam virginitatem omni modo quo poteſt, ap.ult.act.3. n.1. Deflorans violentus virginem invitam tenetur ad majorem reſtitutionem quam opprimens corruptam violenter,ap.ult. act.3.n.3.

Detractor.

Detractor ſecundum Scotum non tenetur cum jactura ſuæ vitæ reddere alteri famam, ap. ult.act.ult. n.2. Detractor ob periculum ſuæ famæ non abſolvitur à reſtitutione alienæ ablatæ,ap.ult.act.ult.n.6.

Deus.

In Deo ſunt tria ſuppoſita, in Chriſto unum tantum, ap.1. act.3.n.1. Deus nequit obligari obligatione juſtitiæ, ſed fidelitatis, ap.3, act.2.n,2.

Diviſio.

Diviſio rerum facta eſt jure gentium & Civili, ap.3.act.1. n.9. Diviſio mundi à quibus facta,ap.3.act.1.n.9.

Dominium.

Dominio rerum non gaudent Regulares in particulari, ap.2.act.2.n.1. Dominii definitio à Juriſtis, ap.1.act.8.n.5. Dominus vitæ ſuæ eſt quiſque jure naturæ,ap.4,act.1.n.1.

Donatio.

Donatio definitur, ap.3.act.3.n.1. Donatio non poteſt eſſe reciproca, ap.3. act.3. n 2. Donator petenti ob preces factas an cenſeatur donare, ibid. Donatio an ſit revocabilis, ap.3.act.3.n.3.

E.

Eccleſiaſtici.

ECcleſiaſtici juxta SS. Patres,Concilia, & antiquos Scholaſticos ſunt tantum diſpenſatores ſuorum redituum, ap.2. act,3, num.8.

F.

Fama.

FAma cadit ſub dominium cuiuſcunque,ap 4. act.2.n.1. Fama nobilitatis nequit objici pro cujuſvis arbitrio, ap.4.act.2.n.2. Fama variè poteſt ſumi, ap. ult. act.ult.n.1. Fama ablata an in ſe reddi poſſit, ap.ult. act. ult. num.8.

Familia.

Familia Franciſcana habet ſolum uſum rei: non dominium,ap.2.act.1.n.6.

Fortuna.

Fortuna quid ſit, ap.3.act.4.n.2.

Fur.

Fur ſurripiens magnam quantitatem minutis an peccet ſingulis vicibu ter,ap.6.act.4.n.1. Fures qui ſi num damnum,ſinguli autem pa lerunt proximo an peccent mort act.4.n.3.

Furtum.

Furtum quomodo definiatur à Juriſti cis,ap.6.act.1.n.1. Furti ſpecies, n.2. Furtum definitur,ap.6.act. tum quale ſit peccatum, ap 6.ac Furtum ſecundum ſe non po mortis puniri,ap.6.act.3.n.1. F debere puniri pœnâ mortis prob gibus civilibus, authoritate Ch act.3.n.1. & 4.

G.

Generatio.

GEneratio ſublunarium pendet à lorum,ap.4.act.4.n.1.

Gratia.

Gratia quid ſit,ap.4.act.4.n.5.

H.

Homicida.

HOmicida pro vita occiſi nihil ten tuere,ap.ult.act.2.n.3. Homi non tenetur recompenſare dam ereptæ occiſo pecuniis,ap.ult. ac

Homicidium.

Homicidium non eſt injuria propriè, ap.1.act.4.n.7. Homicidium m multum,ap.5.act.1.n.8.& 9

Homo.

Homo probabiliter non eſt dominus ap.1.act.3.n.3. Homo tenetur vare debito charitatis, non aut juſtitiæ,ap.4.act.1.n.5. Homo nus affectionum corporalium, in omni caſu,ap.4.act.4.n.3. H eſt dominus ſuorum habituum ap.4.act.4.n.4. Homo an do nitatis & actuum liberorum, ib eſt dominus bonorum ſpiritu actuum quam habituum,ap.4.a

Honor.

Honoris reſtitutio quando non obli act,2, num,2.

Digitized by Google

I.

Inducere.

cere ad religionem profitendam ineptum
ɔligat ad damna reſtituenda religioni ex
ıſtitia, ap. ult. act. 1. n. 7.

Inductor.

or ad peccatum tenetur inductum eximeː à peccato & ei reſtituere damnum ſpiriıale illatum, ap. ult. act. 1 n. 1

Infamator.

ıtor per falſi criminis impoſitionem teːetur ad totum damnum reſarciendum, ːr veri ad nullum. apolog. ult. act. ult. um. 6

Ingratitudo.

tudo non eſt culpa. apol. 3. act. 3. nuıer. 3

Injuria.

fit ratione voluntatis. ap. 1, act. 3, num. 2. ıjuriæ explicatio data à S. Thoma reiciır, apol. 1. act. 8. num. 1, & 2, Injuriam emo ſibi ipſi facere poteſt, apol. 1, act. 8, um. 4, Injuria paſſivè ac activè ſumpta uid dicat, apol. 1, act. 8, numer. 4. Injuia nulla fit occidi volenti ab occiſore, excepto uno caſu & quonam? ap. 1, act. 8, ıumer. 6. Injuriarum tria genera ſunt, honicidium, adulterium & furtum, ap. 4, ct. 1, num. 1

Innocens.

ens nequit tradi tyranno pro Reipublicæ alute, apol. 5, act. 2, numer. 1. Innocens lium invadens poteſt repelli, & an innocens invaſus teneatur parcere peccatori inadenti, ap. 5, act. 2. num. 4

Interemptor.

mptor ſui ipſius non facit injuriam Deo, nec reipublicæ, minime ſibi, apol. 1, act. 8. num. 5

Invaſor.

ɔre interponente innocentem ita ut ictus invaſi mediante innocente debeant venire ad invaſorem quid invaſus agere debeat. ap. 5, act. 2, n. 5

Iudicium.

ium ut ſit rectum requirit quatuor conditiones, ap. 7, act. 1, num. 1, Judex in propria cauſa aliquando admitti poteſt, ap. 7. act. 1 num. 2

Iuriſdictio.

ictio quadrupliciter acquiritur, ap. 7. act. 1 num. 1

Ius.

Ius non eſt obiectum iuſtitiæ, ap. 1, act. 1. nu. 1, Ius ab Ariſtotele diſtinguitur contra bonum & æquum, ap. 1, act. 1, num. 2. Ius definitur ab Ethicis ſpeculativis ſed malè, apol. 1, act. 1. num. 2, Ius facile concipi, ſed non explicari poteſt, apol. 1, act. 1, n. 4, Ius definitur. ibid. Ius aliter definitur, ap. 1, act. 1, num. 6. Ius dividitur à Theologis & Juriſtis & quo modo, ap. 1, act. 6, nu. 1, & 2, Ius in re & ius ad rem quid ſint, & per quid habeantur & quas ſpecies habeant. ap. 1, act. 6, num. 3, Ius naturæ non eſt diſtinguendum ab aliis circa rerum diviſionem. ap. 3, act. 1, n. 2, Ius Canonicum eſt forenſe, ap. 3, act. 2, n. 3

Iuſtitia.

Juſtitiæ variæ acceptiones, apolog. 1, act. 2, nu. 1. Iuſtitiæ definitio à D. Thoma approbata reprobatur, ap. 1, act. 2, numer. 2, Iuſtitia definitur partim ex Auguſtino, apol. 1, act. 2, numer. 3. Iuſtitiæ virtus, & omnes aliæ ſunt identificatæ voluntati divinæ, apol. 1, act. 2, numer. 3, Iuſtitiæ definitio data à Cicerone enconium potius eſt quam explicatio eius, apolog. 1, act. 2, numer. 4. Iuſtitiam definit Ariſtoteles, ibid. Iuſtitia non neceſſario eſt ad alterum in ſuppoſito, ap. 1. act. 3, numer. 1. Iuſtitia nequit exerceri quando eſt una voluntas & natura non obſtante quod ſint plura ſuppoſita, ap. 1, act. 3, numer. 2, Iuſtitiæ actus poteſt verſari circa ipſum exercentem actum, apol. 1, act. 3, numer. 3, Iuſtitia ſimpliciter non eſt aliis virtutibus moralibus melior, nec præferenda, apol. 1, act. 4, numer. 2, Iuſtitia dignior eſt aliis virtutibus moralibus ſuppoſita ſocietate hominum, apol. 1, act. 4, numer. 4. Iuſtitiæ virtus Deo charior eſt aliis, ibid. Iuſtitia verſatur circa paſſiones & circa quas, apol. 1, act. 5. numer. 1, Iuſtum eſt duplex, apol. 1, act. 6, numer. 3, Iuſtitia non differt à reliquis virtutibus quod illa verſetur circa actiones hæc circa paſſiones, ap. 1. act. 5, n. 3

L.

Lex.

Lex naturæ ligat ſemper beatos, apol. 3, act. 1. numer. 9, Lex civilis permittit marito, uxorem in adulterio deprehenſam occidere, ap. 3, act. 2, numer. 3. Leges nequeunt hominem privare ſuo iure, apol. 2. act. 1. num. 2. Lex Exodi 20. non occides eſt generalis, ap. 5, act. 1, n. 2

Lucrari.

Lucrari an poſſit is, qui non poteſt perdere, ap. 3, act. 4. num. 4

Luſor.

Digitized by Google

Luſor.

Luſor ludo vetito ſi perdat an teneatur ſolvere, & ſi lucretur an teneatur ad reſtitutionem, ap. 3. act. 4, num. 3

M.

Martyres.

MArtyres rigide loquendo non moriuntur pro Chriſto, nec milites pro alio, ap. 1. act. 4, num. 3

Mors.

Mors in Republica Judæorum in multis caſibus potuit infligi, apolog. 5, act. 1. numer. 3. mors in aliis regnis non æquè potuit à magiſtratu infligi in caſibus, in quibus licitum erat Judæis, ibid. numer. 4. mors ſecundum SS. Patres etiam ad propriam vitam tuendam nequit infligi, apol. 5, act. 1. numer. 11. mors an ſubeunda potus quam quod proteratur infans nondum baptizatus, ap. 5, act. 2, n. 5

Mundus.

Mundus elementaris eget cœlo magis quam domus tecto, ap. 4, act. 4, n. 3

Mutilatio.

Mutilatio deſcribitur, apol. 5. act. 5, numer. 8. mutilatio corporis requirit ut fiat compenſatio mutilato, apol. ult. act. 2. n. 2

N.

Natura.

NAturæ ſtatus an diſtinguendi, ap. 3, act. 1, num. 3

O.

Obligatio.

OBligationes contractuum non ſunt ſemper promiſſoriæ, ap. 3, act. 2, n. 3

Occidere.

Occidere licet invadentem ſe. apol. 5, act. 3, nu. 2. Occidere ob ſuppellectilis vel pecuniæ ablationem non ſtatim licet. ap. 5, act. 4. num. 2. Occidere nequit puella opprimentem pro ſervanda caſtitate, apol. 5, act. 4, numer. 3, Occidere pharmaco eſt peccare contra quintum præceptum Decalogi, ap. 5. act. 5, num. 8

Occiſor.

Occiſor qui ſolvit pœnam talionis ad nihil tenetur propter vitam ereptam, apol. ult. act. 2 num. 7

Oppreſſor.

Oppreſſor virginis non tenetur ei ex natura rei aliquid in pretium pudicitiæ numerare, ap. ult. act. 3, n. 5

Opus.

Opus male factum malitiæ injuſtitiæ non exigit ex juſtitia præmium promiſſum, ap. 3, act. 2 num. 6

P.

Paſſio.

PAſſiones omnes non ſunt in appetitu ſenſitivo, ap. 1, act. 5, num. 2

Paupertas.

Franciſcana Paupertas laudatur, apol. 2, act. 1, num. 3

Poſſeſſio.

Poſſeſſio bonorum dividitur, apolog. 2, act. 4 numer. 1, poſſeſſionis privilegia, ibid. numer. 2

Princeps.

Princeps quilibet torquere poteſt ſervum, ap. 5 act. 1, num. 6. Principes Chriſtiani an poſſint licitè infligere mortem in caſibus lege divina poſitis, ap. 5, act. 1, num. 12.

Promiſſio.

De promiſſione dubitans ad quid teneatur, ap. 3 act. 2, numer. 1. Promiſſio facta ad quid obliget, apol. 3, act. 2, numer. 2. Promiſſionis natura, apol. 3, act. 2. num. 3. Promiſſio interna ab homine homini facta non eſt obligatoria, nec eſt promiſſio, ap. 3. act. 2. n. 4, Promiſſio pravi operis an liget, ibid. n. 5.

Promiſſor.

Promiſſor non obligatur promittens animo non ſe obligandi, ap. 3, act. 2, num. 2

Puella.

Puella vim paſſa an poſſit retinere quod in pretium ſtupri accepit, apol. ult. act. 3. nu. 6

R.

Regulares.

REgulares tam perſonæ quam communitates & clauſtra olim ex inſtitutione ſua nullius rei habuere dominium, ap. 2, act. 2, n. 2

Res.

Res parva nequit præcipi ſub magno peccato, ap. 6, act. 4, n. 5

Reſpublica.

Reſpublica quod ſit non eſt neceſſe, ap. 1, act. 4 num. 2.

Reus.

An reus interrogatus à judice teneatur veritatem fateri, ap. 7, act. 2, num. 1. Reo an poſſi qui

Digitized by Google

quis ſuadere fugam, apol. 7, act. 2, num. 3 Reus an poſſit eſſe executor ſententiæ ſibi illatæ, ap. 7, act. 2, num. 4

S.

Scotus.

SCotus docet quod mihi & tibi non variant rationem formalem ullius actus, ap. 1. act. 3 num. 3

Servitus.

Servitus non eſt contra naturam aut ejus jus, ap. 4, act. 3, numer. 2, Servitus potuit in ſtatu originalis juſtitiæ, apol. 4, act. 3, numer. 3. Servitus duplex, apol. 4, act. 3. num. 4 Servitus nulla naturalis eſt, apol. 4, act. 3 num. 4.

Sors.

Sorti an liceat quidquam in conſcientia committere, ap. 3, act. 4, n. 1

Suicidium.

Suicidium vix ulla authoritate licitum probari poteſt, ap. 5, act. 5, n. 1

Superbia.

Superbia vincitur etiam à juſtitia, apol. 1, act. 5. num. 4

T.

Tactus.

TActus homini qua homini non eſt neceſſarius, ap. 1, act. 4, n. 4

Temperantia.

Temperantia inclinat ad actum ſicut & fortitudo, ap. 1, act. 5, n. 4

Teſtis.

Teſtis falſus falſo teſtimonio inferens damnum debet reſtituere, ap. 7, act. 3, n. 2

V.

Venditor.

VEnditor non tenetur ſemper vitium ſuæ mercis manifeſtare emptori, ap. 3. act. 4 num. 4

Violator.

Violator virginis ſub cuſtodia parentum exiſtentis tenetur parentibus puellæ de vi & contumelia, ap. ult. act. 3, n. 4

Voluntas.

Voluntas non eſt iuſtitia, ap. 1, act. 2, numer. 3. Voluntas divina habet rationem potentiæ & etiam habitus, ap. 1, act. 2, n. 3

Vſus.

Uſus & dominium poſſunt diſtingui, ap. 2. act. 1 num. 4. Uſus rei conſumptibilis dum conſumitur vel conſumpta eſt aufert dominium priſtino proprietario, & probabilius non aufert, ap. 2, act. 1, n. 5. & 6.

FINIS.

Omnia ad majorem Dei Gloriam.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

242